GESTA PONTIFICVM ROMANORVM

AB ADRIANO VI.

Romano Pontifice CCXX. vſque ad

INNOCENTIVM XI.

P. O. M. CCXLII.

Additis Pontificum Immaginibus ad viuum ære exculptis, cum Hieroglificis, Nummiſmatibus, Signis, Sigillis, &c.

AVCTORE

IO: PALATIO I. V. D.

Collegiatæ S. M. Matris Domini Plebano, & Archipresbytero eiuſdem Congregationis, Ducali Canonico, in Veneto Lycæo Iuriſprudentiæ, olim Patauij Sacrorum Canonum Publico Profeſſore, ac S. C. M. Hiſtorico, Conſiliario, &c.

OPERIS

VOLVMEN QVARTVM.

VENETIIS, M. DC. LXXXVIII.

Apud Ioanem Parè ſub Signo Fortunæ.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Chriſti Vicario
INNOCENTIO XI.
Romano Pontifici.



RArà Temporum fœlicitate (in quibus de omnibus licet ſentire quæ volo , & dicere quæ ſentio) iacet animus laudibus tantùm BEATITVDINIS TVÆ abſtinere coactus , nè illius modeſtiam offendat , quæ ſicuti proficere cupit , ita ſuſpici abhorret . *Abſcondi ſi nequit Ciuitas ſuprà montem poſita ; nec lucernam ponunt ſub modio , ſed ſuper candelabrum , vt luceat omnibus , qui in domo ſunt* . Quid de Te (SANCTISSIME PATER) Chriſti Vicari , Pro-Deus , qui Vrbi luces, & Orbi ? Dedimus olim grande patientiæ documentum adempto per inquiſitionem audiendi , loquendique commercio : Sed ea erat hominum conditio, vt paria delicta mutuà compenſatione ſublata , lemmate ſeſe eluderent Euangelico, *Qui ſinè peccato eſt veſtrum, primus lapidem mittat* . Nunc autem rem difficilem humano generi *Innocentiam* in Capite aſſequuti , cur gratias non agemus Deo , à quo datus eſt nobis *Pontifex Sanctus* , *Innocens* , *Impollutus*,

non

non tamen *ſegregatus à peccatoribus*, vt compati poſſit infirmitatibus noſtris? Velis, nolis; ſcribunt Superi in libro Vitæ, quod ſinè mercede, & nullo ad Te perueniente commodo facis. Gratuitum ipſi gloriantur dediſſe Pontificem, ad quem ſi homines non aſcendant; ipſe deſcendat ad homines. Geſta Summi Sacerdotis cum ex Chriſti lege ad normam viuentium, & venientium ſint ſemper expoſita, leget oculus vel inuitus in ſilice, & plumbi laminà, quæ aures audire non ſuſtinent. Noſtri ſi deficiant Annales, ſupplebunt monimenta Infidelium, marmora Hæreticorum, quæ nos in epinicium, illi pullati erexerunt in epicedium proſtratæ Hæreſis, Sectæ confuſæ. *Dominaberis à Mari, vſquè ad Mare*, ſi labia noſtra canentia non ſuſtines; Erit *Lingua canum tuorum ex inimicis*. Etiam Chriſtus poſtquàm ſe transfigurauit in monte, mandauit Apoſtolis; *Nemini dicerent*: Hebræorum tamen Croniſta Flauius non ſolùm miracula transmiſit ad poſteros, ſed eorum auctorem Chriſtum; cum hominem negando, fuſus eſt Deum. Laudes reſpuis Chriſtianorum? Anniuerſariæ Infidelium, & Schiſmaticorum lachrymæ, quemadmodùm poſt deſolatam Hieruſalem Hebræi (teſte Hieronymo) annuatim veniebant deplorare vrbis excidium, & habitu lugubri plangere ruinas Templi (fletu militi ſolutà mercede redempto, vt flere plus liceat.)

Hæreſim plangentium extinctam, Idololatriam exciſam, canent *Innocentia*, & *Innocentij* tiumphos. Hoc tamen diſcrimine: quòd illi fletu inſultabunt, & anathemate: nos geſtientes præ lætitià, Deum primò, indè Pro-Deum adorabimus; & ſi illi non ingrata mortalium carmina; etiam Tu nouus Dauid lineo accinctus Ephod, nobiſcum totis viribus ſaltabis antè Dominum. Choreas noſtras quis deſpiciet? vna Michol filia Saulis; Synagoga ſcilicet, & Meſchita quæ ſuis obruta cæmentis non reſurget ampliùs. Pangimus, eccè Melos, more fœminæ Chananeæ, quæ clamabat poſt Chriſtum; vt victus deuotione importunà, & catulos audire cogaris, & exaudire catellos. Duorum ſupra ducentos, & quadraginta Romanorum Pontificum (quos quatuor hiſce includimus voluminibus) Petrus eſt, qui agmen ducit Apoſtolorum Princeps: vndè à Sanctitate Petri, operis exordium mei, ſed finis cum *Innocentià*; quæ ſub iudice adhuc, an Sanctitati præualeat? Faſtos Tuos cum ſcribere non permittar; Oraculum ſaltem Veritatis, & Organum Spiritus Sancti conſulere non prohibear. An impleto hodie Chriſti vaticinio, *Luna non dabit lumen ſuum*; impoſterum adnotare liceat Annales Eccleſiæ, à die, quà *Luna ſub pedibus Tuis*?

Mediaſtinus
Ioannes Palatius.

HADRIANUS SEXTUS
PONTIFEX ROMANUS CCXX.



IN Samuelem iurgātur Hebræi Regem poſcentes, *Da nobis Regem ut iudicet nos, quemadmodùm cæteræ habent nationes*. Et licet poſtulationis arguerentur iniuſtæ, quia homo in Regem dari non poſset, cũ Dèum haberent in Regem: perſeverant clamantes, *Da nobis Regem*; *Reg. 1. c.* Undè coactus Samuel exaudivit voces eorum. Exemplum nobis, à recto iudices quandoq; coactos deficere, & in ſemitam non poſse ambulare iuſtitie, licet velint; ut Hadrianus VI. qui Curiam volens reformare Romanam, nec valens, exclamavit. *Oh ſors infelix.*

Eligitur An. Sal. 1522. die 5. Idus Ianuar. Obiit Idib. Sep. teſte Iovio, An. 1523. Ætatis ſuæ An. 64. Menſ. 6. dierum 16. Cum ſediſſet An. 1. Menſ. 8. dies 5. Vacat ſedes uſq. ad diem 19. Novemb.

ELOGIUM.

Anni Sal. IHa 1521.li

REgni diſciplinã exhibet Hadrianus VI.
Attendite Reges:
Parendo didicit, & errores notando alienos.
Artẽ numeris non adſtrictam, regulis alligavit.
Magiſter Caroli V.
Quia Magnum fecit, Maximus evaſit.
O grandis præceptor?
Cuius magiſterio formantur Auguſti.

Traiecti natus paupere, ſed non ignobili patre,
Lovanii panem quæſivit, & literas.
Rerũ omniũ infeliciſſimum credens imperium,
Nõ ſine ĩdignatione dignitates ſuſcepit oblatas
Quantum Auſtriacos diligeret Deus, probavit,
Cum Carolum de tanto pręceptore providit.
Lovanienſis alumnus Accademiæ,
Famà ſapientiæ tam brevi implevit Europam,

Anni Sal. IHa 1521.li

Anni Sal.IHs 1521.Ii

vt ad eũ audiẽdũ toto ex orbe cõfluerẽt cãdidati A

Sapientia [2] illi non vana

De Deo cùm ſemper inquireret,

Tullios [12] omnes ſprevit non ſacros.

Veteri arti hanc unam addidit,

Inopem Collegia [4] ædificare ſinè pecuniâ.

Hoc unum Hadrianus neſcivit:

Marmora colligere ſine invidiâ.

Indignatus *Carvaiales* Cardinalis Hiſpanus

Abſolviſſe Decanum,

Quæ adhuc Cardinalis exordiri non valuerat;

Cæpit ſi non odere, æmulari virtutem.

Arcana hæc Parſimoniæ.

Præceptor cum quæreretur [5] Carolo V.

Qui nõ minùs doceret ornatè loqui, quã vivere B

Reiecti omnes, qui ſe obtulerunt.

Hadrianus invitus adſciſcitur,

Ut Deum monſtraret Imperatori futuro.

At mundi dominũ quis doceret, niſi mundi magiſter?

Legatus [6] ad Regem Hiſpanum

Invitus primò, inviſus poſteà

Belga ita efferratos placavit Hiſpanos,

Ut à Rege peteretur Epiſc., proRex à populo.

Pro Rex electus id primum intendit, (ret

vt Hiſpaniã Hiſpanis, Hiſpanos Cæſari reſtitue-

Duo Hadriano Cardines Deus & Cęſar:

In Cæſarem nõ peccavit, quia Eccleſię ſervivit.

Eccl. ipſa obſequiũ in Cęſarẽ decoravit purpurâ

Quam inſcio, abſenti, contulit & invito.

Ut fidem faceret eà ſervati poſse

ErgàDeum fidem, ergà Cæſarem fidelitatem;

Si uni Cæſari pręponeret ſolum Deum.

Hiſpaniã cũ pacaſset armis Cæſaris, cõſiliis ſuis;

Rependit Carolus,

Maiorẽ fieri curans, cũ ſibi nõ poſset ęqualem.

Annuentes diſsoni Romę Patres

Nec Romæ notum, nec ipſi Roma,

Unanimes ſalutavere [7] Pontificem. (les

Veniẽtẽ Hadrianũ Hadriana excepit feſtiva mo

1522.Ii Armatum calamo, & capulo in Hæreſiarchas.

Potuiſsent & iſti benè ſperare,

Si priùs de Religione egiſsẽt, quàm de libertate

Carpere Germania [8] impotens laudavit, dicens: D

Pontifice non careret Germania,

Si tales ſemper Pontifices habuiſſet.

Capitoliũ cõſcẽdẽs loco Martis, invenit Mortẽ;

Quę currus ſuos buſtis agens onuſtos:

Anni Sal.IHs 1522.Ii

Purpuratos in fruſta conciderat, & in fuga.

Solus Hadrianus providus, & impavidus

Peſtem [9] nec vallo incluſit, nec mænibus.

Ex alto eam ſuſpicatus deſcendere,

Cœli vitia correxit in ſuis.

Prece debellatâ Peſte, arma tulit cõtra [10] tyrãnos

Feltrum, Ateſtinum, Malateſtam,

Hunc proſtravit: illis pepercit.

Hoſtes nactus Gallos, Turcas, Romanos,

Obiit omnibus impacatis, & imparatis.

Nam Rodum [10] tenuere Turcæ, Galli Ticinũ [13]

Sceleta [13] libertatem

Odioſus Poetis [14] momordiſset lapides

Et eorum ſtatuas demerſiſset:

Ni etiam ſub vado coaxarent ranę.

Ea erat peccandi licentia

Ut Uſurarii, Simoniaci, Blaſphemi, Iudæi

(Quos oppugnaverat, nec expugnaverat)

Hadriano [15] mortuo

Portas medici feſta frõde exornarẽt ſub titulo

Liberatori patriæ. S. P. Q. R.

Ut medicũ carperẽt veneficũ, Põtificẽ imperitũ.

Movit etiã in Turcas, & ventos eorũ auxiliares,

Qui à Naturâ ſoluti in Naturam flabant.

Duobus mẽſibus cõflixit in Eurũ, atq; Valturnũ,

Ceſſit tandem ventis, & mari.

Turcarum ſub ſignis Deum fuiſſe Chriſtianorũ

Accuſant Gallia, Anglia, Hiſpania,

C Quarum ſuppetiæ, omnes periere naufragio.

Nè Rhodum appellerent.

Bellavit pro Barbaris Chriſtianorum perfidia,

Ob quam indignati è caſtris receſserunt Sancti.

Deditionem nunciavit Romę ruinâ epiſtilii,

In portis Vaticani: (ſiæ.

Vt moneretur Papa fortiùs cuſtodire valuas Eccle-

Ad quid enim Petri Claves,

Si clavo hoſtes occupant poſtes?

Vitia hæc temporis non Pontificis:

Cui [15] letas fecere exequias etiam affines:

Infeſti patruo, quia pater patriæ, non familię,

Dedignaretur ædificare in ſanguine Sion.

Epicedium cęcinere Iuſti [16] reliqui epinicium.

Supplevit Cælum [17] Incendio prò lampade:

Et Tonitru, quo mortales exciret ad laudes:.

Hac pompâ Deus ipſe ad mortales deſcendit. 1523.Ia

Inter Celites occurriſſe [18] Benonem ne dubites;

Hunc enim Hadrianus trãſcripſerat ĩter Sãctos.

ADNOTATIONES IN HADRIANO VI. PONT. ROM. CCXX.

Natalia 1 HAdrianus VI. natione Belgâ, patriâ *Vltraiectenſis* in Hollandiâ, patre *Florentio* ingenuæ plebis viro, aulæorum textore, vel cerviſiæ coctore, ita paupere, ut cùm familiæ nomen deeſſet, ipſe daret; undè *Hadrianus Florentius* dicitur, à patre. *Mathias Bellintanus* Capucinus Salodienſis Theologus Anno 1586 (hunc ferè contemporaneum advertat lector, vel ſaltem eo tempore hiſtoriam ſcribere, quo vivebant ii, qui *Hadrianum* regnantẽ agnoverat) conatur oſtẽdere, *Hadrianum* natum, & aliquot annis edu-

Hadriani inſignia.

educatum in agro Salodienſi, Brixienſis diœceſis in A Italiâ, *Renzano* nuncupato; inditumquè illi in ſacro lavacro *Ludovici* nomen, quod inconſulto patre *Ioanne Bono* in Hadrianum convertit, cùm adoleſcentulus perrexit; hinc factum (*Bellintani* conjecturâ) ut in Pontificatu de nominis mutatione non cogitaverit. Familiæ Ioannis *Bonæ* inſignibus *Hadrianus* Leonem addidit: vel quià *Leo X.* purpuram *Hadriano* contulit: vel quia *Leo* Venetæ Reipublicę, cuius imperio Brixia, Salodium, Renzanum, ſtemma eſt. Salodii præterea ſtemma Leo eſt, ſed Leo*florem* unguibus tenens, undè Hadriani patrem *Florentium* Bellintanus dictum voluit. Opinio hęc uſquè in hodiernam diem ſequaces non habuit. Anno naſcitur 1559. Sexto Non. Martii. Anguſta res familiatis cùm eſſet *Florentio*, ut filio ad bonas artes propenſo ſubvenire non haberet, Lovanium miſit, ut in pædagogio *Portiorum* gratuitò nutriretur. Ibi enim vetere inſtituto, ingenuis adoleſcentulis egeſtate preſſis, ad bonas artes perdiſcendas, alimenta ex publico prębebantur, teſte *Panvinio, Iovio.* Ita Hadrianus metu liberato expenſarum incredibili vitæ integritate, ſe totum dedit liberalibus diſciplinis, ut brevi primùm Dialecticus,

Studia.

Philoſophus, Mathematicus ſinè magiſtro convolutas earum artium ſubtilitates, & per ſe caperet ſedulò, & cæteris admirantibus lucidiſſimè recitaret. Ad extremum tantis inſtructum diſciplinis Theologi in ſcolam avidè receperunt: quibus in ſtudiis perpetuà cum laude uſquè ad ſenectutẽ religiosè conquievit: carptim tamen ſubciſivis temporibus Pontificii iuris decreta perdidicit. *Iovius in vitâ* Hadriani.

2. *Sapientia illi non vana*; hoc unum ei defuiſſe accuſant Poetæ, quòd flores ſperneret eloquentię, & poetarum amænitates; ſivè quòd eas ſibi aliquid de

Non amat Poeſim.

graviſſimorum ſtudiorum auctoritate detrahere; ſivè C quòd caſtis, & piis ingeniis Poetarum luſus, pravos mores importare, ac religioni plurimum officere arbitraretur; erat enim ſeveritate Chriſtianà adeò verecundus, ut nihil niſi ſobrium, & pudicum vel ioco auribus admitteret. *Iovius.* Adjunge Poetarum odiſſe amœnitates, quæ ſub *Leone X.* prędeceſſore ſuo, cùm totam occupaſſent aulam, Eccleſiam penè perdiderunt. Hæretici namquè non Poetarum fabulis, ſed Scripturarum teſtimoniis redarguuntur.

Scripta eius.

Quodlibeta ab eo compoſita recto tramite, & rectà vià ordinata ſinè fuco, & mendicatis ſuffragiis vidit, & legit Bartholomæus Caſſaneus 1. *Catalog. Glor. Mundi Conſ. 65.* Excudit ea Iacob Iunta Anno 1546 præter epiſtolas, quas Pontifex ſcripſit ad Senatum Bambergenſem, & ad ſingulos quoſquè Principes, ejuſdem argumẽti, ſed pręſertim ad Fridericũ Ducem D Saxonię, in cuius ditione vivebat fax incẽdii Germanici, Lutherus. Et aliam ad Marcum Marulum virum optimum, atquè doctiſſimum plenam honoris, & erga illum benevolentiæ, Romæ impreſſam: teſte *Antonio Poſſevino in Apparatu Sacro.* De ſcriptis Hadriani vide Ludovicum Iacobum à S. Carolo in *Bibliothecâ Pontific.* Peractis ſtudiis

Dignitates.

3. *Dignitatem, &c.* Sacerdotium parochiale in Hollandia, *Margareta Maximiliani* Cæſaris filia, quæ tum Belgis imperabat, inſperato, & nil tale contulit meditanti. Ea enim morum ac doctrinæ fama apud Principes, ut aſtra volentem ducerent, nolẽtem traherent ad honores. Eodem Fato Decanus Lovanii in templo maximo, poſtea Vicecancellarius creatus, qui in ſcholis collegiorum omnium cuncta moderari ſolet. Hiſce dignitatibus cum emerſiſſet ex paupertie ad opes non modicas

Collegiũ inſtituit.

4. *Collegium* Lovanii conſtruxit, annuiſquè dotavit vectigalibus ad alendos ſtudioſos adoleſcentes; non ſine admiratione Lovanienſium, & nobili ęmulatione Cardinalis *Carvaialis* quòd Decanus opere compleviſſet ſolus in mediocri fortunâ, quod Cardin. ampliſſimus atquè ditiſſimus diù meditatus adhuc nõ potuerat exordiri. Arcana hæc parſimonię. *Iovius.*

Magiſter Caroli V.

5. *Carolo* V. (qui in Romani Imperii, ac plurium regnorum ſpem adoleſcere incipiebat) ad eius optimè conformandos mores, literiſquè perpoliendum animum eius, cùm præceptor quęreretur, ac plurimi Principum interceſſione curam ambirent, aut artibus ingenium oſtentaret; *Maximilianus* Imperator reie B ctis omnibus, vnum *Hadrianum* delegit, cuius probitatis ac doctrinæ fama erat interceſſor. Apud Carolum hoc in munere aliquandiù vixit. Summa tamẽ in puero excolendo felicitas defuit. Nam *Carolus* quum mores in principe literis potiores exiſtimaret, nec his perdiſcendis tantum operæ, vel temporis impartiendum arbitraretur, quantum equorum, & armorũ ſtudiis, citiùs quàm debuit, ſcholam deſervit inſtigãte *Guillelmo Croii*, *Cheuræ domino*, qui hiſce artibus pueri animum prenſabat. Virtute tamen profecit morali clementiæ, iuſtitię, quibus vt nemini ceſſit, ſic armis omnibus anteivit. Agnovit tandem grandævus monita quã ſalubria D. Hadriani, præcipuè cũ Genuæ latinũ oratorẽ nõ ſatis intelligere poſset ingemuit, dicẽs: *Agnoſco Hadriani inſtructoris mei diuina monita, qui dum has literas neglectim excipere, aliquandò puerilis me incuriæ pœnas luiturũ vaticinatus eſt.* Iovius. Nec longè poſt ſpetie honoris (ita procurante *Ceuris*) Hadrianus

Legatus ad Hiſpanos.

6 *Legatus* mittitur ad Hiſpaniæ Regẽ *Ferdinandum* tàm gratus, ut *Derthuſenſis* Epiſcopus à Rege renũtiatus fuerit etiã poſt depoſitã legationẽ, quã ſubiit uſq. ad obitum Regis; cui auctor fuerat, nè in Hiſpanos ſeverè animadverteret, qui inconſulti *Philippum* novum Regem prætulerant *Ferdinando*. Electioni *Hadrianus* acquievit invitus; qui innatà animi demiſſione divitias, ac famam nominis ſpernebat. Mortuo

Cardinalis.

Ferdinando, *Carolus* nepos tot regnorũ hæres, *Hadrianum* à ſecretis voluit; licèt ſumma regendæ Hiſpaniæ ad Cardinalem ſpectaret Toletanum. Exiſtimatione creſcente, à Leone X. Rom. Pontifice An. Sal. 1517. Kal. Iulii Cardinalis dictus SS. Io: & Pauli; ab eodem Carolo V. in Germaniam ad coronã Imperii vocato toti eſt præfectus Hiſpanię. Moleſtè tulit Hadrianus ſuſpicatus dolo *Ceuri* ibi detineri, qui cum inexplebili auri libidine Hiſpanos concitaſſet in Flandros, aurum, & munera, quę Carolus expoſcebat ad inſtruendam claſſem, & iter Germanicum, ſibi penſari repoſcebant, niſi Flandri regimine abdicarentur, nec feſellit opinio. *Carolus* namquè fugientis potiùs, quàm abeuntis in ſpeciem cùm abiiſſet; conjurati populi ulterioris Hiſpanię, auctore *Padilia*, & *Bravo*, plurimis in locis tribunali expulſo Cęſareo, Valliſoletum venère, ubi *Hadrianus* comitia cocgerat vt fortior occurreret perduellibus. Adventu cognito fugiete patres: *Hadrianum* etiam fugientem *Padilia* ſiſtit, dicens; *Tibi non eſt timendum. In tuà Innocentià & temperantià Regem veneramur*; Noctu tamen fugiens; ad *Igni-*

eum Vellaſcum,& Fridericum Henricum(quos pari imperio Cæſar expeditioni præfecerat) tantæ coniurationis Ducibus captis, atquè vltimo ſupplicio affectis, populos ad obſequium coegit. Hiſpanicam ſeditionem bellum Gallicum eſt conſecutum, quod eorumdem ducum fortitudine recuperatâ Navarrâ feliciter eſt tranſactum. In Italiâ

Hadriani geſta.

Italiæ ſtatus.

7. *Pontificem*, Mortuo Leone X. qui in Gallos conſpiraverat; cœpit declinare Cæſar, pecuniâ deficiente Pontificiâ, ac Cardinalibus in factiones diviſis. Sedunenſis, & Mediceus ex agro Mediolanenſi, ubi caſtra curabant, relicto milite, Romam venere. *Lautrechius* Dux Gallorum, turbatis fœderatorum conſiliis tentavit Parmam, quam ſola fides Franciſci Guicciardini ſervavit Eccleſiæ. Reguli, quos *Leo* X. compreſſerat, collectis viribus ſedem repetentes antiquã, Vrbinum, Piſaurum, Camerinum, maiora meditabantur; turbas augente, Interregno, & Cardinalium abſentiâ, Cardinalem namquè *Iureum* Taurino Romam diſcedentem cum intercepiſſet *Proſper Columna*; ne ille Gallos iuvaret in Conclavi; decrevere Purpurari, ad ſacra non covenire comitia, donec libertati reſtitueretur captivus. Die itaquè 27. Decembris, cognitâ libertate Cardinalis, coierunt triginta noveni Cardinales (teſte Guicciardino) nullus ſinè ambitu. *Iulius Medices* qui in bello Mediolanenſi, Legati munere functus erat, magnis opibus, ac clientelis innixus ob recentem famam rerum geſtarum in Gallos, civiliſquè prudentiæ comendatus, ſexdecim Cardinales traxerat in partes, *inter quos pleriquè iuniores. Seniores quanquàm duplici numero cæteros ſuperarent, factionibus impediti, non ſincerè coibant ſed conſilio deteſtabili, ſolis ſenioribus ſuffragari volebant ſed quiſquè eũ Pontificatum ambiret, in eo vehementiſſimè laborabat, ut occultâ mutui ſuffragii pactione iuniores ſibi adſtringeret, daretquè operam fallendo, atquè infirmando, ſpes alienas, ut in multos dies proferentur comitia. Nam ſi primi competitores repulſam ferrent, nemo erat adeò maculoſus, & degener, qui ſibi ipſi non blandiretur ad petendum & ſpem collocaret in ipsâ ætatis, vel doctrinæ prærogativâ, aut in uſu rerum & generis claritate. Ea enim eſt ambitioſorum natura, ut quum ipſi nullâ dote ad laudem emineant, aliena vitia inſectando tanquàm proprias virtutes adaugerent. Igitur pleriquè inimicos probris, & calumniis onerabant, ut cæteros pietatis prætextu à ferendis ſuffragiis deterrerent, adeò ut non modò in Conclavi, ſed & per urbem, ſingulorum mores famoſis notarentur carminibus, tantâ maledicendi libertate, ut magiſtratus quos ſeveriore pœnâ perſequi debuiſſent, ut iucundiſſimos poetas ſingulari petulantiâ celebrarent, magno Cleri ludibrio, quùm carmina ad extremas Europæ nationes permanarent. Prodierat antè alios candidatus Bernardinus Carvaial Hiſpanus princeps Senatus, qui demiſſè prenſando, facile repulſam tulit. nam quiſquè Cardinalium ab illâ valdè funeſtâ, & execrabili Alex. VI. memoriâ, ingenia perhorrebat Hiſpana: & ipſe etſi probè eruditus & gravis, quòd à Iulio Pontifice excitato ſchiſmate deſciviſſet, recentem adhuc ignominiæ notam præferebat. Secutus eſt Alex. Farneſius magnâ Romanæ nobilitatis & optimatum præſidiâ ſecum ferens: is uti nemini inviſus, non multum abfuit ab honoris faſtigio: Iulius namquè Medices, cuius nutu Iuniorum regebantur ſuffragia, neminem iuvari ſuorum permittebat votis, qui gratiâ polleret, ut ſibi honos reſervaretur, ad quem tanto ſtudio,*

Cardinalium diſſidia.

Iulii Medices ambitus

A *ſed nondùm maturâ felicitate contendebat. Hac diſſenſione cum ab altero vinci turpe crederet: duæ ſubortæ factiones Cæſari, aut Gallo faventium. Ob id Farneſius cum periculum fortunæ ſuæ facere decreviſſet, ut Cæſarianorum ſtudio uteretur certiore, Manueli Cæſaris legato fidem obſtrinxerat, Cæſari, ſe nunquàm defuturum ſi eius auſpiciis Pontifex fieret. Res hæc nequaquàm occultata ab eo Gallicæ factionis Cardinales avertit. Medices verò qui etſi hominem probaret, eum tamen ſibi præferendum minimè iudicabat, illius ſpes facilè præcidit, ut iam non mediocri invidiâ conflagraret, quòd per eum impotenti ambitione ſenex aliquis non eligeretur inſignis. Seniores ergò ad Medicem legatos mittunt Antonium Mõtanum iuris ſcientiâ illuſtrem, & Thomam Caietanum ſacris ſtudiis longè clariſſimum; qui meditatis orationibus orſi à religione, Pontificatum Cœlo dari non ſtudiis humanis, ſuadebant propterea pertinaciæ finem imponere, &* B *reſtitutis in libertatem iunioribus pati, ut tandem aliquis ab ætate, moribus, doctrinâ probatus Pontifex crearetur. Pontificatus enim ſemper calamitoſus extitiſſet iis, qui vi, ambitu contra leges invitis melioribus eſſent conſecuti.* Ad ea *Medices moderato ſermone reſpondit, nulli magis quàm ipſis eas adhortationes convenire, qui coniuratione initâ nefariâ iurare minimè dubitaſſent, ſoli ex ſeniorum corpore ſuffragia daturos: non deeſſe apud iuniores omni virtute præditos, qui ex æquo mererentur, quos ſumma iniquitatis decreto ad contumeliam alienaſſent: nec ſe, licet exquiſitis literis non inſtructus illi unquàm moderatione, iuſtitiâ, pietate, officiis ſenatoriis, vel clariſſimis erga Rempublicam meritis eſſe conceſſurum.* Ad hæc *liquidò conſtare, quantis confirmatus amicis id petere, & ſperare poſſet; quod tamen ad declarandam animi temperantiam alteri concedere paratus erat. Se nominaturum virum inſignem, ut Chriſtianæ conſuleret* C *Reſpublicæ, quem ſi ſeniores non probarẽt, tunc eorum malignitatis & obtrectationis conſilia nudarentur. Abſoluto colloquio, cum Iunioribus conſtituit, poſtero die* Hadrianum *Cardinalem Dertuſenſem nominare omni pietatis laude Conſpicuum: nec Cæſarianas partes deſerturus videretur, quibus erat maximè implicatus. Timendũ namquè erat, ſi Gallus novi Pontificis ſtudio bellum renovaret Inſubricum; nè Parma, Placentia amitteretur iterum, ipſe autem Florentiâ pelleretur. Iã enim Franciſcus* Maria *Feltrius* Gallicis *inſtructus auxiliis Vrbinum receperat:* Malateſta *quoquè Baleonus qui apud Venetos magnâ militabat cum laude, cum Horatio fratre in Vmbriam delatus excitis amicis paternis, pulſiſquè* Peruſio *Gentile patruo, & Vitelio Tifernate, Pauli patris necem ulturus videbatur, quem* Leo Papa *ſupplicio affecerat capitali. In agro Romano Renzius Ceres pro* Gallo *cõſcribebat cohor-* D *tes; coniunctiſquè cum Baleono & Feltrio copiis bellum atrox* Florentinis *minitabatur. His adductus periculis duxit ſpe incertâ* Pontificatus *depoſitâ, Hetruriam ſervare, nonnullorum etiam Cardinalium fidem expertus incertam, quos ipſo rogante Leo in Senatum promoverat. Erant ii Scaramutia Trivultius, Põpeius Columna, Dominicus Iacobatius, Baptiſta* Pallavicinus *Lygur, & Raimundus Vicus Hiſpanus. Neglecto itaquè vel deſperato Pontificatu* Hadrianum *nominat. Admiratione recepto Candidati nomine;* Ego (*inquit*) Caietanus) *accedo; ut poſtquàm Diis, ac omnibus placet, vir ſanctiſſimus omnibus numeris Chriſtianæ virtutis* Pontifex *creetur.* Nec mora, omnes veluti numine impulſi ſpei ſuæ obliti Hadrianum Pontificem dicunt, vno excepto Fran-

Hadrianus in Papam eligitur.

cio-

cioto Vrſino,qui nefas diceret,cum ſacris præficere, quem nunquàm vidiſſet. Cçterum exultante Medice quaſi viciſſet. Alii ferè omnes triſtes & mæſti reputabant,quiſnan rerum exitus futurus eſſet, in hominem incognitum & procul agentem in extremis terrarum oris præcipiti temeritate, Pontificatu delato: ipſo indignante populo, qui maledictis Cardinales domum redeuntes cæpit inceſſere, quòd infamibus comitiis non modò Romam,ſed Italiam Pontificatus honore ſpoliaſſent. Erat enim opinio,Pontificem Romà neglectà permanſurũ in Hiſpanià,vel apud Germanos. Obſtrepenti populo Sigiſmundus Gonzaga gratias egit,quòd adveſùs extrema ſupplicia meritos contumeliis contenti, iniuriam publicam lapidibus non vindicaret. Detrimenti ne quid pateretur Reſpublica triumuiros ſacer conſtituit Senatus, qui menſtruo cum imperio ex triplici Senatorum ordine ducti in Vaticano bello paciquè præeſsent.

Mæſſus Nuntiũ accipi- um.

Victoriæ Velicæ (vrbs eſt Cantabrigiæ) Hadrianus per literas,& tabellarios Papa ſalutatus,nihil commotus ſed tabellariis ab oſculo pedum repulſis,converſis ad amicos oſculis, *Si vera ſunt* (inquit) *quæ nunciantur, mihi profectò plurimum eſt dolendum*. Nec mora; atrio,conclavibus populi turbà repletis, nocte ingruente nobiles equites Maurorum habitu, vibratis funalibus decurrerunt. Hadrianus verò nihil priſtrinà immutatà conſuetudine, literis non contentus acceptis Epiſcopi Gerundenſis,expectandas literas à Senatu credidit,& cum tredecim dierum ſpacio confirmatio non adferretur,dubitarunt pleriquè Gallorum id eſſe commentum ad eludendam hominis dignitatem. Solus ipſe conſtans, quaſi ab oraculis fatidicarũ virginum, ſivè exactiſſima ſyderum ſcientià, quà plurimùm iuvenis oblectabatur in opinione confirmaretur, quum in genitura à ſede planetarum felici admodum, ſtella etiam eximiæ magnitudinis ad ipſam finitoris lineã, ſummæ fortunæ prognoſtico præfulgeret: adeò vt Acredio medico deſperanti dicere non dubitarit, vt in ſpe permanere conceptà, quod brevi in ſede Apoſtolicà conſpiceretur.

Horoſcopon eius.

Intereà à Cçſareà Auguſtà os mãdibulæ D. Lamberti M. ad eum pro inſigni munere delatum incredibili cum lætitià ſuſcepit. Id enim flagitanti Leoni X. & Carolo V. negaverant. Hinc domeſticos in eà triſti morà literarum ſolicitos arguebat, Mihi ampliùs non eſt opus Pontificatu; quòd unum in totà vità vehementer optatum, vel ad falſam delati honoris famam ſim conſequutùs.

Mandibulam D. Lamberti dono accipit.

Literæ tandem advenere Romanæ,quibus pacatà voce & leni capitis nutu laudatis,nihil plus dixit,quàm vt nũcios tanquàm de itinere feſſos hortaretur ad requiem: vnde Vianeſius Albergatus,qui à Leone miſſus,ſacerdotum defunctorum hæreditates in Hiſpanià colligebat, indignanti ſimilis dixerit: *Renaſcitur ergo hic ſummus Pontificatus, poſtquàm tàm lentà hilaritate ſuſcipitur*: Eadem nocte mente volutavit ambiguà,an ſuſciperet Pontificatum nullaquè graviore de causà ſuſcepit, quàm vt Deo obtemperaret,poſtquàm Cœlo aſpirante ab ignotis hominibus tantus honor offerretur. Apparebat enim ipſo recuſante, Eccleſiam dirà diſſenſione Cardinalium convelli. Nolebat etiã Cæſaris retardare victorias: Gallus namquè Leonis morte plurimum exultabat, & in Inſubribus bellum parabat. Sequenti igitur die ſtolatus in publicum prodit,calceamenta crucibus exornat, pedes præbet

A

exoſculandos, deſumpto nomine Hadriani VI. Ad famam creati Pontificis trans Hiberum amnen excitatæ gentes hilaritate pià,quòd à nullà maiorum memorià vidiſſent in Hiſpanià Pontificem, inſignes reguli,opulenti ſacerdotes Epiſcopi inter ſe ambitioſà liberalitate certabant,vt eum regalibus donis onerarent. Matronæ nobiles,ſacratæ Virgines lintea omnis generis elaborata pictis operibus,& ad cultum Pontificis, & altarium ornamenta cupidiſſimè contulerunt. Paratis ergo ad augendam maieſtatem neceſſariis Ceſaream Auguſtam venit in ſella purpurea, ſuccollantibus Hiſpaniæ regulis. Ab Vrbe venerat Cardinalis Cæſarinus, qui Pontificem ſenatus P. R. nomine vehementer impellebat ad navigandum, vt Italiam attrocibus bellis, Eccleſiæ provincias incendiis expoſitas maturà profectione liberaret. Cæſareæ ſtanti libido inceſſit ab ſingulari pietate inſpiciendi

Viſitat D. Lambertum.

B

reliquias D. Lamberti, quæ res continuò in prodigium verſa, quoniam primum opertum cadaver extitiſſet,famam præbuit, eum citò inter mortales eſſe deſiturum. Portenti ſuſpicionem lampis auxit cryſtallina in templo medio temerè effracta, cujus oleo fœdiſſimè conſperſi Pontifex,& Sacerdotes,ariolis id totum ad funeſtum omen facilè trahentibus.

Omen infauſtum.

Cçterum Hadrianus egregio conſilio, prçteritis Hiſpanorum proceribus, qui eum in Hiſpanià retinere conabantur, Henricuſquè Britanniç Rex in Inſulam evocare perſeveraret; ſpes omnium uti parùm honeſtas præcidit; & per Derthuſiam, cujus fuerat Antiſtes, Tarraconem ad mare defertur, ubi claſſem exornarat, contractis undecim triremibus, & triginta navibus onerariis, quibus præſidiariæ cohortes decem, & totius aulç comitatus imponeretur. Io: Luſitaniæ Regis ſolas naves aliquot expectabat; cùm Cæſa-

C

rem in Hiſpaniam redeuntem cognoviſſet, quanquã nihil ei foret optatius,quàm Cçſarem ubiquè victorem complecti, & ſtatum Hiſpaniæ ei exponere, ne ab eo detineretur in Hiſpania, maturandum ratus, pridie Non. Aug. Tarracone profectus Genuam venit,piè,liberaliterq. ſuſceptus.

Venit in Italiam.

Advenere etiam Mediolano Franciſcus Sfortia,Proſper Columna,& Ferdin. Piſcarius, ut de Italiç ſtatu certiorem facerent non planè peritum. Genuæ triduò cùm ſubſtitiſſet, Liburnum navigavit comitantibus Adurniorum triremibus. Huc jam venerat Iulius Medices, quinque Cardinales, totius Italiæ Principum Legatos adducens cum Federico Gonzagà Imperatore exercitus Pontificii. Itaquè extructo ponte ligneo,qui in mare prominebat, pictis inſignibus exornato, inter magnas exultantis populi acclamationes excipitur.

D

Primo egreſſu, pervenuſto corporis habitu, omnium oculos ſimulq. animos implevit: erat enim ore probo,gravi, verecũdo, ab sãctà quadã hilaritate conſpicuo: venerabundis autẽ cardinalibus,& felicẽ advẽtum enixè gratulantibus, Florentiniſquè legatis,qui ingentem copiam rerum eſculentarum ad alendum aulç comitatum, recreandoſquè remiges dono attulerant, tranquillo potiùs quàm lçto vultu, & ſermone dulci brevitate perjucundo reſpondebat: ita ut licet nulla in geſtu aut verbis familiaritate uteretur nihil temere,quod eſſet elatum, & inſolens, aut ſubagreſte penitus emineret. Id ſolum Cardinales & reliquos blandimentis Romanæ aulæ aſſuetos vehementer permovit, quòd Pontifex parum humaniter,

&

& ferè contemptim ſecum agere videretur. Nā quum ſolus cœnaſſet,& nautę vtendum nocturnā aurā ſuaderent,adeo cupidè , & feſtinanter ad mare ſe proripuit , vt Cardinales in proximo ſimul cœnantes nec moneret,nec expectaret : itaquè omnibus raptim ad triremes contendentibus, ſecundā vigiliā oram ſolvit,& ad Cētumcellas eſt provectus. Ibi affuere à ſenatu miſſi Pompeius Columna , & Franciotus Vrſinus Romani cardinales , qui exceptum ſub vmbellā Pontificem ad templum deduxerunt : vbi poſtquàm ad aram ſupplicatum fuit , oratio habita eſt à Pompeio tanti adventus lętitiæ accomodata. A Centum Cellis poſtero die Oſtiam pervenit periculosā navigatione, niſi maturaſſet:nam Tyberinas intranti fauces ſęva tempeſtas exorta eſt,quę triremes violēto curſu in diverſum abripuit. Ab Oſtia etiam pari feſtinatione eſt profectus,adeo vt Cardinales, qui iumenta ab Vrbe expectabant,vel paucarum quidem horarū morā impetrare nequiverint. Per hunc modū tumultuario deformiq;agmine , cum Cardinales ignobilibus iumentis veherentur : & nonnulli minores antiſtites & totius aulæ incōdita multitudo onuſta ſarcinulis in fervido ſolo iter faceret , ad Divi Pauli templum extra Trigeminam portam eſt perventum . Poſtero die quarto Calendas Septembris populus Romanus ſinguliquè ſacerdotum ordines , ſolemni pompā per urbem invectum ad vaticanas edes deduxerunt . Impletum in eo Malachiæ vaticinium eſt ; *Leo Florentii* quia *Florentii* filius , & Leonem in ſtemmate pingeret .

8. *Carpere*. Miſit in Vngariam Caietanum Cardinalem S. Sixti cum 50. millibus ducatorum itā erogandis,ſi expeditio aliqua ab iis pararetur in Turcas. Nec aliter Caietanus erogari ſuſtinuit , licet minis vrgeretur,atquè convitiis. Miſit etiam per magnam vim frumenti,pulveriſquè tormentarii per arces Dalmatiæ,& Croaciæ , quæ ob captam Rhodum ſummo premebantur diſcrimine. *Panvin.*

Diſſidiū Lutheri cum Caroloſtadio. Lutherus interim in arcē ſubductus(ut in *vitā Leonis X.n.*15.)vt invidiā Rom.curiæ faceſceret anſā dedit Carolſtadio gloriæ cupido Miſsā abrogandi, deiicēdi Sanctorū imagines,ſingulari libro plaudēte Luthero;licet novus iſte Evāgeliſta poſt 6. mēſes ex ſuā Pathmo domū reſtitutus , quia hęc eius iniuſſu facta fuerat,pro concione publicā ad populū reprobaverit, Dominicā 1.quadrageſimæ A.1522.

Anno Sal. 1522.

Omnes(inquit)*erraverūt,quicumq. cooperati ſunt,& conſenſerunt ad abrogandam Miſſam, non quòd bonum non fuerit:ſed quòd nō ordinatè factum eſt. At dicis iuſtum id eſſe ex ſcripturà? Fateor & ego . Sed ubi manet ordo? quia ex temeritate factum eſt abſquè omni ordine,cum ſcandalo proximi ? Et niſi adeò mala res eſſet Miſſa, vellem eam reſtituere . Scio enim veſtrum propoſitum, & defendere non ſcio. A Papiſtis quidem, & aliis inſanis capitibus benè ſcirem defendere, ſed coram diabolo ſuſtinere non ſcio.*

Liber contra bullam Cœnæ Domini. Reliqua omnia,licet ex eius doctrina in factum deducta,quia ipſo abſente facta, reprehendit: Acriùs autem invectus contra bullam Leonis X. quā anathematizabātur hæretici Gazari, Patareni, Vviclephiſtæ,Huſſitę, & noviſſimè *Martinus Luther* cum complicibus ſuis: Theuthonico ocurrit idiomate eā ſcurilitate,ut nōcū Sede Apoſtolicā,ſed cū hiſtrionibus agere videretur ?

Martinus Lutherus ſanctiſſimæ ſedi Romæ,& toti eius Perl .mento, meam gratiam & ſalutem inprimis. Sanctiſſima ſedes crepa & non frangere , ob hanc novam ſalutationem,in quā nomen meum primo, & in ſupremo loco pono, oſculandorumquè pedum obliviſcor, &c. Poſt recitatam bullam,reſponſurus ait. *Ego* autē dico ad papæ,& Bullæ huius minas iſtud. *Qui præ minis moritur, ad eius ſepulturā compulſari debet crepitibus vētris.* Vbi verò veniſset ad ſextum articulum,in quo excommunicantur omnes, qui Turcis arma deferunt ; reprehendens ait: A*d quid conducit , corporaliter prohibere Turcā? Quid malè facit Turca? Occupat provincias,& gubernat tēporaliter. At hoc ipsū à Papà quoquè nos pati oportet , qui & corpus & vitam nobis excoriat, quod Turca non facit . Ad hæc permittit* Turca *unumquemquè in fide ſuā permanere, quod* Papa *non facit: ſed cogit mundum univerſum à fide Chriſti ad ſua diabolica mendacia : ut regimen Papæ in corpore,bonis,& animā decies nimirum peius ſit,quàm Turcæ: & ſi Turcam expugnare velimus, à Papā incipiendum nobis eſſet.* Turcas defēdit.

Sic in regem Angliæ, poſtquàm ſenſit Regio Henrici libro (quem Hieronymus Emſerus in linguam Germanicā traduxerat) multū detrahi ſectæ Lutheranæ ; *Si ſolius Chriſti ſumus,quis eſt iſte ſtolidus Rex,qui ſuis mendaciis nos* Papæ *facere molitur? Nos, non ſumus* Papæ *, ſed* Papa *noſter eſt. Noſtrum eſt non iudicari ab ipſo, ſed ipſum iudicare . Spiritualis enim à nemine iudicatur, & ipſe iudicat omnes ; quia verum eſt,Omnia veſtra, etiam* Papa *, quanto magis ſordes iſtæ,& labes hominum,Thomiſtæ & Henrici?* Scribit in Regē Angliæ.

Item. *Miſſam itaquè extorſimus , & triumphavimus adversùs aſſertorem ſacramentorum.* Triumphatā *Miſsā,puto nos totum* Papatum *triumphare . Nam ſuper Miſſam, ceu rupem nititur totus* Papatus *cum ſuis Monaſteriis , Epiſcopatibus, Collegiis, Altaribus,miniſteriis,doctrinis, atq. adeò cum toto ventre ſuo. Si idolum Romanę abominationis propter Chriſtum conculcavi , quod ſe in locum Dei ſtatuerat,magiſtrumquè Regum & totius Mundi fecerat . Quis eſt iſte Henricus,novus* Thomiſta, *diſcipulus duntaxat monſtri tàm ignavi, ut virulentas blaſphemias eius honorem? ſit ipſe defenſor Eccleſiæ, ſed eius Eccleſiæ, quam ipſe iactat: nempè purpuratæ meretricis, ebriæ,fornicationum matris . Ego eccleſiam eius & defenſorem ipſum pro eodem ducens,eodem impetu invadam,& Chriſto duce conficiam .* Lutheri impia ſuperbia.

Infrà. *Dogmata mea ſtabunt,&* Papa *cadet, invitis omnibus portis Inferi , & poteſtatibus aeris,& terræ, & maris. Ipſi me provocaverunt ad bellum , bellum igitur habebunt : pacem oblatam contempſerunt , pacem igitur nō habebunt. Deus viderit, uter primo defeſſus defecerit, Papa an Lutherus. Inſtat enim mors Papatus abominabilis: urget eum ineluctabile fatum, & (ut Daniel ait) ad finem venit, & nemo auxiliabitur ei .* Falſa prophetia Lutheri.

Dicite vos hodierni Lutherani;quid vobis videtur de Lutheri prophetiā? Cecidit Pontificatus Romanus , vel in dies glorioſior triumphat? In Cæſarem tādem converſo calamo; A*pparui ego* (Lutheri ſunt verba Theutonicè prolata, teſte Cochlæo p. 75.) *iam tertiò coram eis. Vvormaciam ingreſſus etiam cum ſcirem mihi violatam eſſe à Cæſare fidem publicam . Nam didicerunt Principes Germaniæ olim de fide laudatiſsimæ gentis , nunc in obſequium Idoli Romani , nihil magis quàm fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Hæc ſunt arma,quibus hæretici vincuntur hodiè , ignis & furor inſulſiſsimorum aſinorum,& Thomiſticorū porcorum. Sed pergant porci illi,& ſi audent,exurant me. Hic ſum , & expectabo eos:cineribus ſolis poſt mortem etiam in mille maria proiectis perſequar, & fatigabo hoc* Lutheri calumniæ in Cæſarem, & Principes.

abo-

abominabile vulgus. Vivens Papatui hoſtis ero, exuſtus bis hoſtis ero. Facite porci Thomiſtæ, quod poteſtis, Lutherum habebitis urſam in viâ, & leenam in ſemitâ: Undiquè vobis occurret, & pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras cervices, & æreas frontes contriverit vel in ſalutem, vel in perditionem. Item. *Rectè coniungitur ſimul Papa & Henricus de Angliâ. Ille Papatum ſuum tã bonâ habet conſcientiâ, quàm hic ſuum poſſidet regnum, ideò alter alterum ſcalpit, ſicut mulæ ſolent.* Quam ſeditiosè verò ſcripſerit eodẽ Anno in univerſum ſtatũ Eccleſiaſticum, attende titulum. *Adversùs falsò nominatum Eccleſiaſticorum ſtatum Papæ, & Epiſcoporum.* ſuperba atquè iactantiâ recipe verba. *His certiores vos facio, me de cætero vobis non ampliùs eum honorem exhibiturum eſſe, ut me ſubmitterem vel vobis, vel etiam ulli Angelo de Cælo ad iudicandum, aut examinandum doctrinam meam: nam ſtultæ humilitati ſatisfactum eſt iam tertiò Vvormaciæ, & tamen nihil prodeſt. Sed volo audiri, & iuxta doctrinam S. Petri, doctrinæ meæ rationem, & fundamentum oſtendere coram univerſo mundo, eamquè habere iniudicatam à quolibet, etiam à cunctis Angelis. Cum enim de eâ certus ſim, volo per eam & veſter & Angelorum quoquè (ut ait Paulus) iudex eſſe, ut quiſquis doctrinam meam non acceptaverit, ſalvari non poſſit. Dei enim eſt, non mea.* Quantis verò convitiis debachatus ſit in omnes Ordines Eccleſiaſticos, præcipuè in Epiſcopos? liber ille oſtendit Theutonicus. Hic ſatis; Lutheri bullam in Epiſcopos publicatam, quam habes in medio libri. *Quicumquè opem ferunt, corpus, bona, & famã in hoc impendunt, ut Epiſcopatus devaſtentur, & Epiſcoporum regimen extinguatur, hi ſunt dilecti filii Dei, & veri Chriſtiani: obſervantes præcepta Dei, & repugnantes ordinationibus diaboli. Aut ſi hoc non poſſint, regimen tamen illud ſaltem condemnant, ac vitant. Contra verò, quicumquè manutenent Epiſcoporum regimem, eiſquè voluntariè obediunt, hi ſunt miniſtri proprii Diaboli, & repugnant Dei ordinationi, ac legi.* Sic ſpetie pacis ad bella & ſeditiones Germaniam excitabat, in quâ civitas in civitatem, in Principem ſubditi bella tractarunt: verbis abutendo Evãgelicis: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Orbem autem quo citiùs perderet, Novũ Teſtamentum vertit linguâ Theutonicâ, ut & fęminas excitaret adversùs Eccleſiam. *Henricus* Rex Anglorum cautè proſpiciens, admonuit Saxones ſeriò quidem & amicè ſed ſerò, propter locorum diſtantiam; ubiquè tranſlatione vulgatâ; priuſquàm literæ redderentur *nè populus (ſunt verba Regis) ea ſe legere putet in ſcripturâ ſacrâ, quæ vir execrabilis ab execrandis hauſit hæreticis.*

Lutheri ſuperbia.

Reformatio Lutheri in Epiſcopos.

In hac tranſlatione quanta addiderit, & in alium ſenſum detorſerit, adiectis ad marginem gloſſis erroneis, ſolus Hieronimus Emſerus inter plures, qui Lutheranos notavit errores, ſupra mille congeſſit, oppoſitâ etiam tranſlatione textui conſonâ Latino: undè Catholici poſſent cum fiduciâ errores declinare. Sutores enim atquè mulieres avidiſſimè tranſlationem legentes Lutheranam, codicem in ſinu ferentes, non formidabant diſputare cum Monacis. Quinimmò repertę mulierculæ, quæ editis libellis (ut *Argula*) provocare ſint auſæ, & procaciſſimè inſultare Doctores, Univerſitatem. Eoquè audaciæ, abiecto muliebri pudore, proceſſerunt, ut publicum docendi officium in Eccleſiâ uſurparent. Nec deerant viri Lutheriſci, qui fæminis patrocinantes; Paulum interpretarentur, à Paulo prohibitas eſſe mulieres docere, quando adſint viri docere volentes. Ubi verò viri negligunt, vel docere neſciunt, ibi optimè licere fæminis plebem docere. *Lutherus* ipſe longè anteà docuerat, mulieres etiam ſacerdotes eſſe; & quidquid è baptiſmo repſerit, verè Papam, Epiſcopum, & ſacerdotem eſſe, iuxtà illud Petri: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta* &c. Theologi Catholici cum operam ſacris literis nonimpenderẽt, à Lutheranis irridebantur, qui ſcripturæ loca recitabant ex tempore, populum ad lectionem provocantes Hebraicam, vel Græcam: quorum idiomatum imperiti Catholici, ſpernebantur ut animalia ventris, & inutilia pondera terræ: cum tamen ipſi Lutherani pretextu libertatis Chriſtianę, ſcortationibus graſſarentur, & concubinis, irridentes ieiunia, orationes, vigilias; quia cum Chriſtus pro omnibus ſatisfecerit, ſola fides ſufficiat, nec meritoria ſint opera noſtra, ſed lethalia etiam ſi optimè fiant, quaſi Chriſtus ſit Crucifixus, ut nos bacchari valeamus alacres inter opera carnis. Sic populo plauſibiles. Paſtores autem licet caſtitate venerabiles difficillimè admittebantur ad concionandum, ſed plebe, furente iniuriis fatigati & inopiâ ob ſubtractos cenſus, & decimas, aliundè victum ſibi quærere cogebantur: clamantibus Latheranis, & gratis ſe inſinuãtibus in eã uſquè diem Germanis non Germanè, ac ſincerè prædicatum fuiſſe Evangelium. Ficta hæc liberalitas multos à veritate avertit Evangelicâ, juxtà illud Chriſti: *Gratis accepiſtis, gratis date. Matth.* 10. Non advertentes, quòd teſte Chriſto, *dignus ſit operarius mercede ſuâ. Lucæ* 10. Multum etiam Lutheranos errores promovit Bibliopolarum induſtria. Quidquid enim pro Luthero erat, emendatè imprimebatur, eorumquè impenſis: quidquid verò pro Catholicis, ſemper cum vitiis, undè illa latiſſimè diſpergerentur cum lucro, & plauſu, præcipuè impiè cenſuræ in libros Novi Teſtamenti, Epiſtolam ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, Apocalypſim Ioannis, quas attrocibus infamabat calumniis, ab ipſis non abſtinens Evangeliis, quæ *Quatuor tantùm* eſſe negabat. Inſuper non eſſe Legalia, Hiſtorica, Prophetica, Doctrinalia, ſed ſolam fidem in Chriſtum docere, & dulciter conſolari credentes. Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Canticum Mariæ, & Zachariæ mutavit in pluribus, ut ex iis populus crederet, Eccleſiam non habuiſſe verum textum Evangelicum, ſed ſæpè erraſſe. Ipſe tamen ſibi inconſtans priorem ſuam editionem Theutonicam in pluribus mutavit poſt annos quinque. Latinam Theutonicè adiecit, Anno poſt primam editionem ſeptimo, ut etiam Latinos quoſlibet in ſacrâ Evangelii lectione turbaret. Et ne ulla eſſet malitiæ conſumatio; eodem Anno libellum edidit Theutonicè, contra vitam Monaſticam: alterum contra conjugalem. In quo naturali abiecto pudore, commixtionem maris, & fœminæ dicebat non liberam, ſed neceſſariam, undè & ſacerdotes, moniales votis poſthabitis tenerẽtur carnaliter coniungi, non aliter ac ederent, biberent, dormirẽt, ſcrearẽt. In illo damnabat quadrageſimam, Quatuor Tempora, Apoſtolorum Vigilias; irridendo Benedictinos, Carthuſianos, qui ex voto à carnibus abſtinent. Ubi verò accepit, à Catholicis Principibus prohiberi tranſlationẽ ſuam Novi Teſtamenti: ita in eos calamo eſt bacchatus

Biblia corrumpit.

Fęminę Lutheriſcæ factæ magiſtræ.

Cenſuræ in libros novi Teſtamenti.

Abrogat vota Monaſtica.

tus maledico (libro *de ſæculari poteſtate ad Ducem Sa-*
xonia) vt ad ſcurras,vel in canes ſcribere videretur ,
Anno Sal. 1523. tyrannos vocando, pueros, carnifices Chriſti,Turca-
rum ſocios . Dum ſic ſuteret: quidam Regis Angliæ
librum, *De ſeptem Sacramentis*, cœperunt a Luthera-
nis aſſerere calumniis,& vindicare præcipuè *Thomas*
Marneras linguà Theutonicà,cùm convixiſſet Luthe-
ri mendacia 50, ex uno ipſius Lutheri libello in Re-
gem edito ; quinquageſimo,& ultimo coronam in
Lutheri mendacia. margine appinxit; erat autem: *Ego quoque* (Lutherus
loquitur) *circumcirca dimicavi ; at nullus adhuc atiquò*
me allius mendacii arguere poteſt . Cùm ſatis conſtet ;
Vnum *Io: Dietembergium* duabus duntaxat confuta-
tionibus *De votis*, & *Confeſſione*, 874, mendaciorum
convixiſſe,præter alia innumera,quæ in aliis reſpon-
ſis nec falsò imputavit, nec iniuſtè. Scripſerunt in
Scriptores in Lutherum. eum ex Anglis duo viri doctiſſimi, *Io: Fiſcherus Epiſ-*
copus Roffenſis , & *Gulielmus Roſſeus* vero nomine
Thomas Morus, quibus nullus Lutheranorum auſus
eſt occurrere. Redarguebat Roſſeus impiam Lutheri
jactantiam blaſphemantis: *Sancti Patres omnes erra-*
verunt : Eccleſia tota ſæpiùs erravit . Doctrina mea non
poteſt errare: quià certiſſimus ſum , Doctrinam meam
non eſſe meam.ſed Chriſti . Alludens ad illud Chriſti:
Verba mea non ſunt mea , ſed eius qui miſit me patris .
Quid iſtud? *Papa cadet, dogmata mea ſtabunt* . Nonnè
certare videtur cum illo Chriſti . *Coelum & terra*
tranſibunt : unum iota non peribit de verbis meis . Nam
cùm ait Lutherus . *Rapuit me Dominus imprudentem*
in medias has turbas . Hoc plus eſt,quàm: *Tulit illum*
Diabolus, & ſtatuit ſupra pinnaculum templi . Quod ſi
quis reſpondeat : *Teſtimonium tuum non eſt verum :*
quia teſtimonium perhibet de teipſo . Recurret illicò ad
novam ſcripturam ſuam . *Ego certus ſum, habere dog-*
mata mea de Cœlo : ibiquè ſiſtet , velut in firmiſſimo
principio, quod Reges, Papa, Angeli ſubvertere ne-
queant;licèt ſemper in ſtercore ejus dogmata jaceãt,
quo ſemper calamum, ac linguam conſpurcat . Cur
ergo (notate) doctrinam ſuam ſæpè mutavit,& trãſ-
Anglus ad Saxones. lationem ſacræ Scripturæ à ſe editam correxit? *Hen-*
ricus Rex Angliæ ubi vidiſſet Lutheri in Majeſtatem
ſuam furorem veriùs , quàm librum minimè iratus
reſcripſit graviter , prudenter , Saxoniæ admonens
Duces,ut a tam malo genio caverent diligenter ; de
ſeipſo autem . *Quanquàm non decorum putem, ita me*
comparare,ut cum homine tali publicè componar,ac diſpu-
tem: tamen cum Rex, *& Propheta David indecorum non*
cenſuit, antè arcam fœderis nudum ſaltare cum quolibet :
ipſe certè non eram quenquam habiturus indignum, cum
quo in gratiam religionis, pro fidei veritate differerem .
Nunc verò cùm nihil ad rẽ reſpondeat , ſed rationum loco
proferat mera deliria , alios cum illo congredi nec inhor-
tabor, nec prohibebo . Ipſe certè non committam,ut inſa-
niam cum inſaniente. Infrà . *Nunc effecit hoſtis,ut Orbi*
toti inclareſcat alterum , nempè aut ipſum eſſe proriùs
imbecillem , aut meas rationes admodùm valuiſſe : quas
contra nihil invenire potuerit, præter inſulſa ſcommata ,
& inſana convitia . Quibus ſi me commoveri putat, pro-
fectò fallitur, quamvis me vocet inſanum; nunquàm ta-
men tam inſanus ero, ut ægrè feram, quòd inſanus vocer
ab inſano. Itaquè aut mea me fallit opinio, aut iſtius in
me , ne Regium nomen contumeliosa ſpurcitia vos haud
paulò magis quàm me,viri Clariſſimi commovet . Solet
enim generoſus animus nobilium reverentià quadam

A *inter ſe colligari, quà vel in hoſte , quà oderint ac perſe-*
quuntur hominẽ,perſonam tamen reverenter honorent,&
venerentur officium.Nec generoſus ferè priuſquam inve-
nitur uſquàm tàm incivilis,ac barbarus,qui vel inimici-
tiis ullis adduci poſſit,ut ſcurrilem in modum,lingua pe-
*tulantià conſpergat nobilem.*Infra.*Nam ſi quid maledic-*
tis illis immiſcuit, de cuius veritate, quiſquis rem non
noſſet,aliquid fortaſſe dubitare: nunc in animum ſuccur-
ret lectoribus, nihil illius maledicentia credendum , cui
perpetuum eſt inſtitutum , de Principibus *omnibus atquè*
ipſo Cæſare mentiendi.Neq; enim iſtud Luthero novum,
omnia comminiſci , ac fingere , quibus in odium Princi-
pum ſceleratè concitet populum . In quod promovendum ,
ſceleratorum hominum catervam iam dudum contraxit.
Itaquè nulla unquàm factio fuit ita ſeditioſa ,peſtilens ,
nepharia,quæ ſic religionem omnem tollere,leges obruere,
mores corrumpere,Reſpublicas evertere ſit machinata, ut
B *nunc conIuratio Lutherana,quæ ſacra prophana,& propha-*
na contaminat.Ita Chriſtum prædicat,ut eius ſacramenta
conculcet: ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii deſtruat
libertatem: ita fidem extollit , ut bonis detrahat operi-
bus ,& invehat peccandi licentiam : ita miſericordiam Lutherana ſeditio.
ſublevat, ut iuſtitiàm deprimat, & malorum omnium
inevitabilem cauſam , non in Deum aliquem malum ,
quod Manichæi ſaltem commenti ſunt: ſed in unicum il-
lum verè bonum reiiciat . Qui eam tum impiè divina
tractarit,velut à Cœlo deiectus ſerpens, viras effundit in
terras, in Eccleſiâ commovet diſſenſionem, leges abrogat,
magiſtratus enervat: laicos concitat in ſacerdotes, atroſ-
què adversùs Pontificem , populos adversùs Princi-
pes : nec aliud planè molitur , quàm ut (quod omen
avertant Superi) Germaniæ primum populus tanquàm
pro libertate bellum indicat proceribus : deindè ut
C *Chriſtiani contrà Chriſtianos , ſpectantibùs & irriden-*
tibus Chriſti hoſtibus , pro Chriſti religione depugnent .
Quod ſi quis fortè non credat, ab uno homine nihili tan-
tum unquàm periculi naſci poſſe;huic in mentem velim ,
ſubeat Turcica illa rabies,quæ quam nunc tot per terras &
maria ſe diffundens , maximam ac pulcherrimam totius
Mundi partem occuparit, à duobus olim nebulonibus ſum-
pſit exordium Vt interim taceam factionem Bohemicam,
quæ & ipſa quit neſcit, quàm exiguo vermiculo in quàm
immanem draconem, haud abſquè magno Germaniæ ma-
lo, quàm propere adolevit? Ita procliue eſt , malam ſege-
tem nullo demetente creſcere.Nec ullus unquàm ſocio ca-
ruit ad nocendum ; nequè tam imbecillis eſt quiſquàm ,
quin ſecuro poſſit, ac tanquàm luſurum ſpectanti , lethale
vulnus infligere .

Huic epiſtolæ reſpondit Dux Saxoniæ *Georgius*
non minus religiosè, quàm graviter, quòd ſpetie
D corrigendi abuſus Eccleſiaſticos deprehendiſſet Lu-
therũ ſerpere. Exemplum habes huius epiſtolæ apud
Cochlæum p.94.Cum enim Dux Georgius pluribus
iniuriis atquè calumniis fuiſſet à Luthero impetitus,
præcipuè in libello Theutonico ad Hartmannum de
Croneberg; Lutherum per literas interrogavit , an
fateretur libellum illum verè ſuum eſſe? Is autem
ferox Principum contemptor , mox ferociſſimè illi
reſpondit: *Ceſſare à furendo & inſaniendo contra Deum*
& Chriſtum eius , loco mei obſequii,in primis Inclemens
Princeps ac Domine, veſtra illuſtris Inclementia literas
ſimul cum libello ſeu epiſtolà , quam ad Dominum Hart-
mannum à Croneberg ſcripſerim,accepi,& feci mihi præ-
cipue legi eum locum , de quo veſtra Illuſtris Inclementia
que-

Reſponſio Lutheri ad Ducē Georgium Saxoniæ.

queritur, tanquàm de atrocibus iniuriis, quæ ad animam, A *Iuſiurandum, & famam ſpectant . Ille enim libellus anteà & hic, & alibi excuſſus eſt. Cum igitur ſcire deſideret veſtra Illuſtris Inclementia quibuſnam verbis in eo ſtare velim,* Breve *reſponſum meum eſt , mihi tantundem valere coràm veſtrà Ill. Incle. vtcumquè accipiatur ſive pro ſtando, ſive pro iacendo, ſedendo, aut currendo. Et poſt pauca. Nam ſi veſtra Ill. Incle. non mentiretur inciviliter , me veſtram animam, honorem, & bonā famam lædere, Chriſtianam veritatem non ita ſceleratè criminaretur & perſequeretur.* Attamen *hoc non primum eſt , quod à veſtra Ill. Incle. calumniatus ac malè accuſatus ſum.* Et in fine ſic habet . *Virtemberga Octavo die Ioannis XXIII.* Cum hac ſubſcriptione. *Martinus Luther, Dei gratià Evangeliſta* V*irtembergenſis.* Eccleſiaſticā interim veritatem propugnabat Ioānes Faber vicarius Epiſcopi Conſtantienſis ſub titulo *Malleus in hereſim Lutheri:* Lutherus autem vt librum ſuſpectum redderet, cœpit B Fabrum calumniari in *c. 7. ep.* Pa*uli, ad Corinth.* quaſi inſultantem matrimonio; cum tamen vir eruditiſſimus non contra matrimonium, ſed pro eo ſcripſerit, rectè ab eccleſià numerari inter Sacramēta, licet Paulus in eo capite, multis argumentis Virginitatem laudet, ac Matrimonio præferat , dicens: *Volo autem omnes vos homines eſſe ſicut meipſum.* Item. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint , ſicut & ego .* Item. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo : conſilium autem do .* Item. *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem . Volo vos ſinè ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placent Deo : qui autem cum uxore eſt , ſollicitus eſt, quæ ſunt Mundi , quomodò placeat uxori , & diviſus eſt . Mulier innupta, & virgo, cogitat quæ domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt,* C *cogitat quæ ſunt* Mundi *, quomodò placeat viro . Igitur qui matrimonio iungit virginem ſuam , benefacit: & qui non iungit, melius facit .* Adverſus hæc Lutherus edito libro, quem dixit *Epithalamion*, omnem ſuſtulit virginitatis honorem, idem volēs apud Deum nuptam, vel caſtam. Immò virgo ſit apud Deum, quæ uxor eſt apud homines : & uxor apud Deum , quæ virgo eſt apud homines: quia coram Deo nulla ſit perſonarum diſtinctio, nec operum : ſed ſolummodò ęqualis fides in omnibus, & per omnia. Hunc librum latinè confutavit *Conradus Kollin* Dominicanus . Ioannes etiam *Cochlæus* librum ediderat de gratià Sacramentorum ; alterū de baptiſmo parvulorū. Quorū priorē ut vidit Lutherus, ludicrè impugnavit, præmiſſis carminibus

Laus Virginum.

Arma virumquè cano, Mogom qui nuper ab oris ,
Leucoteam, fato ſtolidus , Saxonaquè venit
Littora, multum ille & furiis vexatus, & œſtro .
Vi ſcelerum, memorem raſorum cladis ob iram .

Repoſuit *Cochleus* rithmo non diſſimili , temporis uſus opportunitate: quod paulò antè in propinquis Virtembergæ finibus monſtruoſus viſus fuerat vaccæ partus, qui calvo capite , monaſtico cernebatur indutus cucullo , qui nobis illum pertendebat apoſtatam, qui paulò antè abiecerat cucullum ſuum. Hinc carmini carmina reddens , ita luſit :

Monſtra, bovemquè cano , Boreæ qui primus ab oris ,
Teuthonicas terras profugus conſpurcat, & omnem ;
Sub ſpecie monachi violat pacemquè fidemquè .
Vi Sathanæ, ſævis furiis agitatus, & œſtro .
Diræ T*heſiphones, ultrici* A*nathemate pœnas*
Expoſcente furit, mugitu vaſtus inani
Semiviri lacero ſub ſemibovisquè cucullo .

Scripſit in Lutherum *Iodocus Chlictoveus* . Cum autem Lutherus ferret ęgerrimè , Virtembergæ adhuc ſub oculis ſuis perdurare veteres cæremonias in Eccleſià Collegiatà , quę venerationi Omnium Sanctorum dedicata erat (Dux enim *Fridericus* Elector, quamvis multa in Eccleſiam Luthero permitteret , non tamen omni favebat impietati , ut poſteà adulatus eſt frater eius) Nondum (*Friderico* vivente) licebat Luthero, ſacrilegas inire nuptias, ſpoliare templa, paſtores pellere, undè in fine libelli, quem *de formulà Miſſandi* ediderat querebatur, quòd Virtembergæ adhuc perſeveraret *Tophet* illa ſacrilega, quæ Principum Saxoniæ impia , & perdita pecunia eſt *Eccleſiam dico omnium Sanctorum.* Licet in eà vix tres, aut quatuor porci, & ventres eſſent in illà domo per- B ditionis, qui pecuniam illam colerent. Accidit autem hoc eodem Salutis Anno 1523. res in eum vſquè diem apud Germanos inaudita, & facinus planè audaciſſimum contrà omnes leges, & canones nefariū , atquè ſacrilegum. Civis Torgavienſis, (ubi plerumq. reſidet Elector Saxoniæ) ex monaſterio Nymicenſi Vittembergam , novem Moniales abduxerat & tempore quidē Sacratiſſimo , Ferià nēpe quintà Majoris Hebdomadæ , quo omnis populus maximè occupari ſolet Dei cultu, & devotionis ſtudio. Sacrilegium laudavit Lutherus libello edito, vt omnibus pateret Germanis , iuxta illud Salomonis ; *Prover. XI. Qui lætantur , cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis .* Verba autem , quibus impium laudavit raptorem , nomine *Leonardum* Koppen , fuere . *Feciſti opus novum , de quo provinciæ, hominesquè cantabunt, & loquentur , quod multi velut ingens incommo-* C *dum proclamabunt. Qui autem cum Deo ſentiunt, velut ingens commodum glorificabunt, ut ſis certus, Deum ita ordinaſſe, & non eſſe opus aut conſilium tuum proprium : ac flocci facias illorum clamorem , qui pro omnium peſſimo id opere habebunt, & exiſtimabunt neque ordinatum nequè commiſſum à Deo Vah Vah; dicent, ſtultus* Leonardus Koppen, *à damnato & hæretico Monacho circumventus, audet Novem Moniales una vice abducere è Monaſterio, & adiuvare, ut vota ſua vitamquè Monaſticam abnegent ac deferant. At dixeris hic.* Hoc *verò eſt pulchrè ſervare ſecretum, & occultare, immò prodere, ac vendere, ut in me concitetur totum Cœnobium Nymicenſe , quando iam audiunt, me illum fuiſſe raptorem. Reſpondeo (inquit Lutherus) immò verò fœlicem raptorem, ſicut & Chriſtus raptor erat in mundo, quando per mortem ſuā Principi mundi auferebat arma, & vaſa ſua, ipſumq. du-* D *cebat captivum. Ita & tu has miſeras animas ex carcere humanæ Tyrannidis eduxiſti , & quidem opportuniſſimo tempore in Paſcha, quo Chriſtus ſuorum quoque captivitatem captivam duxit .* Et ne quid rationis, aut pudoris ſceleri reliquum eſſet; Lutherus in fine libelli ſui, nomina ; atquè cognomina deſcripſit novem illarum Monialium, quę omnes erant genere nobiles; ut familiæ perpetuà notarentur infamià . Vtquè compleretur iniquitas: ſeptima illarum apoſtatarum *Catharina de Bore* , poſt biennium in ſæculo vaga inter ſcholares Accademicos converſatione Vittembergę exactum (ſtatim ac diem obiit *Fridericus* Elector) facta eſt Luthero uxor, Monacho Monialis, perfido perfida ; Tantum erat Luthero in Eccleſiam odium, ut

Moniales profugas laudat Lutherus.

Leonardus Koppen

ut Pighardis, Huſſicis, Vvaldenſibus (quos tamen antea impugnaverat, & exagitaverat) mallet coniungi, quàm Catholicis. Ius ferendarum legum, quod Papæ, Epiſcopis, Conciliis adeptum voluit, ſolus arrogans libellos edidit, *De Formulà baptizandi*. Alterum, *De Inſtitutione cultus Divini*. Tertium, *De Communi Fiſco*, in quem primo reſundebat fundos, & bona omnium Monaſteriorum campeſtrium; Ordinis Benedictini, Ciſtercienſis, Cœleſtini, &c. De quibus aiebat; melius fore, ſi nullus eorum fuiſſet unquàm ſuper terram: Exiſtentes autem funditùs evertendos. Eidem Fiſco adiiciebat oppida, bona Epiſcopatuum, Capitulorum, cœtereſquè Eccleſiaſticos proventus, ut ex iis ſęculares erigerentur Principatus. Coenobia fratrum mendicantium in civitate converti volebat in ſcholas puerorum, alioſquè publicos civitatis uſus. In diſtributione prima pars Paſtoris et Cõcionatoris erat. Secunda Rectoris ſcholæ utriuſquè B ſexus. Tertia pro ſenibus, & infirmis. 4. pro Orphanis. 5. pro plebe obærată. 6. pro mercenariis adventitiis. 7. pro ædificiis 8. pro coemenda ſiligine tempore ſertilitatis. Cautum preterea: ne poſt hac ullus admittatur TerminariusMonachus, aut Stationarius, nullus ſcolaris adventitius, nullus mendicus, &c.

Leges à Luthero latæ.

Nurembergæ cum Imperialia celebrarentur comitia, miſit Hadrianus Pontiſex *Franciſcum Cheregatum* Archiepiſcopum Aprutinum ob virtutis opinionem creatum cum inſtructione paternà ad mitigandos Germanorum animos. Scripſit etiam Friderico Saxonię Duci, Principibus Imperii pro executione edicti Cæſarei, & ſententiæ Apoſtolicæ; quam *ſuſpenſam dixere ad evitanda mala peiora; ut interim gravamina tollerentur, quibus Germaniam Curia onerabat Romana curaturos ſe tamen, ut ſilentium ſervarent litigantes uſquè ad futurum Concilium, in liberà civitate intra Annum congregandum, ubi liberum eſſet verbum Dei, ad corrigendos abuſus ni enim Eccleſia fideliter reformetur: errorum extirpatio per Germaniam minimè ſperanda eſſet. Rogare, ut cum Germania Annatas redditaum Eccleſiaſticorum Romam tranſmiſerit, eà conditione, ut in oppugnationem Turcarum, & tutelam Fidei Catholicæ converterentur, nec factum ſit: in poſterum* Annatæ Romam *non traſmittantur, ſed applicentur* Fiſco *Cæſareo, pro commodiùs obſervandà iuſtitià, & gubernandà Republicà.* Prælati enim pro ſolvendis Annatis Romanæ Curię excoriant ſubditos, & onera imponunt importabilia. Replicavit Legatus Apoſtolicus, inexpectatum ſibi eorum reſponſum, & incredibile Principibus Chriſtianis. Si enim Lutherus antè ſententiam Apoſtolicam tot Clariſſimorum, virorum, ac Vniverſitatum iudiciis fundatam, & antè Cæſareum decretum errarat in uno: poſtea longè erravit in pluribus, tentans Religionem evertere Catholicam: non debebat pœna diminui, quę eſt menſura delicti. Nec ad evitanda ſcàndala, protraenda eſt executio; quia non ſunt toleranda mala, ut indè eveniant bona: ſed magis curanda ea, quę animarum. Non excuſari Lutheri ſequaces, quia gravamina patiãtur ſibi inflicta à Curià Romanà: datà enim hypotheſi tenerētur potiùs ſuſtinere patienter, quàm animam dare præcipitē: nunc temporis præcipuè, quo habent Pontificem Sanctum, natione Germanum, qui non ſolùm inſtauraturus ſit Eccleſiam univerſam, ſed ſuam illuſtraturus Germa- A niam ſi permittatur honeſtè. Quare exequerentur decreta, à quibus ſalus pendebat Germaniæ; & ſi in aliquibus ſe gravatos aſſererent declararent. Sedes namquè Apoſtolica omnium piiſſima mater parata erat erigere, iuvare, tueri, etiam quoad Annatas, quarum articulum Summo remiſit Pontifici: quem non adverſum promiſit etiam in convocatione liberi Concilii, dummodò verbis petatur, quæ Pontificem ſolutum arguant, & non ligatum. Plura alia adiecit pro immunitate Eccleſiaſticà circa Clericorum iudicia, ut apud Goldaſtum; & in noſtrà Aquila *Auſtriacà lib.* 45. His auditis Principes centum protulere gravamina, ferè omnia à Lutheranis conſarcinata ad deſtruendam auctoritatem Apoſtolicam, diſciplinam Eccleſiaſticam, & mores Eccleſiæ primitivę. Odium populi utaugeretur inPapam, adiecere ſummam omnium Annatarum, quas totius Orbis Epiſcopi pro ſui confirmatione numerare ſolent Romano Pontiſici; ut longè graviſſima exactio, & infinita prorsùs pecunia videretur quotannis à Papa iniuſtè exigi.

Comitiorum reſponſum.

Legati replicatio.

Artes hæreticorum.

9. *Peſtem:* In illà attrociſſimà (ita Panvinius) *peſtilentiæ vaſtitate, quæ omnia id temporis depaſcebatur, paſtor oves non deſeruit, ſed aliis pleriſquè magnatibus ſibi fugà conſulentibus, ipſe nec multum pavidus, nec anxiè pharmacis armatus, in urbe permanſit, eo officio incolis mirificè gratificatus.*

Cura gregis in peſtē.

10. *Tyrannos* Romam cum veniſſet Hadrianus, *ſe totum præbuit urbanis magiſtratibus, ut cuncta ſingillatim cognoſceret, opemquè ferret labanti Reipublicæ: nã Romæ peſtilentia vulgatis morbis, ignobile præſertim vulgus invaſerat. Ærarium non modò erat inane, ſed gemmas publicas, & ſacrorum ſolemnium ornamenta; Leo ipſe, & triumviri demum Cardinales fœneratoribus oppignorarant, ut præſidia afflictis rebus pararent. Ariminum quoquè per inſidias occuparat Sigiſmundus Malateſta: quoniam eam urbem à patre Fandulfo divenditã progenitores eius per ducentos amplius annos imperio tenuiſſent. Nunciabatur etiam Solymanus Turcarum Imperator Rhodum validiſſimis tormentis, & cum incredibili militum & rerum omnium apparatu iam tertium menſem oppugnare: præfectoſquè Turcarum, qui in Illyrico fines tuerentur, Pannoniam citeriorem crebris incurſionibus vaſtare; nec* Ludovicum *regem uti ætate nondum integrà, atquè ingenii viribus parum validum ſuſtinere hoſtes poſſe, niſi in ſtipendiũ pontificià pecunià iuvaretur. Quibus de cauſis neceſſe erat põtificem rerum italicarum penitus ignarum, & tum primùm urbium ſuarum & provinciarum regulorumquè nomina perdiſcentem, in omnibus conſiliis vehemẽtiſſimè conturbari, adeo ut quum his curarum fluctibus iactaretur, aliquando diceret, ſibi fuiſſe iucundius* Lovanii *gymnaſium cũ ſtudiorũ laude moderari, quãRomæ pontificià in ſede Chriſtianã rempublicã adminiſtrare: quando inquit in eam affectam omnibus malis, & reciſis nervis magnoperè debilitatam, miſer inciderim. Erant uni omnium Hadriano valdè intimi Gulelmus Enchavordius, quem ſtatim gratiſſimà voluntate à ſubnotandis ſupplicibus libellis* Datarium, *& demum Derthuſenſem Epiſcopum fecerat, & Theodoricus* He*zius à ſecretioribus epiſtolis vir optimarum literarum notitià, & Chriſtianà modeſtià inſignis. Is* Belgæ *erant, quibus propter uſum graviſſimarum rerũ aliquando miſcebatur Ioannes Ruffus antiſtes Coſentinus ei antea familiaris, quum in Hiſpanià apud Ferdinandum regem pro pontifice legationis munere fungeretur. Hi Cæſarianis re-*

Cura Reipublicæ.

Tediũ oneris Pontificii.

rebus propenſiſſimo ſtudio favebant: & ſummam Divinarũ atq; humanarũ rerũ nequaquã latè cõmunicata auctoritate gubernabant. *Horũ cõſilio Pontifex bellũ adversùs Malateſtas, qui Ariminum occuparãt, miſsis in Vmbriam Hiſpanorum cohortibus ſuſcepit: nec multo labore Sigiſmundus eſt ejectus, utpote qui iam Ariminenſibus propter naturæ acerbitatẽ atquè ſævitiam odio eſſe cœpiſſet: nec aliunde circumvento obſeſſoquè auxilia mitterentur, adjuvante maximè pontificios Duce Franciſco Maria Feltrio Vrbinate, atquè item Alfonſo Ateſtino Ferrarienſi, qui ad promerendam gratiam, eo bello inſignem operam navare cupiebant.* Quibus demulcitus Hadrianus *Alphonſum in gratiam recepit, quòm is Herculem filium cũ ornatiſſimà legatione Romam miſiſſet: ita ut ea, quę criminoſis admodum codicillis à Iulio, & Leone Pontificibus adverſum eum tanquàm Pontificia maieſtatis reum decreta, & publicata fuerant, penitùs antiquaret. Eadem clementià FranciſcumMariam Feltrinum eſt proſecutus, quem Leo Pontifex principatu pulſum, atquè hoſtem declaratam ſacris interdixerat.* Ex Iovio, & Guiciardino.

11. *Rhodum.* Anxium Hadrianum, & diverſis difficultatibus implicitum, *unus maximè de amittendà Rhodo metus angebat: cuius clariſſima urbis ſalus nequè negligi ſinè ſummo dedecore, nequè maturè ſtrenuequè defendi ſinè gràviſſimà impensà ingentiquè periculo poſſe videretur: cum magnis Turcarum claſſibus non modò portus urbis fretumquè ipſum, ſed totius etiam inſulæ littora & circumiecta maria obſeſſa tenerentur. Suadebat Iulius Medices ante alios, ut delectat ex his quas adduxiſſet cohortes, iiſdem navibus omnium rerum copia repletis Rhodum continuò tranſportandas curaret: fore enim ut eę per autumnales tempeſtates validioribus uſæ ventis, contempta aut eluſa Turcarum claſſe in portum plenis velis inferrentur. Quarum navium profectione auſuros forsaſſe aliquid Venetæ claſſis prefectos, qui in Creta cum quinquaginta roſtratis diligenter excubarent, invitariquè percuperent ad egregium facinus, ſi caſu aliquo delendæ Turcarum claſſis facultas offerretur. Quòd ſi Venetus nihil omnino contra veteres inducias cum Othomanis ſibi tentandum putaret, eo certè ſubſidio cùm fortium tum maximè recentium militum feliciter adducto, neceſſe fore ſpes ipſas ex deſidià Chriſtianorum* Principum *conceptas* Turcis *imminui, & contrà Rhodiis plurimum augeri, qui in eà auxiliorum expectatione erecti, tantam belli molem fortiſſimè ſuſtinerent. Sed quoniã in fatis erat, ut Rhodus amitteretur, Hadrianus eius rei gerendæ occaſionem propter multas, & rei paſertim numariæ difficultates penitus amiſit. Hiſpani quoquè utpote qui ſemel terram Italam pedibus attigerant, longinqua navigationis laborem, ad incertam maximè rerum exitum recuſabant: & Ludovicus à* Corduba *princeps ſueſſanus, qui apud pontificem pro* Cæſare *erat legatus, Italiæ urbes certo præſidio tueri atque exercitum in primis, qui erat in Gallia Ciſalpina Hiſpano milite ſupplere, quàm Rhodiis opem ferre mallebat: quoniam rex Gallus etiam tot bellis & prœliis victus, quin Italiam repeteret, minimè quieturus eſſe videbatur: proinde ſingulis in rebus orando, iſtandoquè Pontificem, ne Cæſari deeſſe vellet, vehementiſſimè perurgebat. Erat Hadrianus ſuopte ingenio Cæſaris amantiſſimus, & quantum ſalva Pontificis nominis maieſtate poterat, eius victoriis non obſcurè lætabatur: quanquàm uti æquius, & quietis & otii cupidus, execrato bello, maximè cuperet ſedare eam controverſiam, quæ inter Gallũ & Cæſarẽ ſine ſpe compoſitionis agitabatur.* Nõ eſt

Bellum in Turcas.

Atamẽ abiecta cura Rhodii belli: ſed miſſus à Pontifice Genuam ad Adurnios *Petrus* Raborrius, *qui naves conduceret onerarias; ſed ægre admodum expeditâ pecuniâ, aliquantò tardiùs quàm oporteret, tres excelſæ naves ſunt exornatæ, quibus incredibili eventu fœlicem curſum fortuna denegavit. Nam perpetuos duos menſes prodigio quodam contra anni conſuetudinem Eurus, & Vulturnus, qui ſunt venti omnium adverſiſſimi navigantibus ad Orientem, maria tenuerunt, quòm eo tempore naturali terrarum halitu Eteſiæ flare conſueverint. Periit & Rhodii Magiſtri inſignis oneraria, quę à Nicæà Provincia omnium rerum ingentem copiam ad inſulam devehebat.* Hinc *magnitudine incredibilium operum ſuperati, feſſiq. perpetuo ſex menſium labore, & vulneribus fermè omnes debilitati, Solymano deditionem fecerunt: nequè enim iam ulla ſpes auxiliorũ ſupererat, & cuncta intùs in maximè diuturnà propugnatione defecerant. Oſtentabat veniam præclarè victis Solimannus, quaſi in parte gloriæ reponeret, ſi longè fortiſſimis viris iam plenè pacta victorià pepercìſſet. Enim verò vix credibile erat, non ampliùs ſeptingentos illuſtres equites cum paucis militibus Græcis, tot menſium vigiliis atquè laboribus nequaquàm ceſſiſſe: quum minores in dies ſui fiducia, & maioribus ſemper rerum omnium periculis, adversùs ducenta millia bellatorum nihil intermiſſa dimicatione reſtitiſſent.* Acceſſit Chriſtianorum perfidia, ſinè quà Rhodum Turcæ non expugnaſſent. Iam enim convaſabant Barbari, cum per transfugam, & *Amaralum* Luſitanum magnum Ordinis Cancellarium, moniti tantiſper expectare, Rhodios vulneratos, cœſos, rerum omnium egenos, diù reſiſtere non poſſe, ſubſtitère, & obſeſſos ad deditionem coegère. Ex *Iovio*, & *Sagredo*. Eo die, quo *Rhodus eſt* dedita, *prodigioſo caſu epiſtylium portæ ſacelli in Vaticano ſpontè corruit, quum non plus paſſu altero Pontifex abeſſet à limine ad operanda ſacra ſolemni die Chriſti Natalis ſtatim ingreſſurus, ita ut duo prætoriani milites effracti marmoris fragmine opprimerentur. Nuncius toti Europæ admodùm lugubris,* Pontificem *incredibili dolore affecit, quaſi recens adhuc primorum menſium principatus, adverſo quodam rumore ad latrantis vulgi, eà ferali clade notaretur.* Iovius, *in vità Hadriani.* Dolorem augebat Religionis ignominia: die namquè nati Redemptoris Rhodum ingreſſus tyrannus, Eccleſias omnes Maumethico cultu fædavit. *Gaſcciard.*

Rhodus capta.

12. *Galli Ticinum.* Cum eſſet Hadrianus *ſuopte ingenio Cæſaris amantiſſimus, & quantum ſalvà Pontificii nominis maieſtate poterat, eius victoriis non obſcurè lætabatur: quanquàm uti æquus, & quietis & otii cupidus, maximè cuperet controverſiam ſedare, quæ inter Gallum & Cæſarem ſinè ſpe compoſitionis agitabatur: miſit Legatum ad Venetos, ut eos Cæſari coniungeret, noviſquè initis fœderibus Gallus ab Italià procul arceretur.* Publicatum eſt fædus poſtridie Nonas Auguſtis, die B. Virgini ad Nives ſacro, prolixà oratione. Erant inter fæderatos *Henricus Britanniæ*, *Ludovicus* Pannoniæ, Reges, & quicquid minorum Principum & liberarum civitatum in Italià erat: ipſe *Fridericus Gonzaga* regulus Mantuanus Pontificis, & Reip. Florentinæ Imper. eſt declaratus; deditquè epulum regio apparatu *Pompeius Columna* Cardinalis cunctis Principum legatis, & ſenatoribus. Antequàm fædus promulgaretur, cõtigit, ut *Iulius Medices*, qui ſinceré partes colebat Cęſarianas, Florentiæ eſſet, eiuſquè aucrori-

bellis graviſsimis ſuis, & alienos loculos exhauſiſſet, contractoque inſuper gravi ære alieno, publica vectigalia fœneratoribus addixiſſe: tamen hæc apud externum hominē ingenio ſuſpicacem, aulæ imperitum Romanæ, & inopiâ plurimùm æſtuantem, veriſimilia videbantur. Iiſdem ſuſpicionibus Soderinus mirabili aſtu involvit Laurentium Puccium, & Franciſcum Armellinum Cardinales vetere amicitiâ Iulio Medici coniunctiſsimos, quaſi hic uti prædator inſignis nullo iure, quæſturæ officio potiretur, ille verò ſanctiſſimis indulgentiis, quibus animæ defunctorum expiarentur, immani quæſtu divenditis, ingentē pecuniæ vim nullo metu pœnæ peculatus avertiſſet: quaſi hos publicâ flagrantes invidiâ repetundarum poſtulari, & facilè convictos damnari pateretur, ærarium inane celeriter eorum opibus eſſet repleturus. Cæterum Iulio auctoritate ſuâ, atq. innocentiâ præclarè cuncta refellenti potentes amici non deerant, qui eius abſentis cauſam diſſimulanter, & obliquis maximè ſermonibus tuerentur: & manebat quidem apud æquum, gratumq. Pontificem recentis, & antiqui beneficii memoria prorſus incorrupta: ita ut parum eâ ſubtili, & accuratâ Soderini delatione commoveretur, quominus piè, & graviter ſe gereret adversùs eum, qui præclarè cùm pontificio numini, tum ipſi Cæſari bellum gerenti totius Ethruriæ viribus nixus ſemper adfuiſſet. Verùm fortuna ſicuti ſæpè aliàs, ita & tum Iulio peregregiè, atque opportuniſſimè favit. In tranſitu enim Arni amnis Soderini literæ à Mediceis exploratoribus intercipiuntur, quibus ille Franciſcum regem hortabatur ad transferendum bellum in Siciliam, exulum multitudine, & Hiſpanorum odio novandis rebus opportunam, ut Cæſariani ab Inſubribus ad tuendum id regnum traherentur: monebatque vt nihil pontifici temerè crederet, qui quum de pace agere videri vellet, Cæſari tamen perenni quodam ſtudio cunctis in rebus obſequeretur: nec quicquam aliud propensâ voluntate magis cuperet, quàm Cæſarem novâ ſemper dignitate, noviſq. victoriis auctum, florentemq. conſpicere; neq. eum debere exiſtimare in componendâ controverſiâ æquiſſimum iudicem fore, qui in excolendo, attollendoq. Cæſare parentis, & præceptoris officia ſemper impleviſſet. Erant eæ literæ arbitrariis conſcriptæ notis, ſed adeò rudi artificio, vt vel à mediocri interprete obſervatis, & deprehenſis characteribus facilè legerentur. Has itaq. Iulius confeſtim Romam tranſmittit ad Ludovicum regalum Sueſſanū Cæſaris Legatum: eumq. diſertè edocet quanto cum periculo Soderinus pontificiis conſiliis, & graviſsimarum rerum diſceptationibus adhiberetur: eum enim eſſe hominem eximiis ſimulationibus, ambiguæq. fidei artibus valdè inſtructum, & ſuper hæc infenſum Cæſari, & Gallorū amiciſſimum: proptereà ſe ab eo occultis inſidiis, & atrociſſimis criminationibus peti apud Pōtificem, qui ab ſanctâ illâ naturæ ſimplicitate nullas de magnis rebus ſuſpiciones ſuperfluas eſſe duceret, ut illo falſâ perſuaſione depravato, ipſe concideret, circumventuſq. & diſtractis Florentiâ pelleretur, patereq. Soderinis Reſpub. Florentina, & tota ſimul Hetruria vetere ſuo ſtudio Gallico nomini iungeretur. His conſpectis literis Hadrianus, quanquàm ab initio confictas crederet, incredibile odium adversùs Soderinum concepit, ita vt id tamen egregiè comprimeret, donec Iulius ad convincendum Soderinum ab Hetruriâ vocaretur. Is non multò poſt intravit vrbem à Flaminiâ triumphali fermè pompâ incredibili ordinum omnium favore exceptus: nam veteres etiam hoſtes cum eo in gratiam redierant: adeò vt Haratius Baleonus cuius pater

A recenti Leonis ſeveritate conciderat, & Fabius Petruccius, cuius frater Cardinalis in arce Hadriani fuerat necatus: itemq. ipſe Franciſcus Maria Feltrius bis Vrbino Mediceis armis eiectus, à ponte Miluio adventanti obviā honoris causà prodirent. Nec multò poſt à Pontifice Soderinus, & Iulius in Vaticanum evocantur: nam de induſtriâ erat evulgatum, Pontificem enixè, piéq. daturum operam vt duo maximi Cardinales, qui affinitate eſſent coniuncti, ſe pacificatore, atq. arbitro cognitis, & ſublatis ſimultatum cauſis ad amicitiam redirent. Verùm vbi eos in penitiorem Borgiæ turris teſtudinem abduxit, & illi inter ſe parum familiari vultu colloquerentur, Pontifex ad Soderinum converſus, interrogavit, an vnquàm in Galliam per arbitrarias notas ſcripſiſſet? prolatiſq. literis ita convicit, vt protinùs lethali pallore confuſus cuncta deiectis ad terram oculis fateretur: nec mora; cum interruptis verbis defenſionem pararet, & ſupplex, ne in carcerem B duceretur, oblatis vadibus locum in Vaticano ad dicendam cauſam ſibi dari poſtularet, à prætorii præfecto in arcem eſt deductus. Id factum Gallicarum partium animos fregit, auxitq. mirum in modum authoritatem Pontifici, qui ab ætate, vrbanarumq. rerum inſcitiâ, & quadam naturæ lenitate, cùm in conſilio perplexus, & timidus, tum in agendo maximè lentus, & parum efficax eſſe credebatur. Cœperat enim Hadrianus arcana rerum Soderino liberali fiduciâ communicare, & magnâ ex parte conſiliis eius regi: nam is erat ætate, atq. oris habitu gravis, ingenio, & facundiâ inſignis, cultiorum etiam literarum, humani, divinique iuris ſcientiâ perornatus, quibus virtutum umbraculis ſicuti ſubtiliſsimas artes incerti, & parum ſinceri animi peregregiè contegebat, ita Hadrianum nihil vltrà perſcrutantem facilè deceperat: ob id Pontifex nemi- C nem fallere ſolitus iniquiſſimè ferebat ſe ab eo fuiſſe deceptum, qui lenocinio quodam bonarum artium tùm ingratè, quàm impiè fidem fefelliſſet. His de cauſis aliquantò ſuſpicacior, & Senatui nihilo familiarior erat effectus: adeò ut Cardinalibus tanquàm factioſis, & parum fidelibus de belli, pacisque negotiis nihil omninò communicandum exiſtimaret. Proindè Bernardino Carvaiali, & Nicolao Fliſco Cardinalibus reſpondere non eſt veritus, nemini vel Cardinali ſe temerè credere, quod cum periculo Reipublicæ credendum foret: cùm illi fortè quærerentur, quod in conſilium Cardinales ſuperiorum Pontificum more nequaquàm adhiberet, quando tot graves, peritique rerum Senatores, ipſi novo, externoque homini allevandæ curæ, & in partem laboris impigrè ſuccedendo in regendâ Repub. ſingulari adiumēto futuri viderētur. Ioannes quoq. Ruffus antiſtes Coſentinus, qui uſu rerum, inſignique prudentiâ plurimum valebat, ab intimis arcanorum cubiculis penè reiectus fuerat: quoniam Foro Livii in Æmiliâ, quod illi natale ſolum, Gibellini quibus impenſiùs faviſſet, complures Guelphos nocturnâ irruptione trucidaſſent. D Oderat enim Pontifex factioſos homines, nec eos publicarum rerum conſiliis adhibendos putabat, qui privati ſtudii rationes nequaquàm ſincerâ iudicii libertate reſpicerent. Hinc fiebat, ut Pontifex durior, & hebetior in adminiſtrandâ Repub. diceretur. Nam cùm in valdè prudentibus, & maximarū rerum peritis variis de cauſis nullam omninò vel exiguam fidem reponendam eſſe iudicaret, neceſſe erat ut uni maximè Belgis, quibus præclara fides abundè ſupereſſet, in arduis conſiliis uteretur, quanquàm in eius maiorem vim rationis, atq. ſolertiæ in expendendis, abſolvendiſq. negotiis deſideraret. Hinc illud perfacetum, & plenum ingenuæ libertatis Hieronymi Balbi dictum

Imprudens oratio Legati Cęſarei

ctum emanavit, cùm Legatus Romam miſſus à Ferdinando Cæſaris fratre, furentibus Lutheranis, atq. imminentibus Turcis, à Pontifice maturam opem imploraret, & ille contrà perplexiùs, & conſideratiùs deliberatâ re tractaret pleno Senatu, Fabius Maximus ſanctiſſime pater, inquit, rem Romanam cunctando reſtituit, tu verò pariter cunctando rem Romanam, ſimulq. Europam perdere contendis. Quo orationis exordio adeò Pontifex vultu commotus eſt, ut pleriq. Senatores vix riſum cohibere potuerint.

Hadrianus plura revocat Leonis.

13 *Libertatem.* Offenſi Cardinales omnes primo adventu Pontificis, quia præmia, quæ ipſi abſente Pōtifice, benemeritis de Republicâ tribuiſſent, antiquatis decretis irrita feciſſet, ac dona data repeteret, quòd ea pecunia ſibi *inopi opus eſſet, ad tuendam Pontificii nominis dignitatem: nec debuiſſe Cardinales diceret, alioquin rei ſuæ minimè profuſos, liberalitatis laudem ex alienâ pecuniâ quæritare: eodem etiam conſilio venalicia officia his omnibus protinùs ademerat, quæ ſingulari benignitate Leo Pontifex viris literatis, & præcellentibus ingeniis virtutis causâ tribuiſſet, ita tamen ut eius inuſitatæ acerbitatis invidiam humaniſſimis verbis deliniret: cum ea detrimenta ſe totidem ſacerdotiorum redditibus penſaturum polliceretur: & certè nemini unquàm lætiùs, atquè propenſiùs ſacerdotia conferre ſolitus erat, quàm his, qui ab optimis ſtudiis commendationem aliquam meruiſſent. Me quoquè dimidiâ parte* (ita de ſeipſo Iovius in vitâ Hadriani) *equeſtris officii protinùs exutum, quem Leo Pontifex hiſtoriam noſtrorum temporum ad eius genium non iniucundè conſcribenti dono dederat. Comenſi ſacerdotio adeo ſtudioſè remuneratus eſt, ut Scaramuciæ Trivultio Cardinali vehementer pro alio impetrare contendenti reſponderit, Iovium omnino eo, quanquàm tenui ſacerdotio eſſe perornandum, quem audiviſſet optimis diſciplinis liberaliter eruditum & ſcriptorem Annalium valdè elegantem, nec tamen eſſe poetam, ut cæteri, qui cultiores literas ſectarentur.*

Iovius Epiſcopus eligitur.

Succenſet Hadrian. in poetas.

14 Poetis. Suſpecta cùm haberet Hadrianus *Poetarum ingenia, utpotè qui minùs ſyncero animo de Chriſtianâ religione ſentire, & damnata falſiſſimorum Deorū nomina ad veterum imitationē ſtudioſè celebrare diceretur: ita ut aliquando plus mihi fuerit* (ita Iovius) *nō attigiſſe poeticam, quā in cæteris gravioribus ſtudiis perpetuo multorum annorum labore deſudaſſe. Graviſſimè etiam tulerat ſe famoſis carminibus apud Paſquilli ſtatuā fuiſſe laceratum: ſed id poſteà civili animo tulit, cùm didiciſſet, eam maledicendi licentiam obſcurorum hominum libertati, atquè nequitiæ dari, ut cùm inſignes viros impunè carpſerint, fortunam ſuam eà vindictæ voluptate conſolentur. Decreverat Hadrianus ut Poetis non obſcurè ſubiratus, Paſquilli ſtatuam, quæ erat in Parione, demoliri, atquè eam in Tyberim præcipitare: ſed Ludovicus Sueſſanus urbano, ſalſoquè ingenio id fieri debere pernegavit, ſubdens, Paſquillum vel in imo vado ranarum more non eſſe taciturum: ad id verò Pontifex, exuratur ergo, inquit, in calcem, ne eius veſtigii ulla omninò memoria ſuperſit: Tū rurſus Sueſſanus, rectè inquit, ſed tàm crudeliter concremato poetæ clientes non deerunt, qui patroni cineres invidioſis criminibus proſequantur, & ſupplicii locum quotannis ſtatuto ſolemni die concelebrent. Quibus verborum luſibus Pontifex ab iracundiâ ad iocos, hilaritatemquè ſenſus omnes leniſſimè revocavit.* Cauſſinus *diſſer.* 54. de Regno Dei. Hadrianus *ab eximiis doctrinæ, & pietatis laudibus primo adventu omnibus gratus, atq. admirabilis evaſerat, cum equitum S. Petri, & annonæ præſidētium officia ſublatis, aut dimidiatis redditibus deteriora reddidiſſet, multis ordinibus aulæ, & civitatis inviſus eſſe cœpit: nam pleriquè univerſam patrimoniorum ſubſtantiam, & totius vitæ laborum, atq. induſtriæ fructus in officia contulerant, allecti ſcilicet ubertate proventus, cum pecuniæ ſub fide publicâ Pontificibus creditæ, ſupra decumam in annum liquidiſſimè reſponderent: ſed oppignoratis provinciarum vectigalibus, atq. portoriis tantæ facultates minimè ſupererant, ut debita pecuniæ tenore illo veteris inſtituti perſolvi poſſent. Hinc fiebat, ut Pontifex contra naturam ſuam ab inopiâ tenacior, & illiberalior effectus, iniquitatis, & avaritiæ calumniam ſubiret: ne uti ipſe crebrò dicere ſolebat, dum omnibus ſatisfacere contendit, omnibus demùm decoquere cogeretur. Eo decreto exacerbatis officialium animis, quando quiſq. ſe impotenter exutum bonis, & ſub fide publicâ deceptum gravi*

Odioſu Romanis cur

B *vociferatione quereretur, Marius Placentinus vir togatus, ſacratiquè nominis deſperatis honeſtæ vitæ commodis, immane facinus confodiendi Pontificis vecordi animo concepit: ita ut cùm egreſſurum cubiculo aliquandiu expectaviſſet, ſeſe demùm eodem ferro transverberaret, ſive impetu commotæ bilis, ſive atrocioris ſupplicii timore, quod rem communicaſſet, nec conſtituto in loco ſocius facinoris, uti crediderat, eſſet repertus. Ferunt Pontificem eo caſu verecundâ conſternatione perturbatum, ſæpius id omninò eſſe veriſſimum prædicaſſe, quod ab antiquis auctoribus traderetur: multum ſcilicet referre ad fæliciorē fortunam, in quæ tempora alicuius vel præclara virtus incidiſſet. Aurea namquè tempora Leonis, omnibus florentis pacis, atquè opulentiæ commodis ad luxum, beatiquè ocii lætitiam affluentia, ita bella, & ſanies, & peſtilentia, tot per interregnum, Pontificiſq. abſentis incommoda detrimentis illatis everterant, ut ex eà recentis ſtatus publici*

Inſidiæ in eum

C *recordatione, cuncta mala vel immeritò ad execrationem innocentiſſimi Pontificis verterentur.*

Obitus

15. *Cui Lætas fecere exequias etiam affines.* Die quo Hadrianus fœdus publicavit in Gallos, epulum Legatis Principum exhibente Cardinali *Columnâ*, Pontifex graviore ſacrorum morâ, ut in maximo æſtu fatigatus, ſe ſe in proximum D. Martini templum ad quietioris prandii commoditatem recepit: ubi *levem ab initio, ſed mox morbum contraxit* Lethalem, *ita ut ſenſim valeſceret febris, adulatione præſertim medicorum, qui nec exuſto intus apprimequè ſiticuloſo, & de nocturnâ iactatione conquerenti venas tangebant: nè ſcilicet in pernitioſam propinquæ mortis ſuſpicionem dubio metu erectum ſenem adducerent: atquè non diu deceptus ubi hora fatalis inſtabat, Senatum advocavit, commendataq. Repub. pileo quem ipſe detulerat, Guliermum*

Medicorum adulatio.

D *Enchavordium gratiſſimo animo decoravit, adiuvantibus præſertim Iulio Medice, & Ludovico Sueſſano, quamvis pleriq. Cardinales, uti in ipſo mortis limine deſpecto Pontifice, in ſuffragium ituri minimè viderentur. Obiit Idibus Septembris exacto anno, ex quo ab Hiſpaniâ appulerat, & eo forte die quo Gallicus exercitus Bonivetto duce repulſis Cæſarianis, Ticinum amnem tranſiverat, ita ut maximum negocium ſucceſſori reliquiſſe diceretur. Morte eius pleriquè & præſertim veteris aulæ ſectatores effuſiſſimè ſint læti, & ſecundum eos nonnulli Romanorum, qui detrimenta rerum ſuarum ſenſerant: nam quùm ignotæ hominum facies Vaticano à Belgis, atque Hiſpanis occupato, aditum petentibus occurrerent, longum, atq. operoſum erat, familiaritate difficili novas ami-*

Cardinalem creat Enchavordiū.

HADRIANI VI PONT. MAX. MONVMENTA.



Ioanni Sewender [illegible] *Sepulchri Imaginem Romæ extatem in Eccl. S. Mariæ de Anima Theutonicorum*

amicitias comparare, ita ut quiſq. novo ſtatim principatu, eam luctuoſi, & peſtilentis ſæculi fortunam præverti poſſe exiſtimaret: quaſi ea incommoda nequaquàm malignitate temporum, quæ tot calamitatibus eſſent notata, ſed quadam inexperti, duriq. Pontificis acerbitate proveniſſent. Super hæc manaverat in vulgus fama aut incerto auctore, Pontificem novo ſeveritatis edicto publicatis ſuper id bullatis ſolemnibus codicillis, diſſoluta civitatis mores eſſe correcturum, ita ut atroci pœnâ tria præſertim hominum genera perſequeretur, eos ſcilicet ante omnes, qui ad Chriſti fidem reverſi impiâ animorum devotione Iudaicæ ſuperſtitionis ritus obſervarent, quorum maximè pecunioſorum ingens turba, iudiciorum metu, ab Hiſpaniis delapſa, in Vrbem, tanquàm in portum certiſſimæ ſalutis confluxerat. His enim Hadrianus vetere conſuetudine plurimum erat infeſtus, utpotè qui in Hiſpaniâ ipſis inquirendis, damnandiſq. cum inſigni magiſtratus honore præfuiſſet. Sub id genus ii quoquè veniebant, qui Superis impurè ſceleſtoq. ore maledicerent, & contemptim aut iocularìter de religione Chriſtianâ loquerentur: & ii etiam qui minimè dubitarent profanâ negociatione Sacerdotia venditare. Secundo loco erant fœneratores, atq. menſarii, qui egentium fortunas acerbiſſimis uſuris everterent, & annonam impotenti monopolio, & diris præoccupationibus impudentiſſimè flagellarent. Vltimò inquirere, puniréq. decreverat iuventutis corruptores: eius enim criminis non omnino falsâ ſuſpicione, Vrbs ipſa conniventibus legibus infecta credebatur. Quâ inopinatâ, & gravi ſeveriſſimæ legis mentione, maculoſos quoſdam cùm aulæ tum civitatis, veluti deſperatâ publicâ ſecuritate, terruerat adeò, ut non defuerint petulantiſſimi iuvenes, qui Ioanni Antracino Pontificis medico poſtes feſtâ fronde per intempeſtam noctē protinus exornarent cum titulo uncialibus literis inſcripto in hęc verba: Liberatori Patriæ S. P. Q. R. ſcilicet ut eo ioculari elogio non medicus uti veneficus, aut imperitus, ſed maieſtas ipſa ſanctiſſimi Pontificis, qui ſalutari cenſurâ uti dignum erat principe Chriſtiano, urbem, atquè aulam probroſis vitiis repurgare cogitaſſet, non obſcurè carperetur. Enimverò ea eſt natura populorum, ut quum diſſoluta vita licentiâ gaudeant, præſentis ſemper principis mores deteſtentur, ſuperiorum vitam commemoratis virtutibus in cœlum ferant: eius verò qui defuncto ſit ſucceſſurus mores, & conſilia uti plena prudentiæ, liberalitatis, atquè iuſtitiæ futura pronuncient. Nam, ut plerumquè fit, ſpes hominum eventis, rerumquè ſucceſſibus alebantur, quando ſibi quiſquè fallaciſſimâ ſæpè ratione mutato ſtatim principe meliora tempora deſtinaret. Laudabant in doctiſſimo Pontifice & longè graviſſimo ſanctimoniam: illiberalitatem non probabant: oderant ſeveritatem, quam ubi, ſicuti ſæpè erat ſolitus, lenitate remiſiſſet, eam demum clementiæ laudem avaritiæ calumniis involuebant, quaſi ſontibus & convictis nequaquàm naturæ facilitate, ſed parùm honeſtâ cupiditate præſentis quæſtus omnino parceretur: nec ſæviſſimâ temporum conditione, valdè egentis, & multis ſimul difficultatibus circumventi Pontificis neceſſitatem excuſarent: ita ut tum civitatis ſtatus miſerè deplorandus eſſe videretur, quum quiſq. ferè inſignium atq. infimorum ordinum, recti atquè honeſti penitus oblitus, cuncta ſibi in ſummâ vitæ libertate licere vellet, nec ullum omnino corrigendis moribus cenſorem pateretur, etiam vel ſolâ pecuniâ, digna ſupplicio crimina vindicantem. Scilicet ut repudiatis Chriſtianæ medicinæ præſidiis, affecti corruptiq. eò inſania provehere- A mur, ut indignantibus demum Diis atq. hominibus in ipſa quæ imminebat horribili cadentis Vrbis ruinâ, immanibus barbaris corpora atq. animos ad omnia exempla crudelitatis atq. ignominię prębeneremus.

Exultāt Romani ob mortem Hadriani.

Acciverat Hadrianus paulò antè in Vrbem, in Vaticanaſq. ædes cupidè receperat Petrum Caraffam Archiepiſcopum Theatinum, & Marcellum Caietanum veteris Chriſtianæ diſciplinæ moribus venerabiles, & in omni graviore doctrinâ longè lectiſſimos, ut eorum cōſilio in cenſurâ morum, atq. adminiſtrādâ eâ parte Reip. quæ ſacra reſpiceret, omnibus horis uteretur. Sed mors eius aliquanto maturior ceptis conſiliis exoptatum ad publicam ſalutē ſucceſſum eripuit.

Mores cogitat reformare.

Ferunt Hadrianū alioquin vegetæ viridiſq. ſenectæ cōtraxiſſe morbum aſſiduo cervisiæ potu, quæ Germanica conſuetudine ex lupulis hordeoquè decoctis exprimitur: nam per ſe cibi parciſſimus erat, & in tuendâ valetudine apprimè diligens & moroſus. Tantâ horarum definitione, B Vt denunciante architriclino paratas eſſe epulas, vel maximarum rerum colloquia protinùs abrumperet: in menſâ autem ad remittendum animum ſępiſſimè delectari ſolebat Tocino ſannione ſalſiſſimo, quem ab Hiſpaniâ ſecum adduxerat, quo etiam pro ſpeculatore urbanarum rerum utebatur. Ornamenta inſignis picturæ & ſtatuarum priſcę artis nequaquàm magnifecit, adeò ut Vianeſio Bononienſium legato commendante ſtatuam Laocoontis, quam in Belvederis viridariis Iulius ingenti pretio coemptam ad loci dignitatem collocarat, averſis ſtatim oculis tanquàm impia gentis ſimulachra vituperaret. Erga propinquos uſquè ad notam naturæ ſubagreſtis, durus & illiberalis fuit: ita ut patruelis filium Senæ Ethruſcæ in gymnaſio literis operam navantem, quòd Romam nequaquàm vocatus intermiſſis ſtudiis repentè veniſſet, conſeſ- C ſum meritorio æquo impoſitum remiſerit, levitatem animi identidem obiectans, & ſeverè admonens, ut ab ſe modeſtiæ & temperantiæ exemplum opportunè deſumeret: alios quoq. nec remoto quidē affinitatis gradu neceſſarios, quum ſpe celſioris fortunę è Germaniâ pedibus Romam veniſſent, mirum in modum increpavit, donatoſquè ſingulis ſagis laneis, & frugi viatico, pedibus ſimiliter in patriam redire iuſſit: quarum rerum teſtimonio ſuperiorum pontificum profuſam liberalitatem erga propinquos, uti gravem pernicioſamquè Reipublicæ deteſtari erat ſolitus. Quando eo præſertim errore, cuncta ſenſim labefactata, ſe demum Pontifice, ruitura viderentur.

A ſuis nō exaltat.

Adiungit Panvinius Hadrianum dicere ſolitum *Nolo Sion in ſanguine ædificare*. Quinimò etiam in paribus dotibus, alienorum potiùs, quàm ſuorum rationem habiturus videbatur. Literis magnatum inferioris Germaniæ ſolicitatus, adoleſcentem formâ, & ingenio præſtantem, qui tum recens magiſter Philoſophiæ Lovanii creatus, ſtudia ſequebatur altiora, purpurâ ornare, more ſolemni aliorū Pontificū, ornavit.

D Cenſuram ut exordiretur à ſeipſo, ab initio Pontificatus Romæ, numerum ſatellitum, equitum, peditumquè quos Principes more aſciſcunt vetuſto, multum pręcidit. Adoleſcentes, quos honeſtæ indolis ac ſtirpis in gratiam parentum familiæ adſcriptos, ex Hiſpaniâ ſecùm in Vrbem duxerat, cum intellexiſſet Italos ex illorum convictu, neſcio quę abominãda noſtratibus inuſitata ſuſpicari, ſtatim in Hiſpaniam remiſit in Accademia Salmaticenſi pleniùs literis imbuendos. In cœnâ lectorem ſemper voluit aſſiſtentem, quomodò anteà; ęquè parcus immò parcior cibum capiens. Accuſant, quod menſę ſuæ ſępe numero

Aulam exigit honeſtã.

Calumniæ in Hadrianum. ſcurram quendam Hiſpanum, *Tocinum* nomine permitteret:ſed hunc In Vrbem toleratum potiùs,quam acerſitum veniſſe,teſtis eſt Panvinius. Cunctatione ſuâ negotia perdidiſſe nõ abſolviſſe inſimulant, ut in pleno Conſiſtorio *Balbus* Vngarorum Ferdinandi Cęſaris Legatus ſcommate notavit; ſed prudentiæ potiùs quàm imperitię argumentum timor ille, non habens quem conſuleret, Cardinalibus illi ignotis,& in factiones diviſis: quorum officio deceptus beneficia aliquandò contulit etiam non idoneis. Sapere horis omnibus,& ſolum nemini datum. Citra dubium tamen id nec à ſciente factum,nec ex induſtriâ.Aliqua etiam indulſit, vel pręteriit, quæ repentè corrigi non poterant ſinè tumultu; correcturus ſanè tempore opportuno, & occaſione.

Doctos amat. 16. *Præter ſapientes,& iuſtos.* Gratudinem Hadriani erga viros ſapientes,& iuſtos ita deſcribit Iovius. *Amicis autem & familiaribus grat iſſimo animo ſacerdotia conceſſit, & locupletare bonos & ſtudioſos moderatâ ſtabiliquè liberalitate concupivit: honoreque pilei coccinei Theodoricum Hethium, quàm primum novi Cardinales in ſenatum legerentur,exornandum deſtinarat.*

Prodigia Mortis. 17. *Cęlum*. De prodigiis, quæ non obſcura præceſſere Hadriani mortem,ita Iovius. *Borgiæ turris tectum plumbeâ faſtigii teſtudine inſigne, ſub quâ ipſe habitabat, repentè conflagravit:retulerat etiam inter divos*

18. *Bennonem* Epiſcopum Miſnenſem virum ſanctiſſimum, *& admirandis operibus apud Germanos inſignem,& Antoninum Antiſtitem Florentinum ſingulari pietate conſpicuum, namquè antea ſępius fuerat annotatum, Pontifices non diu ſupervixiſſe, poſtquàm aliquem in Divorum numerum retuliſſent;uti Leone mortuo, ſtatim obſervaverant, à quo Franciſcus de Paulâ, ingenti apparatu relatus fuerat.* Iovius.

Canonizatio S. Benonis. Oſſa B. Benonis venerabiliter in maximâ populi frequentiâ, ex terreo ſepulchro in altum extulerat ejuſdem Eccleſiæ Miſnenſis Epiſc. Ioannes à Scleinitz,vir nobilis,eruditus,& pius, ope,ac conſilio Orthodoxi Principis Georgii DucisSaxoniæ,annuumq. ejus memoriæ feſtum Apoſtolicâ inſtituerat auctoritate. Celebritas hæc, &fama pietatis, cum maximè obſcuratura videretur barbaras Luteri novitates: factum eſt ut invidiâ accenſus, convitioſum ſimul ac

A Luthero ſugillatur. impium ediderit libellum Lutherus,cui titulus Theutonicè: *Adverſus novum Idolum, antiquum Diabolum, qui Miſnæ exaltandus erat.* Sed fruſtra piũ,ac inclytum Cœli incolam oppugnavit impius, & infamis terrigena.Tanta enim populi frequentia fuit,ac annuatim recurrit cum S. Benonis ſolemni apotheſi ſublimantur reliquiæ; ut Deus ipſe videatur, interprete populi pietate, irridere impios Apoſtatæ conatus.Nam Miſna vix decem milliaribus diſtat à Virtembergâ: ubrs utraq. ad ripã Albis poſita;hæc à Marchionibus Miſnæ, quorum maximus numerus ibi requieſcit ſepultus: Illa à ducibus Saxoniæ, ut Electori ſit propria. Licet ergo in aures Lutheri pietas populi pulſaret antiqua: non ceſſavit apoſtata temerarius, repetitis convicciis, antiquos retro carpere Sanctos. Hiſce calumniis graviter, ac eruditè reſpondit Theutonicè Hieronymus Emſerqui, qui vitam B. Bennonis longè priùs deſcripſerat libro Latino, antequàm Lutheri nomen Orbis cognoſceret. Bennonis geſta habes etiam in diplomate Hadriani, *conſtit.5. In Bullar.* nempe Vandalos de religione malè ſentientes, ad veritatem traxiſſe Chriſtianam. In causâ Gregorii VII.HenricumIV.Imperarorem excõmunicaſſe, Marchionemquè Miſnenſem aditu prohibuiſſe templi Miſnenſis, claveſquè in Albim proieciſſe; propterea ab Imperatore vinculis mancipatum, brevi tamen poſt ſolutum, ac reſtitutum. Quo tempore cum claves Eccleſię Miſnenſis deſiderarentur, in dicto Albi flumine piſcis capitur, cuius in ventre claves reperiuntur amiſſæ: magnum ſanè divinitatis teſtimonium ut reſtituto Epiſcopo, claves reſtituerẽtur Eccleſiæ. Ibidem leges ab eo aquam in vinum converſam; flumen ſicco pede traiectum; Fontem ex aridâ evocaſſe: duobus in locis eodem tempore ſacrum feciſſe, & rebus interfuiſſe divinis.

B

Redeo ad Hadrianum, cuius *defuncti cadaver*(teſte Panvinio) *templo D. Petri in veſperam ſequentis diei, publicè conſtitit, affluentibus eò certatim omnis generis mortalibus, aliis religione quadam pedes, quos hominis verè ſancti credebant, oſculaturis:aliis propiùs liberequè viſuris mortuum, quem reverentiâ quadam contingere auſi non fuerant vivum. Quare multorum,utiquè in tanto æſtu,quantus tunc Romæ erat, reſoluto corpore,adeo facies deformata fuit, ut Hadriani eſſe vix agnoſceretur, ut inde pleriquè ſuſpicionem caperent, ſublatum veneno. Diſſecto corpore,quo rei fides exploraretur,veneficii notas certas nullas compertas ferunt. In ore ſtomachi initia quadam fuere apoſtematis atri,quod vel ſolum brevi extinguendo ei,medicus qui aderat,ſuffecturum aiebat. Hoc*

C

natum coniectabant ex mœrore,triſtiorequè melancholiâ, quod tot paſſim malis,ex univerſo Orbe, velut de compoſito erumpentibus ex animi ſententiâ non poſſet occurrere: cum alioqui nihil minùs quàm melancholicus eſſet. Conditus eſt temporario monumento in æde D. Petri inter duos Pios ſecundum & tertium, Piccolominea familia Pontifices cum hoc titulo. HADRIANVS VI. HIC SITVS EST, QVI NIHIL SIBI INFOELICIVS IN VITA; QVAM QVOD IMPERARET, DVXIT. Epitaphium Hadriani VII.

Cæterum Cardinalis Enchavordius ut in defunctũ amicitiæ fidem præſtaret, quam luculentam in vivum præſtiterat, alterum ei monumentum ampliſſimum, & magnifici operis ex alabaſtro, poſuit in templo S.Mariæ Germanorum,ad arcum Flaminium, cum plurimis ſtatuis virtutum eius, quarum ductu ad id faſtigii emerſerat, clariſſimis indicibus. Illud habes pag. 27. Sepulchrum.

D

Nummiſmata Hadriani VI.

Habes in tabulâ ſepulchrali;in quo *Libri* & *Columba*. Hàc *Sapientia* deſignatur Spiritus Sancti, qui ubi vult, ſpirat. Illis *Doctrina* annuitur, quâ totum replevit Orbem. In altero ſtat murus, vel turris ædificanda ſub lemate, *Vt ipſe finiam*.

CLE-

CLEMENS SEPTIMUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXI.



IS primus inter hodiernos Pontifices creditur barbam aluiſse, poſtquàm apud Hadriani molem per ſeptem menſes detentus, inediâ laborans ac ſqualore ſordeſcens, barbam radere neglexit. Undè cum barbatus è carcere prodiiſset, in hoc ſtatu, qui virum gravem, & populis venerandum magis decere videtur, exinde remanſit. Quod quidem cæteri eius ſucceſsores hucuſquè obſervarunt. Huic tamen opinioni obſtat nummus *Iulii* II. cum barba prolixâ; Licet Leo X. ſucceſsor eius imberbis appareat, quòd iuvenis aſsumptus fuerit ad ſedem Apoſtolicam.

Cœlum Novum, & Terra Nova, *America* eſt quarta Orbis plaga, quæ ſedente Clemente VII. innotuit Ecclesiæ, & illi Ecclesia: propterea dicitur *Cœlum Novum* propter fidem Chriſtianam ei illatam; & Terra Nova, quia noviter detecta.

Eligitur An. Sal. 1523. Nocte, quæ diem 19. Novemb. præcedit. Obiit An. Sal. 1534. die 25. Septemb. Cum ſediſſet Annos 10. Menſ. 10. dies 7. Vacat ſedes uſquè ad diem 11. Octob.

Anni Sal. ICI. 1523. 1

ALter ecce Medices Mūdū ut curet energumenū[A]
Sed perdit, non ſanat Clementia ſæculum ferreum.
Sub primo Mediceo ægrotavit Germania;
Sub ſecundo obiit, & adhuc fætat centennaria.
Eius exordia, manū dare fœminis [a] pænitētibus;
Poſtea ne deſperarent lapſi;
Clementis nomen [3] aſsumpſit.
Infirmos ut ſanaret in diſtans,

Sub Clem. 7. invaluit Lutherus. Monaſterium erigit pœnitentium.

Farcimina miſcuit oratione, & ieiunio.
Audiit rogantem Cœlum, ſed non exaudiit:
Quia Medicus non curaret ſeipſum,
Poſtquā ambitu Cœlites excitaſſet ad iracūdiā.
[7] Angli, Pruſſi, [8] Helvetii, [9] Norvegi.
Lutheranâ naufragi laſciviâ,
Clemētiā ſprevère, vel deſperavère Romanam.
Amiſsas Urbes novo repatavit Orbe;
In

Prenſavit Papatum, Sveci, Dani Populi. America fidē recipit.

Anni In Americà, quæ Petrum ignorabat, & Deum, A
Sal. Cl. Supra cētū Barbarorū myriades dedere nomē.
1523.12 *Solus Lutherus [3] augere crimina malēs, quā relīquere*
Cū tria plauſtra virginū abduxiſset ex aſceterio;
Abbatiſsam ſibi proſtituit:
Alteroquè à nuptiis menſe, filium ſuſcepit
Conceptum ſemine ſcholarium Vittēbergēſiū.
Annuit Saxoniæ thoro ſacrilego, ſinè paraphrenalib⁹
Filias in ſtuprū offerēs, Monacis & ſacerdotibus
Ut laicis dotem Eccleſiæ permitterēt diripiēdā.
Capita Huius hydræ ſubnata capita,
Hæreticorum. Mūtzerus,[4] Zuīglius,[5] Melāchthō, Æcolāpadius[6].
Qui more ferarum ſemper diſcordes,
Convenere ſolummodò in Eccleſiam.
Horum cæmentis altiorem molē Deus erigens, B
Novo Orbi quatuor columnas ſubſtravit
Novi Cappucinos,[11] Theatinos[12] Somaſchas[13] Ieſuitas.
cætus Primi nati ad ſtuporem ſæculi:
religioſi. (Dū Lutherus ad ſaginā ventris totus incumbit)
Corporis macerie, eaquè inopià
Ut præter Cœlum, quod aſpirant,
Nil proprium habeant in elementis.
Theatini ſpontè oblatis contenti,
Rati nil defuturum quærentibus Deum,
Hunc ſolum deſignavere ſuum promocōdum.
Ieſuitæ. Tertia adfuit Ieſu Societas auctore Ignatio,
Quū fracto crure, pedis vulnere ſanavit animū.
In chirurgum ſortitus Apoſtolorum Principem,
Soſtrum non habens ut ſolveret, adſcribitur inter Apoſtolos. C
Sanctitatis avidus, dum Sanctos legeret,
In contemplatione Deiparæ caſtitatem retulit,
Quam ex profeſſione non habent milites.
Momento ex aulico, & milite Sanctus,
Arma ſibi detracta ſuſpēdit ad aram Virginis.
Quo miraculo Caſtellū Loyolę ſtupefactū tre-
Inter pœnitentiæ rigores, (muit.
Marià dictante, libellum ſcripſit Aſceticum,
Quo illiteratus & īdoctus doctos omnes erudiit.
Admirata libellum Roma, laudavit ex cathedrà
Quis nō laudaret quæ ſcripſit Ignatius, dictauit Virgo?
Altero libello de Trinitate ſcripſit, quæ vidit.
Octo diebus extra ſe, ad Deum raptus,
A Ieſu legem accepit Ieſuitis futuram:
Quæ una, brevis ſed nunquàm defutura; D
Ad maiorem Dei gloriam.
Sic nondū ſtatutà lege, *Gloria* hæc prò lege fuit.
Quàm gravis fuerit Lutheranis Ieſu Societas?
Ipſi dicāt; paſſi omnibus recociliari, nō Ieſuitis.
Alia Petri calamitas, captivitas Galli ſui.
1525.15 Regis Franciſcus Valeſius[15] rebus abuſus proſperis,
Galli Volupratibus Pacē, Bellū temeritate corrūpens,
captivitas. Multa peccavit, quorum ipſe ſupplicium fuit.
Ad Ticinū captus, Madritū ductus navib⁹ ſuis,
Hiſpanis luctuoſū tulit de Gallià victà trophæū.

A Borbonio parū perdidiſſe patriā, niſi & Eccleſiā, Anni
Romam irruēs, dum primus ſcalam admovet, Sal. Cl.
Globo à ſuis, vel ab hoſte traiectus,
Caietæ hac ſepelitur epigraphe. 1527.15
Servato imperio, Gallo victo, ſuperatà Italià,
Pontifice obſeſſo, Romà captà Roma
Carolus Borbonius [17] capitur.
In victorià cæſus hic iacet.
Præ ardore cædem ducis miles non agnoſcens,
Priùs Urbē cępit, quā pugnare ſinè duce ſentiret.
Urbe à Cæſarianis direptà, (fuit:
Veſtales, Flamines, Pōtifex ipſe barbaris præda Clemēs
Ut inter fortunā nullā & maximā nihil ītereſſet. captus.
Clemēs,[16] captus, vinctus, circumductus,
Nec purpuræ pretio, quam vendidit,
Expilatus explere valens militarem avaritiam,
Ad Gallos invitis fugit Hiſpanis: (ità
In feras Hercinias Furià priùs invocatà Roma-
Proſpero Columnà, qui Patriæ improſper,
In Clementem milites adduxerat inclementes.
Carolus nè ſe victoriæ fœdaret aſpectu,
Eam nec reſpexit, ſed deſpexit. Carolus V. Bo-
Huius innocentiam Bononia docet noniæ
Ubi manu Pontificis coronatū, fas eſt credere, coronatur.
Cæſarem nunquàm inſidiatum Petro. 1530.17
Ex corde reconciliatum ne dubites: Henricus 8.
Moriēs Clemēs Carolo cōmēdavit [26] nepotes. Rex An-
Vtinam commendaſſet Eccleſiam. (reticis gliæ apoſtata.
Nā ī gratiā familiæ multū relictū Turcis, & Hæ
Uno namquè Adverbio, quod *Interim* dictum;
Verbū penè ex Germanià deportatū Æternum.
Noviſſimū Eccleſiæ vulnus ab Hērico[18] Anglo
Eodem ſtylo, quo coronatus athleta
Lutherum oppugnavit, propugnavit.
(Senectus turpis egregiam perdidit iuventutem.
Regis ac Regni ruina à Cardinali [19] Volſæo:
Stabit tamen Petra etiam labante cardine)
Ut in thorum & thronum Catharinæ Auſtriæ,
Margaritam intruderet Valeſiam.
At utrāq. deſpexit, cū Rex aſpexit nobile ſcortū,
Annam Bolanam [20]
Ex ipſo Hērico adulterè natā, nothā, nō ignotā.
Monitus à ſcurtà non plus peccaturus,
Si matrem defloraret & filiam
Quāſi ī prādio gallinā, ī cęnà pullū eius comediſset:
Filiam coniugem dixit, & duxit.
Ab eà ne diſcederet, diſcedere maluit à Sanctis.
Sola Gallia cum Angliam ſanare poſſet;
Clemens Maſſiliam venit.
Specioſum iter, ſed inutile. In Galliam Papa deſcendit.
Nam viſus in Galliam deſcendere,
Solùm ut ſe liberum demonſtraret.
Plura egit in illo colloquio, Angli
Sed præter neptis nuptias cum filio Regis, tyrānis.
Ni-


CLEMENTIS VII·MONVMENTV̄
IN ECCL. S.M. SVPER MINERVĀ.
CANDOR ILLÆSVS
CANDOR ILLÆSVS
CLEMENS
SEPTIMVS
PONTIFEX

Anni. Sal. ICI 1530 18

Nihil concluſum. (ſtum A
Fiſcherus[21] & *Morus* qui i Angliâ agebāt Chri-
In Henrico Herodem nacti rediviuum.
(Fulmine tactus anathematis expergiſci nō potuerat)
Qui non dormiebat, ſed mortuus.
Quia cū caput negabant Eccleſiæ, damnantur capite.
Mortis aream Ioannes [22] intuitus,

Scipionem abiecit fulcrum ſenectutis.
Quid opus ligno, ubi Lignum Crucis?
Vel malo non egebat, appulſus ad portum ſalutis.
Morus [23] ne *Henrico* irreconciliatus decederet,
Gladio cecidit, Regi & Regno precādo pacem.
Morte utinā nō diſſimili & Pōtifex[24] occubuiſſet
Qui cum animam eflavit, nemo [25] flevit.

Anni Sal. ICI 1531 19 — 1534 lit

ADNOTATIONES IN CLEMENTE VII. PONT. ROM. CCXXI.

Comitia diſcordia in electione Papę.

1. C*Lementis nomen*, &c. Celebratis Hadriano exequiis, Kal. Octob. Cardinales certare cæperunt, alii Pompeium Columnam, alii Iulium ſequentes Mediceum. Gallus intereà inſtructis ad pugnam triginta millibus peditum, quatuor millibus equitum motus in Italia excitavit ingentes. In ditione Eccleſiaſticâ, Dux Ferrariæ in ſpem Mutinæ, B ac Regii recuperandi erectus, ad Gallos deficiens, poſt Mutinam fruſtrà tentatam, Rhegium, Rubieramquè ſubegit. In hoc diſcrimine cum res verſaretur Cæſarea; Die 8. Novemb. 1523, Dux Sueſſæ Orator Cęſareus, Romæ unà cum Angliæ aliorumquè fœderatorū Oratoribus inſtetit apud Cardinales ut iuxta fœdera Hadriani VI. aurū conferrent ſubſidiarium adversùs Italiæ invaſores, & pro tutelà Eccleſiaſtici patrimonii. Ipſi autem in factiones diſciſſi die XIV. reſponderunt, conveniſſe pro creando Eccleſiæ paſtore; reliqua intacta ſervari Pōtifici futuro.

In hoc ergo incumbentes purpurati, ut adinvicem ſe deciperent: Prenſanti Mediceo, eluſit Columna dicens: *ſe illi ſuffragaturum, qui melior iudicaretur optimorum conſilio.* Cum autem Ludovicus à *Cordubâ* Cæſaris legatus ſeverà quadam obteſtatione à *Pompeio* poſtularet, ut *Iulio* ſuffragaretur; ne aliter agendo, Cæſaris ſubiret indignationem: Arrogantià hominis offenſus *Columna* reſpondit: operam ſe daturum, ut planè intelligeret, nequaquàm legatorum juſſu, ſed liberis Senatorum ſuffragiis creari Pontifices. *Iulio* adverſabatur *Pompeius*, quod Pontificatum in eadem domo, duobuſquè fratribus continuari, maximè ambitioſum putaret: hinc ſenioribus ſuffragandum: demùm valdè indignum cenſeret, eum Orbi præfici Chriſtiano, qui illegitimis *Iuliani* patris natalibus ortus diceretur; licet hanc notam, quùm ille inter Cardinales adſciſceretur, prolixo iuris teſtimonio ſacrati iudices aboleviſſent. Seniorum ergo prærogativam *Pompeius* vehementiſſimè tuebatur. Iuniores *Iulio* favebant, eo firmiùs, quòd nemo eorum vel occultè ambiret. Ex Senioribus autem pleriquè eſſent, qui flagrantibus animis ad Pontificatum aſpirarent: undè obtrectatione, & invidià felicitatis alienæ, ac dolore ſimul fruſtra ſuſceptæ petitionis anxii, haud ſincerè convenirent, ſed ſyngrapharum nominibus colludentes electionem impedirent. Spem Seniorum adauxere Galli, hyberno & procelloſo mari, inopinantibus cunctis, Romam delati, eo voto; ne *Medices* Gallici nominis apertus hoſtis Pontificatu potiretur. Ii fuere *Claramontius*, *Lotaringus*, atquè *Borbonius*, cū quibus *Pompeius* epulabatur frequenter. Ad quinquageſimū ferè diem extracta erant comitia, cum ſcandalo totiùs Orbis, & dedecore *Iulii*, atq; *Pompeii*, quorum fama liberè & acerbe lacerabatur, non ſinè diſcrimine publicæ, atquè privatæ fortunæ. Cum enim in civitate loquaci, probroſis carminibus quilibet laſciviret; *Crotus è Regio Lepidi* poeta amarulentus virulentum quoddam epigramma in foro legendum affixit, quo Vrbi ſummam præludens calamitatē, viſus eſt potiùs vaticinari, quàm canere, cum paulò poſt ex eorum diſſidio Roma funditus penè everſa ceciderit. Hinc *Iulius* ad declinādam invidiam, prępteriti comitii eventu doctior, ſe iturū in ſuffragia obtulit, ſi quiſpiam ex ſenioribus ſupremo dignus honore, virtuteque animi inſignis nominaretur. Erant dignitate, gratià, atquè ætate pares *Fliſcus*, *Farneſius*, *Montanus*, *Craſſus*, *Soderinus*, & *Carvaial*, qui vel occulto ſuo, vel publico iudicio, æquali ambitu ſibi neminem pręferebat. In hoc æſtu, cum *Pompeius Iacobatium* nominaſſet, uti Columniorum clientem, & vitæ innocentię, ac Iuriſdicundi laude conſpicuum, repudiarunt, quia Cæſarianis nimiùm addictum. *Claromontius* autem *Franciotum* cum nominaſſet *Vrſinum*; cęcà bile commotus *Columna*, timorequè adductus, ne *Vrſinus* familiæ ſuæ, Cæſariſquè ex profeſſo hoſtis Pontifex fieret, ad *Mediceū* converſus, qui in *Vrſinū* ſibi affinē inclinare videbatur; convenientibus etiam reliquis ſeniorib᷒ (qui macie deformati, morbis impliciti ex inſolito, tetroq. odore, ambitū expurgaverant) inC quit: *An non mihi gratiam habebis, ſi te extulero in Pontificatum? Si ſeriò dicis* (reſpondit Medices) *egregiè profectà tecum agam.* Eodemquè tempore arrepto calamo ſingrapham exhibuit, in quà ei officium promittebat V. Cancellarii (quòd ipſe *Medices* exercebat) ac palatium magnificum extructum olim à Cardinale S. Georgii, & *Mediceo* datum à Leone X. His excitatus Columna, poſt conciliatum *Cornelium* Cardinalem Venetum, unà, & duos alios Cardinales, cœpit palàm cauſam *Iulii* promovere. Reliqui patres ambitu vel pannico terrore expugnari ita feſtinarunt in partes Iulii, ut viderentur in ſtadio currere. Eadem itaquè nocte ab omnibus adoratus, die ſequenti Novembris, *Iulio* olim propitià, & biennali ovantis ingreſſus in expugnatum Mediolanum repetità de more electione ſolemni, Pontificatum tenuit, adimpleto S. Malachiæ vaticinio. D *Flos pilei ægri*. Pallas enim pro inſignibus habebat, vel pilulas. Vel quòd antiquum Mediceorum ſtemma pelvis eſſet, vel pileus. *Ægri* dicitur, ſubità ad Medicum relatione. Vel *flos pilei ægri*, ideſt flos *libertatis Florentina* (libertatem enim pileo exprimebant Romani) *Ægri*, quia ſub eo ęgrotavit ad mortem libertas Florentinorum.

Iulii Mediceci natalia an legitima?

ALESSANDRINA

Iulius Mediceus prēſat Papatum.

Pacta Medicei cum Columnà.

Vaticinium de eius Papatu.

Eius in partes facile deſcendiſſe Cardinales ſcribit Guicciardinus *libro* 15. quià eius redditibus inhiarent Patres. Decreverant enim ab exordio Conclavis; ut æquis portionibus illius redditus dividerentur inter Cardinales, qui in Pontificem eligeretur. Bzovius autem rem nobiliùs geſtam poſteris commendavit. Interoganti *Columna*, an grate

tè

tè ſuſciperet operam ſuam: Cum reſpondiſſet Iulius. *Si ſeriò dicis, egregiè profectò tecum agam: Tuquè rebus tuis privatis honeſtè ſervies, ac publicis.* Pompeius altitudine animi, laudem quærens honeſtiſſimam, id unum enixè poſtulavit, ut *Soderino* veteri inimico, pleriſquè item Cardinalibus, à quibus acerrimè oppugnatus fuerat, ſynceræ fide parceret, eoſquè omnes in gratiam reciperet. Dexteram tunc *Iulius* Pompeio dedit, prolixè pollicitus ſe præſtaturum. *Iulii* nomen retinere volebat; ſed brevi obiiſſe eos, A qui in Pontificatu nomen non mutaſſent, admonitus; & quòd eius Divi feſta dies propè adeſſet, & quòd *Volaterano* Cardinali, aliiſquè offenſas omnes condonaſſet, *Clementis VII.* nomen aſſumpſit, quà unà nominis profeſſione, tanquàm edicto adverſarios omni metu liberare videretur. Indè antè Vaticanam Baſilicam, à *Marco Cornelio* Veneto S. R. E. Archidiacono inſignia accepit Pōtificatus aſſumpto ſymbolo, *Domine refugium factus es nobis à generatione, & progenie.* Eius natalia ita recenſeut.

Clemēs VII. cur dictus?

Clementis VII. natalia.

M. Coſmus Mediceus

Petrus

Laurentius — Iulianus

Magdalena uxor Franciſci filii Innoc. VIII. Papæ — Leo X. Papa — Petrus Iulianus — Iulius, *ſeu* Clem. VII. Papa

Naſcitur Iulius ex cōcubinà Iuliani patris (ſi Guicciardino fides *l. 12.*) qui geſta Pontificum ſemper calumniatur. A Leone X. patruele ſuo creatus Cardinalis, per teſtes dicitur legitima probaſſe natalia, licèt matrimonium fuerit clandeſtinum. Eius pater Iulianus, Florentiæ, in D. Reparatæ templo ferro petitus à *Fraciſco Pactio*, & *Bernardo Bandino*, ſub Sixto IV. cæſus occubuit. Poſt cuius mortem, altero circiter, & trigeſimo die poſthumus naſcitur, & *Iulius* dictus (quia oris lineamētis, & toto corpore ſimilis *Iuliano* patri) *Laurētii* patrui curà, liberalibus imbutus diſciplinis, & pati morū ornatus elegantià cœpit à puero optimæ indolis, & futuræ magnitudinis non obſcura præſeferre argumēta. Gallorum autem vi, & Florentinorū invidià, Mediceis Vrbe pulſis comes adhæſit perpetuus *Io: Medicei* (qui poſteà Leo X.) quo auctore ad ſummum Pontificatum viam ſibi aperuit. Poſt varios enim caſus, ac diſcrimina rerum, creatus eques Hieroſolym. S. Io:, & Prior Capuæ, ſub Iulio C II. cladi interfuit Ravēnati; ac Sāſeverinate Pſeudoſynodi permittente Legato, Ioannem Mediceum Legatū Apoſtolicum in carcere viſitavit; indè Romam veniens, Iulium, ac Cardinales in Conſiſtorio ſtantes, rerum ſtatum edocuit. Cæterū quū *Ioannes* è Gallorū cuſtodià evaſiſſet, & Hiſpanorum copiis Dictatorem *Soderinum* Florentià exturbaſſet, *Iuliano* fratre in patriam reſtituto, poſt obitum Iulii II. Pontifex, *Leonis* X. aſſumpto nomine creatus, in ipſo ſuæ coronationis die, Iulium elegit Archiep. Florētinum, poſteà An. 1513. die 9. Kal Octob. Diaconum Cardin. S. Mariæ in Dominicà; mox Presbyterum tit. S. Clementis, ac indè, mortuo *Sixto Ruvereo*, V. Cancellarium S. R. E. deſignavit, ut ſigilli Pontificii ſuſceptà cuſtodià, Romanæ Curiæ negotiorum molem tractaret; quibus non minùs auctoritate crevit, quàm opibus. Plura in Cardinalatu opera pietatis edidit; inter quæ

Dignitates, Officia.

2. *Fœminis Pœnitetibus* Romæ monaſteriū erexit, ſub titulo B. Magdalenæ, quo mulieres abiuratà impuritate vitæ exciperentur; Monaſteriū hoc adepto Pontificatu, pluribus ornavit privilegiis, eiuſquè curam in divinis, *Ioanni Petro Caraffæ* Epiſcopo Theatino pietatis opinione celebri concredidit. *Bullar. in Clem. Conſtit.* 14. Legatus creatus exercitus Eccleſiaſtici (cum in Gallos Leo X. & Carolus V. arma tractarent) Parmam, & Placentiam Eccleſiæ redemit Romanæ. Inſidiis quorumdam Florentinorum appetitus, Dei ope diſcrimen evaſit An. 1522. teſte *Petro* B Delphino in literis *ad Chriſtophorum Marcellum Archiep. Corcyræ l. 12. ep.* 74. Horum famà excitatus populus coronationis pompam eo excepit plauſu, ut poſt conditam Vrbem, ſpe maiori Princeps non moraretur ſuſceptus, quaſi ad iuvandos mortales, & ad Dei gloriam propagandam unicè crederēt educatum. Augebat opinionem, quòd cum multa Leonis X. geſta illi adſcriberentur, omnes illum vaſti animi, atquè gloriæ cupidum exiſtimarent. Conſiliis gravis, decreto conſtans, tot Annos Leonis cum adminiſtraſſet Pontificatum, modo Florentinā Rempublicam ex arbitrio regeret; Cæſaris, Angli, Poloni, Vngari, Luſitani Regum neceſſitudine nixus promittebat curam fœlicem.

Meretricibus pœnitētibus erigit monaſterium.

Parmā, & Placentiam recuperat, cum eſſet Cardinalis.

3. *Lutherus* &c. In Papam electus Clemens ad Norimbergenſia comitia miſit *Laurentium Campegium* Bononienſem, qui poſt obitum uxoris ſuæ, ex Accademià Bononiēſi (ubi Patri ſuo I. Cōſulto Clariſſimo in publicà Iuris profeſſione ſucceſſerat) Eccleſiæ ſe adſtrinxerat. Norimbergam cum veniſſet, obuios extrà portam habuit omnes ferè Principes Germaniæ, cum ipſo Imperatoris Vicario, Archiduce Auſtriæ Ferdinando, à quibus benignè admonitus habitum poſuit, quo indui ſolent Cardinales Legati Apoſtolici, propter circumfuſam plebem Lutheranam, quæ aſſiduis concionibus concitabatur à prædicatoribus ſuis, in Papæ, ac totius Cleri contemptū. Communi ergo habitu, quo per ſylvas iter egerat, ingreſſus venit in hoſpitium *Aureæ Crucis* dictum inter comitantes Principes, ſine Clero, & Cruce Clerus namquè, qui occurſurus illi convenerat in æde D. Sebaldi, retentus eſt ibi clauſis valvis, ut nec ingredientem illum videre potuerit. *Cochleus* Ducem etiam Saxoniæ è comitiis ſe proripuiſſe, ne in colloquiū cū Legato veniret; cōſtat ex literis *Hyeronimi Nigri* apud Raynaldū *n.* 5. A. 1524. D Dato Senatu geminia habita eſt oratio; Vna ab Epiſcopo Scarenſi, Ordinis Minorū, Italo Potēriano, qui erat in comitatu Legati. Altera ab ipſo Legato, qui ſummà gravitate orabat Ordines Imperii, ut gliſcenti Lutheri ſeditioni, quæ non ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed & Civili Reipublicæ machinabatur exitium, ſeriò obſiſterēt, Papæ Cæſariſquè ſententiam exequendo. Se omnia curaturum pollicebatur, quæ honeſtè impetrari poſſent à ſede Apoſtolicà: oneraquè de quibus Germania conquerebatur, mitigatum iri; ut extinctà hæreſi Lutheranà, Chriſtianorum arma converterentur

Campegium legat ad comitia imper. An. Sal. 1524.

in Turcas.Opportunè efflagitanti Legato ſupervenere Oratores miſſi à *Ludovico* Vngarorũ Rege,cui nupta erat ſoror *Caroli* V.ſupplices rogantes,ac flebiles, vt Vngaris diſcrimine fatigatis extremo accurrerent Principes;Nil tamen datum præter verba.Licèt enim Ordinum pars maxima Catholica,& pia eſſet,tamen plures permiſcebantur Lutherani publici, vel occulti,qui poſtulata Cæſaris,& Pontificis eluſerunt,vt interim collectis viribus graſsarentur fortiùs.Hoc voto decrevere , vt ad interceſſionem Cardinalis Legati , Cæſare conſentiente, Summus Pontifex quamprimũ liberum indicat Concilium in Germaniâ celebrandum, ad dirimendas Lutheranas controverſias , cum tamen hæ in ſuperioribus Conciliis diremptæ eſſent, & quibus Lutherani ſua præferebant deliria.Interim vt ſcire poſſet vnuſquiſquè quid agere , aut credere debeat , nova indicerentur Comitia poſt feſtum S. Martini Spiræ habenda: quò vnuſquiſq. Principum doctos viros adduceret, qui ex Lutheri libris bonum à malo ſeligerent;Gravamina,quæ à Sede Apoſtolicâ Nationi inferuntur Germanicæ , diligentiſſimè expenderent , & ad modum redigerent . Cumquè inſtructio Cæſaris,quam Oratori ſuo Ioanni Hannardo tradiderat, inſtanter depoſceret , vt Edictum Vvormacienſe, quod communi omnium conſenſu promulgatum fuerat,executioni daretur ; ne viderẽtur inobedire, adiecerunt;vt omnes Principes illud, quantùm poſſent , obſervarent . Vngarorum preces opem expoſcentium adversùs Turcas , in Spirenſem rejecere conventum : ita fucatâ medelâ,duo Chriſtianæ Reipublicæ vulnera appoſito etiam Cæſaris abſentis nomine,obvoluta fuere,morâ exitiali.*Clemens* accepto decreto cognoſcens,quòd à Germanis impiæ doctrinæ illecebris delinitis , Sedi illuderetur Apoſtolicæ , dum decretorum deliberatio denuò eſſet habenda ; novis literis non ſolum Cæſarem,ſed Anglos , Gallos tanquàm filios Eccleſiæ primogenitos excitavit, ne futura Spiræ comitia à Lutheranis indicta præterirent, in quibus Ordines etiam Laici de Religione Chriſtianâ eſſent deliberaturi , quaſi ius Germanorum eſſet, Orbi Chriſtiano Religionem præſcribere.Inſidias præcaverent novatorum,qui excuſſo Religionis iugo , legem etiam civilem eſſent à ſuis cervicibus deiecturi. Concilium Æcumenicum, quod Hadrianus promiſerat,libenter ſe daturum;falsòq. iactari ab eo timeri propter defectum natalium, vt Cardinalis Eboracenſis obiecerat Pontificio Internuntio teſte Raynaldo n. 19.An. 1524. Facta interim gravis, & periculoſa per Germaniam Nobiliũ conſpiratio,auctore *Franciſco de Sicking*,ſocio iurato Buceri,& Æcolampadii , vt ſub ſpetie tuendi Evangelium, Eccleſiæ principatus occuparet . Bellum indixerat Archiepiſcopo Trevirenſi , ſed ita vt mox poſt miſſas ad eum literas hoſtiles,armato ſubſequeretur exercitu,atq. vnum ex oppidis eius invaderet , quo capto, protinùs ad mœnia Treveris,rectâ movit phalanges. Vrbem ſervavit præſentia Archiepiſcopi, & ſimul omnia Germaniæ monaſteria . Eò enim reſpiciebat *Sicking*,vt ex Trevirenſi direptione ditato milite innumeram concitaret turbam . Coactus itaq. obſidionem ſolvere,ob metum Principum vicinorum , dimiſit militem . Archiepiſcopus inito fœdere cum Duce Bavariæ Ludovico , & Philippo,

Lutherani illudunt decretũ Cæſari,

Rumor vanus, quod Papa timeret Cõciliũ.

Nobiliũ coniuratio.

Haſſiæ Lantgravio ſignâ tulerunt in *Hartemanum à Croneberg* , qui arce fretus munitiſſimâ in edito colle ſitâ(vnico milliari diſtat à Francofurto)opibus florens in Sectam illectus Lutheri,*Franciſco* palàm fuerat auxiliatus adversùs Archiepiſcopũ;dignus proptereà viſus, qui primus ſolveret pœnas . Ceſſit arx deditione , Haſſiæ Lantgravio; In Archiepiſcopum Moguntinum videbantur poſteà arma laturi ; non quia iſte cauſam bello dediſſet ; ſed quod eius Nobiles,& ſtipendiarios *Cronebergii* ſequaces contrà Treverenſem,ad pœnam poſcerent fœderati . Moguntinus Archiep.vt humani ſanguinis effuſionem præcaveret,maluit vel innocens pecuniariâ pœnâ mulctari, 25.millium aureorum,quàm bello experiri fortunam. Nobiles eius veniam peterent,ampliùs in Trevirenſem non commiſcerentur. Hoc cum recuſarent, hoſtibus declaratis , Lantgravius domum rediens , vi arces occupavit *Frobeni ab Hutten* , Equitis Aurati , magiſtri Curiæ Moguntinẽſis,qui poſteà in ruſticano tumultu,ſua bona recuperavit.Dolens ergo Lutherus Franciſci,aliorũquè nobiliũ,qui maximè Evãgelici dicebãtur,caſum: nactus ex decreto Norimbergẽſi ocſionem cavillandi , furioſis conviciis libellum edidit Theutonicum, cui titulus. *Duo Cæſarea mandata , diſcordia, & contraria ad Lutherum ſpectantia.* Intus reſcripſit edictum Vvormacienſe, ac Mandatum Norimbergenſe . *In præfatione* inquit . *Hæc duo Imperialia mandata imprimi curavi , ex magnâ compaſſione ſuper nos miſeros Germanos ; ſed fortè Deus per hoc Principes quoſdam, & alios tangere dignetur, ut palpare,ac ſentire poſſint (non enim opus eſt videre, porci, & aſini videre poſſent) quàm cacè , ac obſtinatè agant . Turpe quidem eſt Cæſarẽ,& Principes manifeſtè mẽdaciis niti: at turpius eſt,eos ſimul, ac ſemel contraria edere mãdata, ſicut hic vides , ubi præcipitur , ut mecum agatur iuxtà edictum Vvormacienſe : contrarium nihilominùs mandatum recipiatur , ut in futuro conventu Spirenſi primum tractetur, quidnam boni,& mali ſit in doctrinâ meâ . Hos certè oportet eſſe ebrios, ac veſanos Principes .* Et infra.*Boni Principes, & Domini vos nimium feſtinatis mecum, homine paupere,& unico ad mortem: & ubi hoc factum fuerit,iam viciſtis . Deus dedit mihi, ut video negocium non cum rationalibus hominibus , ſed Germanicæ beſtiæ debent me occidere, ſi dignus ſim , perinde ac ſi lupi,aut porci me dilaniarent.* In fine autem . *Oro omnes pios Chriſtianos , dignentur ſimul precari Deum pro eiuſmodi miſeris , & excæcatis Principibus , quibus nos Deus tribulavit in magnâ proculdubio irâ : Ne ſequamur eos ad contribuendum in Turcas. Quandoquidem Turca decies,& prudentior,& probior eſt Principibus noſtris. Quid huiuſmodi fatuis contrà Turcam proſpere ſuccedat, qui Deum tam altè tentant, & blaſphemant, Hic enim vides, ut miſer mortalis vermium , ſeu tarniorum ſaccus, Imperator, qui vitæ ſuæ nec uno ictu oculi certus eſt, impudenter iactitat verum, & ſupremum Catholicæ fidei defenſorem.* Et infra. *De his conqueror ex imo corde cunctis probis Chriſtianis,ut mecũ commiſereantur ſuper eiuſmodi ſtolidos,fatuos,inſanos, furioſos,& amentes moriones; Aliquis decies potiùs mortuus eſſe deberet,quã tales blaſphemias, & contumelias Divinæ Maieſtatis audire.Immò promeritum eſt præmium,quòd perſequuntur verbum Dei: ideo debent ſic palpabili cæcitate puniri, ac impingi . Deus nos ab ipſis liberet, alioſquè nobis ex gra-*

Lutherus ſcribit in Principes.

Turcã tuetur.

tiâ

tra des Regentes Amen. Hæc fuit irati Lutheri concluſio. Luthetanis autem non adeò diſplicebat decretũ ſperantibus, ubi res in examen deduceretur, Catholicis ſcripturà, diſputationibus ſe prævalituros eſſet. Hinc operoſa ſcriptutientium Apoſtatarũ diligẽtia ſuas iactabat lucubrationes, per quas vincendi eſſent Papiſtę. Quingentos articulos, *Io: Cochlæus* ex 36. ſermonibus Lutheri exceptos confutavit; ut brevi opuſculo, Principibus oſtenderet, quanta foret articulorũ ſylva damnabilis, ſi ex omnibus Lutheri ſcriptis, rigido examine, in unum colligerentur volumen. Imperator vero *Carolus V.* in Hiſpaniis tunc degens, ubi accepiſſet Decreti Norimbergenſis exemplar, maturè ut præcaveret ruinæ imminenti, reſcripſit Principibus epiſtolam longam, ſed acerrimam, quà non modò decreti formam reiecit, ſed & conventum Spiræ habendum prohibuit ſub crimine læſæ Maieſtatis. Decretum namquè Vvormacienſe ex communi Principum conſenſu ea tantùm credi mandaverat, quæ Pontifex ipſe in dubium revocare non præſumeret. Vndè non ſine infamià Nationis Germanicæ poſſent iterum iam decreta novo tentari examine. Vel iuſtas dicerent Lutheri querelas accuſantis contradictoria eſſe decreta. Si enim Vvormaciæ Lutherus tanquàm hæreticus proſcribitur: quomodò poſteà Norimbergæ eius doctrina examinari mandatur? Damnatur ergo antequã inquiſitus. Occaſione huius edicti, diviſi ſunt Principes.

Dieta Ratiſponæ.

Catholici convenere Ratiſponæ, natali die S. Io: Baptiſtæ nempè Campegius Cardinalis Legatus, cum Archiduce Ferdinãdo, Matthæus Cardinal. Saltzburgenſis, Duces utriuſq. Bavariæ, Bernardus Ep. Tridentin. Io: Adminiſtrator Eccl. Ratiſpon. Palatinus Rheni Natalius, &c. Per Oratores comparuerunt Epiſcopi Bambergenſis, Spirenſis, Argentinenſis, Auguſtaous, Conſtaotienſis, Baſileenſis, Friſingenſis, Brixinenſis, Adminiſtrator Pataviẽnſis, qui omnes ſeriò coeuntes pro zelo fidei Catholicæ, priuſquàm decretum conciperetur Cæſareum, decreverunt unanimes,

Decretum in Lutheranos.

obediendum eſſe edicto Vvormacienſi. Evangelii interpretatio fieret iuxtà communem doctrinam Sanctorum Patrum. Concionatores priùs adprobarẽtur ab Ordinario loci. In Sacratiſſimà Miſſà, Sacramentorum adminiſtratione, ieiuniis, orationibus, oblationibus, cæteriſquè ritibus antiquis nihil mutaretur. Sacerdotum, Monachorum illicita prohiberentur coniugia. Typographi nihil excuderent, priuſquam eſſet ritè examinatum. Filii Subditorum ſuorum qui Vittembergæ literis operam dabant, intra tres Menſes revocarentur, nec eò redirent ſtudiorum gratià, ſub pœnà amittendi hæreditatem; immò incapaces eſſent Eccleſiaſtici beneficii, & magiſterii. Lutheranus ab uno Principum proſcriptus, ab omnibus cenſeretur proſcriptus. Si quis Principum à ſubditis ſuis rebellionem pateretur, reliqui ei forent conſilio, & auxilio.

Reformatio Cleri Germani.

Legatus Apoſtolicus cum intelligeret laicos offendi perditis Clericorum moribus, habito examine plura reformavit, plaudentibus Principibus: qui tamen inſtare non ceſſabant, ut tollerentur centum gravamina, quæ adverſùs Curiam Romanam Natio Germana protulerat. Augebat diſſidia indignatio Lutheranorũ Principum in Catholicos, quia ſoli conveniſſent legem daturi, quæ ad comitia ſpectabat univerſalia. Ferdinandus autem Auſtrius, Vicarius Cæſaris cũ Viennam ſecundo flumine defluxiſſet unà cũ Legato Apoſtolico, duos Lutheranos *Iacobũ Peregrinũ* presbyterũ Patavien. Diœceſis, & *Carparum Tauberum* civem Viennenſem damnavit, pœnitentibus veniam dedit: Tauberum iterum relapſum capitali affecit ſupplicio, ut unius pœna eſſet omnibus in exemplum.

Lutheri querelus in Mercatores.

Lutherus verò ut plebem ſibi conciliaret, Principibuſquè inſenſam redderet, libellum ſcripſit *De Negociatione, & Vſurà*, recenſens gravamina à nimià Mercatorum avaritià, ut plebi videretur conſulere, cum plebem egenam fortiùs in Principes concitaret tanquàm furum ſocios, & iniquitatis participes.

In Principes.

Reges (inquit Lutherus) *& Principes deberent hic attendere, & ſecundum ius ſtrictum talia prohibere. Sed audio eos habere ibi, & caput, & partem. Vnde evenit iuxta Eſaiam c. 1. Principes tui facti ſunt ſocii furum. Fures, qui florenum unum, aut dimidium furati fuerint, ſuſpendunt, & negotiantur cum illis, qui totum Mundum ſpoliant, & plus furantur, quàm omnes alii: ut verbum illud permaneat verum. Magni fures parvos fures ſuſpendunt. Et ſicut Romanus Senator Cato dicebat: Privati fures iacent in turribus, & carceribus: Publici verò fures incedunt in auro, & ſerico* &c.

Laudat Monialẽ profugam

Eodem Anno cum in oppido Comitum à *Manſfelt* (cui nomen *Iſleben*) quædam monialis Florentina Luthetano infecta fermento, diceret publicè ſe nolle diutiùs in monaſterio degere; monita primùm per Abbatiſſam, indè carceri tradita, ſe proripuiſſet ad Lutherum, laudavit iſte apoſtaſiam, quòd Deus mirabiliter illam eripuiſſet è faucibus Diaboli.

Ruſticana ſeditio, auctore Muntzero.

4. *Muntzerus* Sacerdos apoſtata, Lutheri ſatelles Anabaptiſtæ ſectæ auctor baptiſmum puerorum oblatrãs diabolicũ eſſe commentũ à mille & quadringentis Annis cum ullum negaret fuiſſe Chriſtianum, illi repugnaotes contrucidari, eorumquè bona expilari iubebat. Ita Germania monſtro tricipite, Lutheri, Muntzeri, Carolſtadii dilaniabatur; ut iam præluſerant tres Soles cruentis transfixi gladiis, qui Anno ineunte 1522. in pluribus apparuere Germaniæ locis:

Cœli præludia de hæreſibus.

Hiſtoria M. S. Hermanni de Kerſenbroch. Impietati color erat, *ad ſeveriorem vitæ diſciplinam, corruptos licentià homines revocare. Reos primum agebant Principes, quorum tyrannide oppreſſi ruſtici, more boum non ſibi, ſed aliis aratra ferrent. Revocanda propterea in Orbem antiqua Chriſtianorum tempora, quandò opibus ad communem uſum collatis, neq. quiſquam ad luxum abundabat, nequè vili egeſtate fatigabat.* Hæc primum ipſi aperuit Luthero Vvittembergæ, quæ cum iſte non probaret, aliò converſus, Pragam Bohemiæ tentavit ſed in caſſum. Inde eiectus, venit Gutterbach oppidum Marchiæ, Zuiccaviam Electoris Saxoniæ, Hallam in alpibus Tyrolenſibus, ſed undiquè expulſus Turingiæ tandem populos in omnem traxit calamitatem. Muntzerum cum pſeudoprophetam, arborem ex fructibus cognoſcendam Lutherus diceret: Mulhuſienſes præmonuit, quibus eum convincerent argumentis.

Lutherus miracula exigit à Muntzero.

Si ſeipſum ingerat (aiebat) *ad docendi miniſterium, vocandum à Senatu etiam præſente populo, ſi fieri poſſit, & quærendum à quo miſſus ſit, aut vocatus ad docendum: ſi reſpondeat à Deo, eiuſquè ſpiritu; probet hoc ipſum editis ſignis, atquè miraculis. Deum enim, quotieſcumquè mutare vult ordinariam agendi rationem, ſemper opus illud adiunctis miraculis confirmare.* Hæc ſi ab eo poſtulemus, & ab aliis hæreſiarchis, quæ ipſe à Muntzero, facilè redarguuntur.

Muntzeri hyppocriſis.

Eà autem hyppocriſi (teſte Meshovio) *Muntzerus ruſticos decipiebat, ut ſi*

qui ipſum convenirent, raptus quaſi, & mente in Cœlum defixas hærebat, neminem ſe conſpicari ſimulans, quouſq. ſibi conſultam videbatur: ac tum demum, ubi longius aliquando detentos autumaret, ex alto velut ſomno, & extaſi ad ſe reverſus fortaſsè rectus ſtabat, & ad ſe in colloquium præſentes admittebat: quo dolo plurimos circumvenit divinarum rerum viſionibus intentum arbitratos. Tantus propheta, cum Cygneæ ageret, referens ſe à Deo illuc miſſum, puellæ pulchritudine captus, fingebat non poſſe prædicare verbum Dei, niſi illam carnaliter cognoſceret; Pari fraude viduam decepit, quæ cum pro conſilio gravi convenerat. Scortationes innocens ludi genus, & adulteria opera eſſe miſericordiæ ſentiebat cum Carpocrate. Fiebant hæc Anno 1525. quartà hebdomadà Paſchæ, quo tempore obiit Saxoniæ Dux *Fridericus* Elector, cuius metu ſolutus Lutherus, cucullam monaſticam, & nomen proiecit *Reverendi Patris*, titulo aſſumpto *Doctoris*, quem retinuit uſquè ad mortem. *Doctor Martinus Lutherus.* Ita ſubſcribebat. Svevi ab eo corrupti, omnium primi ſuſtulere vexilla vim minantes, ni à Magiſtratu *libertatem Chriſtianis ab Evangelio indultam, & onera ſervitutis mitiganda conſequerentur. Decimas frumentarias nonniſi in pauperes, & ſacerdotes erogari; Silvas, feras, piſces, flumina non privatorum libidini ſed publico uſui ſervire cupiebant. Legum multitudinem coercendam, ne leges (ut plerumquè fit) ſinè lege adminiſtrentur. Miniſtrorum Eccleſiæ delectus vulgo detur, ne auctoritas indignis pateat; deniquè nullo teneantur vinculo, quod ſcripturis ſanctis reperiatur adverſum.* Georgius Dux Saxoniæ tãtorum malorum certior factus, in facinoroſas turbas collecto milite, unà cum fœderatis Principibus Philippo Haſſię Lantgravio, Henrico Duce Brunſuicenſi, Electoribus Moguntino, & Brandeburgenſi, Erneſto Badenſi, rebelles ſtrage tam luctuosà percuſſit, vt (*Muntzero* capto quem pœnitentem vltimo dedere ſupplicio) perduellium centum, & quadraginta millia ceciderint. Lutherus vbi iſta accepiſſet, libellum edidit Teuthonicum, cui titulus: *Terribile factum, & iudicium Dei in Thomam Muntzerum, quo Deus manifeſtè illius ſpiritum mendacii arguit, ac damnat.*

Muntzeri exitus.

Eruperat etiam in apertas inimicitias diſſimulata æmulatio inter Lutherum, & Carolſtadium. Quorum iſte aliquid, ille totum eſſe volebat. Vterquè vanæ gloriæ cupidus ex æquo. Præſtabat ingenio, facundia, ſtylo Lutherus. Carolſtadius rude ingenium, quaſi ſaxum labore ita expoliverat, vt eidem Luthero magnus videretur Theologus. Priuſquàm adverſarentur: tanti eum fecere Vvirtembergenſes, vt eius ſacrilegas nuptias (primus namquè Sacerdotum fuit, qui votum fœdaret caſtitatis) eà celebritate promoverint, vt loco Miſſæ ſacratiſſimæ aliam confingerent, & in ea *Beatum* dicerent. Huius Miſſæ Introitus erat. *Dixit Dominus Deus, non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciumus ei adiutorium ſimile ſui.*

Inimicitię Lutheri in Carolſtadium

Miſſa in nuptiis Carolſtadii.

Verſus.

Adhærebit homo uxori ſuæ: & erunt duo in carne unà.

Oratio.

Deus qui poſt tam longam, & impiam ſacerdotum tuorum cæcitatem, Beatum Andream Carolſtadium eà gratià donare dignatus es, ut primus nullà habità Papiſtici iuris ratione, uxorem ducere auſus fuerit: da quæſumus, ut omnes ſacerdotes, receptà ſanà mente, eius veſtigia ſequentes, eiectis concubinis, aut eiſdem ductis, ad legitimi thori conſortium convertantur. Per Dominum N. I. C. &c.

Beatus dicitur

Sequentia.

Deus in tuà virtute Andreas Carolſtadius gaudet, & lætatur thalamo copulatus.

Piſcatio Epiſcopi, ipſe primũ factus piſcator eſt uxorũ.

Sacerdotes * Pornolatras *diu ad normam reduxit matrimonii.*

Is legibus ius Romanum *tuis Deus victor ſtrenuus ſubiugavit.*

Conſilium Pauli *tui ſequens, & tam bonum ſe oſtentans coniugem.*

Mirantibus invitiſquè Papiſtis, uxorem quæſitam ædibus nuper ſuis intulit.

Atquè magno decore ſacerdos inſcripſit titulos coniugatus Domine.

Illum ſacerdotem verè tuum credimus -

Chriſti filii tui atquè fraterculum.

Nos ergo concubinis noſtris gravati te Deus poſcimus,

Vt illius, qui patres noſtros ſectatus ãtiquos tibi placet:

Nos imitatione gaudeamus in æternũ. Itẽ ſecreta ſic.

Sacrificium noſtrum quæſumus Domine benignus ſuſcipiat, ut quod tuæ Maieſtati in Andreæ Carolſtadii nuptialibus primitiis devotè offerimus, eius efficacià à cunctis ſcortationis defendamur periculis. Per D. N.

Propoſa de Andrea Carolſtadio.

* Fornicatores.

Poſtremo Complenda ſic.

Sint nobis Domine auxilio ſumpti Sacramenti myſteriu, & ſicut Andreæ Carolſtadii connubiali celebritate lætamur: Ita fac quæſumus, ſacerdotum coniugia toto orbe fœliciter auſpicentur, fœliciùs ſuccedant, & quàm fœliciſſimè finiantur. Per Dominum noſtrũ Ieſũ, &c.

Celebratę ſunt nuptiæ more Germano, ebriis omnibus, & ſaginatis veteris Aſinæ carnibus quam feriæ loco ſcabioſam è molendino mactari iuſſerat vicinus dynaſta (ita Cochlæus p. 127. partibus diſſectis, ac vaſi incluſis, donec aures, & ungulę aſini in medio vaſis, reperirentur. Abſente porrò in conſictà Pathmo *Luthero*, *Carolſtadius* Vvittembergę nitebatur re exequi quęcumquè verbo docebat Lutherus, ſæviendo adversùs Sanctorum imagines, in priſcum Miſſę ritum, cœpit æmulatione, & invidià fatigare Lutherum, à quo publicè pro concione in populi conſpectu redargutus cum eſſet facundià impar, confuſus, & abiectus iniuriam altà mente reponẽs Orlamũdã receſſit, quia Vvirtẽbergę, obſtãte Luthero nõ poſſet opiniones ſuas vulgo communicare. Nactus ibi ex favore populi, ſcribendi libertatem, apertè Lutherum reprehendit non ſolùm de Miſsà, & Imaginibus, ſed etiam de Sacramento Euchariſtico. Id ægrè ferens Lutherus, domi per Vniverſitatem in aulà Principis per *Georgium Spalatinum* à ſecretis ſatagebat, Vvittembergam revocari Carolſtadium, qui ex iuramento præſtito Vniverſitati, prædicaret Lutheri Evangelium. Cum autem à populo excuſaretur; miſſus ipſe *Lutherus* qui populos averteret à *Carolſtadio*, ſed in caſſum plebe reſiſtente. Provocatum tunc ad iuniorem Principem *Io: Fridericum*, nepotẽ Electoris ex fratre (ſucceſſit iſte in hęreditatem Hæreſis & Electoratus) à quò proſcriptus miſerrimè cum infeliciſſimà & illegitimà coniuge inter ſeditioſos Franconiæ ruſticos vagus, cum peſſimè audiret, tanquàm auctor ſeditionis ruſticanę, eo miſeriæ cecidit, ut inimici ſui infenſiſſimi Lutheri opem implora-

Illuditur carne Aſinina.

Reprehẽditur à Luthero.

Miſeria

rare coactus fuerit. Hic aucupandæ gloriæ occaſionem nactus, ut verbo & facto maximè Evangelicus videretur, admiſſis precibus eius excuſationem evulgavit, præfatione adiectâ, in quâ gloriabatur ſe ad exemplū Chriſti, ſuo inſervire inimico. Vvirtembergam reverſus, cum præpudore conſpectum hominum, apud quos antea opibus, dignitatibus, dignitate floruiſset, ferre non poſset, ſeceſsit inglorius in oppidum proximum, ubi aliquandiù vitam miſerrimè ſuſtinuit, factus ex Theologiæ doctore, & Archidiacono Vvirtembergenſi, agricola miſer & ruſticus indoctus, cum duobus equis aratro non aſsuetis, ſi unus ſtabat, alter procedebat, ut cunctis riſui, atq; etiam commiſerationi eſset arator vicinis: ſic uxor eius meritò miſerabilis, ut quæ ex nobili familiâ orta, ac nobiliter educata, peſſimo exemplo & infelici nupſiſset auſpicio, ſacerdoti, homini ignobili, & alienigenę, tot deindè modis infami, proſcripto, inopi, & abiecto, per quem nec ruſtico, aut cibario pane ſaciari poſset: poſtquàm in nuptiis *Beatum* dixiſsēt Vvirtembergēſes. Tot inter calamitates, quibus ſaucia Germania ex ruſticâ ſeditione cruentata iacebat; ſolus *Lutherus* quamvis tantorum vulnerum occaſio eſset, origo, & cauſa, de communis patrię malis exultare, & de occiſis ruſticis triumphare, ac Principis ſui morte lætari videretur. Poſtquam enim ruſtici occiſi eſsent ſupra centum ac triginta millia, mortuus eſset *Fidericus* Elector Saxoniæ, tota Germania in luctu, confuſione, & mærore conficeretur: ipſe omnia diſsimulans, Monialem in uxorem duxit, ac publicè lætas celebravit nuptias, inceſtu, ac votifragio ſacrilegas cum *Cattarinâ de Bore*, quæ ante duos annos cum aliis octo virginibus ſacris, die Veneris Sancti, è clauſtro confugerant in poſtribulum, Luthero encomiaſte, qui raptorem felicem dixit *Leonardum Koppenium*: & quidem opportuniſſimo tēpore in Paſchate, quo Chriſtus per mortem ſuam captivam duxit captivitatem.

Lutheri nuptiæ.

Zuinglii hæreſis.

5. *Zuinglius* etiam inter Helvetios perſecutione non minori Clerum agitabat, tribus pagis (vulgo *Cantones* dicunt) veneno infectis Lutherano, qui inſtigante *Zuinglio*, ſpretis *Clementis* Papę monitis palàm ad impietatem deſciverāt, ſeggregati ab aliis decem Helvetiorum tribubus. *Zuinglius* enim (teſte Surio in comment.) *non contentus à Luthero Lutheranus dici, ſed ipſe potius de ſuo nomine ſectam auſpicari cupiens, nō ſolùm Catholicos Tranſubſtantiationis aſſertores, ſed etiam Lutherum ipſum unà cum pane & vino verum Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtiâ haberi dicentem oppugnare cæpit. Hoc quidem peſſimè Lutherum habuit, & hæc res occaſionem præbuit atrociſſimæ illi inter Lutheranos, & Zuinglianos digladiationi, quæ in hunc uſquè diem componi non poteſt. Rectè hoc permiſit ſapiens, & bonus Deus, ut à proprio diſcipulo comprimeretur Lutheri arrogantia, & mortales omnes intelligerent, rectiſſimè dixiſſe D. Hieronymum, ſcripturas non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtere. Vtrinquè enim ſcripturas proferunt; & nihilominùs alii aliis cedere nolunt, & utriquè pravâ D. ſcripturæ interpretatione, ſe & ſuos miſerabiliter perdunt, cum utroſquè rectè iam olim damnarit, hodiequè damnet fides Catholica, quâ certiſſimè credimus in Euchariſtiâ ſub ſpeciebus panis, & vini, Chriſti corpus & ſanguinem ſubſtantialiter contineri, etiam extra ſumptionem; cum hoc ſacramentum non niſi Omnipotenti Chriſti Ieſu ſermone conficiatur.* Eius miſerabilem cædem habes infrà *n. 9.*

Oecolāpadii apoſtaſia.

6. *Oecolampadius* etiā S. Brigidæ ſacerdos & monachus Apoſtata, unus ex eis, qui ad Catholicos opprimendos incitavit *Franciſcum Sickingium*, poſtquàm piâ, ac catholicâ concione veritatem Sacramenti Euchariſtici populum docuiſſet (ut iure eum redarguit Io: Fiſcherus Ep. Roffenſis *lib. de Euchar.*) quam etiam imprimi curavit. Immò tantis eum donis cæleſtibus Deus excitaſſet, ut ad capeſcendam Religionis ſolitudinem provexiſſet: poſtea inſtigante Sathanâ, ſæculo reſtitutus, ac dogmate infectus Lutherano, ut magiſtri ſuperaret impietatem, peſtiferum dogma vulgavit contra veritatem Euchariſticam. *Lutherus* enim in quadam epiſtolâ ad Argentinenſes apertiſſimè ſequentia ſcribit. *Hoc diffiteri nec volo, nec poſſum: quod ſi Caroloſtadius, aut alius quiſpiā antè quinquennium mihi perſuadere potuiſſet, in ſacramento præter panem & vinum, eſſe nihil, ille magno beneficio me ſibi devinctum reddidiſſet: gravibus enim curis anxius in hac excutiendâ materiâ multum deſudabam, omnibus nervis obtenſis me extricare, & expedire conatus ſum, cum probè perſpiciebā hac re Papatui cū primis me valdè incomodare poſſe.* Oh invicta patiētia Dei; hominem ſuſtinere, qui ex ſolo odio adversùs Pontificē, verū Chriſti corpus neget eſſe in Euchariſtiâ! Porrò quia videret apertiſſimè obſiſtere Evangeliū, à conatu deſiſtens, ſubiungit. *Verum ego me captum video, nullâ elabendi viâ relictâ: textus enim Evangelij nimis apertus eſt & potens, qui facile convelli non poteſt, multo minus verbis, aut gloſſis è capite vertiginoſo confictis ſubverti.* Non propterea rectè Lutherus credidit, quæ Catholica docet Eccleſia. Pertinaciter namquè affirmat, manere & eſſe etiam in ſacramento altaris, veram panis, & vini ſubſtantiam: quæ ſi vera eſſet; non fieret *Tranſubſtantiatio*, ſed *Impanatio*: Cum tamen dicat Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Nec dicit: *Hic panis eſt corpus meum: Hoc vinum eſt ſanguis meus.* Si enim ita voluiſſet, dixiſſet utiquè & facere potuiſſet. Omnia enim ſicut voluit, ita fecit. Hęc tamen mens non intelligebat corrupta Eccleſiarum ſpolio, & Virginum raptu. De obitu miſerabili *Oecolampadii* habes *n. 9.* Vſq. in Septentrionem *Lutherus* irrepſerat Danis, Svecis ſubverſis, atquè Norvegis. Danorum caſus qualis fuerit ſubnectam.

Contra Euchariſtiam.

Hęreſis Lutheri ob odiū in Papam

Veritas de Euchariſtiâ.

Dani, & Sveci mutant Regem, & Religionem.

7. *Dani.* Chriſtiernus Rex Daniæ, iure credens hæreditario regnum ſibi convenire Svecorum, Anno 1518. Stocholmiam venit, vt armis expugnaret; ſed fortiter à *Stenone* Principe repulſus, fame periiſſet, niſi huius miſericordiâ, cibis adiutus eſſet. Cui tamen Rex ingratus ſimul, & ignavus (vitia quę ut plurimum copulantur) ſtructis inſidiis, cum Stocholmiam venire diceret pro fœdere exarando, arreptos obſides primogenitos nobilitatis (inter quos *Guſtavus Erixon* ex regio prognatus ſanguine) vinculis tradidit, in Daniam rediens. Anno ſequenti reparatâ claſſe, dum *Steno* Svecorum gubernator in pugnâ glaciali, ex vulnere occumbit; *Chriſtiernus* repetitis inſidiis, Stocholmiæ à proditoribus coronatur. Dum autem crudeliter ſęvire parat in eos, à quibus repulſam paſſus erat: An Sal. 1520. electus gubernator *Guſtavus Erixonius*, qui ex vinculis Danicis effugerat, eiectis Danis humanitate conſequitur, quod crudelitate perdiderat *Chriſtiernus*. Dani namquè

què timentes, ne ſortè in eos eadem crudelitate ſævitet, quà in Suecos, *Fridericum* Holſatiæ Ducem in Regem coronarūt, pulſo *Chriſtierno*, tandem capto, & carcere abſumpto, mutato civili regimine, eſt etiã mutata Religio, quam more Romano colebãt Sveci. Cum enim *Leo* X. Angelum ArcimboldumLegatum miſiſſet ad Svecos, plenariam offerens indulgentiam eis, qui manum porrigerẽt adiutricem pro fabricà S. Petri, eà liberalitate contribuere Sveci, vt decies cẽtena millia florenorum Romã Legatus aſportaverit. Tantum theſaurum, miſſis Oratoribus conatus eſt poſtea repetere Rex Daniæ *Chriſtiernus II.* Evanuit tamen illa Legatio; dum Barbarus à Romanis aurum quęreret, quod ab omnibus nationibus loco obedientię, ſubiectionis in vrbem afferri conſuevit. Hæreſis autem quomodò irrepſerit Lutherana? tradit Olaus Magnus *de Vitis Pontif. p.* 117. quòd *Olaus Petri Strengenen.* ordine diaconus, cum Virtembergæ impietatem imbibiſſet Lutheranam, domum reverſus, Laurẽtium Andrææ presbyterum, & Archidiaconum Eccleſiæ Strengenen. virum quidem ſpecie, & formà magis, quàm virtute religioſum, ſed glorię, & novitatis improbè cupidum, irà percitum, quòd nuper in defuncti Antiſtitis locum non fuiſſet electus, ſortitus diſcipulum, eoq. interprete, intimus & familiaris factus ei, qui *Guſtavo* Regi à ſecretis erat, facilem poſteà ad ipſum Regem habuerunt ingreſſum, qui ære obrutus alieno ob bella tranſacta, aurum quęrebat. Grandem iſti obtulere theſaurum, dummodò aurem præberet Lutheri Evangelio. Admiſsà namq. reformatione, bona quę in Svecià poſſidebant Eccleſiaſtici, ad Regem reverterentur, quibus Palatinos ditare poſſet, ac regnum. Facile aſſenſit Guſtavus, vt auro eccleſiæ ſe redimeret ab ære alieno, datà libertate prædicandi Reformationem Lutheranam, eoq. voto *Ioannem Magnum* Legatum Apoſtolicum deſignatum ab Hadriano VI. in causà cędis ſacrilegæ *Vincentii Epiſcopi Scaren.* & *Matthiæ Epiſcopi Strengenen.* (quos Rex Chriſtiernus occidi mandaverat, ſãguinariis ſubſtitutis in locum occiſorum) coegit Archiepiſcopatum ſubire Vpſalenſem datà regià fide, quòd eidem Eccleſiæ non ſolùm bona reſtitueret ablata, ſed nova adderet, & ſanguinem profunderet, pro ipſius Legati ſalute; vt plaudente Archiepiſcopo, & Legato Apoſtolico, Concilium congregaretur Epiſcoporum, à quo Lutherana ſuſciperetur Reformatio. Ea tamen fuit Ioannis Magni Religio, atq. conſtãtia, vt nec minis, neq. iniuriis flecti voluerit, ſed Romam profugus, deſertà patrià, & bonis avitis, maluerit mori in conſpectu Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Sic pacificè Lutherus intra quadrienniũ totam Sveciam pervaſit, facilè conſentientibus nobilibus, quos Rex vocavit in partem ſpolii. Mutatio non diſſimilis Danis contigit, quorum novus Rex *Fridericus* electoribus ſuis vt gratum faceret, rependit libertate peccandi. *Chytræus l.* 10. *Saxon.*

[Margin: Sveci fiunt Lutherani.]

Circa idem tempus Reſpublica Monaſterienſis in Vueſtphalià, quæ Eccleſiaſticorum ſalutari doctrinà & vitæ ſanctimonià, ſeuatus prudentià, & pià imitatione, in eà religione, quam S. *Saibertus* primum docuit, & *Carolus* Magnus confirmavit, Deo propitio ita perſeveraverat, vt nullam novationem ab eo tempore admiſerit; donec Anno 1517. quorundam doctrina bona opera damnantium, & cœremonias Eccleſiaſticas reiicientium per Germaniam gliſcere, & civitates propemodum omnes paulatim pervadere cępit: In huius etiam Reipublicæ quatuor parecias clanculùm irrepſit, quæ auram captans popularem, & clerum rapiens in invidiam plebis levi primum flatu ſcintillas à quibuſdam novatoribus conceptas ſuſcitavit, quæ cum latiùs, nemine reſtringente ſerperet, multos quoquè infimæ ſortis homines celeriter corripuit. Diſcrimine non minori languebant Bohemia propter Callixtinos qui ab Eccleſia Romanà, tantũmodò de uſu Calicis diſſidebant: & Hollandia propter Pighardos, qui in omne libidinum genus effuſi, *Adamitæ* nuncupabantur.

[Margin: Monaſteriẽſes fiunt Luthe. rani.] [Margin: Sal An. 1524.] [Margin: Hæretici Callixtini.]

8. *Pruſſi.* Illecebris carnis vinctus *Albertus* Cruciferorum equitum Magiſter in Pruſſià, Brandeburgẽſis familiæ Princeps, à Catholicà Religione deſciſcens, Anno Sal. 1525 ordinem extinxit Cruciferorum, acceptà Pruſcà ducali, ſeu Orientali in hæreditatem (cuius caput Regio-Mons) ab avunculo ſuo *Sigiſmundo* Rege Polonię, cum quo atrox illi bellũ interceſſerat, quia præter Cęſarem, nullum ſupremũ profiteretur agnoſcere. Anno verò ſequenti *Dorotheam* Regis Daniæ filiam in uxorem duxit, violato caſtitatis voto. Proceres Ordinis tanta excitati perfidià *Vualterum Croneburgum* ei ſubſtituerunt: Cæſar autem Albertum proſcripſit. Huius exemplo, tentavit Lutherus *Albertum Cardinalem Brandeburgenſem, Archiepiſcopum Moguntinum, & Magdeburgenſem*, ut in Principatus ſæculares commutatis Archiepiſcopatibus, uxorem duceret; ſecurus, quod multos homines lucraretur, alioſquè Epiſcopos ſubſequenter alliceret. *Celſitudini veſtræ*, (ita arguebat Lutherus) id *ſolum ſufficiat, quòd à Deo mas creatus ſit*. Oh inſipida argutio! Nonne mas fuit Elias, Eliſæus, Io. Baptiſta, S. Paulus, Chriſtus Ieſus? An contrà Dei præceptũ commiſerunt, quia fœminas non cognoverunt? Epiſtolam hanc adeò contempſit Albertus; ut Lutherus dixerit indignabundus: *Roma inſtitutus Albertus, doctrinæ noſtræ incapax tacet.* Sollicitavit etiam Brabantinos, Hollandos, Sabaudos, Georgium Ducem Saxonię, cui fortis, pius, ſemper conſtans eà gravitate reſpondit, quam Principem decet Catholicum; Cochlæus *pag.* 149.

[Margin: Pruſſi fiunt Lutherani Ann. 1525.] [Margin: Lutherus tentat Albertum Brandeburgen.]

Novum Lutheri teſtamentum cum duo Angli Apoſtatæ Virtembergæ Britanno expoſuiſſent idiomate; & tria millia exemplaria expreſſiſſent typographi, quæ ſpecie mercimonii clàm ſubueherentur ad Anglos, tantà fiducià, ut geſtientes Lutherani præ lætitià, ad excubias Catholicos excitaverint. Opuſculum etiam vulgarunt *Ruperti*, qui antè Annos vixerat 400. cui titulus, *de victorià Verbi Dei*, quaſi hoc ſolo titulo dogmata omnia comprobarent. Duo alia cum inueniſſent opuſcula *de Potentià* unum, *de Voluntate Dei* alterum, in eorum editione plura Luthericè appoſuit *Oſiander* presbyter uxoratus, quibus auctorem pium, impię ſectæ patronum, & ex antiquo Catholico novum faceret hæreticum. Dum hæc agerentur; Lutheri epiſtola Die 1. Septemb. Anno ſcripta ſuperiore pervenit ad Regem Angliæ *Quanquàm vereri merito debuerim, Sereniſſime Rex Illuſtriſſimequè Princeps, literis Maieſtatem tuam tentare, ut qui mihi conſcius maxime ſum, graviſſimè offenſam eſſe Maieſtatem tuam libello meo, quem non meo genio, ſed incitantibus iis, qui Maieſtati tuæ parum favebant,*

[Margin: Hæreticorũ inſidiæ.]

Epiſt. Lutheri ad Regem Angliæ deprecatoria.

bant, ſtultus & præceps edidi. Tamen ſpem, & auſum mihi facit, non modo Regia illa tua Clementia, ſic mihi literis, & verbis in dies cantata à quam plurimis, vt cum mortalē ſe ſe noverit, & mortales inimicitias ſervaturum eſſe non credam: Verum etiam, quòd fide dignis teſtibus didici, libellum ſub Maieſtatis tuę nomine in me editum, non eſſe Regis Angliæ, vt videri volebant ſubdoli Sophiſtæ, qui Maieſtatis tuæ titulo abuſi, non ſenſerunt, quantum ſibi ipſis periculum in regià ignominià pararent: præſertim illud monſtrum, & publicum odium Dei, & hominum, Cardinalis Eboracenſis, peſtis illa Regni tui: Ita, vt vehementer nunc pudefactus, metuam oculos coram Maieſtate tuà levare, qui paſſus ſum levitate iſtà me moveri in talem, tantumquè Regem, per malignos illos operarios, præſertim, cum ſim fex, & vermis, quem ſolo contemptu oportuit victum, aut neglectum eſſe. Accidit ad hæc, quòd me ſerio compulit, quantumvis abiectum ſcribere, Maieſtatem tuam cæpiſſe favere Evangelio, & B non parum tædere iſtius generis hominum perditorum. Hoc ſane nuncium fuit vere Evangelion, id eſt, lætum nuncium, cordi meo. Quare his literis proſterno me pedibus Maieſtatis tuæ, quantum poſſum humillimè, & per Chriſti crucem, & gloriam oro, & obſecro, Maieſtas tua dignetur ſeſe ſubmittere, & veniam donare, in quibuſcumquè Maieſtatem tuam læſi, ſicut Chriſtus oravit, & dimittere debita nos quoquè invicem iuſſit. Deinde ſi Maieſtati tuæ Sereniſſimæ non videbitur contemnendum ut alio libello publico Palinodiam cantem, & nomen Maieſtatis tuę rurſus honorem: det mihi clementem aliquam ſignificationem. Tum in mora non erit ulla, faciam illud libentiſſime, &c. Rurſus ſub finem ſic ait. Quid mirum verò, ſi Cæſar, & aliquot Principes in me ſæviunt? Nonne, vt Pſalmus ſecundus dicit, adversùs Dominum & Chriſtum ſuum fremunt gentes: meditantur populi, conſpirant reges terrę, & conveniunt Principes? vt mirandum potius ſit, ſi aliquis Principū, ac regū Evāgelio faveat. Huic miraculo in Maieſtate tuà, quam opto ex totis medullis aliquando gratulari. Et ipſe dominus (quo præſente, & volente hæc ſcribo) cooperetur verbis meis, ut Rex Angliæ brevi fiat perfectus diſcipulus Chriſti, Evangeliique profeſſor, tum Lutheri Clementiſſimus Dominus, Amen. Reſponſum, ſi viſum fuerit Maieſtati tuæ, expecto clemens, & benignum, Vuirtembergę primà Septembris An. Domini M. D. XXV.

Offert Regi Palinodiam canere.

Reſponſio Regis Angliæ cōtrà Lutherum

Cui Rex ne blandiriis irretiri videretur incantantis, occurrit rigidè: Quòd ais libri te tui pudere, neſcio quā tu iſtud verè dicas. Verum hoc unum ſcio, ſatis eſſe cauſæ, cur debeat nō illius modò libri pudere te, ſed tuorū etiam fermè omnium. Quippè, qui nihil penè complectantur aliud, quàm errores turpiſſimos, & inſaniſſimas hæreſes, nec ratione fulcitas, nec eruditione ſubnixas: ſed quas aſ- D ſerit, & affirmat tantùm pertinax impudentia, dum tantus auctor haberi poſtulas, quantus nec hodiè quiſquàm ſit, nec antehàc uſquàm fuerit. Nec ſatis video, qui verum ſit, vt ad edendum in me libellum tuum ſis ab iis incitatus, qui parum favebant mihi: Cum res ipſa doceat, ab iis incitatum potiùs, qui parum favebant tibi. Quippè quum liber tuus ſit eiuſmodi, vt nec aliud quicquam, quā probrum conciliare poſſit auctori, & librum honeſtet meum. Cui tuus declarat ne verbum quidem ſani capitis ullum reperiſſe, quod aliquandò poſſis opponere. Quæ res ſatis, vt opinor, indicat, uter noſtrum cauſam habeat meliorē. Iam quantumvis te fingas credere, editum à me libellum non eſſe meum, ſed meo nomine ſubornatum à Sophiſtis ſubdolis: Tamen & meum eſſe, multi maiore fide digni, quàm ſunt tui illi fide digni teſtes, cognoſcunt. Et ego, quantò tibi minùs placet, tanto magis libenter agnoſco. Nam quod eum mihi ſcribis ignominiam parere, nemo certè non intelligit, quantumlibèt tu diſſimules, quàm ægrè habet animus tuus, quod libellus meus tanto bonorum & doctorum omnium conſenſu comprobatus eſt. Tum eius Sedis honorifico calculo: Quæ vt tuas condemnavit hæreſes, ita ſanctiſſimo viro Hieronymo tanta fuit auctoritatis, vt ſatis eſſe duceret, ſi ſuam illi Sedi fidem approbaret. Et poſt pauca. Iam, quod peſtilente (inquit) linguà ſcurraris in Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, Cardinalem Eboracenſem, Primarium Conſiliarium noſtrum, & Angliæ Cancellarium: magis perfectam habeo ſingularem eius prudentiam, quàm vt eum quicquam commoveri credam ſcurrilibus eius linguæ convitiis, quæ B in totam ſcurratur Eccleſiam, quæ ſanctiſſimos proſcindit patres, quæ nullos non blaſphemat Divos, Chriſtiquè contemnit Apoſtolos, quæ ſanctiſſimam Chriſti matrem inhonorat, quæ Deū ipſum, velut ſcelerum fontē, auctorem, impulſoremquè blaſphemat. Quæ blaſphemiarum tuarum deteſtanda colluvies, nuſquam non evidenter patet, tum ex omni parte pernicioſorum operum, quæ tanto Chriſtiani populi damno conſcripſiſti: tum ex his, quæ paſſim in Germanià iam furiosè patrant, tuis hæreſibus efferati ruſtici. Itaquè Reverendiſſimus ille Pater, quanquàm nobis iamdiù fuit, propter eximias eius virtutes, chariſſimus: idem tamen eſt, eritquè in dies tantò nobis charior, quanto illum tibi tuiquè ſimilibus magis videmus inviſum. Nam quòd eum Regni mei peſtem appellas, non eſt conſilium fraterculo rationem reddere, ex eius viri ſingulari prudentià, fide, labore, ſtudio, & ſalubri diligentià, C Nos, regnumquè noſtrum quanta conſequamur commoda. Verum vt omittam cætera, vel hoc ſatis indicio eſt, quàm terræ noſtræ ſalutaris ſit, Quòd ex animi noſtri ſententià demandatum ſibi munus perquàm diligenter exequitur, & ditionem noſtram ſedulo purgans, hæreſum veſtrarum peſtilente contagio: Quibus interdum intrant Angliam, quidam vehementer ægroti: Nempè ex iis venientes plagis, quas inſalubris oris tui noxius infecit afflatus. Quos tamen ipſos diligenti inquiſitione compertos, eiuſmodi Reverendiſſimi Patris ſalubri diligentià, non ſolum arcuimus, ne quid ad noſtros eius lepra ſerperet: Verum etiam tractatos commodè, & magnà cum charitate curatos, fidei integritati reddidimus. Et infra. Scribis Luthere vehementer pudere te, oculos in nos attollere, quod te tam leviter paſſus ſis per operarios iniquitatis, vt ais, adverſus nos moveri: Verùm ego profectò non paulò magis admiror, quòd te non pudet ſerio, levare pal- D pebras, & vel in Deum vel hominem quenquam probum oculos intendere, qui te paſſus ſis, inſtigante Diabolo, in eā ingenii levitatem cadere, vt ob carnis ineptias, & obſcœnas libidines, quum frater Auguſtinianus eſſes, Monacham Deo dicatam, ſcelerato compreſſu violaris. Quid, quòd non compreſſiſti ſolum. Quale flagitium ſi deſignaſſes olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viva ſubiiſſet, & tu ad mortem vſque verberibus eſſes mulctatus: Verum etiam, quòd nimio eſt execrabilius, publicè pro vxore nuptiis inceſtiſſimis traduxiſti, atquè ita palàm ſummo cum totius Mundi ſtupore, ſummo per orbem totum opprobrio, & veſtro, ſummo cum ſacroſancti connubii contemptu, ſummà cum ſanctiſſimorum votorum contu-

Liber Regis de Sacramentis.

Card Eboracēſis.

Diligēs inquiſitio in Angliā contrà Lutheranos

Exprobrat Luthero Rex nuptias cū Monialis initas

tumeliā, per nephàs abuteris in quotidianum proſtibulum. Denique quod omniū eſt maximè deteſtādū, quū te deberet tàm execrandi facinoris pudor, & dolor obruere, pænitentiæ loco præfers miſer impudentem gloriam, tam longè fugiens implorationem veniæ, vt etiam in tui ſceleris exemplum, paſſim per pſeudoreligioſos alios literis, ac libris provoces. Et poſt multa. *Iam quòd honoris tantum; ſcilicet tam civiliter offers nobis, vt ſi mihi placiturum ſentias, alium librum non graveris edere, quo de me largiter meras laudes prædices: ſimul ea revocans, ac retexens omnia, quæ dudum in diverſum ſcripſeras. Hoc te labore toto, Luthere, oppidò quàm libens libero. Neque enim ſic incendor gloriæ ieiunio, vt tuos libros in meas laudes ambiam, ſed opto potiùs, quòd magis in rem ſit tuam: Nempè, vt agnitis erroribus, & recantatis hæreſibus, reſipiſcens tandem, & reverſus ad fidem, ſic eam ſcriptis probes, & operibus bonis, vt indè laudem poſſis, & gloriam dare Deo. Alioqui ſi ad iſtum, quo cæpiſti, modum, in hæreſibus impiis, & improbà vità perrexeris, me profectò laudare non potes impenſiùs, quàm ſi vituperes: Nec è diverſo magis odioſè traducere, quàm ſi quàm maximè potes, extollas: Si verum eſt, vt eſt profectò, quod legitur apud Senecam,* Tam turpe tibi ſit laudari à turpibus, quàm ſi lauderis ob turpia *Quamobrē eum ſcribis, libri tui in me editi vehementer te pudere, culpam transferens in alios, neſcio quos, quorum inſtigationi parueris, & pedibus meis advolutus ſuppliciter oras veniam: ſperans, quum me mortalem meminerim, quòd immortales inimicitias nolim gerere. Profectò Luthere, tametſi tu magnificè, & ſublimiter de teipſo ſentiens, pro viro tanto ſemper habuiſti te, vt non puduerit, ſcriptis etiam tuis profiteri, non eſſe ſolùm te, ſed & futurum ſemper, ne vivum modò, ſed præterea mortuum, immò exuſtis etiā cineribus, & in mille proiectis maria, perpetuum tamen hoſtem, & inimicum Pontifici (cuius faſtigio non neſcio quā longo Reges intervallo ſunt impares) Ego te nunquam tamen æſtimavi tanti, vt vnquàm ſim dignatus eſſe inimicus tibi: tametſi hæreſes tuas habeam quātum alius quiſquam, exoſas. Sed nec eorum convitiorum quicquam, quibus in me ſcurriliter debacchatus es, tàm valde me commovit, vt non prece multo minore nobis poſſis quàm quà nunc es uſus, abundè ſatisfacere, ſi tibi res ex animo, & ſyncerè ſatis ageretur, &c.*

Rex Luther. laudes recuſat quod turpe ſit à tali laudari.

Rex Lutherum pro inimico habere dignum non putat.

Pariſiis ſerpenti Luthero Senatus obſtitit, hoc Anno flāmis exuſto *Iacobo Paurinà Picardo Bononiēſe, pannorū textore*; quē Beza ſuorum dixit protomartyrē, nequaquàm altiùs petito ſuæ ſynagogæ exordio. Erupit etiam *Libertinorū* ſecta, auctore *Quintino ſartore Picardo*, cuius præcurſor fuit *Coppinus Inſulanus*, Catabaptiſtarum ſoboles, & in quibus Gnoſtici, & Valentiniani afflati Lutherano ſpiritu revixere. His affinis D*avid Georgius Vittriarius Gandavenſis* qui ſe tertium Davidem aſſerebat, & Meſſiam verum Dei filium non ex carne, ſed ſpiritu. Deliri omnes, atq. fanatici, ſimulq. turpiſſimi, ideoq. paſſim flammis purgati. Anno poſteà 1528. Cum in eàdem regià vrbe Lutetià Hæreſis furoris ſui ſigna impreſſiſſet, capita præſecando Chriſti, & B. Virginis ſimulachris, quę expoſita erant prę templi foribus: ſacrilegio perculſus *Franciſcus* capita primum dehoneſtata argenteis incluſit imaginibus, pęnas publicavit graviſſimas adversùs ſacrilegii auctorem, ſynodum celebrari curavit, ad aſſerendam puritatem fidei Ortodoxę. *Binius*. Aperta interim ſunt Spiræ Comitia, prò Religione, ac Vngarorum in Turcas ſubſidio. Cæſar bellis implicitus, legavit fratrem cum quatuor Commiſſariis. Vocati sūt Lutherani Principes Io: Dux Saxoniæ Elector, Haſſiæ Lantgravius *Philippus*, qui poſt occiſos ruſticos, ad Lutheranos defecerat, fruſtrà reclamante ſocero ſuo Duce Saxoniæ Georgio, tum eius pientiſſimà matre, quæ Catholica obiit. Hi cum ſecum concionatores duxiſſent, atquè ſacrificulos, petierunt ſibi dari templum, in quo concionibus ſuis liberè uti poſſent. Epiſcopus autem Spirenſis Georgius, nativitate Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni cùm fortiter interdixiſſet, ne ullo in tēplo nova ſacra peragerent; in atriis ędium ſuarum quotidiè ad populum concionabantur: datàquè operà in ſextis feriis fercula carnis portabantur publicè per atrium ad menſam Principum, ad opprobrium Eccleſię. Eorum miniſtri Equites, & ſtabularii, idiotæ petulanter iactabant verbum Domini, & in dexterà manicà veſtimenti, literas gerebant ſequentes *V. D. M. I. Æ.* diebus feſtis in templo maiore ubi monumenta viſuntur Henricorum Cæſarum) Lutherani verò eodem tempore domi ſuos audiebant concionatores, per quos populum à ſacris avertebant. Circumferebantur etiam libri Lutherani venales maximè duo, parvuli quidem mole, ſed virulentià grandes. Quorum alter, *ſermo Lutheri, De Deſtructione Hieruſalem*. Alter, epiſtola erat cuiuſdam nebulonis ſub nomine *Argyrophilacis*, latina, & theutonica. *Sæpè mecum mirari ſoleo* (aiebat) *Illuſtriſs. Potentiſſ. Germaniæ Principes, quod nonnulli veſtrum tam attrociter in eos, quos hæreticos vocant, ſęviant: Vt propter quæſtiones, opinioneſq; quaſdam de religione, in homines alioqui innocentes, & Reip. commodos, expillis, bonorum direptionibus, gladio, aquà, & igni, animadvertere non reformident. Si autem in vos aut in Remp. veſtram peccarent, iuſtiore certe titulo punirentur. Modo cum eiuſmodi aſſerant, & doceant, quæ in maximum Ditionum veſtrar Rerum publicarum què commodum vergant (quo nomine & à vobis præmiū accipere debebant) mirum, immò ſtupendum miſerandumquè, quod talia citrà rationem modumquè de eis ſupplicia ſumantur.*

Spiræ comitia

Egetis fortaſſe pecunià in Reipub. uſus neceſſarià? en maximum vobis theſaurum oſtendo. Sinite monachos, & monachas (ſi qui velint) liberè abire, & victum laborando quærere. Eos vero, quibus in ſuis fornicibus deliteſcere lubet frugaliter alite, & ne quis huiuſcemodi ignavum vitæ genus poſthàc ſectetur, cavetote: Tum quicquid opum illis ſupereſt, in neceſſarios pauperum, Reip. vſuſq. veſtros vertite. Experiemini (procul dubio) intrà paucos menſes, quot centena aureorum millia, vnius exiguæ ditionis veſtræ monachi, & id genus homines poſſideant. Neque hoc meum conſilium quiſpiam, aut ſeditioſū, aut impium iudicet. Tam enim pium eſſe (ſi opus foret) oſtendere poſſem, vt plane impii cenſendi ſint Principes, qui hoc non exequantur, malintquè ab agricolis, vinitoribus, opificibus, civibus, aliiſq. ſibi ſubiectis tributa extorquere, quàm Reip. ſuaq. ipſorū bona à tā malæ fidei poſſeſſoribus auferre, &c. Hiſce libellis non ſolùm ruſtica turba, ſed pleriquè nobilium trahebantur in partes novi Evangelii, & odium religionis antiquæ: Abſquè ſeditione cum novitas tolli non poſſet: Ordine decreverunt Imperii ſuſpenſivè, *ut quiſquè in cauſà Religionis ita ſe gereret in terris ſuis, ſicut confideret iuſtificare, et reſpōdere Deo, & Cæſareà Maieſtate*. Sic diſſolutis comitiis, remiſſi

Modus colligēdi pecunias.

Deo, & Cæſareâ Maieſtate. Sic diſſolutis comitiis, remiſſi ſunt Vngari indefenſi, & expoſiti Turcarum tyrannidi. Lutherus ſcripſerat, præliari adversùs Turcas repugnare Deo; qui per illos noſtras viſitat iniquitates. Nullam proſperitatem à noſtris expectandam eſſe; nec quicquam in Turcas contribuendum, quòd Turca ſit decies probior, principibus noſtris. Derelictus itaquè à Germanis pius, innocens Rex Vngarorum Ludovicus, Turcę occurrit ſolus irruenti cum exercitu ſuo, ſed victus, & in lacu demerſus, non ſolùm Vngariam Turcis reliquit, ſed viam ſtravit ad occupandam Germaniam.

Vngarorum ſtrages.

Diſputatio Badēſis

9 *Helvetii.* Eodem Anno percelebris fuit diſputatio in Baden Helvetiorum oppido, vbi *Zuinglius*, & *Oecolampadius*, gentē Catholicam Lutheri pſeudoevāgelio corruperant. Ad tollendam ſeditionem cōmuni XII. Cantonum conſenſu inſtitutâ diſputatione inter *Io: Fabrum, Io: Echium, Thomam Murrenum* prò Catholicis: *Zuinglium*, *Oecolampadium* prò hæreticis. Iudices adſuerunt oratores quatuor vicinorum Epiſcoporum, (ad quos gens Helvetiorum pertinet.) Conſtantienſis, Baſileenſis, Lauſanenſis, & Currienſis. Zuinglius cauſatus publicā deficere ſecuritatē, adeſſe noluit. *Echius* cum publico Helvetiorum plauſu, multis diebus, ſub Notariorum exceptione diſputaſſet nunc cum Oecolampadio, nunc cum Iacobo Imeli, Berchtoldo Haliero, Vlrico Studerio, eius propoſitiones de Venerabili Euchariſtiæ ſacramento comprobatæ fuere, atquè edicto ſevero firmatæ. Nempè.

Decretũ Helvetiorũ in Lutherum.

Verum Chriſti corpus, eius ſanguis præſentia ſunt in ſacramento altaris.

Quæ verè offerũtur in officio Miſſæ pro vivis, & defũctis.

Virgo Maria, aliiq. Sācti inuocādi ſunt ut interceſſores.

I. Chriſti, eiuſq. Sanctorum Imagines delendę non ſunt.

Poſt hanc vitam purgatorius eſt ignis.

Pueri etiā Chriſtianorū in peccato Originali naſcuntur.

Baptiſmus Chriſti, non Ioannis tollit Originalepeccatū.

His ergo conforme factum eſt decretum publicum, quo Lutheri doctrina tanquàm perverſa Helvetiis eſt interdicta, ſub præcepto non innovandi Miſſam, ſacros ieiuniorum ritus, orationes, ferias, Confeſſionem, oblationes, invocationes, exequias pro defunctis. Conſtituti ſunt etiam exploratores, & magiſtratus qui prævaricatores punirent: adeò ut reus in uno Cantone, extorris haberetur in cæteris. Contra Zuinglium Io: Faber cum verbis diſputare non potuiſſet abſentem; volumen protulit ſcripto, Antilogiarum, quibus ille fœdiſſimè ſibi ipſi contradicebat. Cum autem Zuingliani falsò iactarent, *Eraſmum* quoquè *Roterodamum* (qui Baſileæ degebat) circa Euchariſtiam ipſis conſentire: *Eraſmus* ſcriptis literis ad Helvetios calumniā conſtantiſſimè confutavit. Hæc uſquè in Annū 1528 quo novam, ac ſcandaloſam diſputationem apud *Bernenſes* procurarunt Zuinglius, Oecolampadius, Vvolſangus Capitonus, *Bucerus* (iſti Argentorati in ſecta Zuinglii prævalebant) cum duobus apoſtatis Berchtoldo Hallero, & Franciſco Kolb, qui pagum corruperant Bernenſem. Formula diſputandi à Bernenſi Senatu præſcripta cùm Catholicis apertè præiudicaret: nemo Catholicorum adſuit, niſi *Conradus Tregurius*, Provincialis Auguſtinianus. Epiſcopi miſere Oratores ſicut biennio ante miſerant ad diſputationem Badē-

Eraſmi proteſtatio in Lutherum.

Bernenſis diſputatio. Sal. An 1528.

A ſem. Articuli diſputandi apertè erant impii contra Eccleſiam, veritatem Euchariſtiæ, Miſſæ, & Sacramentorum, merita, & venerationem Sanctorum, defunctorum exequias, & ritus Eccleſiæ receptos. Formula imperioſa, & faſtu turgida, ut quatuor Epiſcopos citaret ad comparendum, unà cum ſacrarum literarum peritis, ſub pœna amittendi iuriſdictionem Epiſcopalem in terris Bernenſibus. Vulgatâ formulâ, Camera Spirenſis, nomine Cæſareæ Maieſtatis, diſputationem interdixit. Reliqui Cantones copioſiùs diſſuadebant. Lucerna primas tenens partes, verbis accomodis, & fraternis eos admonebat diſputationis Badenſis, quam ipſi prçcipuè Bernenſes expetierant, & comprobaverant. Admonebat eos fœderum, promiſſionum, literarum ſigillatarum, receſſuum (vt vocant) publicorum, iuramentorum, quæ omnia per impiam diſputationem violanda forent B non ſinè ſcandalo, ſeditione, & tumultu. Idem fecerunt Doctores privati, inter quos *Io: Cochlæus* maximè contrà futuram diſputandi methodum, quâ ſola Biblia, reiectâ omni Doctorum interpretatione, deberet inter partes diſcernere, & iudicare. Cum tamen inanimata, queri, & lamentari non poſsit. Quod ſi Bernenſes ipſi futuri ſint iudices; oſtendant, quis eis iudicandi contulerit poteſtatem. Lex enim Divina, ſi quid ambiguum fuerit, ſummò proponi mandat Sacerdoti, qui pro tempore fuerit, ut eius ſtetur iudicio; & qui ei acquieſcere noluerit, morte moriatur. *Deuter.* 12. Bernenſes his omnibus contemptis, diſputationem proſequentes, à die ſeptimo uſquè ad 26. Ianuarii diſputantes, iudicarunt decem articulos rectè probatos, & in ſcripturis fundatos eſſe. Mox inſtitutâ Reformatione mandarunt, ut ab om- C nibus ſubditis ſuis decem probarētur Articuli. Epiſcopis non ampliùs obedirent in rebus Eccleſiaſticis. Abſolverunt à iuramentis Epiſcopo præſtitis Decanos, Camerarios, Paſtores, Concionatores, ac cæteros Eccleſiæ miniſtros. Tandem abrogatâ Miſsâ, defunctorum exequiis, habitu Monachali, vſu ſacrarum veſtium, Sanctorum feſtis, Ieiuniis, æquatis altaribus & Sanctorum imaginibus, permiſerunt vxores ſacerdotibus, & Monialibus maritos. Demùm vt ſuæ fidei oſtenderent incertitudinem, & ſynderesim, adiecerūt Reformationem illam duraturam, & obſervandam, donec meliora docti fuerint: tunc enim ſe dicebant paratos, Reformationem augere, vel diminuere. Reformationem hanc reprobavere Theutonicè *Io: Echius, Io: Cochlæus*; Lutherus ipſe vt vidit Zuinglium, Oecolampadium in dies magis invaleſcere, ſcripſit in eos librum Theutonicè, cui titulus *de cœnâ Chriſti*, D *confeſſio Lutheri*. In primâ parte repræhendit Zuinglium, in ſecundâ exagitat Oecolampadium. In tertiâ confeſſionem fidei ſuæ, quam pro certâ, & vltimâ mentis ſententiâ haberi mandat. In primâ multa obiicit Zuinglio, eiuſquè complicibus, quæ Catholici anteà longè iuſtiùs obiecerant ipſi Luthero: nempè, quod eiuſmodi diſsidia inter ipſos non eſſent à Spiritu Sancto, ſed à Sathanâ omnium diſſenſionum patre, atquè doctore. In ſecundâ contradicit ſibi, dum negat in cœnâ Chriſti remanere vinum: cum tamen in ſuâ Babylonicâ captivitate deriſiſſet *Tranſubſtantiationem*, & accidentia ſinè ſubiecto. Hic affirmat Chriſtum non ſolum dediſſe calicem diſcipulis,

Lutherus ſcribit in ſocios.

pulis,ſed ipſum bibiſſe. Quod priùs negaverat in A libro *de abrogandà Miſſà*,ubi docebat: quòd ſacerdos aliis dare debet ſacramentum, non ipſe ſumere: quoniam & Chriſtus ita ſecerit. In tertiâ parte, inter articulos fidei ſuæ ponit, non eſſe credendum liberum arbirrium: Vigilias,Miſſas,Defunctorum Anniverſaria eſſe nundinas diaboli: Sanctos non eſſe invocandos: Extremam Vnctionem, Matrimonium, Ordinem Sacerdotalem ſacramenta non eſſe. Inter peccata ſua,hoc ſuper reliqua, plangebat, quod Monachus fuiſſet,ac tot Miſsis ultra Annos XV. Deum offendiſſet. Eodem Anno 1528.alium librum Theutonicè edidit contra Papiſtas de communione ſub utraquè ſpetie,in quo gloriatur, quantum Doctrina ſua profeciſſet apud Papiſtas, qui iam Lutherianores eſſent ipſo Luthero. Quoniam Canonici, Monachi pulchrè didiciſſent neglectui habere horas Canonicas,etiam Papà non diſpenſante. Epiſcopi nunc ſciant diſſimulare Interdictum,& Excommunicationem; Cęſar ipſe Papam tenere captivum; quod antè Lutheri doctrinam minimè paſſi fuiſſent.

Finalis confeſſio Lutheri.

Lutheri calumnia in Cæſarem.

Corrigit eodem Anno alia ingenioſę calumniæ tragędia à Lutheranis confictæ. *Otto Pack*, legum doctor,ortu nobilis,occultus Lutheri diſcipulus,cum eſſet conſiliarius iuratus pii, atquè Catholici Principis Georgii Ducis Saxonię,grande ac planè dignum Luthero magiſtro aggreſſus eſt facinus. Formulam finxit fæderis,nomine Principum Catholicorum, adversùs Electorem Saxoniæ, & Haſſiæ Lantgravium conceptam, quà nitebatur occultè Lutheranos ad arma incitare. Cumquè vices ageret Cancellarii, nactus eà occaſione ſecretum Principis ſigillum, formulæ appendit conficti fæderis, ac Haſſiæ Lantgravio velut grande munus tradidit. Is viſo Principis ſigillo, rem credidit, communicatoquè conſilio cum Electore Saxonię, validum contraxerunt exercitum, magnâ Principum admiratione. Quem ubi produxerunt in publicum; Lantgravius copiam ſæderis miſit ſocero ſuo Duci Saxoniæ Georgio, ut tali fæderi renuntiaret. Georgius circumventus reſpondit eadem die (quę erat Aſcenſioni Dominicę ſacrà) mentiri eum, qui auderet eſſe accuſator. Propiereà dignaretur prodere nebulonem infamem; nè huius fabulæ auctor ipſe crederetur. Reliqui Principes,qui vocabantur in conſortium ſæderis, erant *Ferdin.* Rex Bohemiæ, *Albertus* Cardinalis S. Petri ad vincula, Archiep. Moguntinus; Marchiones Brandeburgenſes; Burgravii Nurembergenſes, & Principes Rugię; Mathęus Archiep. Salzburgenſis; Vvingandus Ep. Bambergenſis; *Conradus* Herbipolenſis, Dux Franconiæ *Vvilhelmus*, & Ludovicus fratres Duces Bavariæ. Qui licèt omnes ſingilatim negarent ſe tale ſędus percuſiſſe: tres tamen Epiſcopi viciniores belli non potuerunt diſcrimen evadere, quàm perſolutis centum millibus aureorum. Imparatis enim & indefenſis imminebat in limine militaris irruptio; cum fęderati Svevi,Cæſare in Hiſpaniis abſente, non poſſent occurrere tempeſtivè; ſubditis etiam Lutheri ſermento magnà ex parte inſectis. Lantgravius Haſſiæ ne fædus illud ultrò videretur effinxiſſe, auctorem indicavit *Ottonem Pak*, eumquè cuſtodiâ tenuit,ut reſponderet obiectis. Die namquè pręfixo, adſuerunt Oratores Principum, in oppido Caſſel, ubi convictus non ſolùm de falſitate huius fæderis, ſed aliorum, quę ad Principum diſcordiam effinxerat,& ignominiam, omnia confeſſus, mortis quidem evaſit ſupplicium, Lantgravii pietate, ſed vagus, & profugus velut alter Cain, cum latibulum non inveniret ſecuritatis, ad urbes ſtagnales ſe ſe proripuit. Sic eſt pax reſtituta Germanię, quęrente,& accuſante Luthero, in ep. ad ſodalem ſuum *Vvincilaum Lincum*,Apoſtatam Auguſtinianum; quòd Catholici ſędus negarent veriſſimum;cum tamen non aliud meditarentur, quàm extinguere Lutheri Evangelium. Exemplar huius epiſtolę cum Dreſdam perveniſſet ad *Lincum*, Anno ſolummodò ineunte 1529. *Georgius Dux Saxoniæ* interrogavit Lutherum per literas, an fateretur epiſtolam illam à ſe ſcriptam, ac datam? Lutherus protervè reſpondens & ambiguè, petiit;ut Dux talibus ſchedis, & literis patientiam B ipſius non tentaret. Rogavit tunc Senatum Nurembergenſem,interrogati *Lincum*,an reverà ad ipſum à Luthero data fuerit? Interrogatus *Lincus*, Senatui apertè confeſſus eſt, eſſe Lutheri epiſtolam. Hinc *Georgius* (cum in eà epiſtolà de huiuſmodi fędere veluti ſeditioſo,ac proditorio Lutherus verba faceret) ſui honoris credidit, ſe copioſiùs purgare, quòd Theutonico fecit libello. Lutherus autem velut crabro irritatus libello libellum oppoſuit, cui titulus *De privatis & furto ſurreptis literis*. In quo tam ſcurriliter,ac petulanter in honeſtiſsimum Principē eſt debaccharus, ut ipſis diſpliceret Lutheranis.

Ottonis Pak calumniæ in Catholicos.

Fuit poſtea hoc Anno Salutis 1529. novus Spiræ Principum conventus. Quod Turca, Budà captà roti immineret Vngariæ, propter Chriſtianorum in Religione diſsidia; dum ſectæ ita invaleſcerent, C ut non ſolùm Catholicis, ſed ſibi ipſis eſſent formidabiles. Zuingliana factio apud Helvetios, Vrbeſquè Imperiales, Argentinam, Conſtantiam, Vlmam,Auguſtā Lutheranæ iam prævalebat; ſed & Anabaptiſtæ occultis per loca diverſa conſpirationibus, non minùs utriquè ſectæ, quàm Catholicis, de violentà eruptione, ac terribili ſævitià ſuſpecti erant. Ferdinandus,qui amiſſam dolebat Vngariam, & de amittendis provinciis timebat avitis, Auſtrià, Styrià,Carinthià,ut aliqua à ſectaroribus extorqueret auxilia,Religionem omninò neglexit. Aderat in eo conventu *Io: Thomas Comes Mirandulanus*, Internuntius Apoſtolicus (quem *Clemens VII.* pro cogendis in Turcam auxiliis deſtinaverat) militem offerens,& pecuniam Clementis Pontificis nomine; licèt Roma ſpoliata iaceret; & alium hoc Anno Nuntium ad Vngaros tranſmiſiſſet Vincentium Archiep. D Roſſanenſem (qui in itinere filium Ferdinandi è ſacro fonte levavit Clementis nomine) cum ſubſidiis nō ſolùm Cameræ Apoſtolicę, ſed viritim collatis à Cardinalibus,& Indulgentiis in gratiā eorū,qui ſtipē conferrent adversùs Turcam. Pro Cęſare adſuerunt Balthaſar Epiſcopus Melitenſis Orator Conſtantienſis Epiſcopatus, ac Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ &c. Vvilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarię, Ericus Dux Brunſuicenſis &c. Bernardus Ep. Tridentinus legati commiſsarii Caroli V. A comitiis Legati excluſi fuere Argentinenſes, ob nuper abrogatum Miſſæ ſacrificium, contra leges proximi decreti. Vtriuſquè partis ſtudium erat præ-

Comitia Spiræ. An. Sal. 1529.

Argentini excluſi à Comitiis.

præcipuum, *Liberarum Vrbium* ſibi Legatos adiungere. Catholici, diviſis Lutheranis à Zuinglianis fortiores cum ſupereſſent, Leges edidere ſequentes. *Donec Pontifex Romanus intra annum Concilium indiceret liberum; edicto Vuormacienſi parerent omnes. Nulla fieret novatio præcipuè circa Sacramentum Corporis Christi, & Miſſæ Sacrificium.*

Huic articulo obſtarunt Ioannes Saxoniæ, Georgius Brandeburgi, Erneſtus, & Franciſcus Luneburgi, Philippus Haſſiæ, Vvolſangus & Hanaldinus

Se opponunt Hæretici.

inſtantes, *ſtandum eſſe decreto ſuperioris Conventus, quo ſuus cuiq; Religionis uſus uſq; ad futurum Concilium liber erat. Notum eſſe, quo potiſſimùm auctore, fieret nova Religionis diſſenſio. In conventu Norimbergico, ipſius Romani Pontificis confeſſione, fontem malorum in Eccleſia depravatis moribus eſſe repertum. Octoginta capita Legato Pontificis oblata fuiſſe, quibus vulnera, & remedia proponebantur, ſed nihil actum. Concilium ſemper promiſſum, nunquàm datum. Conſcientiæ non eſſe vim inferendam timore ſeditionis. Miſſæ Pontificiæ non poſſe locum dari, verbo Dei repugnante. De Dominicâ Christi præſentiâ auctores non damnandos inauditos. Interpretationem ſcripturæ ab Eccleſiâ faciendam quidem; ſed qualis ſit Eccleſia? ſub iudice litem eſſe.*

Proteſtantiũ origo.

In reliquis ſuo non defuturos officio promittebant. Hac proteſtatione illius ſectæ Principes, *Proteſtantium* nomine cenſeri cœperunt, qui licet varietate certarent religionis; hæc eis erat una concordia, quòd unanimes

Civitates liberæ hæreſi corruptæ.

pugnabant adversùs Romanam Eccleſiam. Argentinam, Norimbergam, Vlmam, Conſtantiam, Rutelingam, Vvinsheimium, Memmingam, Lindaviam, Campodunum, Heilbrunam, Iſnam, Vviſsebrugum, Nordlingam, Sangallum, urbes olim religione florentes ſua demum perdidit libertas: & cum Principibus fœderatæ appellarunt ad futurum Conciliũ, vel ad Cæſarem, vel alium iudicem non ſuſpectum. Ferdinandus etſi Serpentino ſibilo aures obſtrueret; neceſſitate tamen cogente, conſenſit in publicum decretum, quo unicuiquè *quantum ad fidem, & religionem ſpectat, liceret ſic agere ac ſtatuere, ut de factis ſuis ſciret & Deo, & Cæſari rationem reddere.*

Negant auxilia in Turcam.

Ita diſceſſum, nullo in Turcas auxilio decreto, proteſtantibus Acatholicis ſe nihil colluturos in Turcam, donec Religionis daretur libertas. Vnde verè gloriari poſſet *Solimanus*, Lutheri linguâ Vngariam expugnaſſe; Irruens namquè cum bis centum millibus armatorum, ad firmandum Vaivodam Tranſilvaniæ contra Ferdinandũ, nemine reſiſtente, occupatis urbibus Danubii, Viennam uſquè pervenit, quam obſidione cinxit, fruſtra tamen: eam enim ſtrenuè propugnantibus Cæſareis, Solimanus poſt dies viginti receſſit.

Viennæ obſidio.

Non propterea ceſſabant inter Germanos diſsidia, præcipuè apud Helvetios inter *Zuinglium & Oecolampadium*. Hinc à verbis ad verbera. Tigurini, atq. Bernenſes Zuinglio addicti, aſſumptis in auxilium Baſileenſibus, aliiſq. non paucis Helvetiorum populis, armati proceſſerunt in campũ adversùs quinq. Cantones Catholicos Lucernenſes, Suitenſes, Subſilvanos, Vrienſes, & Zugenſes. Ad evitandam ſtragem mediatores advenere alii Cantones, nempe Glareani, Solathernii, Friburgenſes, Schafhuſenſes, & Appecellenſes. Maioribus cum pollerent viribus Tygurini & Bernenſes, magis ſerocientes, ad iniquas concordiæ leges coegere Catholicos. Nam

Pax inter Helvetios iniqua Catholicis.

iſti antequàm è campo abirent, ſunt tradere coacti in manus ſequeſtrorũ literas fœderis ſigillatas, quod cum Rege inierant Ferdinando: ut ruptis ſigillis, diſruptis membranis, fœdus illud irritum caderet. Helvetii in poſterum nulla munera, nulla ſtipendia à Regibus reciperent. Bernenſium, & Tigurinorum pacta firma manerent. Nemo in ius vocaretur, qui Sanctorum imagines, altaria, aut eccleſiaſtica ornamenta rapuiſſet; &c.

Diſputatio Marpurgi.

Diſsidia hæc inter Lutherum & Oecolampadium cum ægrè acciperet Philippus Lantgravius, ineunte Octobri convocavit eos Marpurgum urbem ſuam, ut ibi amicâ diſceptatione finiretur contentio. Venit *Lutherus* unà cum diſcipulo *Melancthone*, & *Iuſto Ionâ*, *Oſiandro* Norembergenſi, *Brentio*, & *Io: Agricolâ* Islebienſi. Ex adverſo *Zuinglius*, *Oecolampadius*, cum *Bucero*, & *Hedio*. Tribus diebus diſputatum eſt; & ut aliquid effeciſſe viderētur, articulos conſcripſerunt, in quibus contra Catholicam veritatem inter ſe conſentiebant, velut Herodes & Pilatus contra Chiſtum. De Venerabili Euchariſtiâ convenire non potuerunt. *Zuinglius* enim negabat in eâ corpus, & ſanguinem Chriſti: panem & vinum eſſe ſolam figuram corporis, & ſanguinis. *Lutherus* verò aſſerebat præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ſed in uſu, ideſt dum manducatur: non verò extra manducationem; Hinc eſt, quod Lutherani non adorant Hoſtiam Euchariſticam, ut Catholici: neq. credunt vinum & panem tranſubſtãtiari in corpus, & ſanguinem. Catholici verò Hoſtiam adorant, quouſquè accidentia perſeverant.

Miſerunt interim Acatholici Legatos ad *Carolum V.* Placentiæ ſtantem, ut provocationis à Ferdinando, & Spirenſi decreto ad Cæſarem cauſas exponerent. Scripto cum oraſſent, ſcriptò etiam Cæſar

Legatio Lutherana ad Carolum V. cum proteſtatione

reſpondit. *Quàm mihi, gravis ſit veſtra diſcordia facile agnoſcit, qui imminentia Germaniæ diſcrimina negligere non ſuſtinet. Curam abſens, & anxius fratri commiſi, cæteriſquè Germaniæ Principibus, qui Spiræ decretum Vvormatiæ confirmarunt, ita exigente bono publico. His ſe adiungere Saxoniæ Princeps debuiſſet, niſi ſolus præſumat animæ ſuæ ſalutem quærere. In hoc æquum me ſuſpicor, ſi Saxonem Sanctiſſimorum ſuorum Maiorum inſtitutis remiſſam, & ab eo unius Apoſtatæ Zizaniam divellam. Novitas ſemper odioſa legibus parere ſuadet imperij, iuxta quas minor pars nequit obluctare maiori. Obtemperent legibus, nè æquitate neglectâ, & ſpretâ Maieſtate Cæſareâ, rei fiant, & pœnas accelerent: Sit cæteris exemplum Saxo, niſi Turcicam Germanis incubantem immanitatem domeſticis contentionibus ſolus provocare ſtudeat. Quid enim Chriſtiano Orbi funeſtius, quid gravius Solimano, quàm nos diſcordiis civilibus feſſos offendere? Imperium, Religio, Germanorum ſcelere pereat, opus eſt; ni proſcripto Apoſtatâ ad ſemitam noſtrorũ proavùm regrediamur. Avertite, obſecro (ubi præcipere licet) diſcenſionis flammam ab urbibus veſtris, famam à nomine. Concilium, ſi aliter novitas tolli non poteſt, dabit Paſtor Romanus: cum nihil perindè mihi curæ ſit, quàm veſtra ſalus animarum.* Hoc reſponſo nihil deterriti Legati, ipſam (ut erat) provocationem, adhibitâ fide teſtium, per *Alexandrum Scheurveiſium* Cæſari exhibent, maioriquè audaciâ per collegam *Michaelem Cadenum* Cathecheſim Lutheranæ profeſſionis, Cæſari in Eccleſiam prodeunti non dubitarunt offerre. Quà hominum protervâ libertate ſummoperè offen-

ſus Cæſar Legatos graviſſimà capitis, ac bonorum denuntiatà pœnà, pedem efferre diverſorio vetuit, quos Granvellani tandem interceſſione dimiſit, *Cadeno* excepto, qui fugà iuſtam Cęſaris iram declinavit. Proteſtantes cognito conſilio Caroli, Smalcaldiæ iterum convenere, ut arma conſerrent adversùs Cæſarem. Non enim ad ſolos ſuperioris Germaniæ populos, ſed ad Flandros, Batavoſquè ſe ſe peſtis effuderat. *Guicciardin.* Cæſar autem Bononiæ cum Clemente VII. inito concilio, An Concilium quòd poſcebant, expediret? Negabat Clemens (teſte *Pallavicino l. 3. c. 2.* & ipſo Clemente *l. 2. literar. ad Principes*) quia *Doctrina, quam reſpuebant Lutherani, tanquàm deciſa à Concilijs antiquis, non poterat iterum in dubium revocari, niſi & de illorum Conciliorum auctoritate dubitaretur. Morum Reformatio ſi qua foret neceſſaria, ad ipſum ſpectaret Pontificem, quem convenire tenerentur tanquàm Eccleſiæ caput. Concilium omninò videri importunum, cum eius convocatio non ſinè magno Reipublicæ diſcrimine haberi poſſet: & quià numquàm dicerent, legaliter congregatum. Vnum itaquè ſupereſſe remedium, ut gladio Cæſaris (qui eſt Eccleſię advocatus) coercerentur. Nec crederet à Papà timeri Concilium; quod ex Epiſcopis compoſitum tanquàm membris, non poterant iſti inſurgere adversùs caput; ſi tamen utile crederent; facile ſe daturum.* Lutherani autem ut invidiam concitarent adverſus Papam, urgebant fortiùs pro celebratione Concilii, ut interim liberè laſcivirent; iam enim animo decreverāt, ipsū etiā ſpernere Cōciliū. Imperator medià vià incedēs, Comitia indixit An. 1530. Auguſtę celebrāda die 8. Aprilis, mitiſſimè advocans omnes Imperii Ordines, ut in causà Religionis liceret unicuiq; parti ſuam proponere opinionē, ex poſitiſq; diſcordiis, unà omniū fides, ſinceraq; religio, ſtabili deinde concordià ſervaretur. Metus autem, ac doli ut abeſſet ſuſpicio, addixit omnibus *Salvum conductum*. Vndè factum, ut celebertimus ille fuerit ac frequentiſsimus conventus, in quo non ſolum Lutherani, ſed Zuingliani liberè, ac ſecurè fidei ſuę confeſsionem expoſuere. Convenerunt Elector Saxoniæ, *Io: Frider.* Duo fratres, Duces *Luneburgenſes* Erneſtus, & Frāciſcus: & Princeps ab Anhalt Vvolſgangus. Cum eis doctrinæ Lutheranæ Anteſignani, quorum præcipuus erat *Philippus Melancthon*. Lutherus accedere nō auſus eſt tanquàm hæreticus notorius à Cæſare in Vvormacienſi comitio proſcriptus. Volebat Saxo eum aſſervari in quadam Vrbe Imperiali propinquà; ſed reſponſum ei à Senatu, non licere ſibi contrà Cæſarem aſſecurare quemquam. Reliquit ergo eum in arce ſuà Koburg. Priuſquàm Auguſtam veniſſet Saxo, convocatos Proteſtantes conſuluerat; an Carolum expediret in ſaltibus intercipere Ænipontanis? cum certè pateret quòd in eos omnia Imperatoris arcana dirigerentur. Annuebant Hæretici, ſed prępolente Cæſare, evanuerunt ſine viribus iræ. Lutherus ne videretur Religionem propugnare more caſtrorum; & Cęſarem exarmaret; cum ipſi Hæretici certare vellent iuribus, non viribus; opuſculum conſarcinavit ex ſcripturis ſanctis, quibus Proteſtantes mentiebatur ad patientiam excitare; quaſi tyrannide pręmerentur. Mandavit inſuper, linguà Germanicà dietim recitari pſalmum, *Deus refugium noſtrum, & virtus*, & publicè cani in Eccleſiis, quouſquè abſolverentur comitia.

Convētus Smalcaldiæ.

Colloquium Cæſaris cum Papà in Hęreticos de futuro Cōcilio.

Hæretici fingunt petere Concilium.

Dieta Auguſtana Indicta Ann. 1530.

Lutherus pietatem ſimulat.

A Hac larvà pietatis plebem decipiebat furentem, donec iram declinaret Imperatoris. Cui in profeſto Corporis Chriſti XV. Iunii Auguſtam appropinquanti occurrerunt Principes. Actum ſtatim cum Electore Saxoniæ, aliiſquè Lutheranis, vt more antiquo cum comitarentur in publicà proceſſione, quà deportaretur Venerabile Sacramentum Euchariſticum. Renitentibus; petiit, vt nolentes propter Deum comitari, Cæſarem comitarentur tanquàm Vaſſalli, & Principes Imperii. At cum nec eà ratione perſuaderi potuiſſent; ipſe ſingulari pietatis ſtudio, ac pietatis exemplo, nudo ſemper capite, quamvis in ardentiſſimo Sole, quadrifidam in manu facem geſtans ardentem, S.S. Euchariſtiam comitatus, mandavit; ut mox alterà die, cum ſalvo conductu, Domū redirent Lutherani. Alii autem Principes pacis avidi ſupplicarunt, ut ſedatà irà, publicam indulgeret audientiam iuxtà edictum, quo vocati fuerant. Die B XX. Iunii, incepturus Acta publica, iuſſit omnes Principes adeſſe in Eccleſià Cathedrali, ubi Miſſam celebravit Primas Germaniæ Archiep. Moguntinus; Orationem verò Latinam diſertiſſimè habuit ad Principes Vincentius Pimpinella, Archiep. Roſſanus Nuncius Apoſtolicus. Cardinalis namquè Campegius Legatus Papæ de latere, morbo præpeditus articulari, publicis actibus rarò intereſſe potuit. Adfuere etiam Lutherani Principes tum in Miſsà, tùm in concione. Quibus peractis in Prætorium abiere, Electore Saxoniæ gladium geſtante antè Cæſarem. Ibi Cæſar publico cavit edicto, ac per omnia platearum capita promulgavit, ſub pęnà graviſſimà, ne fierent publicæ conciones ad populum, niſi in Eccleſià Cathedrali ab eo, qui ordinarius ibi erat concionator. Antè enim adventum Cęſaris, hic Lutherani, illic Zuingliani, alibi Catholici C concionabantur. Frequentior turba apud Fratres Minores, ubi quidam apoſtata Zuinglianus, facundus, & ad populum conciandum idoneus Librum Ioſue exponendo Cananęorum pericula in Cęſarem, & Catholicos contorquebat, ſectā ſuā filiis Iſrael aſsimilabat. Audiētiā deinde prębuit Principibus Lutheranis, qui ex ſcripto Cōfeſsionē ſuā à loco *Auguſtanā* dictā Theutonicè recitarunt, cuius architectus præcipuus fuerat *Melancthon* fidelis Lutheri diſcipulus: Erat iſte obſcurus natalibus, natus in inferiori Palatinatu propè Rhenum. Articulis XXI. abſolvebatur eorum fides. Alii deinde annectuntur articuli, de abuſibus (aiunt) *mutatis*, De utraquè ſpetie, de coniugio ſacerdotum, De Miſsà, De Confeſſione, De diſcrimine ciborum, De votis Monaſticis, & de Poteſtate Eccleſiaſticà. In articulis de fide multa diſſimulabant, quæ anteà aliter docuerant. Mentiebantur, D *falsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd Miſſam aboleant. Retinetur enim Miſſa apud nos, & ſummà reverentià celebratur: ſervantur & uſitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquàm quòd Latinis concionibus admiſcentur alicubi Germanicæ.* Cum tamen manifeſtum eſſet, Lutherum multis antea Annis & librum de abrogandà Miſsà privatà ſcripſiſſe, & ſacrum Canonem maiorem, & minorem exploſiſſe: Ipſum ſacrificium libro de Captivitate Babylonicà, in ſermone *de Novo Teſtamento* abnegaſſe. Peiora ſcripſit piis auribus abominanda, libro, *de Miſsà angulari, & ſacerdotum conſecratione.* Imò in quadam epiſtolà optat, ut apud ho-

Confeſſio Lutherana recitatur.

homines tanta foret inter Miſſam, & Sacrificium differentia, quanta eſt inter Deum, & Diabolum. Cõfeſſionem ſuam cũ in publico Principum comitio recitari vellent, vix obtinuerunt, vt in privato confeſſu. Legit eam *Chriſtianus Beyer* cancellarius Electoris Saxoniæ tardè, & articulatim, vt vix duabus horis lectionem abſolveret. Hoc ſcriptum cum antiquę Religionis Theologis eſſet exhibitum, adverterunt multa à Lutheranis hic pręteriri, quę anteà ſcriptis iactati fuerant. Putà: *quòd Liberum arbitrium ſit titulus ſinè re. Deus per homines ſcelera operetur. Romanus Pontifex ſit Antichriſtus. Omnes ex æquo viri, & fœminæ Sacerdotes habeantur, nullumquè maneat in Eccleſiâ externà ſacrificium. Matrimonum ſit merè contractus civilis, & à Politicis iudicandus.* Cæſar per Legatos interrogavit, *An omnia complecteretur eorum confeſſio, quæ proponenda ducerent?* Poſt longam conſultationẽ reſponderunt, *in propoſitis ſe modò articulis acquieſcere.* Quarè à Io: Fabro, & Echio cæpta eſt confutario, quæ (cum non convenirent, ſub quà perſonâ recitanda eſſet) tribus hebdomadis occulta iacuit: gloriantibus interim Lutheranis, obmutuiſse Catholicos. Oblatam tandem à Cæſare eà conditione, ne communicaretur; noluerunt recipere Lutherani. Quorum contumaciam cum Carolus ægrè ferret; Illi autem publicà fide tuti non timerent: ad evitanda diſſidia, & ad declinandam iram Cæſaris, ſupplicarunt Catholici, ut delectus perſonarum fieret pro concordià ineundà. Eo conſentiente,

Delectus Principum.

delecti ſunt duo Electores Moguntinus, & Brãdeburgenſis: His additi tres Oratores aliorum Electorum Colonienſis, Treverenſis, & Comitis Palatini Rheni, & Georgius Truchſes nomine Domus Auſtriæ. Tres Epiſcopi Saltzburgenſis, Spirenſis, & Argentinenſis. Tres Duces Georgius Saxoniæ, Henricus Brunſuicenſis, & Albertus Meckelburgenſis. Inſuper Abbas Vineæ, Comes Martinus ab Octingen, Cancellarius Badenſis, Orator Ratiſponenſis, & Orator Iuliacenſis. In domo Capitulari Eccleſię Auguſtenſis, die 7. Auguſti cùm conveniſſent; Marchio Brandeburgenſis longà, ac benignà oratione hortatus eſt, vellẽt acquiſcere cõcordiæ, & cum avità Religione ſentire.

Colloquium cum Lutheranis.

Verendum, ne ità ſecerint bella, ſeditiones, vaſtationes futuras Provinciarum. Illi poſt biduum reſponderunt per *Gregorium Bruck* cõmune eorum oraculũ, primò iniquæ admonitioni minas adiunctas fuiſſe. Deindè ſe nõ ſufficienter auditos à Cæſare. 2. exemplar confutationis eis fuiſſe datum cum cõditionibus onerosis. 3. non poſſe adprobare confutationem non benè viſam 4. Spiræ promiſſum fuiſſe Conciliũ, nec datum. Replicavit Brandeburgicus Conventus nomine: ſe ſe omnia amicà intentione, tanquàm ergà cognatos, affines, & amicos agere, non animo offendendi. Mala fuiſſe prædicta futura, ex metu, ſi abſquè concordià ex conventu diſcederetur. Deinde, Cæſaris clementiam paratam eſſe audire iterùm; proponerent, ſi plura haberent. *Secundo* Cæſarem ſub conditione non communicandi tradidiſſe confutationem, ne irrideretur à Proteſtantibus, uti factum fuerat de Vvormacienſi edicto, non ſinè Comitiorũ contemptu. *Tertio* trepidabant, ubi nõ erat timor. Timerent potiùs ſe ab unitate Eccleſiæ ſegregaſſe, & ab avità Religione; & quòd plus Apoſtatis crederent, quàm S. Patribus. Errorem cognoſcerent fal-

A tem ex Apoſtatarum diſcordià. Reſpondit ad quartum, non potuiſſe celebrari Concilium propter duo graviſſima bella Turcarum, atquè Gallorum: ultrà quod *Lutherus* Vvormaciæ negaverit doctrinam ſuam ulli ſe ſubmiſſurum Concilio. Plura pro excuſatione congeſſerunt Lutherani, petentes tandem, ut minori, & æquali numero perſonarum iniretur concordia: Catholici ſeptem delegerunt, nempè duos Principes, duos Iure Conſultos, tres Theologos: ſcilicet *Epiſcopum Auguſtẽſem Chriſtophorum, Henricum Ducem Brunſuicenſem, Cancellarium Archiep. Colon. Cancellarium Marchionis Badenſis, D. Io: Echium, D. Conradum Vimpinam, & D. Io: Cochlæum.* Totidem perſonas delegerunt Lutherani, ſcilicet duos Principes *Io: Fridericum* filium Electoris Saxoniæ, & *Marchionem Brandeburg. Georgium:* duos I. C. *Gregorium Bruk,* & *Heller*, treſquè Theologos laureà tamen non
B inſignitos, *Philippum Melancthonem, Io: Brentium,* & *Io: Schneppium.* Die 16. Auguſti Confeſſione examinatà Lutheranà in 15. articulis concordia ſperabatur. Circa ſeptem articulos, quos de abuſibus inſcripſerant nullum eſt inventum remedium. Principes autem ut & in reliquis faciliùs convenire poſſent; tres tantum delegerunt, duos I. Conſultos ſupradictos, & Echium Theologum. Ex adverſò, duobus I. Conſultis adjunxere Melancthonem, ſed fruſtrà. Nã eo ad concordiam inclinante; Lutherus epiſtolis ſuis omnia diſſolvit, non ſinè lacrymis Melancthonis, redarguens ſuos, quòd vellent decipi à Papiſtis. Elector autem Saxoniæ, longioris moræ impatiens, miſſionem à Cæſare petiit, & abiit cum ſuis.

Lutherici protervia.

Dum hæc agerentur Auguſtę. *Lutherus* editis variis libellis Theutonicè, quibus Cæſarem, & Epiſcopos plebi odioſos faceret, Auguſtam miſit, & palàm
C vendebantur propè curiam Electoris Saxoniæ, quorum unus erat, epiſtola ad Archiep Moguntinum ſuper pſalmum, *Quare fremuerunt gentes, &c.* Quaſi conveniſſent Principes adverſus Chriſtum, & Evangelium eius. In eà Papam perſtringebat, & Cæſarem, quòd coronam Imperialem à Papà receperit abſentibùs Principibus Germanis. Alium ſcripſit contrà Eccleſię cęremonias, quibus ſublatis ipſe populum liberauerit à Papæ tyrannide, & Monachorum importunitatibus. Ita cadente Menſe Auguſto, ſunt diſſoluta comitia. Deteſtatus Cæſar hominum perfidiam, mandavit, vt ante XV. April. liquidò monſtrarent, an vellent acquieſcere Religioni antiquæ? ſe interim curaturũ, vt intra ſemeſtre Generale convocaretur Concilium; Reſponderunt Proteſtantes, *fruſtrà ab iis expectari, ut S. Scripturæ renuncient.* Obtu-
D lerunt etiam apologiam ſuæ Confeſſionis à Melancthone conceptam, quam Cæſar repudiavit; & noviter denegatà copià decreti iuſſit Catholicos in priſtinas ſedes reſtitui, quibus ſpoliati fuerant à Lutheranis. Vel ſaltem Cæſareæ Maieſtati tanquàm ſupremo domino bona vſurpata Lutherani adminiſtrãda permitterent. Conabantur iſti ſe clypeo conſcientię defendere: tandem Lutheri conſilio, arenà cedendum rati, *Deo ſe* (aiunt) *negotium comittere; nequè æquum recuſare ex legibus iudicium, vt ſuam palàm facerent innocentiam. Orare vero Cæſarem, ne graviùs in ipſos concitaretur.*

Confeſſio Sacramentariorũ.

Sacramentarii interim à Lutheranis ipſis excluſi, Confeſſionem auctore *Zuinglio* Cęſari exhibuere, ſed præ-

A præter riſum & cachinos nil retulere. Diſſolutis Comitiis: alia Coloniæ indixit, in quibus *Io: Saxone* reclamante cum Proteſtantibus (immò & *Gulielmo* Duce Bavariæ, qui imperio inhiabat) in Cæſarem eligitur Ferdinandus. Acatholici Smalcaldiæ convenientes, *Franciſcũ Gallorũ*, & *Henricũ* Anglorum Reges habuerunt in partibus. Iſte à Cæſare abalienatus, quòd divortium eius Catharina amita Cæſaris impediret: Ille Auſtriacæ infenſus potentiæ, centum aureorum millibus apud Bavaros depoſitis, alimenta bello ſubminiſtravit. Scribunt aliqui (inter quos Belcarius *l.* 20. Iovius) ab eo ſollicitatum eſse Solimanum.

Lutheri libelli ſeditioſi.

Triumphum interim agebat Lutherus duobus ſeditioſis libellis in lucem editis. Primo *Cæſari bellum imperaturo minimè obſequendum ſuadebat*; *ne Deo rebelles periculum rei, animæ, corporis incurrant. Turcam ipſum tam inſanum non eſſe, ut contrà Alcoranum pugnet, quemadmodùm contrà Evangelium Papiſtæ.* Altero Auguſtanum carpebat edictum, & ſolam fidẽ ſinè operibus iuſtificare clamabat. *Hoc eſto meum* (aiebat) *Doctoris Lutheri à Spiritu Sancto dictamen, verumq. & Sanctum Evangelium.* Ad calcem adiungit: *Ego in nomine Dei, atquè invocatione, ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabo, & conculcabo Leonem, & Draconem. Ea res inchoata eſt in vità meà, poſt mortem perficietur. S. Io: Hus de me vaticinatus eſt, qui cùm in vinculis eſſet Bohemicis, ſcripſit: aſſabunt nunc anſerem* (Huss enim linguà Bohemà anſerem ſignificat) *ſed poſt centum Annos cygnum audient canentem, quem ferent quamvis inviti.* Monitus ab amico tam effreni maledicentià temperaret, reſpondit: *Nihil curo mera maledicta, atq; Diabolos extare in libro meo. Hæc debet eſſe gloria mea, meuſquè honor. Hoc execrationum tonitru, atquè fulgur erit æris mihi campani inſtar, quo ad ſepulturam eorum inſonabo.*

Gebenã obſidet Sabaudus.

Hæc in Saxonià; dum Gebennæ pulſo Epiſcopo, Zuingliani marmor aræ principis, in quo totiès Chriſtus immolatus incruento ſacrificio fuerat, ad publicam tranſtulere cataſtam, ut in eo cęderentur damnati. Hoc tamen ſaxum impii conſilii auctor primus ſuo ſanguine cruentavit (teſte *Raymundo in Hiſtor.*) rebus converſis, poſtquàm fuit magiſtratu deiectus. Hanc urbem cum fruſtra obſediſſet Anno ſuperiori Carolus Dux Sabaudię, ſtipendia ſubminiſtrante *Clemente VII.* Pontifice ex eccleſiaſticis vectigalibus, nec non ſacro templorum ornatu; Ducem monuit Pontifex Romanus, ne eccleſias ſacrà ſuppellectili ampliùs exinaniret, belli ceſſante neceſſitate: Ingruentibus namquè Helvetiis, Sabaudus obſidionem ſolverat, magno timore, quòd in Italiam deſcenderent, exarcebati præcipuè Thuricenſes, (qui ob

Helvetii Thuricenſes cur Eccleſiæ infenſi?

olim ſuſceptam Eccleſiæ tutelam adversùs Reges, Eccleſiaſticę libertatis defẽſores appellari meruerãt) ob ipſis defraudata ſtipendia à trapezitis, & quęſtoribus Pontificiis. Propterea repetitis literis *Clemens* Cæſarem excitabat, Anglię, Galliæ, & Luſitaniæ Reges, Venetos, vt armorum ſocietatem in Hæreticos Helvetios inirent. Contigit autem, vt inter eos etiã Catholici ſupra modum vexarentur à Bernenſibus, &

Victoria Catholicorum in Helvetios Hæreticos An. 1531.

Tigurinis, qui cæteris potentiores, opibus præpolebant, & armis. Hinc factum, vt Quinque Cantones Catholici, Lucernates, Vrienſes, Suitenſes, Subſylvani, atquè Zugenſes 4. Non. Octobris An. 1531. bellum indixerint. Denunciatione factà, ad pugnandum die XI. Octob. Tigurini pręmiſsà cohorte cum ſex bombardis rotatis, ipſi cum optimo milite, ac XX. bombardis gravioribus ſubſequuti, tranſcenſo Albi monte, propè Monaſterium, *Capella* dictum, adverſus tres Cantones Catholicos Suitenſes, Zugenſes, & ſubſylvanos irruerunt. Catholici locatis inſidiis, poſt primum congreſſum fugam ſimulanres, uſquè ad locum inſidiarum, mox callidè redeuntes hoſtem magnà ſtrage ſuderunt ereptis bombardis, & munitionibus cæſis M. D. in quibus *Zuinglius* omnis perfidię auctor inter Helvetios, à duobus Catholicis, pronus in facie adhuc ſpirans, incognitus cum interrogaretur, an vellet confiteri? tacuit velut mortuus. Alius autem ſuperveniens, qui eum cognoſcebat, læthali inflicto vulnere, Ducibus indicavit, à quibus publico poſtulatus iudicio, ut proditor eſt condemnatus, & tanquàm hæreticus combuſtus, Annos natus 44. Cor eius numquàm ardere po-

Cædes Zuinglii.

B tuit. Cineres à ſuis magnà religione collecti, ac deinceps culti. Cęſi ſunt etiam alii inſignes apoſtatæ, nempe Abbas & Prior Capellæ Commendator Riſnacenſis, Antonius Vvaldner, cantor & Canonicus Turicenſis, Henricus Vtinger cuſtos, & canonicus ibidem. Ex civibus fortiſſimi quiquè. Capti præterea duo inſignes viri, Præfectus, & ſubſcriba Turicenſis. Alterum deinde prælium commiſſum eſt die XVII. Octob. Catholicis ſecundum. Nã Tigurini & Bernenſes numero triginta mille, partito agmine, Tigurini Zugam profecti, Bernenſes Lucernam obuios habuere Catholicos ad XVIII. millia peditum cõgregatos. Inito prælio propè fluvium, ceciderunt in acie hęretici 700. in aquis 500. die poſtea 24. Octob. Tigurini ac Bernenſes, vindictæ cupidi, accerſitis in auxilium Baſileenſibus, ac Schaf-

C fhuſenſibus, noctu meditantes irrumpere, ut Catholicos offenderent imparatos (nam Lucernenſes propter Bernenſes, ſeorſum caſtra locaverant) Alii quatuor Cantones cognito hoſtium conſilio, albas ſuper arma induentes camiſias, ut noctu ſe ſe diſcernerent, proceſſerunt in campum, magno quidem diſcrimine, nã in primo certamine, Catholici ad quintum ordinẽ cęſi retroceſſerunt, Deo tandem adiutore vicerunt, cęſis ſex millibus hæreticorum. Non propterea ira quievit hoſtilis. Vltimo enim die Octob. in vigilià S. Omnium, rursùs congreſsi Turicenſes contrà Quinquè Cãtones Catholicos, nihilò tamen feliciùs. Nam Catholici ſecundà horà noctis, eorum invaſere caſtra, cæſis quinquè millibus hoſtium, reliquos qui non aufugerant captivos fecerunt. Fuerãt autẽ in caſtris octo millia. Catholici Deo grati publicã proceſſionem inſtruxerunt ad templum Deiparæ (*Heremus*

D dictum) cum ſenibus, pueris, mulieribus, virginibus, omniquè imbelli turbà; quod ægrè ferentes Turicenſes, templum illud devaſtare decreverunt, atq; imaginem Deiparæ concidere. Illuc porrò occurrentes Catholici, conſertà manu, plus minus quinquè millia interfecerunt hæreticorum, raptis quatuor vexillis: licet hoſtis milite prævaleret, atquè bombardis: Catholici verò fide & pietate in Deum, & Sanctos. Toto enim expeditionis tempore religioſè cultum ſervarunt avitum, ſecum Sacerdotem habentes, ut Miſſæ intereſſent. Conſtituerunt præterea, XVIII. viduas in territorio Suitenſium, quę alternatim in templo B. Virginis Heremitico pro exercitu ſupplicarent die, noctuquè. Hæretici toties victi pe-

Religio Quinq; Cantonum.

tic-

Mors Oecolampadii.

tierunt tandem concordiam cum Catholicis,& inierunt, magnâ Quinquè Cantonum gloriâ, à quibus ſublati ſunt duo acerrimi Eccleſiæ hoſtes *Oecolampadius*, atquè *Zuinglius*:iſte in prælio cæſus, & exuſtus. Ille non longè poſt ex animi mœrore mortuus inventus in lecto vel à ſuo ſcorto (quod ipſe Monacus Apoſtata prò uxore tenebat) vel à dęmone ſtrangulatus.

Novi hæretici.

Huic ſucceſſit *Henricus Bullengerus* ſacerdos Apoſtata, quem ut alios Sacramentarios capitaliter Lutherus oderat quaſi afflatos à Diabolo, cuius ipſe conviva fuit, Pontifex, qui nummaria ſubſidia pro viribus Catholicis tranſmiſerat, & quatuor millia peditum ære Eccleſiaſtico in ſuppetias mittenda cõſcripſerat;& Clero Mediolanẽſi decumas imperaverat Sacerdotiorum; auditâ pace,doluit, quòd cum Religionis diſcordiâ conveniſſent. Tigurini namquè irâ perculſi cœleſti, omnes qui in eiurandâ hæreſi pertinaciores viſi fuerant, confeſtim è pago expulerant, ſequè adiunxerant Lucernenſibus.

Carolſtadius ab Inferis rapitur.

Territus Tigurinorum clade, ac publicis gemitibus *Carolſtadius*, qui apud eos diaconum agebat, Baſileam ſe cõtulit: divinam tamen non effugit vindictam.Dæmon enim,qui illum docuerat, concionanti adſtitit, indè per filium citatione præmiſsâ, quòd ab Inferis vocaretur, triduò poſt adſuit, & in Infernum abripuit.

Prodidit hoc eodem Anno novam hæreſim *Michael Servetus* Hiſpanus Sacramentarius Anabaptiſta,Trinitarius; cui accinuit *Io: Campanus* Germanus, ſcholæ deſertor Lutheranæ; ſicut & *Georgius Vuicelius Haſſius* vir doctiſſimus, quem Lutherus carceri mancipandum curavit, quia ſcriptis fidem defendiſſet Catholicam, & Lutheranis os oppilaſſet.

Dieta Ratiſponæ An. Sal. 1532.

Tanta diſſidia ut reprimeret *Carolus*,dietam indixit Spiræ celebrandam Anno 1523. Verum ubi intellexit *Solimanum* ingruere totius Orientis viribus ſuccinctum, ad invadendam Germaniam, dietam tranſtulit Ratiſponam. *Clemens* enim Pontifex certior factus à Grimano Pathriarcha Aquileienſi (qui ex Oriente reverſus (revelante ei *Aloyſio Gritti* Venetorum ducis notho, apud Turcarum tyrannum maximâ auctoritate pollente) Turcam cum Perſis pacto fœdere, exeidium moliri Imperii Chriſtiani, Reges literis excitabat,acLegationibus,ur torporem diſcuterent.

Franciſci Læmulatio in Carolum V.

Angli, Galli in Carolum coniuraverant (ſi ſides Nicolao Iſthuanff. *l.* 11. *Anal. Vngar.*& Belcairo Epiſcopo Metenſi *l.* 20. *n.*37.) percuſſo fœdere cum *Ioanne Vaiuodâ* Solimani cliente, qui partem occupaverat Vngariæ; & roganti Cæſari omninò ſubſidia negaverant.

Clementis ſtudia in Turcas & auxilia.

Veneti quadraginta ferè Annis bellorum fluctibus iactati, ac ſoli Turcarum impetum ſuſtinere coacti, pacem abrumpere negabant: Poloni Gallorum accuſabant deſidiam, qui cũ Turcam opprimere poſſent, negligerent. Solus itaquè Carolus, & Ferdinandus ab omnibus, Pontifice excepto,deſtituti arma parabant. Quos vt imparatos Solimanus opprimeret,Vaivodâ Tranſilvaniæ interprete *Clementem* pacis deludebat colloquio. Inſidiis tamen minimè deceptus Pontifex, non ſolùm Vngaros hortabatur,ne paterentur ſubdolis ſeduci conſiliis; ſed Legato *Hippolyto Medicco* nepote ad Cæſarem, excitavit vt Deo primùm orationibus, ieiuniis, & eleemoſinis placato, alacres congrederentur ſpe pleni,& illo præcipuè ſigno armati,in quo Conſtantinus vicit.Significavit optare ſe in Germaniam peragere,& vnà cum ipſis ſanguinem fundere pro Chriſti nomine. Verùm cum Italiæ nudatæ Pontifice periculoſa imminerent diſcrimina, decreviſſe, vt nepos cum decem millibus equitum ſtipendio Eccleſiaſtico conducendis,uſquè ad finem belli,caſtrametaretur menſtruo aſſignato ſtipendio quadraginta millium nummorum.

Sveinfordiæ Lutherani conveniunt Tentãt Carolũ ut vocet Concilium

Convenerant interim Ratiſponę Principes Catholici; Lutherani autem Sveinfordię in Franconiâ,petẽtes *ut cum promiſſum Concilium nunquàm fuerit congregatum à Papâ; ipſe Cæſar velut caput advocatus, & protector totius gregis Chriſtiani, antiquos æmulando Imperatores, qui in caſu ſimili Concilium convocare non dubitarunt, Concilium cogeret, cui Pontifex ipſe, & reliqui Potentatus tenerentur adeſſe. Quòd ſi generale non poſſet impetrari Concilium;ſynodus haberetur nationalis, in quâ articuli aberrantes ad Catholicam redigerentur veritatem,& concordiam.* B Moliebantur Hæretici concordiæ ſpecie conflare ſchiſma, & Germaniam ab Eccleſiâ divellere Romanâ. Quibus ſuſurris Imperator ſapienter occluſis auribus, expoſuit quâ diligentiâ apud Senatum Apoſtolicum uſus eſſet, pro impetrando Concilio; utquè Papa legationem adornaſſet in Galliam, ut de loco, & tempore conveniret. Gallus enim,& Anglus Concilium abhorrebat; Iſte ne cauſa *Repudii*,quod meditabatur adversùs coniugem,diſceuteretur in pleno Concilio: Ille dubitans, nè per Concilium pace, & religione reſtitutâ Germaniæ, *Carolus* vires ſuas in Galliam converteret.

Honor per Ferdinãdũ Legato delatus

Venienti Cardinali *Medicco* Legato occurrit *Ferdinandus* Rex Romanorum: cumquè ante Regiam iter fieret, inſtanti Legato apud Ferdinandum, ne maiori labore ſe gravaret; voluit Ferdinandus uſquè ad ędes comitatu ſuo Legatum cohoneſtare, C teſte Campegio *ep. ad Salviatum.* Die 27. Iulii, ſolutis comitiis, data fuerat Oratoribus abeundi poteſtas, reconciliatis Lutheranis cum Cæſare. Solimano namquè ingruente,efferatiores facti Proteſtantes cum plura adversùs Eccleſiam depoſcerent;& nulla ratio poſſet iniri concordiæ,Suinfordię Nurembergam ſunt tranſlati conventus in quibus Septemviri (teſte *Iovio l.*30.)convenerunt,*ut in aliud tempus Lutheranæ cauſæ cognitio differatur, cæteriſquè controverſiis,& rebus omnibus poſtpoſitis, omnes interim in unum belli apparatum animos intendant.* Hoc

Interim Caroli V. quo perdita Religio Catholica.

Interim Chriſtianam pietatem penè interemit. Hæreſum enim fœdiſſima monſtra liberiùs poſt hac furorem effuderunt, cum in Ratiſponenſi conventu ſancitum; nemini Religionis causâ uſquè ad futurum Concilium moleſtiam inferendam.Decretum recitat Goldaſtus *tom. p. p.* 511.*editione Zunneri, An.* D 1673. *Francofurti.* In aliâ editione,acriori ſtylo exaratum; quaſi ex Caroli V. ſententiâ Hæreticos igne carcere, gladio punire non liceat; cum tamen Hæretici ipſi non ſolùm Helvetios Catholicos ſed totam Germaniam, ſacerdotum, ac Monachorum cæde,templorum ruinâ fœdaverint.Mementote Gratianum, Valentinianum, Theodoſium, Martianũ Chriſtianiſſimos Principes, qui in *l. cunctos. C. de Sum. Trinit. & fid. Cathol.* articulum de S. S. Trinitate propoſuere credendum ſub pœnâ infamię, ac vindictæ ad arbitrium ſumendæ imperiale. Sunt tamen, qui excuſant piiſſimum Principem, cogente temporum calamitate, & Turcarum tyrannide, plura diſſimulaſſe, quæ non dubiè facturum ſi Barbarorum irrup-

ruptionẽ ad certiſsimum Europæ exitium paratam invertere coactus non fuiſſet. Hinc querenti Legato Pontificio, & pacta incuſanti cum Lutheranis fœdera reſpondiſſe (ſcribitur) non ſinè indignatione. *Fœdera non ſubiiſſem indigna, ſi Papa poſt Auguſtana comitia, Cõcilium congregaſſet.* Alexander *apud Pallavic.* Auxiliares cum conveniſſent copię; ducenta, & ſexaginta bellatorum millia Carolus Solimano obiecit, qui cum tercentis equitum millibus, & ducentis millibus peditum Germaniam populabatur. Cur non congrederetur? effecit Ibraimus Baſsà, amicus Caroli. Narrant Guiuſium Vngariæ oppidum oppugnantes Turcas terdecies repulſos auxilio S. Martini, qui non procul natus erat. Aiunt & *Cazanum Vaivodam* cum XV. Turcarum millibus deletum eſſe in finibus Auſtriæ. Fugientem Solimanum cum Carolus perſequi poſſet, noluit, nè diſcrimini Chriſtianos omnes exponeret: & quòd hyems ſubeſſet; tum quòd peſtis atrox in caſtris, & in aulà quotidie homines raperet. Timor tandem quòd Gallus Italiam invaderet; dum in Pannonià Turca ſęviret. Has curas, antequàm *Solimanus* diſcederet, anxiè Cardinali Campegio ſignificavit, graviter conqueſtus decumas vectigalium Gallicanæ Eccleſiæ *Franciſco* fuiſſe conceſſas, quas ad Italiam expugnandam eſſet converſurus. Suſpicionem augebat, quòd *Franciſcus* poſt *Carolo* denegata ſubſidia, literis ſuis Pontifici ſe obtuliſſet in Italiam armatum deſcendere adversùs Turcas, quorum impetus irrupturus diceretur in Italiam. Gratias tamen egit *Clemens*, & minimè timendum Italię, cum arma iam verterint in Pannonias. Colloquium accedebat Angli, & Galli, die XX. Octob. initum inter Caletum, & Bononiam Belgicam (teſte *Guiccardino*) eo voto, vt *Carolo* per Turcas in Pannoniis implicito, Ducatum Mediolanenſem Gallus occuparet: cumquè nullis artibus flecti *Clemens* potuiſſet ad ſovendas eorum artes, agitaſſe eos de Gallià, & Anglià ab obſequio, & concordià Eccleſiæ Romanæ divellendis, niſi divortium ab Anglo fieri, & Mediolanenſem ducatum à Gallo eripi toleraret: dataquè fuiſſe mandata Turnonio, & Tarbenſi Cardinalibus in Gallicà aulà auctoritate florentibus, de explicandis *Clementi* hiſce conſiliis. Antequàm verò diſſolveretur Regum congreſſus, cum percrebuiſſet Solimanum receſſiſſe, prava illa mitigavere conſilia. Nonnulli erant (ſcribit *Martinus Bellaius in Commẽt.*) hæreſi infecti, qui Reges Gallum, & Anglum impellere nitebantur; vt conciliabulum congregarent; Pontificem in ius vocarent ob acerbiora Apoſtolicæ auctoritatis imperia, nõ aliter quàm Germani de ſuis, vt dicebant, gravaminibus conquerebantur. Pacatà Germanià Cæſar in Italiam venit, ſequente Hyppolito Mediceo legato cum ſacerdotibus, & togatis, qui iuvenili ardore faſtidiẽs purpuram, paucorum ſtipatus agmine, cultu militari Cæſarem pręcurrens, ſuſpicionem iniecit, Florentiam novo velle bello implicare. Cumq. nuntiis revocatus non pareret, iubente Cęſare, cuſtodię traditur; ac mox liberatur, ne Cęſar Pontificem concitaret. *Quod æquiſſimo tulit animo Clemens, cum & captum ſimul, & dimiſſum Cardinalem uno tempore cognoviſſet, ſępè querens eius ingenium à deterrimis adulatoribus depravatum fuiſſe:* teſte *Iovio*. Arcana porrò cum graviſſima ſervarent communicanda Pontifex, & Imperator; Bononiam prius veniens Clemens Cardinales Grimanum, & Cæſarinum Carolo obviam miſit. Tres alios pręfecit cęremoniis. Venientem Cæſarem *duxerunt* in Eccleſiam in capellam Crucifixi. *Recedentibus Collegio, & Cardinalibus ad Papam, remanſit Cæſar genuflexus in faldiſtorio orans aliquantiſper, donec ego acceſſi* (M. S. in bib. Car. Bard. n. 1105. pag. 16.) *ad Pontificem; & quatuor Cardinales mecum duxi, qui intrantes capellam, Cæſari exhibità reverentià, & indè medius inter ipſos duobus aliis ſequentibus, deduxerunt ad capellam magnam, ubi Papa in ſede eminenti ſedebat, & Cardinales in banchis præparatis. Antè altare maius aliquantulum genuflexit, & cum eſſet magna multitudo procerum, & populi, vix potui aperire viam. Cæſar in medio capellæ videns Pontificem primò genuflexit in conſpectu, tum antè gradus, indè ad pedes Pontificis procidens oſculatus eſt, Io: Franciſco diſcooperiente pedem, & vix potuit ſe inclinare, tum Papa eum ſublevavit, ut non pateretur oſculari dictam manum: & aliquantulum elevatus etiam Papa erectus in facie, deoſculati, & adinvicem amplexi multà alacritate, & lætitià. Poſt aliqua verba Cæſar ab eiſdem Cardinalibus Diaconis tunc ibidem præſentibus, in ſede ſuà locatus ſedit, donec nonnulli proceres, & nobiles, ac prælati Imperatoris deoſculati ſunt pedem Pontificis, &c. Finitis orationibus duabus, Papa deſcendit ad altare, ubi iterum amplexus eſt Cæſarem: mox ambo Cruce, & Cardinalibus præcedentibus, extrà Eccleſiam per pontem ligneum procedentes, propter lutum in plateà erectum venerunt in palatium.* Infrà ſubdit de Evangelio lecto per Cęſarem in Miſsà. *Cardinalis de Cæſis ſumens enſem deauratum de manu Papę* verbis ſequentibus. *Damus, & aſſignari per te volumus chariſſimo in Chriſto filio Carolo Imperatori noſtro, ut eo utatur pro iuſtitià, & in defenſione neceſſarià, & S.R.E. ac contrà hoſtes fidei, & Salvatoris D.N.I.C. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, faciendo ſignum Crucis. Quo ſic portato ad Cæſarem unà cum Cardinale Cæſarino, nobis magiſtris coadiuvantibus, accinxerunt ſuperpelliceum Cæſaris, & ultimo poſuerunt pluviale ſuper humeros apertum à parte anteriori in modum Epiſcopi. Sic antè Pontificem factà genuflexione, extraxit enſem, & ter vibravit. Poſteà benè abſterſit ſuper brachium ſiniſtrum, & repoſuit in vaginam.*

Die Natalitio Salvatoris: cum Papa incepiſset Tertiam, *venit Cæſar ſub baldachino, à ſuis proceribus delato, & manto imperiali, & diademate in capite, fimbrias paludamenti Barenſi Archiep. & Pacenſi Epiſcopo deferentibus; tandem Magiſtro Domus, & altero Hiſpano antè eum armigero cum enſe, Marchione de Vaſto cum ſceptro, Duce Alexandro de Medices cum pomo, & Duce Mediolani cum coronà deferentibus, & præcedentibus, ad altare genuflexit, oravit. Indè conſurgens, Papæ fecit reverentiam: poſteà ad ſedem ſibi paratam ad dexteram ſolii, & ſedis Papæ eminentis.* Pluribus interiectis, ſubdit. *Duo Diaconi Cardinales, de Rodulphis, & de Mãtuà, Cæſarem, ex ſede ſuà ad Papam, coram quo genuflexus ſine diademate dixit:* Domine non ſum dignus *trinà voce.* Tùm de manu *Papæ ſacramentum, oſculando priùs manus Pontificis, & indè in facie: tum Diaconus habens calicem cum vino; Cæſar purificavit ſe ex illo: tũ Papa purificavit ſe à presbitero Cardinali cũ ſcypho cryſtallino ablutus. Demum magiſter Domus Imperat. accedens ad credentiam, præcedentibus duobus Maceriis, acceptà mappulà, ad collum tenens pelvim cum aquà acolythi*

lythi

Carolus cur non perſequeretur?

Prava Gallorũ & Anglorum conſilia contra Papam.

Mediceus Legatus Papæ cuſtodiæ datur.

Papa venit Bononiam Anno 1532

Procũbit Cæſar ad pedes Papæ.

Canit Cæſar Evãgelium.

Quo ritu ſuſceperit S. Euchar.

lythi loco, auditoribus Rotæ, præcedentibus duobus Mazeriis venit ad Papam. Tunc Imperator ex ſuâ ſede deſcendens accepit pelvim, & ſuper manus Pontificis effudit aquam. Papa dixit: Gratias tibi. Lotis manibus Papa ad altare, præcedentibus aſſiſtentibus cum libro, proſequutus eſt Miſſam. Poſtea dedit benedictionem, & Indulgentias, quas publicavit Rever. de Franeſio; poſtea exuit ſe pallio, planetâ, tunicellâ, dalmaticâ, & aſſumpſit pluviale. Cæſar depoſito ſuo paludamento, et diademate venerunt pedeſtres ſimul in palatiũ, tenẽdo ſe invicẽ per manũ.

Legatio Æthiopę.

In hoc conventu exceptæ ſunt celeberrimæ legationes Davidis Æthiopum Imperatoris veterem cũ Romanâ Eccleſiâ coniunctionem reintegrantis: Io: Luſitanię, ac Ferdinandi Regis Romanorum, &c. De Legatione Æthiopiæ vide *Damian. Goez. tom. 2. Hiſpan. illuſtrat.*

Colloquii cauſæ.

Colloquium Caroli tres habuit cauſas, Italiæ pacem; Concilium generale congregandum; & Anglum Regem coercendum ab iniuſto Reginæ repudio. Circa Concilium urgente Cæſare congregandum, ſe excuſabat *Clemens*, nè contradicentibus Gallo, & Anglo, novum ſchiſma conflaretur: proptereà ſcripſit *Clemens* ad *Henricum* Anglorum Regem, neceſſitatem exponens Concilii Oecumenici, ſinè quo nõ poterat inſtaurari Religio. Aulicos utriuſquè Regis ſollicitavit, ut pari ardore ad opus tàm ſanctum incumberent. Septemviros commonuit, Prẹſules, Principes, ac tandem *Hugonem Rangonum* Apoſtolicum Internuncium in Germaniam legavit, qui unà cum Legato Cęſaris celebrationem annunciarent futuri Concilii liberè à Patribus celebrandi, iuxta morem Eccleſię conſuetum, atquè multis antè ſæculis ab initio Vniverſalium Conciliorum adhęc tempora obſervatum. Eius decreta probaturi omnes, qui interfuturi erant, ſacramento affirmarẽt. Mantuę, Bononiæ, vel Placentię convocaretur: Quarum unaquęquè civitas tuta, capax, fertilis, ac ſitu, Germaniæ magis, quàm cæteris nationibus Tranſſalpinis accomoda. Hęc cum audiſſet Elector Saxonię, dilationem petiit ad reſpondendum, donec in conventu Smalkaldię deliberarent; ubi Iunio cadente, reſponderunt.

Prænũciatur Concilium generale Anno 1533

Lutherana reſponſio.

Concilium promitti liberum, ſed non eſſe. Ad quid enim ſibi Principes obligare; cum hæc obligatio nihil ſit profutura, ſi quid contra illud Conciliũ in ſynodo liberà decerneretur ex verbo Dei. Optandum, ut illa aliquãdo illuceat dies, quà oppreſſus error, ſuperſtitio, perfidia veritati cedant atquè virtuti. Concilium promiſſum ad ſananda Germaniæ vulnera ex erroribus Eccleſiæ Romanæ exigeri, ubi eſt vulnus inflictum. Non eſſe in Italiâ quærendum conſilium, ſi in Germaniâ eſt applicandum remedium. Obligatio Principum iureiurãdo firmata de obſervantiâ futuri Concilii, non aliud quærere, quàm Papæ tyrannidem ſtabilire; ut eius errores aut nemo reprehendat, aut quivis probet coactus. Inſuper cum non ordo, nõ modus, nec forma Concilii definiatur: incertumquè maneat, an Papa velit pari iure cum cæteris gaudere? Religionis lis ſit humanis traditionibus; vel ſacris literis decidenda? Veteri more cum concilium aſſerant celebrandum; licet à vetuſtioribus ſint longè diverſa concilia noſtra, & vulnera noſtra. Adverteret Cæſar, non aliter pacem Eccleſiæ poſſe reſtitui, quàm ſacrarum literarum inhærendo veſtigiis. Multa cum in Papâ, eiuſquè Curiâ ſint digna reprehenſione; eumdem reum, & Iudicem eſſe non poſſe. Hoc reſponſo ſatis Cæſar agnovit, S. Scripturæ prætextu Proteſtantes debachari, cum interpretationis iudicem non ſuſtinerent, & in Eccleſiâ caput viſibile non admitterent. In reſponſo enim, vt omnem obedientiam Pontifici ſubtraherent Romano, Cæſarem Pontifici prętulerant: quamvis in proponendo, & ſubſcribendo vidiſſent ubiquè primas partes datas eſſe Nuntio Apoſtolico *Hugoni de Rangonibus* Comiti, & Epiſcopo Regenſi, qui & Principem ſe ſubſcripſerat. Poſt hunc Orator Cęſaris abſquè ullâ additione ſubſcripſit, ſimpliciter, *Lambertus à Briaerde*. Lutherani verò in ſuà reſponſione, hoc uſi ſunt initio. *Salutem plurimam, & officia noſtra. Magnifice, & Reverende in Domino, amice ſingularis, & Domini obſervandi. Cum nuper nobiſcum die ſecundo Iunii eſſetis in oppido noſtro Vuinmaria, in Turingiâ, poſtquàm nobis deliberata quædam Invictiſſimi* B *Imper. Caroli V. Cęſaris Aug. Domini noſtri Clementiſſ. & Romani Pontificis Clementis de Concilio expoſuiſtis, & Nuncius Pontificius exhibuit nobis quoſdam articulos; reſpondimus, &c.* Iudicium cum Lutherani prệviderent adverſum, iudicem vivum calumniabantur, provocantes ad iudicem mortuum, ſolam ſacrã ſcripturam. Cũ tamen ipſa ſacra Scriptura in controverſiis ire mandet non ad ſcripturã mutã, ſed ad ſummum ſacerdotem. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius. Deut. 17. & Malach. 11.* Sic Paulus & Barnabas exortâ lite de Circumciſione, non ad ſcripturam appellarunt, quæ decernere nequir, ſed ad Apoſtolos, & Seniores in Hieruſalem, qui Spiritum Sanctum, & ſeipſos poſuere iudices, dicentes: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Quòd ſi Pauli adverſarii pervicaces fuiſſent ut Lutherani, replicaſſent. Vbi hęc ſcriptura, quæ mandet, nè Gentes C circumcidantur?

Scriptura quomodo ſit iudex controverſiarum

Lutherano Clemens poſtquàm Romam redierat accepto reſponſo, Conſiſtorium accivit, in quo cunctis ſuffragiis deliberatum, non aliter conſulendum Eccleſiæ labanti, quàm Generalis Concilii celebratione; quę cum inter Chriſtianorum diſſidia, difficilis foret; Pontificis eſſet, totis viribus concordiam priùs revocare. Hoc voto dicitur Clemens ſeriò meditatus, cum Franciſco Gallorum Rege affinitatem inire, & colloquium petenti non denegare, ut eo interprete faciliùs Proteſtantes ad Concilium adduceret. Ex adverſo Cæſar, qui pro Italiæ libertate exercitum velle dimittere iactabat, fœdus Bononiæ initum renovari petebat adversùs Gallum; & pactam deponi ab Italis pecuniam, ne imparati opprimerentur. Obiicientibus autem Gallorum Legatis, *quod ſi Cæſar aliorum expenſis exercitum ſemper in* D *Italiâ haberet paratum; neceſſe ut & Gallus in Salaſſis, & Delfinatu parem aleret, ne imparatus opprimeretur: Italia autem duobus oppreſſa exercitibus, non in libertatem, ſed in manifeſtam conii̇ceretur ſervitutem.* Itali pecuniam deponere recuſantes, bellum ſi inferatur, ſe collaturos promiſerunt. Nuptias etiam inter Mediceam, & filium Regis cum Cæſar haberet ſuſpectas (iactantibus Gallis, quòd ſponſa exornatura eſſet coronam Gallicam, duabus gemmis pretioſiſſimis Mediolano ſcilicet, & Neapoli) *Clemens* vrgebat; ut *Catharinã Mediceam* neptem Pontificis Duci Mediolanenſi matrimonio iungeret. Bononiam autẽ (antequàm de *Catherinà Sfortiæ* collocanda meminiſſet Cæſar) cum appulliſſent *Turnonius*, ac *Gradmonta-*

Conſilii Clementis de nuptiis cũ Gallo, & nepte

Reclamat Cæſar.

tanus Cardinales, pro matrimonio eiuſdem Catharinæ cum Henrico Aureliano Regis filio, Clemens, qui Cæſare conſentiente de hoc matrimonio cum Rege pertractarat, nunc ſine gravi Regis iniuriâ, de eodem cum *Sfortiâ* Franciſci hoſte agere non poſſe, reſpondit Carolo: licet Regem propter diſparem filii, ac Catharinæ conditionem non ex animo, ſed ad continuandam inter ipſos amicitiam, id meditatum exiſtimaret. Cæſar, qui *Franciſcum* ex tam diſpari familia filio uxorem quærere in animum inducere non poterat, à Clemente contendit; vt Gallos Cardinales procuratorium inſtrumentum eius matrimonii contrahendi proferre cogeret; quod ipſi intra paucos dies ampliſſimum protulerunt. Idcircò *Sfortia* non ſolùm ſperato excluſus eſt matrimonio, ſed etiam vt Clemens, & Franciſcus ad colloquium convenirent Niceę Allobrogum, peractum. Hinc Cæſar de Clemente non benè ſperans, poſtridiè B initi fœderis Bononiâ in Hiſpaniam fœlici navigatione contendens, à Clemente poſtulavit, vt tres Cardinales in eius gratiam crearet: Sed unus

Negat Clemēs tres Cardinales creare.

creatus: cæterorum repulsâ in Collegium reiectâ Purpuratorum, qui numerum augere noluiſſent. Franciſci Legatus paulò poſt, vt *Io: Aurelianus* Tholoſanus Pontifex Longavillani reguli patruus in eum cooptaretur Senatum, rogavit, & impetravit.

Vnum creat rogante Gallo

Rhodiis autem triremibus cum Maſſiliam traiicere ſtatuiſset *Clemens*; Cæſar ad colloquium impediendum cum Gallo, iuſſit, Rhodios Cæſarianis iunctos Coronem navigare, quem Turcis eripuerat; Clemens autem ne iter interciperet, ac notam vitaret ignominiæ, ſi eius culpâ Corones rediret ad

Clemēs Maſſiliam petit.

Turcas, Gallicis conſcenſis triremibus, Maſſiliam veniens, in Annęi Mommorencii Regiæ aulæ magiſtri palatio extra urbem, non longè à Fano Victoris pernoctavit. Poſtridiè urbem ingreſſus ingenti pompâ, locum Regi dedit eò ingredienti, undè exierat Clemens. Rex poſtridiè urbem ingreſſus Clementem adoravit. Duo Maſſiliæ inſignia erant Palatia vico interiecto, quæ Mommorencius interpoſitâ aulâ ligneâ coniunxit: ubi Cardinalium conventus, quæ Conſiſtoria vocant, Clemens agere, & commodè cum Rege alloqui poſset.

Nuptię Mediceæ.

In uno enim *Clemens*, in altero *Franciſcus* habitavit. Poſt orationem Latinam Regis nomine habitam flexis genibus coram Papâ à Ioanne Bellaio Ep. Pariſienſi; inter Catharinam Mediceam, & Henricum Aurelianū nuptiæ magnâ ambitione celebratæ

Creatio Cardinalium.

fuerunt. Actę poſtea de excitando *Philippo Lantgravio Haſſo*, ac Virtembergenſi regulo adversùs Cæſarem; ſed nil certi conſtitutum. Hoc unum eflagitabat *Clemens*, D vt principatu Mediolanenſi *Aurelianus* potiretur. Coactis Cardinalium comitiis, in gratiam Franciſci quatuor Cardinales creavit, Venatorem Lexovienſem Pontificem, ſummum (vt vocant) Franciſci eleemoſinarium, Bononienſem, Odonem Caſtillioneū (qui poſtea apoſtatavit) Mommorencii ex ſorore nepotē, Giuriū vxoris Brionis Amyralii patruū.

Munera mutua Papæ, & Galli.

Muneribus etiam certatunt pretioſiſſimis. Cornu Monocerotis longitudinis cubitorum quatuor cum Franciſco donaſſet Clemens; rependit Gallus auleis aureis, in quibus pictum erat Cænaculū Chriſti. Hyppolito Cardinali Mediceo, qui ex iuſſu Clementis, munera magni pretii modeſtè reſpuerat, de- A dit Leonem manſuetum. Cardinales donavit penſionibus in Galliâ exigendis; reliquis Pontificis domeſticis, vel Gallorum fautoribus largitus eſt munera. *Iovius l.* 31. Anglum etiam Franciſcus reconciliare curavit; ſed Romæ cauſa agitanda remiſſa eſt ob ſuperbiam Britannam. Cum enim *Henrici* Oratores Maſſiliam veniſſent, tam inſolenter ſe geſſerunt (teſte *Bekario l.* 20. *c.* 49.) ut in ipſo Pontificis cubiculo (teſte *Guicciardino l.* 20.) audiente *Franciſco* Rege, Pontifici palam obloqui, & ab eius auctoritate ad Concilium provocare futurum non deſiſterent.

Gallus ſuadet Clemēti, ut legibus agat in Anglū.

Vndè Franciſcum puderet, & Pontificem præteritę pæniteret clementiæ. *Franciſcus* propterea Pontifici ſuaſor fuit, ut *Henrici* cauſam deinceps legibus ageret. Circa bellum in Turcas, & Concilium (quæ obſtruebantur cauſæ colloquii) diſſoluta potiùs, quàm concluſa. Nàm Gallus in gratiam Hęreticorum inextricabilibus controverſiis de loco Concilii, non in Italiâ, ſed in Germaniâ celebrandi; quia Italia armis teneretur Cęſareis, excitatis Religionem politiæ prætulit. Dum hæc in rei Chriſtianæ damnum geruntur; fama volat, *Clementem* humanitate officiiſquè Galli Regis victum partes damnaſſe Cæſareas; Romam reverſum (teſte *Ferron. l.* 8.) Gallorum Regem Epiſcopatibus, Abbatiis, Eccleſiaſticis Pręfecturis, ſublatis electionum prerogativis donaſſe. Hiſce artibus credebat *Clemens* in Hæreticos excitare Regem, licet deceptus tantummodo verba retulerit.

Clemēs agit de Concilio.

Hinc Romæ reſtitutus, Anno 1534. conſcius ſibi imminere mortem, ter de congregando Concilio in Conſiſtorio verba fecit. Die primum XIIX. Maii, occaſione Anabaptiſtarum, ac Turcici belli, quibus occurrere difficile erat, ni priùs Proteſtantes ad veritatem C redirent. Secundò, die 8. Iunii Cardinales excitando, vt contra diſſidia incumberent Lutherana.

Motus Virtembergenſis.

Tertiò, die X. Iunii, cum accepiſſet *Vdalricum Virtembergenſem* Principem ditionem ſuam repetere à Ferdinando; militem ſuppeditante *Philippo Lantgravio Haſſia*, Belli autem ſumptus *Franciſco* Gallorum Rege, ad deprimendam Domum Auſtriacam, quæ propterea à *Clemente* valida poſcebat auxilia, timens ne Heretici elati victoriâ, ad evertendam Religionem conſurgerent, nàm Monaſterii furebant Anabaptiſtę. Hec omnia cum Clemens renunciaſſet Patribus; de celebrando Concilio convênère, previâ Principum Chriſtianorum pace, quam nervis omnibus Pontifex procuraret.

Fides in Mexico.

10 *Amiſſas Vrbes* dedit Clementi Deus, novo reparare Orbe. Dum enim *Martinus Lutherus* dæmonis organum Chriſtianos à verâ fide abducebat: alter *Martinus Valentinus* Legatus Apoſtolicus cum 12. Minoritis pervenit in Mexicum excitus à *Ferdinando Corteſio* Mexici debellatore, qui adeò ſacerdotes venerabatur, ut nunquàm cum ipſis miſceret colloquia, niſi detecto capite, & fixo humi genu. Ad tollendas porrò difficultates, quæ in erectione novę Eccleſię emergebant; procurante Corteſio prima ſynodus Americana Mexici celebratur, cui *Martinus* tanquàm Legatus Apoſtolicus præſedit. Interfuerunt novemdecim ſacerdotes religioſi, quinquè alii Ordinis Clericalis, ſex laici literati, inter quos idem *Corteſius*. Sancitum in eâ, ut neophyti è pluribus uxoribus, quas habuerant, unam ex his retinerent quam vellent, ſibiquè iungerent ritu Chriſtiano, cæteras

abii.

abiicerent. Contigit hoc Anno Septimo poſt natum in Germaniâ dogma Lutheranorum, eâ fruge ut intrà paucos Annos, in eâ Orbis plagâ ſepties dena cētenna millia, ſecundùm alios quatuor decies dena cētenna millia hominum in ſolo illo Mexicano regno baptizata dicantur. Magna enim in eo novi Orbis tractu eſt hominum copia, adeò ut in Inſulâ S. Dominici quindecies centenna millia hominum repe- riantur: & quandoquè in proceſſione centum millia hominum ſe Chriſtiano more ceciderint virgis. *Surius in Commentar. An.* 1558.

Numerus Baptizatorum.

Capucini.

11 *Capucinos* dictos ob capuciū ex quadrato panno confectum. Quorum auctor fuit *Matthæus de Baſſio* Vmber ſacerdos Minorita, apud Mōtem Falconium, in agro Piceno, viſione quàdam excitatus An. 1525. Cui ſe adiunxit anno ſequenti *Ludovicus Foroſempronenſis* item Minorita, ex quibus iſte celeberrimus Ordo proceſſit: quem tamen hi duo deſervere, ut Dei non hominum opus haberetur. Hunc Ordinem confirmavit Clemens VII. Anno 1528. cum ardentiſſimis concionibus mortales ad pœnitentiam impellerent, quam præferebant in corpore, & exoptandam eſſe, exemplis meliùs, quàm verbis oſtenderent.

Theatini.

12 *Theatinos.* Horū ordo inſtitutus eſt An. 1524. quo *Lutherus* depoſuit habitum Monachi, ſimulquè cum veſte Auguſtinianâ reliquum moderationis, & fictæ ſanctimoniæ. Initia dedere huic Ordini *Petrus Caraffa* nobilis Neapolitanus, Epiſcopus Theatinus, & *Marcellus Caietanus Tieneus* nobilis Vicentinus Protonotarius. His cum uſus eſſet Hadrianus Papa ad emendandos Eccleſiaſticorum mores, placuerunt quoquè *Clementi VII.* & adiunctis ſibi duobus ſociis, permiſſi ſunt inſtituere Clericorum Ordinem, ad emendationem Eccleſiæ, adeo inopes, ut oblatis tantùm ſpontè, non quęſitis alerentur eleemoſinis, rati ſibi unam Dei gloriam quærentibus, nihil defuturū.

Somaſchę.

13. *Somaſchas*; quorum auctor Hieronymus Æmilianus nobilis Senator Venetus; Ordo iſte Clericorum eſt Regularium, quibus curæ eſt, Orphanos alere, & ad artes, ac bonos mores erudire, dicti aliter Clerici S. Maioli de Papiâ, alio nomine Somaſchæ, à loco inter Mediolanum, & Bergomum. Obiit hic Hieronymus An. 1537. miraculis clarus: & huic Ordini in Galliâ adiuncti Patres Doctrinæ Chriſtianæ (nam ultrà Italiam non proceſſit) eorum quaſi ramus, ſub eodē vexillo, atq. Generali meruerunt.

14. *Ieſuitas.* De hac ſanctâ ſocietate abundè dedimus in *vitâ Ferdinandi I.* Alios Religioſorum Ordines adprobavit, vel confirmavit Clemens VII. Probavit An. Sal. 1533, Congregationem Regularium Clericorum S. Pauli decollati, Mediolani erectam à tribus nobilibus. Hi populum adhortantes, publicis expoſitionibus epiſtolarum S. Pauli, multis profuere, & allectis ſociis in Eccleſiâ S. Barnabæ Mediolani dicti ſunt Bernabitæ, poſt biennium confirmati à Paulo III. ſe ſe utroquè nomine digniſſimos oſtenderunt. Adprobavit Congregationem Recollectorum S. Franciſci, & Conventus eis commodos dari præcepit: undè tamen concitatæ ſunt lites, quæ nondum extinctæ.

Bernabitæ.

Recollecti.

Anno 1524

15. *Franciſcus Valeſius.* Ruinam Chriſtianorum meditante *Solimano* Scodrâ occupatâ, & Albâ Regali; *Ioannem Baſilium* excitabat Papa Moſchoviæ Ducem, Reguloſquè Albanos; cum nuncium fertur

A *Ludovicum* Vngariæ Regem (Chriſtianis auxilia non ſuppeditantibus) Solimani ſe commendaſse tutelæ, qui pacem quærebat, ut impetus omnes in *Achomatem* converteret. In Ægypto iſte occupato Alcairo Mamalucorum fretus reliquiis, ferox cum Chriſtianis conſpirabat. Propoſitis ergo Indulgentiis Clemens, & ad placandum Deum triduano indicto ieiunio; cum ſperarentur coire Chriſtiani; en Cæſar immiſſo *Borbonio* (qui ab *Aloyſiâ* Franciſci Regis matre iniuſtè vexatus ad Hiſpanos defecerat) in Galliam irrumpit, conſpirante Anglo, qui cū Borbonio regnū illud partiri pactus erat. Abiectis propterea Turcici belli curis, inſtructâ claſse in Genuenſi portu, conductas ſacro auro copias in Provinciam duxit. Pecuniam, quæ ex Indulgentiis prò Baſilicâ S. Petri collecta fuerat; tum eam, quam Chriſti fideles ad propugnandam Rhodum, recuperandamuè contulerant, B reſtitutione promiſsâ, indulgeri à Pontifice deprecabatur. Gallus etiam Cleri vectigalia trapezitis oppignoraverat ad reficiendum ærariū, Maſſiliā irrūpente Cæſare, *Franciſcus* in Italiam occupato Mediolano, arce adhuc ab Hiſpanis ſervatâ, Papiam venit, in quâ incluſi erant *Franciſcus Sfortia*, & *Antonius Leva* cū luculento præſidio: undè urbis capiendæ prudens foret deſperatio; niſi contrà rationem ſperare *Franciſcus*, eiuſq. aulici, homines temerarii conſueviſsent. Neapoli etiam eodem tempore irrumpere meditabantur, Hiſpanorum invitante ſuperbiâ, qui Pontificem in neutram partem inclinantem ſubſanantes irritabant: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Bellaius, & Galeatius Cappella huius expeditionis Clementem auctorem faciunt. Adiungit Guicciardinus Clementem Frāciſco ſuaſiſſe, exercitum non dividere, donec C toto Mediolanenſi principatu potitus eſſet. Si tot hoſtes Mediolanum concitaverat: quid ſi Regni Neapolitani accedat cupiditas? His motus Rex mandavit *Stuardo* Albanię Regulo retrocedere: licet urgente *Boniveto*, iterum ad traiectum excitaverit. Romam itaquè properante Gallo: *Clement*, quaſi neceſſitate adigeretur, ſocietatem (teſte *Belcario l.* 18. *c.* 15) non ut anteà cum Franciſco initam, ſed quaſi tunc iniretur, promulgavit: quâ nec alter alteri nocere mutuò promitterent. Diploma ſocietatis, quùm *Io: Corſus* Florentinus Legatus Cæſari obtuliſſet; Cæſar, qui Clementem in tanto diſcrimine à ſe defecturum ſibi perſuadere non poterat, vel ſibi perſuaſum ſimulabat; admodum, ut par erat, cōmotus, *nullo odio, nullâ ambitione, ſed ſolâ Leonis Pontificis auctoritate adductum bellum ſe in Gallos ſuſcepiſſe reſpondit. Leonem porrò eò impulſum Clemente tunc Car-* D *dinale Mediceo inſtigante, omniaquè eius conſilia moderante, qui, nè quid Gallus in Italiâ poſſideret, ad Italiæ tranquillitatem diceret pertinere: hunc ipſum Clementē ſocietatis paulò antè Hadriani Pontificis mortem initæ auctorem fuiſse; idcircò iniquiſſimum eſse, ut qui Cæſarē in tanta diſcrimina coniecerit, coniectum nullâ urgente deſerat neceſſitate, totieſquè datam fidem fallat, ac fallendæ cæteris exemplo ſit, perſonæ immemor, quam ſuſtinet. Addebat ſe & poſt Leonis, & Hadriani mortem in illum omnia ſua contuliſse ſtudia, ut Pontifex crearetur, quo auctore Italiæ libertatem ſperabat. Propter tamen Clementis mutationem, nec ob penuriam rei nummariæ ab inſtituto receſſurum, à Deo ſortem expectaturum.* Tentavit Florentinus in Carolum culpam refundere;

Sacram pecuniā inuadūt Reges.

Gallorum victoriæ

Negat Papa in partem alicuius deſcendere.

Anno 1524 Clemēs conſpirat cū Gallis.

Eius fœdus cū Gallo.

re; quod in Phocenſem provinciam arma intuliſſet invito Pontifice: cui Carolus libellum oppoſuit apologeticum, quo Papam accuſabat, *nullà ratione directum feudi dominum moveri ad iuvandam occaſionem hoſtilem contrà proprium feudatarium nil tale merentem non monitum, nec convinctum, ſed abſentem: eodem enim ordine, quo tenetur vaſſallus pro feudo domino ſervire, eodem ordine tenetur dominus vaſſallum in feudo tueri; & ex quibus cauſis vaſſallus feudum amittit, ex eiſdem cauſis dominus directâ proprietate feudi, illiuſquè directo dominio privatur; eſt enim ipſius feudi natura, ut ultrò, citròquè obligationem pariat.* Dum literis certabāt Pōtifex, & Imperator: Hiſpana caſtra deficiente pecuniâ ad fugam inclinabant. Clemens (teſte *Belcario*) Franciſcum monuerat, nè armorum aleæ victoriam committeret, ſolà cunctatione de triumpho ſecurus. Pugnam diſſuadebant omnes rei militaris periti. Sed Bonivetus prævaluit in regni perniciem ab *Aloyſiâ* elatus ad ſumma, ex quo Rex pendebat; imprudens ex imprudentiore. Aleà itaquè initâ ab Hiſpanis, *6.* Kal. Martii, An. 1525. tumultus à Gallis, & Helvetiis priſtinæ virtutis oblitis, qui vix viſo hoſte pedem retulere. Rex ferociùs, quàm fortiùs pugnans, ore, manu, femore ſaucius, equoquè ſuffoſſo captus eſt cum *Henrico* Navarræ Rege, aliiſquè proceribus. *Bonivetus* nè veniret in manus Borbonii, in confertiſſimam irruens aciem, non inultus occubuit. Octo Francorum millia ferro, aut aquâ periere Ticini. Ex hoſtibus vix ſeptingenti cæſi. *Franciſcus* vt ſe dederet *Borbonio* adduci nunquàm potuit: venit ergo in *Lanoij* manus, liberaliter habitus, & ad decus regiæ dignitatis, quādo oblitus ſui, obtinuit, vt pueri ephebi Franci ex Italorum manibus eriperentur, darenturquè Hiſpanis, apud quos caſtiùs ſervarentur. Pergebat tunc Romà Neapolim cum exercitu Dux Albaniæ; cum capti Regis fama increbuit; in cuius copias retrò iter flectentes irruentibus Hiſpanis, cæſæ, vel diſſipatæ Romam ſe receperunt. Hinc tumultus in Vrbe: æmulos enim Vrſinos adorti Columnenſes in eum timorem adegere Clementem, vt fœdus Hiſpanum vnà cum Florentinis ducentis millibus nummùm pretio coemerit, Venetis diſſuadentibus, qui decem Helvetiorum millia in Italiam arceſſere ſuadebant, & hoſtilis ſeditionis ob non recepta ſtipendia, fructū colligere anhelabant. Fœderis capita fuere,

Galli Regis captivitas An. 1525

Rex Gallus captus ab Hiſpanis. Anno 1525

Fœdus Clemētis cum Cæſare

Inter Papam, & Cæſarem perpetua amicitia eſto. Vterquè Franciſco Sfortiæ principatum Mediolan. certo milite conſervarent. Romani Pontificatus, Florentinam Rempublicam, privatim Mediceam familiam, cum eà quà Florentia pollet, auctoritate, Cæſar in fidem recipito. Florentia vi fœderis cum Hadriano pacti, centum nummùm aureorum millia numeraret. Pecuniam hanc Lanoius reſtitueret, ni Cæſarianas copias reducerent ex agro Pontificio. Ferrarienſis fœdus adprobaret; Rhegium, Ruberiā, cæteraquè occupata perſeverante Hadriani interregno reſtituat. Mediolanenſes à Cervia ſalinis ſalē accipiant eo pretio, quo Leo cum Frācìſco Galliarum Rege cōvenerat. In litibus ſacerdotiorū regni Neapol. Clemens eà iuriſdictione utatur, quæ deſcripta eſt in diplomate regni in fidem recepti. Clemens poſtquàm in integrum reſtitutus erit, Cæſari centum nummùm aureorum millia dependat: Ferrarienſem antiquis iuribus, & ſacris reſtituet. Mutina aliaquè urbes Pontificem patronum agnoſcant, vel Cæſaremè videant Iuriſperiti. Clementis conſilium alii vt ignavum, ac timiditatis plenum damnarunt, quòd Italiæ libertatem prodere viſus eſſet. Alii vt prudens celebrarunt: neq; enim victores ſtipendii penuria diſſolviſſet, quos vnius opulentę vrbis prẹda ad concordiā excitabat. Helvetii priſtinam fortitudinem non retinebant, Galli nobilitate amiſsà, vel captà potentem exercitum brevi conficere non valebant. Icto fœdere Clemens Piſtorienſem Pontificem Lanoio permittente, vt Franſciſcum inviſeret, ac conſolaretur, miſit. Victoriæ nuncium cum literis Frācìſci Regis manu ſcriptis Cæſar accepit, ſtatim ad ędem ſacrā Deo acturus gratias ſe contulit. Poſtridiè ſupplicatione indictà, ac ſumptà S. Euchariſtià, Mariæ templum inviſit: nec ignes accendi, nec vllum ſignum lętitiæ edi permiſit. Nationum Legatis dixit, quòd licèt ſibi vni victoriā adſcribere debeat à ſociis omnibus deſertus, eamdem tamen ſibi cum ipſis velle eſſe communem, arma in Turcas vertendo victricia. Hæc ſuadebat *Doſmeus* Confeſſarius Epiſcopus Oxomenſis, vt honeſtis conditionibus cum *Franciſco* paciſceretur, & ambo communibus armis Turcam invaderent, quòd *Fridericus Toletanus* Albæ Dux tam ſuperbè, quàm irreligioſè diſcuſſit. Propoſitę itaquè captivo conditiones graves, quas conſtantiſſimè reſpuit, paratus in carcere mori potiùs, quàm eas ſubire. Intereà alienatus eſt à Cęſare *Henricus VIII.* opera Cardin. Eboracenſis, quem poſt victoriam Carolus deſpiciebat. Quum enim antè victoriam ſemper ſuà, nihil alienà manu ad eum ſcribere ſoleret, hacq; ſubſcriberet formulà, *Tuus filius, & cognatus Carolus*. Poſt victoriam, nihil ſuà manu ſcribebat, & in ſubſcriptione ſolum Caroli nomen apponebat. Vix itaq; cum Lanoio Clemens convenerat; quùm novus è Gallia legatus Romam appulit nomine Reginæ matris, vt cum ipſo ſocietatem coiret: nullam tamē Clemens Cæſarianis ſuſpicionem iniicere audens: vbi Lanoium fœdus adprobaſſe, & præconis voce publicè proclamatum accepit, inexpectato Cæſaris decreto in æde Lateranenſi Kal. Maii, cæremonià non minori, quàm in Pontificià coronatione vſus erat publicè legi iuſſit, & vt ſuà ipſe præſentià adprobavit, ita Hiſpani mox violarunt. Præter enim ſuperiorē pecuniam, alia XXV. millia nummùm à Florentinis extorſerunt, raptò viventes in ditione Eccleſiaſticà, agrum expilarunt Placentinum, Rhegium, Ruberiā cum Eccleſię reſtituere teneretur Dux Ferrarienſis; de iis iure fiduciario eidem permittendis agebant. Cæſar ſalem Cervienſem in ſtatu Mediolanenſi diſtrahendum negabat; & beneficia Eccleſiaſtica in Regno Neapolitano variis exceptionibus corrumpebat. Ad imperium totius Italiæ (teſte *Guicciardino*) cùm palam aſpiraret ad imminuendas opes Pōtificias de Mutinà Ferrarienſi tradendà, Bononià Bētivolis, Lucà, Florentià, Senis Imperio aſſerēdis verba miſcebat. Veneti Cæſarianà victorià perculſi octoginta nummùm millia offerebant: Hiſpanis autem centum millia exigentibus, fœdus ſuſcipere recuſavit. Miſſus interim Valentiam Hiſpaniæ captivus Gallus, prima luce inconditis Sarracenorum Mahometem inclamantium vocibus excitatus, hoſtem rogavit, ut Hiſpaniam tanto opprobrio (teſte *Vincentio Blaſeo*) liberaret. Madritum cùm veniſſet, ex mœrore periculoſè ægrotavit: quare ſuadentibus medicis, viſitatus à Carolo, eiquè iniectâ ſpe

Regem viſitat per Legatum Clemēs

Fędus violant Hiſpani

liber-

libertatis,ſed in ſpeciem, convaluit. Nam ter decies aureorum centena millia à Gallis oblata reſpuit Carolus. *Davalus* Marchio Piſchariæ multis,& magnis de Cęſare meritus, indignatus improbam ſibi gratiã referri, omnium primum univerſos ad excutiendum iugum Hiſpanum, delendumquè proditione copias Cæſareas commoverat: Romanoſquè conſuluerat I. Conſultos, num utilem dominum beneficiarium pro ſupremo fundi domino deſerere liceret? Licèt poſteà mutatà ſententià, ſceleris participes prodiderit, ac ut certiora commoda ex eorum pernicie aucuparetur, *Hieronymum Moronum* pręfectum Ducis Mediolanenſis,arcanorum omnium conſcium torſerit, ut palàm coram iudicibus depromeret, quæ clam revelaverat. Quo patefacto à *Francisco Sfortià* Duce Mediolan. aliquot arces ad tutelam exercitus Cæſarei poſtulavit, arcemq. in quà Dux verſabatur vallo cinxit, & B obſidione; trepidante Italià. Hinc Clemens ex Venetorum conſilio, per literas, beneficia omnia Sedis Apoſtolicæ Carolo promittebat, ſingulariter decimas Eccleſiaſticas, pileos Cardinalitios, diplomata Crucesignatorum,ſi permiſſo Sfortiæ principatu Mediolanenſi,pacem reſtitueret Italiæ.Maioribus ut beneficiis irretiret, de gradibus Affinitatis lege ſolutà, nuptias celebrari permiſit cum ſorore Regis Luſitaniæ: facultatem exigẽdi decimas à Clero Trinacrio per triennium indulſit; aulicos, qui per ſexennium exegerant invito Pontifice, venià datà à cenſuris abſolvit. Maluit tamen Imperator, privati commodi conſectari umbram inanem, quàm Italiam à bellis inteſtinis, Galliam à luctu,Germaniam ab hæreticis, Vngariã à Turcis,Orbem totũ,ſeipſum ab innumeris vindicare periculis eo tempore, quo Maronitæ, Armeni,cęteriquè Orientales ſupplicem tendebant ma- C num, vt maiora imperia, quàm Italiæ particulas affectaret.Cum itaquè armorum fœdere Papã,Gallos, Venetos,Florentinos in ipſum iungendos cerneret,vt eorum vires diſtraheret, Regem Gallum dimittere legibus cẽſuit acerbis;& vt *Gattinaria* pręfectus ſcrinii Cæſarei adnotare detrectarit. Hinc pacta cũ Cæſare cunctatione Gallus eludens,negavit tandẽ Burgundiã promiſsã Carolo tradi poſſe,& cũ Põtifice,ac Venetis inito fœdere petebat *Mediolanũ Sfortia reſtitui.Italiã Cæſar abiret ad inſulas recipiẽdas Imperii,ſolo eo comitatu,qui arbitrio Pontificis relinqueretur,& Venetorum,ſolveretquè Anglorum Regi debitam pecuniam. Parabantur à fœderatis copiæ triginta millium peditum, equitum cataphractorum* 500. *Levis armaturę* 3000. *Maneret exercitus donec debellati ſint,qui Italiæ quietem perturbant. Sfortiæ uxorem daret Pontifex ex ſanguine Regio.Regnum Neapolitanum ubi debellatum fuerit,* D *Põtificis eſſet.Filios Regis obſides.Cæſar reſtitueret intrà quadrimeſtre.* In hoc fędus Clementem impulerat libido Cæſaris, qui cum Gallo ita cõvenerat,vt totam Italiam facilè opprimeret:hinc arx obſidione premebatur Mediolanenſis.Inſubres conculcabãt Hiſpani: Agrũ Cęſariani populabãtur Parmenſem.& Placentinum. Hiſpani curiam ſpernebant Romanam. Ea fuit cuiuſdam Hiſpani Notarii audacia, vt in Rotà Romanà litigantibus imperare non formidarit,ab eo ceſſarent tribunali tanquàm incõpetente.*Guicciardin.* Italia querulis vocibus Pontificem accuſabat otio marceſcere,& cum tyrannis conſpirare. Cæſar tot Principum conſpiratione exterritus *Hugonem Moncadam* amplissimis fultum mandatis ad Gallicam aulam,dein ad *Franciſcum Sfortiam*, poſtremò ad Papam ſubmiſit,ut ſi cum *Franciſco* convenire non poſſet, eidem Pontifici experitas tot votis pacis leges concederet.Cùm verò Gallum,nec Inſubrem ab hoc fœdere avertere potuiſſet,*Clementem* adiit die 17.Iunii unà cum Duce Sueſſæ Cæſareo Legato, ac primùm oratione prolixà,*Cæſaris ergà Papam amantiſſima ſtudia, ac vota pacis exagerans, addidit ſe cum mandatis ampliſſimis hoc voto inſtructum accedere: deniquè ſuum pacem,bellumque aſſerre.* Reſpondit Clemens, *Pacẽ iacere in manu Cæſaris, dummodò Libertatem donaret Italiæ, filios Gallo reſtitueret,& debitã auri vim Angliæ Regi.* His auditis Hugo Moncada actionem de pace non abrupit, ſed die proximo ſe rediturum ſubiecit. Adſuit concordiæ formulà propoſità. *Cæſarem Pontificis voluntati ſe accommodaturum, ac dumtaxat ſervato in ſpeciem iudiciorum ordine,tuendi honoris Cæſarei gratià,* Franciſco Sfortiæ *Mediolanenſem Principatum liberè permiſſurum,omneſquè controverſias, quæ ipſi Cæſari cum Venetis intercedebant,diremturum;ex Inſubriâ revocaturum exercitum, modò Papa cum cæteris Italis partem ſtipendiorum militi debitam perſolverent.* Reſpondit Clemens: *Sine Principum conſenſu nil ſtatui poſſe.* Vigeſima Iunii,Moncada iterum offerente Cæſarem ſuas controverſias arbitrio permiſſurum Pontificio; Clemens timens *Danaos etiam dona ferentes*, negavit à Gallo recedere; licèt Iacobus Sadoletus Ep. Carpentoratenſis poſtea Cardinalis, Pontifici deponendorum armorum aſſiduus hortator eſſet, ſed Deus nobis iratus cum ad pœnitentiam nos excitare decreviſſet plagà ordini inferendà ſacerdotali à concordià Pontificem retrahebat, ſpem ſuam in Gallo reponentem,qui ſociis plùs nocuit,quàm ſibi profuit carcere ſapientior minimè factus. Tumultuatum ergò ubiquè in Italià adversùs Hiſpanos.*Petrus Navarrus* fœderatæ claſſi præpoſitus per *Clementem* ſacramento ſolutus ſolùm adverſus Fidei hoſtes arma ſumendi concepto, die 16. Aug. Saonà acceptà, tentavit Genuam, ſed fruſtrà exercitu à fœderatis non ſubmiſſo, Mediolanum namquè cum irrupiſſet Marte improſpero *Franciſcus Maria* Vrbini Dux præfectus ſocialis exercitus, Hiſpanis ſe ſtrenuè tuentibus die 8. Iulii (quæ dies ad promulgandum Fœdus Romæ, Venetiis, & Pariſiis deſtinata fuerat) retroceſſerat cum tumultu, Helvetios ducens expectandos. Venere iſti numero quinq;mille ære conducti Pontificio duce Epiſcopo Laudenſi. Sed adhuc in Mediolanum caſtra reducere detrectavit Vrbinas,ni alià Helvetiorum agmina Galliciſconducta ſtipendiis accederent, memor forſan adhuc iniuriarum, quas ei intulerat Leo X. Datam Pontifici fidem prodidiſſe *Mathæus Gibertus* Datarius eſt auctor; inſcio namq; *Clemente*, res ſuas cum Carolo componere tẽtavit, ſeriùs auxilia ſubmiſit.Sociorum ſpes cum in celeritate poſita eſſet;cunctatio fortunã perdidit. Hinc *Clemens* coniuncto cum Florentinis exercitu,Senas Cæſari eripuere anniſus,magnà clade eſt propulſatus, præcedentiq. die *Franciſcus Sfortia* Dux Mediolanenſis Gallis fruſtrà expectatis,cùm obſidionem amplius tolerare non valeret,ſalvà libertate perſonæ,urbem dedidit:eodemquè tempore Pompeius Columna Cardinal. Hiſpanis addictus,accolas excitabat Romanos, pręcipuè macellarios novo irrita-

Davali proditio.

Bellum recruduit.

Liberatur Gallus.

Fœdus inter Papam, Gallos, Venetos.

Anno 1526.

Legatio Cæſaris

Clemẽs reſpuit pacem.

Clementis pax cū Hiſpanis.

tatos vectigali. Tuebatur ſe Vrbis mœnibus Pōtifex, quē cū apertà vi Mōcada nō poſſet opprimere, per inſidias de pace poſtulavit, quā Pōtifex contrario belli ſucceſſu perculſus, interprete *Veſpaſiano Columnà*, iis admiſit legibus, *vt Columnēſes Anagniam, aliaquè loca ditionis reſtituerent Eccleſiaſticæ; copias in regnum Neapolitanum reducerent, Pontifex iniurias indulgeret receptas, edicta in Pompeium Columnam Cardinalem conſcripta abrogaret, eorum ditionem ab Vrſinis vexari non ſineret*. Sancito fœdere Clemens copias (amicis contradicentibus non ſinè avaritiæ notà) dimiſit præſidiarias, & Cardinalem SS. Coſmę, & Damiani pro redigendo Orbe Chriſtiano ad concordiam die 24. Aug. legavit ad Cęſarem Interim dum nil hoſtile veretur Clemens; *Hugo Moncada* inſtructo circiter octo millium hominum exercitu, die XX. Septemb. per portam Lateranenſem irrepſit in Vrbem, flagitium populo diſſimulante Romano.

Clemētis avaritia.

Suà enim avaritià Clemens *omnium odia in ſe concitarat, ut nemo eſſet, qui vicem eius tam fœdè, & præter ſacramenti fidem, oppreſſi doleret. Nam ſacratos viros novis decimis* (ità Panvinius) *onerarat, officiorum collegiis redditus averterat; gymnaſii ſalaria doctoribus conſtituta ſubtraxerat; irata etiam tum maximè plebs erat, quòd certis horreorum monopoliis, magno Fiſci quæſtu, annonæ tunc in Vrbe ſumma charitas eſſet. Inſuper vt vias Vrbis ad normam redigeret, plurimorum domos funditùs exciderat non ſinè eorum damno, & incomodo, ut alterum è duumviris viarum, iniquo illo quæſtu expleret. Nemine igitur in tanto Pontificis periculo, qui omnium odio flagrabat repugnante, Columnenſes ducibus Marcello Pompeii Cardinalis fratre, Hieronimo Sarnenſi comite eius genero, Hugone Moncadà, Veſpaſiano, & Aſcanio Columniis in Vrbem irruperūt, & Palatio Vaticano, Bibliothecà, ſuppellectile ſacrà, & profanà direpto, in omnium quoquè auguſtiſſimā Baſilicam S. Petri nefarias iniecere manus.* Sic prędà onuſti nocte appetente receſſerunt cum tumultu, vt facilè ab exiguis deleri poſſent. Tanto irarum, & ambitionis æſtu Pompeius arſit, vt Pontificis cruore manus infecturus, ac Pontificatum vi invaſurus diceretur. Decreverat in eà perturbatione *Clemens* exemplo *Bonifacii* VIII. in ſede Pontificià vim excipere Columnenſium; ſed à Cardinalibus in arcem Hadrianam ſubductum *Guicciardinus* refert. Pompeius domi ſuę (ſi *Panvinio* fides) conſtiterat. Clemens ita circumventus, quùm commeatu in arce deficiente nullam in aliquo ſpem haberet, Hugonem ad colloquium magnis precibus, Cardinale *Pompeio* reluctante, advocavit. Ibi poſt multos ſermones pax ita compoſita, *vt Papa exercitum ex Gallià Ciſalpinà revocaret, Columnenſibus parceret, obſes Neapolim mitteretur vir dives* Philippus Strocius, *cui* Petri Medicis *eius patruelis filia in coniugem data fuerat. Hugo vrbe relictà in regnum cum omnibus copiis reverteretur, daretquè operā, ut quæ ex ſacrariis ablata eſſent ad myſteriorū cultum pertinentia redderentur. Ita ſcribit horum malorū ſpectator Hieronymus Niger* lib. 1. Liter. Princip. p. 235 Dedit Clemens Vincentio Barili provinciā aſſociandi libero diſceſſu copias Cęſareas, & commeatum iuſto pretio ſuppeditandi.

Caroli provocatio a. Concilium in Clementē.

Ediderat nudiuſtertius libellum Cęſar apologeticum, quem habes in *Aquilà* noſtrà *Auſtriacà*, quo ad Concilium provocabat. Paulo poſt alium dedit ad Cardinales, vt publici diſſidii cauſas in Pontificē, ac Gallorum Regē refunderet, vrgens vt contra Lutheranos Clementi concilium ſuaderent æcumenicum: Spirenſem enim conventum, in quo Germanià à Romanà Eccleſià deſciſcere parabat, non ſinè maximà difficultate diſcuſſum. Propterea ſi Papa illud indicere abnueret: ipſi celebrandum curarent. Ex adverſo Gallus; cum Solimanus 300. armatorum milibus, Ludovicum Vngariæ Regem cum ſolis viginti quinque millibus occurrentem in paludē demerſiſſet; libello vulgato Vngarię deflebat ruinam ob arma Cęſaris iniuſtè Gallis illata. Quinquaginta nummum millia Vngaris ſubmiſerat Clemens, datà facultate exponendi ſacram gazam; ſed quid inter tantos? Solymanus verò Budà in deditionem receptà, alto faſtu turgidus, cum Romam occupaturus iactaret; perculſus Clemens, convocatis Cardinalibus expoſuit,

Verba Clementis ad Cardinales.

ſe Turca imminente Reges ad pacem fruſtra concitaſſe, nec parum auri ad milites conſcribendos in Pannoniam ſubmiſiſſe: Bellum Italicum ſanè Vngaris nocuiſſe, neceſſitate tamen adſtrictum arma ſumpſiſſe pro Italiæ libertate, cum hoſtis leges pacis reſpuiſſet honeſtas: nunc verò illato à Turcis tanto vulnere Reipublicæ Chriſtianæ, conſcendendam ſibi eſſe claſſem ad Reges adeundos Chriſtianos, ut quà monitis, quà precibus, quà lacrymis pacem publicam eblandiatur. Quòd ſi votum hominum crimina vetarent, ſaltem in medio conatu vita ipſi à Deo eriperetur. Excepta eſt ſecundo Cardinalium plauſu oratio. Pleriquè tamen credidere, tædere ipſum icti cum Gallo fœderis, adverſante fortunà.

Sacra vaſa cōflare cōſtituit.

Mandavit etiam Epiſcopis, ſacras Italiæ opes, cruces, calices, omneſquè templorum aurum & argentum in cōmentarios referre, ut milites conduceret ſubſidiarios; ſi Turca irruere pararet. At mentem ſubindè mutavit, hortante Gallo: undè facta Columnenſibus ſponſio de iniuriæ acceptæ oblivione non ſervanda viſa eſt, Cæſare inoffenſo, quia à coniuratis vi, & flagitio extorta eſſet. Sacrilegia, proditiones ſinè penarum exemplo non tolerādæ.

Negat veniam Columniis.

Abrupto itaquè fœdere indecoro, ſpretis obſidibus, ab Inſubrià exercitu revocato Eccleſiaſtico; *Paulum Vitellium*, & *Auguſtinum Cardinalem Trivultium* decem millibus militum ſuccinctū in oppida immiſit Columnenſium, à quibus, Marinum, Mons fortinus, Gallicanum, Zagarolum deleta flammis, vel æquata ſolo. Pallianum & rupis Papalis milite communita Hiſpano capi non potuerunt. Mutuà tamen clade etiam à Columnenſibus nonnulla oppida Pontificia ſunt intercæpta.

Cardin. Colum. de proditione poſtulatus accuſat Papam de ſimonià.

Cardinalis *Pompeius Columna* de vi poſtulatus & proditione in Pontificem, *Clementem* de ſimonià in ambitu Pontificatus, libello Neapoli promulgato accuſavit, & ad Concilium provocavit futurum. Inſidias adiecit per proceres Romanos contra Pontificem, ſed fruſtra. Inter hæc *Franciſcus* cui *Angelorum* agnomen aditum, Minoritani Ordinis ſupremus miniſter, qui in Hiſpaniam profecturus, vt inde in Americam ad promulgandū Evangelium traiiceret, piis à Clemente mandatis inſtructus, vt Cæſarem ad reintegrandam pacem adhortaretur, ab hoc ad Clementem remiſſus fuerat, vt Caroli exponeret vota pacifica:

Leges pacis propoſitę inter Papam, & Carolum.

Venturum ſcilicet in Italiam quinque militum millibus ſuccinctum pro inſignibus Imperii: iis acceptis mox in Germaniam contra Lutherum percturum: æquis legibus cum Venetis fœdus initurum: cauſæ cognitionem de Sfortià duobus iudicibus à ſe & Pontifice delegatis commiſſurum, ac ſi criminis læſæ maieſta-

ieſtatis convictus foret , Mediolanenſem principatum A
Carolo Borbonio *traditurum : exercitum omnem ex
Italià abductum iri, Pontifice, ac Venetis ſtipendia militi
perſolventibus : Gallo Regi obſides filios vicies centenà
millia aureorum conſtitutis temporibus numeranti reſti-
tutum iri : pro horum ſanctione, octo menſium darentur
induciæ* . Hæc meditanti Clementi ; diſſenſere Hiſpa-
ni,Galliq. adminiſtri. Gallis ingratum erat, Cęſarem
quinquè millibus ſtipatum militum in Italiam in-
gredi : cum enim in Inſubrià copias haberet inſtru-
ctis,aliaſq;è Germanià accire poſſet,diſcordes Italos
facilè potuiſſet opprimere.Bis centum auri myriades
pro redimendis Franciſci filiis denegabant , quòd
iis auctus Cęſar totam ſubverteret Galliam . Qui-
bus reſpondebat Matthæus Gebertus Datarius Cle-
mentis nomine , *Cæſarem Italiæ ingreſſu arceri non
poſſe pacifico:Pecuniā iā ab ipſis Gallis Cæſari pro obſidum
libertate oblatā fuiſſe.Nec querantur Galli Clementē ab
eorū coniunctione diſcedere: quia iā antè Galli ſine Italis* B
*fædus cū Cæſare inire tētarunt : contemptā à Gallis Ita-
liam fuiſſe:exhauſtum ærarium Pontificis, viribus debi-
litatum;& ni ab Hiſpano pacem Clemens coemerit , vr-
bem ab hoſte expugnandam . Immeritò ergo carpi Ponti-
ficem, ſi acerbas leges ab hoſte recipiat . Benignè potiùs
Gallus recipiat,ſi pro redimendis Franciſci filiis , ac pro
reſtituenda Orbi Chriſtano pace,ipſe ſe longinquo itineri
velit exponere* . Nec minùs Hiſpani tumidi Cæſarem
ad pacem proclivem corrumpebant. *Georgius Fron-*

Fronſpergi impium facinus.

ſpergus ſuſperſtitione Lutheranus,animo,ac corporis
mole propè giganteà conflatum in Germanià exer-
citum ęre ſuo in Italiam ad prędam duxerat,aureum
ſecum ferens laqueum , quem paraſſe iactabat collo
Pontificis.ClaſſisCæſarea nova militum ſupplemen-
ta ex Hiſpanià in regnum Neapolitanum tranſvexe-
rat. Alphonſus Dux Ferrarię(quem Clemens affini- C
tatibus ſibi devincire,ab eoquè ducenta millia num-
mùm , traditis Mutinà & Rhegio elicere putabat ,
à Cæſareà liberalitate harum vrbium aſſequutus di-

Alphōſus Dux Ferrariæ cū Carolo V. conſpirat in Papam.

ploma, ſimulq; *Margaritam Auſtriam* nothā Cæſaris
Herculi filio ſuo in uxorē)in partes Cæſaris declina-
verat.Quorum ſucceſſu elatus *Lanoius* non ſolùm ad
militem ſuſtinendum ſtipendia à *Clemente* poſcebat,
ſed illata damna Columnenſibus reſarciri . Poſtula-
bat etiam Oſtiā,aut Parmam,vel Placentiam à Pon-
tifice,à Florentinis Liburnum,& Piſas ſibi oppigno-
rari, vt hiſce conſtrictus vinculis à Cæſare non di-
ſcederet. Humanitate tamen maiore Carolus proſe-
quebatur Pontificem;miſſo poſt Minoritarum ſupre-
mum miniſtrum,etiam *Cæſare Feramoſcà* cum literis
ſuà manu exaratis oſtentās conſilia pacis.*Lanoius* ve-
rò ProRex Neapolitanus, qui ad pellendum Vrbe
Pōtificem annhelabat,vltimà Ianuarii die cum pro- D
pulſatus Fruſinone ab Eccleſiaſticis animum auxiſ-
ſet fęderatis;Renatus comes Valdemontii,frater du-
cis Lotaringi,qui regni Neapolitani iura ſibi aſsere-
bat hæreditaria, inſtructis copiis, ingenti Hiſpanorū
terrore , claſſe Neapolim admotà caſtellum Maris ,
Surrentum ; exercitu verò terreſtri Aquilam,Cepe-
ranum , Celanum, Comitatuſquè ademit Taliaco-
tii . Nummaria ſubſidia , levia licet ſi Clemen-
ti Gallus tempeſtivè ſubmiſiſſet , res Cæſarea
gravi laboraſſet diſcrimine . Iam enim ad mœ-
nia Neapolis ſociales copiæ Hiſpano pavorem
iniecerant . Sed Gallorum cunctatio victoriam ſub-
vertit:aptior quippè Franciſcus erat movendis,quàm
bellis gerendis . Hinc Caroli Borbonii Romam ap-
propinquantis terrore perculſus Clemens,15. Mar- **Induciæ Clemētis cum Hiſpanis.**
tii inducias cum Feramoſcà Cæſaris , & Proregis
Neapolitani Oratore iuravit ſequentes : *Vt Cæſareo
militi, quem ducebat Borbonius , ſexaginta millia num-
morum ſolveret:capta utrinquè loca reſtituerentur. Nea-
politanus ProRex Romam accederet:Cardinalis Trivul-
tius Legatus ſe conferret ad caſtra , ut Borbonius retro-
cederet,nec ditionem Eccleſiaſticam, Etruriamquè vexa-
ret.Gallus,Venetuſquè inducias admittere poſſent* . Fidu- **Decipitur Clemens.**
cià itaquè fretus, quod Borbonius Cæſareis manda-
tis pariturus eſſet(licèt ille jam ante palàm profeſſus
eſſet , confectis à Pontifice cum ProRege pactioni-
bus ſtare nolle) licèt etiam Anglię,& Galliæ Reges
Clementem monuiſſent, ne ſe Hiſpanorum fidei, ac
poteſtati committeret: licèt Gallus,Venetuſquè dā-
narent inducias: Trivultio tamen Cardinali manda-
vit,cęteriſq;ducibus copias ex hoſtico ſolo reducere- **Inducias implet.**
rent. Aquilam, PontemCurvum,Ceperanū Hiſpano
reſtitui,non ſine gravi militū,ducumq;dolore.& Hiſ-
panorum gaudio.Germani autē minimè auro placa-
ti Pōtificio,ſed more latronum,prædæ irretiti dulce- **Germanorum irruptio.**
dine,ſtipendia cū longè maiora depoſcerēt,nec quiſ-
quā perſolveret; lutheranorū invaleſcēte factione,ſi-
gna per Flaminiā circūferentes, ſacra omnia,ac pro-
fana fœdarunt. Horū inſolentiā declinantes Monia-
les Montis Guardiæ inſigni prodigio abAngelis ſpe-
cie indutis mortali ſubductæ,primis tenebris per ca-
ſtra inimicorū, noctu incolumes venere Bononiā cū
omni ſuppellectili: Re perfectà evanuere ductores .
Audito Germanici exercitus per Flaminiā progreſſu,
trepidatum Romę,Florentiæ.Pro Rex Neapolitanus **Angelus Moniales ſervat.**
ſpe pacis iactabat Pontificem; ſed *barbaris ex fortu-
nà pendere fidem* ex Livio recordabatur . In Flo-
rentiam exercitus irrupturus putabatur Cæſareus ,
in quà ad Medices evertendos iacta diſcordia popu-
lum concitaverat: quod cum hoſtes reſcirent,incre-
dibili celeritate, ſinè impedimentis,ſinè tormentis ,
ſolo commeatu inſtructi ab *Alphonſo* Ferrariæ Du-
ce,Romam properantes, non penurià victi, nec im-
bribus (qui denſi, & frequentes de Cœlo cadebant)
nuntio præcurrerunt,nemine prohibente .

16. *Clemens* certior factus ſera cogitavit reme- **Clemēs pretio creat Cardinales.**
dia.Tres Cardinales pretio indicto creavit: at pecu-
nia ob tumultū numerari non potuit. Romanos con-
vocatos oravit,vt pro aris, & focis adversùs nefarios
latrones,& apoſtatas fortiter dimicarent: qui ditio-
res erant,in militū ſtipendia conferrent pecuniā : ſed
nemo quidquam contulit. *Dominicus Maximus* inter
Romanos prædives centum nummos duntaxat ob- **Romanorum avaritia.**
tulit:ſed meritas dedit avaritiæ pœnas; nam filiabus
militi proſtitutis , ipſe cum liberis captus , & omni
ſuppellectile amiſsà , grandi ære coactus eſt liberta-
tem redimere. *Vitellius*,qui Aretii præſidio erat, fœ-
deratos de *Borbonii* conſilio admonuit , ſerò tamen .
Borbonii celeritas, & *Rentii* imprudentia fatale ur-
bis maturarunt excidium . *Rentius*, qui in tumultu
frequentem ex Cardinalium , Pontificumquè fami-
liis , ex artificum officinis , & cauponum tabernis
turbam militiæ non aſſuetam conſcripſerat, & Vati-
cano ſuburbio debile quoddam vallum , ſed eius iu-
dicio ſatis validum adiecerat , eam de tuendà urbe
ſpem conceperat,ut pontem Tyberi perfringi non

pa-

nnn pateretur, quem multi dejiciendum putabant, A ut ſaltem Vrbs, ſi non ſuburbium defenderetur.

Borbonii cædes.

17. *Borbonius* III. Non. Maii An. Sal. 1527. in pratis Vrbi propinquis caſtramentatus, tubicinem miſit ad Clementem, ut ſibi Neapolim contendenti Vrbs pateret, negante Papà: poſtridiè primo diluculo, densà pruinà exercitus conſpectum abiegente, Vaticano ſuburbio per montem, qui *S. Spiritus* dicitur, appropinquavit. Portentum narrat Bellaius. Signifer Pontificius cuſtodiendę Vaticani ſuburbii ruinę deſtinatus, Borbonium cum paucis inter neta accedentem, ad explorandum locum oppugnationi accomodum, intuitus, tanto eſt terrore perculſus, ut in ſuburbium fugere exiſtimans, contra per ruinam deſcendens, rectà ad Borbonium venerit. *Borbonius* plures milites vexillum fugientis ſequi ratus, B pauliſper ſubſtitit, ſuos, qui ſequebantur, expectans, & ut pugnæ ſignum daretur, mandavit. Signifer tubarum clangore experrectus, errore cognito, lento gradu per eam, quà egreſſus fuerat, ruinam in ſuburbium revertitur. *Borbonius* iter ſibi quaſi divinitùs commonſtratum ratus, oppugnationem accelerari juſſit, & primus ſcalam manu tenens, quum ruinæ admoviſſet, & aliquot gradus conſeciſset, ſclopeto à ſuis emiſso, in femur ad inguem ictus, temeritatis pœnas luit, laudandæ fortitudinis miles, niſi cum eversà fœdè Romà, ſacriſq; impiiſſimè violatis cecidiſſet. Id an fortuitò, vel conſultò evenerit? ſunt, qui dubitent. Iam Cæſari ſuſpectus; quia ſororem *Eleonoram* in matrimonium promiſsam aſſequi non potuerat; cuius promiſſionis loco Cæſar MediolaC nenſem obtulerat principatum, ea tamen conditione, ut eum militum numerum aleret, in cuius ſtipendium quadruplicata eius principatus vectigalia ſatis eſſe non poſſent: quod ut conficeretur, in privatorum fortunas irrumpendum fuit. Ita *Borbonium* & Mediolanenſibus gravem, & militibus, quibus integrum non pendebatur ſtipendium, Cæſar odioſum reddidit. *Lanoius* an quid clàm in *Borbonium* molitus ſit? *Belcarius* dubitat. *Borbonio* porrò Romam diripere in animo non fuiſſe *Peſchenus Boius*, qui expeditioni intererat, affirmat, ſed juſtam in militum ſtipendium pecuniam indè conficere, & acceptas à Cæſare injurias ulturus, regnum Neapolitanum invadere, D quò illum extrema deſperatio adegerat, ut ſibi *Franciſcum* Regem conciliaret. Fuit *Borbonius* excelsà,

Statura Mores.

quadratà, robuſtà ſtaturà, colore fuſco. Vir vita integer, alieni non apperens, ita temperans, ut cum unicà uxore rem habere diceretur, quamquàm corpore mutila procreandæ ſoboli minimè aptà. Hiſtoriarum veterum, & recentium, mirum in modum ſtudioſus, bello ſtrenuus, foris, domiq; clarus. Boiis ſuis, cæteriſq; populis ſibi obnoxiis ita charus, ut multis poſt eius mortem annis, cæſum fuiſſe non crederent, rediturumq; ſperarent: patrimonio iniquè exutus, à Cæſare circumſcriptus, & alieno ſolo quaſi exul, militi externo ſubiectus potius, quàm imperans, multa præter vitę inſtituta patrare coactus eſt. Mortui cadaver Germani Caietam deportarunt, & in æde ..... hoc addito epitaphio collocarunt. *Aucto Imperio, Gallo victo, Superatà Italià, Pontifice obſeſſo, Romà captà, Carolus Borbonius in victorià caſus hic iacet.* Cæſum Borbonium princeps *Arauſius* eius propinquus, qui juxtà conſedebat, pallio juſA ſus eſt operiri, ne ducis morte milites conſternati ab oppugnatione diſcederent, qui ubi circiter duas horas pugnaſſent, in ſuburbium inſederunt. *Clemens* in Vaticano palatio pugnę eventum expectans, poſtquam hoſtes in ſuburbium irrupiſſe audivit, in molem Hadriani cum aliquot Cardinalibus confugit, ſpe cum Cæſarianis conveniendi. Hi autem victores, primùm ad diripiendam Petri ædem, Vaticani palatium accurrerunt, tantà atrocitate, ut fugientes, nec ipſa templi adyta, ſacrorumq; protexerit religio, ſed inter aras divum opem, ac hominum miſerationem implorantium ora ferro violata ſunt, facinore olim nec Gothorum, Vandalorumq; populis tentato. Expugnata virginum juxta ac matronarum, quamvis jurata Deo, hominibuſq; pudicitia; PrinB cipum, ac purpuratorum domus ferro, direptione, incendioq; vaſtatæ, nullà, nè Legatorum quidem reverentia. Hiſpanorum non minùs crudelitas acerba, quàm avaritia probroſa extitit, ut qui arcanas familiarum opes, exquiſitis etiam in nobiliſſima corpora ſuppliciis indagarent, neq; ab ipſis mortuorum ſepulchris, cadaveribuſq; rapaces manus temperarẽt. Germani à primo impetu, quo armatos vel ceciderant, vel repulerant, minus feroces libertatem captivis modico pretio dabant, ad menſas, & pocula ruebant, & in ſolos Cardinales, Pontifices, cæteroſq; ſacris miniſteriis addictos, Lutheranæ ſectæ labe infecti ſæviebant. Cardinalis Senenſis quamvis Cæſarianus, ubi cum Hiſpanis certo pretio, tàm prò ſua libertate, quàm prò palatii ſui immunitate conveniſC ſet, à Germanis captus, & palatio direpto, pugnis contuſus, apertoq; capite aliò deductus, libertatem ſuam quinq; nummum aureorum millibus redimere coactus eſt. Eandem fortunam Cardinales à Minervà, & Ponſetà ſubeuntes, veſtibus ſacris induti, aſiniſq; inſidentes ad ludibrium, per totam urbem deducti ſunt.

Cæſarianorũ atrox immanitas.

Pompeius poſt biduum urbem ingreſſus, cum promiſcuis omnia cædibus completa ſpectaret, ſuiq; ipſe conſilii immanitatem perhorreſceret, lacrymas in tantà occumbentis patriæ calamitate non tenuit: doluitq; incolumi *Clemente* ad pœnam hoſtiliter quæſito, ſummam malorum in capita innocentis D vulgi derivatam eſſe. Quarè indignatione in miſerationem versà, omni qua valuit auctoritate, apud milites contendit, ut humanitatis locus eſſet, aliorum pudori, aliorum vitæ, ac libertati æquis conditionibus coſuleretur; ipſe, præter laborem, nullis ſumptibus parcebat, ut matronas, virgines, patres ab hoſtili petulantià ſubtraheret. Expirare cum crederetur Roma, ſub cladis reſpiravit auctore, dubia an plus odiis oppugnantis, vel miſerentis deberet amori.

Pompeius Columna Romę ruinam lacrymatur.

Poſt *Borbonii* mortem, *Philibertum* principem *Arauſium* imperatorem ſibi, ſed non eadem auctoritate delegerunt milites. *Aurantio* deniq;, *Lanoia*, *Vaſto*, ac *Moncadà* Romam confluentibus, his legibus Pontifici liberior cuſtodia conſtituta eſt; ut quadraginta nummùm aureorum millia ſurenti, ſtipendiorumq; credita poſtulanti militi viritim exſolveret: & præſenti quidem ęre decem millia juſſus pendere, tamdiù Cæſarianorum militum præſidiis in arce cuſtodiendus, dum illa exſolveret. Mox Neapolim, aut Caietam, donec Cæſaris voluntas explorata eſſet, conceſſurus. Dedit, accepitq; fidem Pontifex, mili-

Papa ſe militũ cuſtodię commiſit.

Sal. An. 1527

Arauſius Cæſareorũ ductor.

militumq; cuſtodiæ ſub *Alarcone* Præfecto, ſe cum 13. Cardinalibus ex pacto commiſit: vrbis quietem omni flagitio fatigantibus militibus: quos vbi ad caſtra *Lanoini*, & *Vaſtius* revocare conarentur, ad necem quæſiti, ægrè tumultuantium ferrum evitarunt. Legum excuſſo freno, nihil ſacri revereri miles cœperat. Tantàq; inſolentià in Vaticanam bibliothecam graſsati ſunt, vt avarè pretio perditis ſelectiſſimis voluminibus, damnum Europæ dederint, omnium eruditorum lacrymis deplorandum, qui non fictè Cęſar calamitatem deteſtabatur: *Negabat ſe huius calamitatis auctorem. Pontificem accuſabat, quòd violatis induciis, perfidè militem provocaſſet; ſibi imputaret, qui in Columniorũ innocẽtiũ pluſquã barbarà feritate ſæviſſet. Nil proinde mirũ, miles, inſcio Cæſare, invitis ducibus, vrbẽ invaſerit. Dei manum Clemens agnoſceret, qui fallentem in virgà furoris viſitaverit. Tantũ nihilominùs ex hac ad ſe victorià perveniſſe doloris, vt victus, quàm victor haberi maluiſſet. Omnia propterea offerre pacis conſilia, cum nullum victoria captare fructum intenderet.*

Calamitas Romæ prędicitur.

Calamitatem hanc ut à Deo immiſſam nemo dubitaret; anteà boni viri prænuntiaverant. Inter quos quidam Italus ſacco indutus, antè captam urbem ſæpè prædicaverat grave imminere exitium Vrbi, niſi homines vitam pravam corrigerent. Sed in carcerem coniectus, ibi detentus fuit (teſte *Cochleo in Actis Lutheri*) donec ingruente calamitate à militibus dimiſſus eſt, quibus quoq; prædixit breve gaudium ex prædà ſacrilegà. Vaticinium comprobavit vitę auſteritate, & Io: Baptiſtæ nomine, cuius dictus eſt habere inſtitutum. Tantum facinus ipſe horruit Solymanus (teſte *Fabricio Cornelio in ep.*) à quo Græcorum redargutus eſt Pathriarca. Bello adiũcta eſt peſtis, quę in ipſam Hadriani molem penetravit, & nonnullos aulicos abſumpſit. Cæſar licèt Pontificis calamitatẽ lugere videretur, veſte aſsumptà lugubri, & ſignis interdictis lætitiæ; in Hiſpaniam tamen evocaſſet captivum; ni Hiſpani proceres nimis inhumanum, & nefarium inclamaſſent, quòd Cæſar Religionis propugnator ſummum Chriſti Legatum in cuſtodià detineret. Franciſcus, Henricus Galliæ, & Angliç Reges communicatis conſiliis, cum & ipſi Clementis libertatem urgerent, Cardinales Avenionem evocaverant, vt in tanto Eccleſiæ diſcrimine, remedia conſulerent opportuna; vel vt ſuos Gallus redimeret liberos, Pontificis libertate poſthabità. Hinc Cæſar religione, ſive infamià permotus (teſte Iovio) aut gravi rerum ſuarum periculo adductus, per *Franciſcum Angelum* Franciſcani Ordinis Principem Romam miſſum mandavit ducibus ſuis, vt Pontificem omni honore verborum in priſtrinam aſſererent libertatem, eiuſq; ſacroſanctam defenderent dignitatem; modò aliundè pecunia pararetur, quà militi ſtipendia perſolverent, vt opportunè Germanorũ legiones Romà in hoſtes educerentur: ſedulò autem caverent certis obſidibus, nè Pontifex fortè iniuriæ nondum oblitus hoſtilem animum indueret, ipſis non magnoperè nocere poſſet. Erant hæc Pontifici in alienà poteſtate conſtituto longè graviſſima, cum nulla ratio cogendæ pecuniæ reperiretur: quòd in eo captivo, & mancipato nec fides apud creditores, nec auctoritas eſſet apud ſubditos, ita vt de promiſſis firmiter cavere non facilè poſſet. In hoc diſcrimine, vni omnium Germani indomità feritate nequaquàm everſę civi-

Turca dolet calamitatẽ Papę

Cæſar mandat liberari Papam.

tatis ſpolio exſaturati, cum promiſſæ pecuniæ æquas publicanorum pactiones ſuſpectarent, ac ſuperbè reiicerent, truculentiſſimè cunctis, qui aderant in arce, Pontificiq; in primis, atq; Senatui, niſi maturè pecuniam expedirent, teterrima comminabãtur ſupplicia; vt *Clemens* longè chariſſimos, atq; honeſtiſſimos ex familiaribus, qui ſecum erant, repræſentandæ pecuniç obſides frementibus Germanis tradere ſit coactus. Hi fuere *Io: Maria Mõtanus* Archiep. Sipõtinus, & *Honofrius Bartolinus* Piſanus Archiep. Epiſcopi verò *Antonius Puccius* Piſtorienſis, & *Io: Matthęus Gibertus* Veronenſis. His acceſſere vti pecunioſi, nobileſquè, & arctà propinquitate Põtifici coniuncti *Iacobus Salviatus* Io: Cardinalis pater, & *Laurentius Ridulphus* Nicolai Cardinalis frater germanus: Quorum ſacratis manibus illicò barbari minaces iniecere catenas, & tantà truculentià ad exprimendum aurum terruerunt, vt in campo Floræ ad erectas, dicataſq; latronũ ſuſpendiis furcas, damnatorum more, catenati perducerentur, parato ibidem ad lege agendum carnifice, ſi paulò aſperior concionis fremitus annuiſſet. Sic miſerè pallentes, & extremo ſupplicii metu perfuſi, terquè in concionem producti præclarà ope magni Numinis ſervati ſunt, cum ſpes auri vel in efferatis diuturnà immanitate animis miſericordiam exprimeret. Horum unus *Io: Maria Arretinus* Archiep. Sipotinus fuit, nomine poſtea *Iulii III.* Papa futurus. Paulò poſt eluſis cuſtodibus, per vaporarium foci rubum in ſummà Reariæ domus tecta extracti funibus evaſerunt, & ad caſtra Vrbinatis in finibus Vmbriæ, confugerunt. Ibi catenas iterum ſubiiſſent, ità urgente *Laurentio Martellio* Florentinis copiis præpoſito, ni Feltrius, & Bozzelus ſeveriſſimis verbis veſaniã Martelli retudiſſent. Clementis obbrobria, quæ ipſe ac Cardinales à milite paſſi ſunt Cęſariano, nummiſma ſervat, ut in pag. 37. in quo Chriſtus à Iudeis flagellis cæſus ſub titulo, *Poſt multa, plurima reſtant*: quia Crux ſupererat, lancea, ſel, & acetũ. Addunt etiam aliud nummiſma, quod tamen ad Caroli V. ſpectat Tunetanã victoriam, unde ad pedes Cęſaris in eo habes Barbaros genuflexos & vinctos. Pontificis porrò libertatem cum ex mandato Cæſaris *Lanoius* certis legibus vellet paciſci; ſtipẽdiorum inopià efferatus miles nulla Ducum audiebat imperia: donec peſtilentià, ſimulquè *Lautrecii* ſucceſſibus, qui ex Gallià deſcenderat, conſternatus exercitus ad mitiora cœpit reſpicere conſilia; timorquè optimus morum corrector perſuadere, quod honeſtas non valuerat. Iam Galli præter Boſcum, & Alexandriam, fœliciter expugnatà Papià, tot nuper adverſariorum viribus indomità, per Inſubriam Romam pergebant. His iuncti Veneti, Florentini (Mediceis ex Vrbe deiectis) pro libertate Pontificis arma ſociabãt. *Andreas Auria* Imperator Maris Gallicà claſſe ad Delphini portum Hiſpanos debellaverat, victorquè Genuam patriam ex Adurniorum, Cæſariſquè poteſtate in partes Gallorum traduxerat: undè terrà, mariquè Cæſariani iam hoſtibus impares cederent. *Leva* Mediolani incluſus trepidabat à facie Lautrecii, & ſanè Germanos facile potuiſſet Italià pellere, ni Cardinalium Cybo, atquè Rodulphi, qui ad eum confugerant, conſilia ſequutus, omiſſo Levà, Romam versùs caſtra moviſſet, ut Pontificem liberaret. Padum igitur traiecit die XIIX. Octob.

Tradit pręſules in pignus

Galli Papiam expugnant.

G ſed

ſed cùm ille exercitum novis Helvetiorum copiis augeri, claſſemquè ad regnum invadendum Neapol inſtrui expectaret, ſive à Franco Rege, qui pro recipiendis filiis de pace agebat cum Cæſare, ſegniùs progredi iuberetur; ſeu quòd ad expugnandos in urbe Cæſareos non ſat viribus polleret, adeò cunctatus eſt, ut Pontifex moræ impatiens, pro redimendà libertate convenerit, *Vt præter pecuniam conſtitutam decimæ per Hiſpaniam Pontificia, atquè in ſacri belli præſidia collecta Imperatori cederent in præſentes neceſſitates. Iura ducatus Mediolen. ac Regni Neapolitani Carolo per Clementem inviolata ſtarent. Oſtiam, Vrbemquè veterem pignoris loco Cæſar acciperet.* Cum verò Pontificis familia eà laboraret ſame, ut aſinis avidè veſceretur; *Lanoio* autem vità ſuncto *Aurantius* ſucceſſiſſet, omnia tamen adminiſtrante *Moncadà* duri, callidiquè ingenii; veritus Clemens, ne pacis decreta duriora redderentur, conflatis omnibus templorum ornamentis, quæ miles avarus non religione, ſed negligentià omiſerat, ut indè cuderetur pecunia militibus dividenda, quæ quum ſatis non eſſet: *Marinum Grimanum*, & *Franciſcum Cornelium* Venetos, *Antonium Sanſeverinatem*, *Io: Vincentium* Caraffam, & *Andream Matthæum Palmerium* Neapolitanum, *Henricumquè Cardonium* Hiſpanum pretio legit in Senatum, vt vel auro præſenti, vel obligatà fide, ultrà decimas alienatas in regno Neapolitano, & iura beneficiorum, militum inflecteret contumaciam. Ita diſponente Deo, ut ad exſaturandam Hæreticorum ingluviem, Vicarius ipſe Chriſti cogeretur offerre vaſa Eccleſiarum. Nequè tamen ex Hiſpanorum manibus abiiſſet, niſi ementito mercatoris habitu ut vulgus ſalleret militare, noctis ſilentio, arce, & Vrbe dimiſſus eſſet, poſtquam ſeptem menſes inter barbaros non ſinè frequenti vitæ diſcrimine verſatus eſſet. Fugam paravere Pontifici *Pompeius Columna*, & *Hieronymus Moronus* (quos ſibi certis, ac liberalibus promiſſis reconciliaverat) Cum ſe igitur poſtridium exiturum dixiſſet, intempeſtà nocte evaſit, nil prohibentibus portæ cuſtodibus, quòd petaſatus & penulatus, ſubductaquè, & velatà barba ſe diſpenſatoris miniſtrum ignobili eo habitu mentiretur. Diſpenſator enim ſe præparandis alimentis exituro Pontifici ad ſingulas Caſſiæ viæ manſiones præcurſurum dixerat. Evaſit urbe occultà portà, quæ eſt in extremo Vaticani viridarii angulo ad turrim rotundam, cuius clavem ab olitore paulò ante Papa impetrarat. Ita eluſis cuſtodibus, Hiſpano militari equo vectus, quem ei dederat *Aloyſius Gonzaga* cognomine *Rodomontes*, cuius fratrē adoleſcentem nomine *Pyrrum* in his ærumnis propenſiſſimè legerat in Senatum, ad iter ſe ſe extendit, ſubterquè Cæſianū Vicū, & Baccaviam ſylvam Capranicæ paululùm moratus, ad Orbitū oppidum naturali circum ambiētis valli ſaxea orbita permunitum contendit, admirante moram, & ſemideccepto *Alarcone*, qui ut Pontificem ad quotidiana ſacra è cubiculo prodeuntem ſalutaret, in multam diem expectarat, non ſemel increpità apud cubicularios ſurgendi tarditate, cum Pontifex vel obdormiens excitandus videretur ad iter, quòd ægrè uti longum & luculentum his brumalibus præſertim diebus obeundum foret, Noctu ergo nullis comitantibus Cardinalibus Vrbem Veterem ingreſſus, *Lautrechium* certiorem fecit, Fœderatis gratias egit. Miſera quidem erat Imperii facies Eccleſiaſtici. Cadente Romà, oppreſſo Pontifice, Mutinam invaſerat Ferrarienſis, Veneti Ravennam tutelæ ſpetie detinebant, Peruſium Vrbinas ad Balionium traduxerat, Bononiam affectabant *Peppuli*, Camerrinum *Sarra Columna* occupaverat, Oſtiam, Civitatem Veterem, Viterbium, & alias arces inſidebant Hiſpani. Narniam, Interamnemquè exciderant Germani, qui XVII. Iulii Vrbe egreſſi, iterū Septembri exeunte reverſi maiora, quàm antea mala miſeris Romanis intulerunt. Advenit interim An. 1528. quo *Lautrechius* Gallorum ductor fœlici belli ſucceſſu ad vindicandas receptas iniurias Pontificem incitabat. Negavit tamen *Clemens* fœderatis accedere, excuſans viribus exhauſtis, diſſipatis opibus nullum communi hoſti damnum, ſed illius iram tantummodò exaſperare poſſe, & unà cæde totam perituram Italiam. Imola tamen, & Ariminum *Saxatello*, & *Malateſtà* deturbatis ad Eccleſiam redierant. *Lautrechius* avidè exceptus in regno Neapolitano Germanos Romà divulſit. Minitabantur iſti reliquias Vrbis abolere, ſed auro placati à Pontifice Neapolim die XVII. Februarii ægrè abſceſſerunt: quò mox Amicus Arſolus ſuccedens ſuccinctus milite, Germanos, qui in domibus reſidui erant, contrucidavit. Romà exierunt quinquè millia Germanorum tantùm, nam cæteros peſtis conſumpſerat. Lautrecbius regni urbibus occupatis Neapolim obſidebat terra, mariq; Philippus Auria Genuenſis, Andreæ nepos. Hiſpanà claſſe devictà, catenatis proceribus, Hugonem Moncadā occidit ProRegē, cui ſatis nō fuerat Romanū ſpoliū. Fato ſūcti ſūt omnes inhonoro, qui Romā expilarunt, in ignes proiecti virgarum inſtar à Deo, cum his filios ſuos graviter verberaſſet. Hiſce ſucceſſibus elatus Gallus regnū à *Clemente* poſcebat Neapolitanum Duci Engolimenſi ſuo Tertiogenito, eà conditione, ut in uxorem duceret *Catharinam Mediceam* neptem Pontificis. Carolus autem ob Sedem Apoſtolicam iniquè oppreſſam, dignitate exueretur Imperiali. Clemens autem quāvis verbis Cæſaris lactaretur inanibus, qui Oſtiam, Civitatem Veterem, necnon tres Cardinales obſidea tenebat graviora metuens pericula; ne Germania ab Eccleſià deficeret, ſi Papa jure Cæſaris deligendi uteretur, novo bello ſe implicare negavit. Officio ſequeſtris, & caduceatoris contentus, uni tantùm intentus reintegrando Eccleſiæ dominio, Ravennam, & Cerviam à Venetis, à Florentinis, qui jugo excuſſo Mediceo, etiam urgenti Gallorum Regi *Catharinam* neptem Clementis in cuſtodià ſervaram reddere negaverant, anathemaris illato terrore repoſcebat. Die quintà Octobris, ad preces Cæſareorum, Virerbio egreſſus, die ſexto Romam ingreditur lacrymans, cū Mundi dominā intuitus eſt miſerabiliter deformatā.

Eodem tempore Io: Vayvoda regno excluſus Vngariæ, per Ferdinandum Auſtrium, ſeſe Solimano ſubmiſit, promiſſo tributo, ſi per eum reſtitueretur. Adfuit Turca cum ducentis millibus armatorum, præter calones, unoquè impetu Quinque Eccleſias, Albam Regalem, Peſtum, Budam, Strigonium, Altemburgum occupavit, Archiepiſcopo ipſo Strigonienſi ſe in clientelam dante, & caſtra Turcica adversùs Chriſtianos ſequente. Viennam etiam obſedit, ſed fortiùs propugnante Philippo Palatino Rheni, Solimanus poſt dies 20. acerrimæ oppugnationis,

Libertas promittitur Papæ.

Cardinales pretio lecti

Fugit habitu mercatoris.

Sollicitatur Clemens ut iniurias ulciſcatur

Anno 1528

Romam repetit Clemēs.

Turcarum irruptio in Pannoniam

nis, deſideratis ſuorum ſexaginta millibus, receſſit. Torpebant Chriſtiani Reges, neque excitati Rhodienſium precibus, qui ad Clementem confugerant, Rhodo facillimè recuperandæ voluerunt adeſſe. Arcanum ſalutare, quod Solimanum ab Vngariâ poterat removere. Fluctuabat interim Carolus V. an ad defendendam Germaniam contrà Solimannum procurreret, an componendis rebus Italicis vacaret? Amicitiam Pontificis prænſante Cæſare, reſtitutâ Oſtiâ, Civitate Veteri, ac tribus Cardinalibus mutuæ adornatæ ſunt legationes ad aſſerendam pacē. Cùmquè dubitaretur, an magis expediret, ut Cæſar in Italiam deſcenderet; vel Papa in Hiſpaniam proficiſceretur? credidit Reipublicæ intereſſe, ut *Carolus* in Italiam ſe conferret, inſignia recepturus Imperialia de manu Pontificis. Legavit etiam Archiep. Capuanum ad Franciſcum Gallorum Regem, ut actionem de pace publicâ inſtrueret. Privatim autem cum Carolo Barcinone ita convenit: *Alexander Mediceus Clementis nepos Margaritam Auſtriam notham Caroli V. uxorem duceret, cum dote annua 20. millium nummûm, armiſquè Cæſareis revocaretur in Florentinum principatum. Cerviam, Ravennam vi, vel auctoritate Cæſareâ cogerentur Veneti Eccleſiæ reſtituere. Rhegium, Rubiera, quas Ferrariæ regulus tenebat, redderentur, ſalvis tamen iuribus Cæſarum controverſis. Cauſa Franciſci Sfortiæ iudicibus committeretur non ſuſpectis. Novus ſi eligendus Princeps, ex conſenſu etiam Papæ Cæſar eligat. Veneti fruendæ pacis eſſent capaces, ſi Cerviam, & Ravennam reſtituerent, cum urbibus occupatis in Regno Neapolitano. Reſtitutus Pontifex Cæſarem nomine Regni Neapolitani in fidem recipiat: præſtitæ fidei munus* equum album *veteris cenſus loco recipiat. Mediolanenſes è Cervia Salinis iuxtà fœdus initum inter Leonem, & Cæſarem utantur. Lutherani à Clemente gladio ſpirituali, à Cæſare gladio civili reducantur in ſemitam veritatis.* Articulis etiam convenere ſeparatis, *ut Cæſari & Ferdinando fratri quartam partem fructuum è Sacerdotiis reciperent iuxta indultum Hadriani, ad inferendum bellum in Turcas. Omnes, qui in Pontificem, vel ditionem peccaverant Eccleſiaſticam, ſacris reſtituerentur. Diploma Cruce ſignatorum quòd Cæſari minus amplum, quàm ſuperiora conceſſerat, eâ formulâ concederetur, quâ conceſſerant Iulius & Leo.* Vbi de his convenere, licèt nondum ſubſcriptis, nuntium de ſuorum victoriâ, ac de *Franciſco Borbonio Paulino comite* capto in Italiâ Cęſar accepit, undè à datâ fide defecturum cum quidam ſuſpicarentur: ille eodem die, qui 3. Kal. Iulii fuit, adſubſcripſit, & maiorem Barcinonenſis ædis aram ſacramento firmavit. Auctor pacis Mercurinus fuit Gattinariâ, quem propterea purpurâ ornavit Clemens. Nec longè poſt cum Cæſare convenit, & Gallus, deceptis fœderatis. Sub Autumnum Cæſar cum ingenti claſſe, quæ mille equites, peditum novem millia vehebat Genuam appulit; quo tempore Felix Vvirtembergus cum octo Germanorum peditum millibus Galliam ingreſſus eſt Tranſalpinam. Italis omnibus territis protinùs Florentini Oratores miſere, vt cum eo fœdus percuterent, nullâ Pontificis, ac Mediceorum mentione factâ: ſed repulſam paſſi ſunt, reſpondente *Mercurino Gattinariâ* ipſos ob Gallicam factionem ſuſceptam adversùs Cæſarem, ius amiſiſſe libertatis: admoniti tamen cum Clemente litem componere.

Pax inter Papam, Cęſarē, & Regem. Anno 1529

Cæſar deſcēdit in Italiam.

Bellum Florentinum.

Sævierant iſti in Papam Mediceis Florentiâ depulſis; *Catharinam Mediceam* monaſterio incluſerant. Familiæ Mediceæ inſignia eraſerant, prædia, opes Fiſco addixerant, more tandem Lutherano ſacra diripere incœperant: *Caponium* Reipublicę dictatorem magiſtratu deturbarant, quòd cum Pontifice deprehenſus eſſet miſcere colloquia, de reſtituēdis in patriam Mediceis, ſalvâ Reipublicæ libertate, vt ex ſequentibus literis, quas recitat Iovius *l.* 27. *Scis ex arcano me agere cum gravi illo, quem noſti homine, maximequè familiari Pontifici. Is mihi retulit, Clementem ſatis proſperè, & firmiter convaleſcentem eo eſſe animi decreto, ut ſe honeſtâ conditione cum civitate conciliet, & belli conſilia penitùs abiiciat; neque ægerrimè ſit laturus, quòd populus perpetuò Rempublicam adminiſtret, & parta libertatis iura tueatur, modò per æquas conditiones civili more propinquorum ſuorum ratio habeatur apud Magiſtratus.* In ius vocatus Caponius egregiè ſe defendit, undè omnium propè calculis eſt abſolutus; licèt poſtea à Florentinis odio in Mediceos ſit Magiſtratu deiectus; Pontificem ſinè ullâ honoris, aut ſanctitatis præfatione, *Clementem* nudo nomine appellantibus, & tanquàm ſpurium, neque ideò ritè creatum Pontificem accuſantibus (teſte *Iovio l.* 27.) Deturbato *Caponio* ſubſtituere *Carduccium* hominem temerariū, qui edicto inuſitato, & Lutherano, *Xenodochiorum, hoſpitaliũquè, domorum, & templorum prædia confiſcāda, venundandaquè propoſuerat: & non comparentibus emptoribus, ea locupletibus ſub pœnâ maieſtatis coemendā addixerat: quæ impudenter decreta cum certâ labe privatorum fortunas ad exitium redigebant.* Rationem addebat quòd *donaria templis religioſiſſimè dicata tollerentur, quòd ea non tam ad ornamentum pacis, quàm ad belli ſubſidia collata crederentur.* Tot Pontifex laceſſitus iniuriis in Florentinos militem immiſit Cæſareum: qui etiam Perusio, Aretio, Cortonâ amiſſis, ad tuendam libertatem animos obfirmarunt, ſperātes Cæſarem Turcarum diſtractum curis Italiam nō reſpicere. Carolo interim Genuâ Romam, adventanti tres Cardinales occurrere Legati, ut Pontificiæ ditionis fines ingreſſum ſacramento adigerent, ipſum nihil unquàm de Pontificio iure, ac libertate detracturū. Pro colloquio autem reintegrandę pacis actum (teſte *Guicciardino l.* 19. ut Pontifex Bononiam ſe conferret, ibiquè ſtantem Carolus ut gradu honoris honeſtiorem conveniret. Magnorū namquè Principum eſſe putant; ut qui auctoritate præſtat, urbem colloquio deſtinatam prior ineat. Româ priuſquàm decederet, decrevit electionem futuri Pontificis, ſi ei ante reditū mori cōtigeret, Romæ ſolūmodò fieret, & nō alibi ſub pœnâ nullitatis. Die proximo, qui fuit Non. Octob. Anno 1529. præeunte Euchariſtiâ Bononiam venit (ſecundus iſte cōgreſſus Bononiæ inter Papam, & Cæſarem) appropinquanti Cardinales ferè omnes exierunt obuii per medium milliare uſquè ad monaſterium Cartuſienſe; ubi ut primum videre Cæſarem, collegialiter ſe moventes, detectis capitibus, poſtquàm Farneſius Decanus verba fecit, Pontificis nomine, atquè collegii, brevi accepto reſponſo, medium deduxerunt in dictum monaſterium: Ipſi verò redierunt in urbem. Die V. Novemb. Bononiam ingreſſus more militari, armatus albo inſidens equo porrectam ſibi crucem in portis per ſuffraganeum Epiſcopi Bonon. ſedens eſt oſculatus,

Caponius in jus vocatus.

Florentini Bona ſacra expilare tentant.

Iuramētum Cęſaris petentis Italiam.

Papa primus Bononiam ingreditur.

tus, excuſans ſe quod armatus non poſſet commodè deſcendere. Obtulerunt poſteà incenſum: canente Clero. *Ecce mitto Angelum meum*, *&c.* Præcedebat theſaurarius aurum in turbas proiiciendo, & argentum. Palatium aſcendens, venit ad ſuggeſtum Papæ, ubi ſedebant Cardinales in primo ingreſſu quadraturæ versùs faciem Pontificis. Genuflectit primò ad gradus ſolii, indè ad pedes Pontificis, oſculatus eſt pedem, ſucceſſivè manum, ſublevatus ab ipſo Papà ad oſculũ faciei receptus, *Veni* (inquit linguà

Cæſaris ſupplicis oratio.

Hiſpanà) *S. S. Pater ad pedes tuos, quòd ſummo votò ſemper expetivi, ut feſſis Chriſtianæ Reipublicæ rebus communi conſilio ſuccurramus. Oro Deum O. M. qui me huius voti compotem fecit, ut noſtris conſiliis adſit, atquè hic adventus meus Chriſtianis omnibus ſit ſalutaris.* Tum Pontifex. *Certè hoc ipſo congreſſu ſicuti Deus immortalis, & Sancti Cælites ſunt teſtes mihi nihil unquàm fuit antiquius: & iam Superis gratias ago, quòd te videam proſperè, atquè fœliciter terrà, mariquè perductũ, reſquè eò deductas intuear ut te auctore de concordià omnium, & ſolemni pace minimè deſperemus.* Obtulit ſubindè Cæſar auri ſignati circiter libras decem. Deinde Papa, & Cæſar à ſiniſtris, quem Papa ſem. per manu tenuit, ſimul deſcenderunt versùs portam S. Petronii: & tunc dimiſit Cæſarem, ut in Eccleſiam pergeret. Papa verò Cruce præcedente, & Cardinalibus, ſede delatus eſt in palatium. Intravit Cæſar in Eccleſiam aſſociatus à duobus Cardinalibus presbyteris, & duobus Diaconis, præcedentibus cãtoribus, inſonantibus antiphonam: *Ecce mitto Angelum, &c.* Inde *Te Deum laudamus* Ad altare maius

Leges pacis.

genuflexus oravit in faldiſtorio, indè oſculatus altare, abiit in palatium. Venit poſteà Sfortia Dux Mediol. ſub fide Pontificis, & licèt infirmitate correptus cum baculo in manu, vix pedibus ſuſtineretur, genuflexus voluit omninò oſculari pedes Papæ recuſantis. Iuſſus ſedere noluit, ſed ſtans cum baculo ſecretò loquebatur cum Papà; quo tandem intercedente liberaliter receptus à Cæſare, & in gratiam reſtitutus, Principatum accepit Mediolanenſem. Veneti erogatis Cæſari cẽtum aureorum millibus quaſ. cumquè urbes, oppida, caſtra, iuraquè obtinuiſſent in continenti liberè deinceps, ac pacificè poſſiderent. Pontifex Flaminiæ civitates reciperet, occupata Regni Neapolitani municipia reſtituerentur. Scriptis pacis legibus; die 24. Decemb. in Vigilia Nativitatis I. C. Capellæ Cæſar interfuit, & in ſede ſuà Camerali à ſiniſtris Papæ propè aſſiſtente Epiſcopo poſità ſtetit, & ſedit. Inter proceres *Sfortia Dux Mediolan.* caudam pluvialis Papæ deferre

Cæſar canit Evangelium.

voluit licet infirmus, & vix ſuſtineretur in tibiis, locum habens inter duos Diaconos Cardinales. In Matutinis indutus Cæſar pluviali aperto à parte anteriori, more Epiſcopali, in medio Chori, cecinit Evangelium, *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, &c.* die ſequenti in Miſsa aquam infudit manibus Papæ. Bononiæ ſubſtitit uſquè ad diem 22. Feb. Anni 1530. ſacram cathedræ D. Petri, quà in ſacello domeſ-

Cæſar Coronatur Bononiæ. Anno 1530

tico unctus eſt, & manu Pontificis coronatus diademate ferreo, quòd Legati Modoetienſium attulerant ad retinendam veteris prærogativæ dignitatem. Ritus, & cæremonias legere potes apud *Odoricum Raynaldum* hoc Anno. Lapſo biduo ornatus eſt coronà aurea eo apparatu, quem deſcribit *Iovius l.* 27. Quo

A abſoluto, Pontifice equum aſcendente, ſtratoris implevit officium, pedem ſuſtinuit, frænum tenuit, equũ aliquot paſſus ducere voluit (teſte *Auguſtino Stenchio l.* 2. *adverſus Luther*, indè equum conſcendens, unà cum Papa ſub eodem baldachino equitavit. Publicatum poſtea diploma de collatis Carolo V. inſignibus Imperialibus, cum facultate retinendi regnum Neapolitanum quoad viveret. Controverſias cum Ferrarienſi de Mutinà, & Rhegio in Cæſarem tanquàm arbitrum Papà compromiſit (delectis I. Conſultis, qui cauſam patrocinarentur Pontificiam) eo pacto, ut Cæſar cauſam protraheret, ſi Pontifici iura adverſa

Contentio de Mutinà & Rhegio.

crederet. *Mutina* interim in manu Cæſaris deponeretur, qui tandem Anno 1531. Mutinam Rhegium tanquàm iuris Cæſarei adiudicavit Ferrarienſi. Ferrariæ inveſtituram Pontifex acceptis centum nummûm millibus renovaret, cenſum ſupputando iuxta dies antiquos. Sprevit Clemens ſententiam Caroli, B & cenſum oblatum. *Guicciard. Iov. Belcar.*

Reintegratæ pacis cum Carolo nũmiſma habes in pag. 37. in quo Diſcordia catenis conſtricta iuxta Iani templum, quod olim Pacis tempore clauſum remanebat. Vndè ad eam deſignandam Virgilianum apponitur carmen, *Claudentur belli portæ*: & Mulier face arma comburens depingitur.

Henrici VIII. diſſidium cum coniuge.

18. *Henricus VIII.* Rex Angliæ filius Henrici VII. cum mortuo Arturo fratre maiore thronum iure ſanguinis occupaſſet; fratris ſui diſpenſante iura affinitatis, *Iulio II.* Rom. Pontifice etiam Catharinã viduam Arturi, Ferdinandi, & Eliſabethæ Hiſpaniarũ Regum filiam materterã Caroli V fœminã ſanctiſſimam ſibi affinem in primo gradu copulavit, & ſolemniter duxit in coniugem An. Sal. 1503. cum C hac pacificè vixit uſquè in Annum 1528. & plures ex hoc coniugio ſuſcepit maſculos, quorum nullus eſt ſupergreſsus infantiam. Vna ſupervixit fœmina *Maria* nomine quæ Angliæ Regina nupſit Philippo II. filio Caroli V. tanquàm Henrici patris hæres legitima dicebatur Vvalliæ Princeps, titulus quod idem

Angliæ ſtatus Anno 1528

ſonat apud Britannos, ac Delphinus apud Gallos Regis, ac regni ruina à *Thoma Cardinali*, qui tunc temporis aulam moderabatur, & penè Regem ex infimà

Vvolſei perfidia

ſorte apicem tenebat fortunæ, dictus à Rege Epiſcopus Eboracenſis (prima hæc apud Anglos Eccleſia) Supremus Regni Cancellarius, tandem Rege intercedente, Cardinalis S. R. E. & Legatus à latere ad omnes Britannos. Huic tanquàm arbitrio aulæ An-D glicanæ *Carolus V.* excedens honoribus, manu proprià ſcribebat, ut cum prænſaret adversùs Gallos. Inclinante autem Gallorum fortunà, cœpit Carolus hominem contemnere mortalium omnium arrogantiſſimũ; iſte verò ad vindictã in Cæſarẽ excitare Hẽricũ, ac meditari, quod uſq. in diebus Alexandri VI. & Iulii II. diſputatum fuit inter Theologos, an impedimentũ affinitatis in primo gradu Divino reclamante decreto *Lev.* 18. *n.* 16. *Turpitudinẽ uxoris fratris tui nõ revelabis. Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam c.* 20. tolli poſſet à ſummo Pontifice; maximè cum legatur *Marci c.* 6. Io: Baptiſta obiurgaſſe Herodem, quia duxiſſet in coniugem uxorem fratris defuncti. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Iuſtitia tamen apparebat diſpenſationis; quia Io: Baptiſta reprehendebat Herodem adulterum, & carnaliter commixtum cum uxore fratris non defuncti, ſed vi-

vi,

vi,& mariti legitimi. Verba etiam Leviticorum eam non patiebantur interpretationem, quia *Deuteron.* 25. iubetur, ut frater ſuſcitet ſemen fratris defuncti. Vndè hæc ſecundà lex tanquàm poſterior derogaret priori, quę uti Iudicialis non naturalis ſolos obligat Hebræos, non Chriſtianos: aliàs Patriarcha Iuda non imperaſſet Onę filio ſuo, ut Thamar viduā fratris ſui defuncti ſuſciperet in coniugem. Veruntamen diſputationes, quas eo tempore agitarūt Canoniſtæ & Theologi, occaſionem obtulere Vvolſeo ſuſcitandi diſſidia, quibus Anglos non credebat adverſos nuptiis futuris ut Regem palparent, ac regno prolem quærerent maſculam, quemadmodùm nuptias patrocinati fuerant pręteritas, ut talem nanciſcerentur Reginam. Quo caſu non diffidebat nuptias conciliare inter Henricum, & *Renatam* ſororem Franciſci Galliarum Regis, & Anglum Gallum facere, ut ſibi Angliæ exoſo perfugium quęreret. Spetie ergo ſyndereſis, quòd causà inceſti coniugii Rex orbaretur maſculà prole, deceptū Regis Confeſſariū permovit, Regem admonere concordes. *Henricus* autem non tam liberorum ergò, quàm libidinis ſuadente Eboracenſi mandavit clam Canoniſtis, atquè Theologis de iuſtitià inquirere huius coniugii. Nec defuere, qui vel ut eius gratiam demererentur, nullum crederent Catharinæ coniugiū. Appulit interim Gallorum Legatus Epiſcopus *Tarbes* (poſtea Cardinalis) ut Principem Vvalliæ Henrici filiam in uxorem quæreret Duci Aurelianenſi Franciſci ſecūdogenito: cum ſuadente Vvolſeo, mutato conſilio, nuptias Catharinæ accuſans inceſtuoſas, Henrico in uxorem obtulit ſororem Franciſci. Annuit iſte miſſo Vvolſeo ut ſuo ac Galli nomine Clementem Romanum Pontificem liberari inſtaret à Cæſare, nec non clanculùm à Pontifice impetraret ſolutionem coniugii cum Catherinà, nuptias paciſceretur cum ſorore Franciſci. In itinere erat Vvolſeus, cum iuſſus à Rege novæ coniugis ſilere nomen, cætera exequi; aſſequutus eſt illicò impudicum Regis arcanum, & patriæ, ſuique perditionem. Henricus in libidinem pronus, cum ſæpè mutaret amaſias, deperibat iam

Anna Bolana.

20. *Annam* filiam *Thomæ Bolani, domicellam Reginæ* moribus impudicam, & ſoli Regi caſtam, ut Henrico corpus vēderet coronæ pretio, quod aliis proſtituerat. Rex ergo etiam reali diademate promptus comparare nobile ſcortum, mandavit Legatis apud Clementem cauſam promovere repudii (Gallo favente ſpe futuri illecto coniugii) quæ cognoſcēda remitteretur *Eboracenſi* Anglorum Primati, atquè Legato Apoſtolico, necnon *Cardinali Campegio*, qui aliàs legationem obierat apud Gallos. Et ne Cęſarem metueret, cuius matertera *Catharina* erat, ei quatuor peditum millia in ſui cuſtodiam annuo pollicebatur ſtipendio. Cæſar verò cum ſubodoratis arcanis, à Clemente adhuc in arce S. Angeli obſeſſo inhibitionem peteret, ſi huiuſmodi attentaretur repudium: Papà *Gambara* Legato ſuo apud Anglos mandavit diligenter inquirere Henrici vota. Reſidebat Clemens in Vrbe Veteri, inter Cæſarem, Gallumq. neuter nec magnā in utroquè ſpem reponebat: cum acceſſere Legati repudium poſtulantes. Quapropter meritis conſideratis rogantis cum poſtulatum reiicere non auderet apertè, Cardinalibus remiſit, qui non repudium, nec cauſam in Anglià diſcutiendam adprobarunt. Legatis exemplum litium obiicientibus cæterarum, quarum cognitio iudicibus loci ordinariis permittebatur, eò vel maximè quod Regina ſanctè cultui mancipata cœleſti, & orationibus dedita, libentiſſimè vitam ſuſcepiſſet monaſticam, ut ſoli Deo viveret. Difficultatem verò ut effugerent *Nullitatis*, vel *diſſolutionis*, quà *Iulius II. P. R.* ignorantiæ ignominià gravaretur diſpenſator præteritus; non *nullam*, ſed *ſurreptitiam* diſpenſationem accuſabāt, & deceptum Romanum fuiſſe Pontificem. Novo ergo habito Cardinalium conſilio, meliùs credidit Clemens cauſam delegare Legatis *Eboracenſi*, & *Campegio*, qui in Anglià Sariſberienſis Epiſcopatus poſſidebat proventus, ut pro bono publico, & in gratiam Regis de Eccleſià benemeriti, opinionem ſequerentur etiam minùs probabilē (teſte *Pallavicino l. 2. c. 15.*) reſcripſit Gallo Regi, in gratiam eius, difficultate omni præteritâ,

B cauſam delegaſſe; viciſſim & ipſi rependerent, ut ſibi urbes reſtituerentur à Venetis occupatæ. Campegio tria commiſit. *I. Vt Catharinam Henrico reconciliaret. II. Deſperatà concordià; Regina Monaſterium ingrederetur ſaltem pro vitæ tutelà. III. Cauſam protraheret, tempori indulgeret, nec unquàm iudicis perſonam aſſumeret in foro contentioſo.* Scribunt Iovius, Guicciardinus, Belcarius *Campegio* diploma datum, quo matrimoniū nullum declarabatur, ut illud Anglo, & Eboracenſi clàm oſtenderet, cum promiſſione illud promulgandi, ſi Anglus iudicio caderet; Quod poſteà Cæſari reconciliatus, & metu ſolutus in ignem proiici iuſſit Anno 1529. & causà ad Rotam revocatà Romanam, ſuprà modum Anglus indignatus à Romani tandem Pontificis auctoritate diſceſſit. Guicciardinum porrò (qui primus de hac bullà

C fabulam texuit) Pallavicinus redarguit. Vndè enim tantum arcanum penetravit? Magis etiam eum latet veritas hiſtoriæ aſſerentem, nuptias agitatas inter *Henricum, & Renatam* filiam Ludovici XII. cum expreſsè Henricus mandaſſet Eboracenſi, promoveri repudium, nullà factà mentione ſponſæ futuræ, teſte *Sandero de ſchiſmate Anglicano*) Fallitur etiam Guicciardinus certam ſupponens copulam carnalem *Arturo* cum Catharinà fuiſſe, quam ſemper negarunt, propter teneram *Catharinæ* ætatem, quandò *Arcturo* nupſit: licet in diſpenſatione latà à *Iulio II.* ad maiorem cautelam mentio habita eſſet copulæ carnalis, per particulam *forſàn*, quæ nihil ponit in eſſe. Hinc eſt, quòd apud Sanderum, & Riſthonum ſcriptores Anglos, & huius arcani diligentiſſimos perquiſitores nulla mentio huius Bullæ. Improbabile etiam, quòd *Clemens*, qui ad effugiendam invidiam Cæſaris cau-

D ſam delegaverat vicariis, ipſe poſteà vellet odium ſubire Imperatoris, cùm culpam (ſi quæ eſſet) refundere poſſet in delegatos. Si tale diploma ante cauſæ cognitionem Regi oſtendiſſet *Campegius*, nonne blandiciis, vel violentià extortum Regem declaraſſet victorem, & Clementem iniuſtum? Vndè tandem in Campegium ſuccenditur Henricus, ſi etiam poſt abſolutā legationem Rex, & Legatus certarunt literarum officiis? Mandatum ergo nè in foro contentioſo perſonam iudicis *Campegius* aſſumeret, firmavit Clemens quatuor epiſtolis ad eundem datis, priuſquàm in Angliam appelleret. Eò cùm veniſſet die 7. Octob. adverſa omnia nactus, fruſtrà tentata Regina ut ſe Monaſterio includeret, furente *Henrico*, & impudicè ba-

Cauſam delegat in Angliā decidendā.

Guicciardini calumnia in Papam.

bachante, ut cauſa cognoſceretur repudii; torpeſcēte Eboracenſi ad Regis infamem ruinam; urgebat Legatus, Romam cauſam evocari. Nec minus Romæ inſtabant Cæſarei Caroli, & Ferdinandi nomine, tribunalia omnia Anglorum accuſantes ſuſpecta. Procraſtinabatur Papa non diffidens Regem de Eccleſiâ benemeritum ob auro, ferro, calamo debellatos Hæreticos ab inſano furore poſſe deferueſcere. Monitus tandem à Campegio, fruſtra morâ proferri colloquiis inanibus, iudicii fore exordium die 28. Maii, denuò ſiglis, & notis arbitrariis mādavit omninò abſtineret ab officio iudicis (teſte *Sangâ tom. 2. Epiſtolarum Principum die 29. Maii*) Vocata Regina in iudicium, locum, iudices, miniſtros reiecit tanquàm ſuſpectos Romam provocans ad tribunal Pontificis. Legati appellatione reiectâ, certiorem fecere Pontificem, ferias interim excuſans *Campegius*, quas ipſe tanquàm Rnmanæ curiæ ſervare tenebatur à Iulio mēſe uſquè in Octobrem. Tunc Pontifex cauſæ cognitionem Romam evocatam, *Paulo Capizuchio* Rotæ Decano commiſit, ſibi tamen reſervato judicio. *Henricus* ſuſpicatus Cardinalem Eboracenſem cum Pontifice conſpirare adversùs *Bolanam* ſponſam futuram, recedente *Campegio*, inquiri mandavit, an inter arcana Vvolſei, epiſtolæ reperirentur Romanę, Clementis gratiam non adhuc deſperans, quia iſte (teſte *Gaſpare Contareno in relatione ſua legationis*) ergà Henricum omnia teſtimonia proferebat amoris. Regis odio in Vuolſeum pateſacto; ſurrexerunt qui ut ſatisfacerent irato Regi, miniſtrum mortalium omnium ſuperbiſſimum in pluribus accuſarunt. Iudicium inceptum à ſpolio Magni Cancellarii, duorum Epiſcopatuum, Palatio. Relegatus ad vitam privatam & plenam miſeriis Londinum tandem evocatus ut accuſationibus ſatisfacerer, ex mœrore obiit in itinere. Romæ interim non deerant qui auro corrupti Britanno (*Nicolaus Sanderus lib. 1. de Schiſm. Anglic.*) Sthephano Gardinero, & Franciſco Brano: agentibus, Henrico faverent, undè inſtabat primò *Iulii Papæ diſpenſatio pronuntiaretur adulterina, & ipſo iure nulla. Deinde ut poteſtatem Rex Franciſcus faceret, quòd Maria Henrici & Catharinæ filia cum Duce Richemundia eiuſdem Henrici filio notho ſucceſſionis Regis ſtabiliendæ causâ matrimonio coniungerentur: quo quidem ſecundo poſtulato manifeſtum fecit, ſe nullo conſcientiæ ſcrupulo Catharinæ matrimoniū impugnaſſe, qui iam fratris cum ſorore coniugium ſatis eſſe legitimum, accedente Pontificis diſpenſatione, exiſtimaret: hoc autem Regem petiiſſe, ex ipſius Pontificis ad Campegium literis cernitur. Tertium verò non legatorum ore, ſed ſuâ manu conſcriptum & conſignatum Rex adiunxit, ut quamquàm ipſe Henricus Mariam Bolanam cognovisset, ex eoquè legibus Eccleſia prohiberetur Annam Bolanam eiuſdem Mariæ ſororem uterinam in coniugem aſſumere; tamen ſua Sanctitas, quæ leges Eccleſiaſticas moderatur, & relaxat, gratiam huius rei auctoritate Apoſtolicâ faceret: quod ita conſcriptum & petitum fuiſſe non ſolùm Caietanus modo inſinuat: verùm etiam Cardinalis Polus conſtanter affirmat* l. 3. de union. Eccleſ.

Catharina Regina Angliæ in judiciū vocatur.

Clemēs cauſam Romā evocat.

Vvolſei ruina.

Henricus affinis Annæ Bolanæ.

De primo autem poſtulato ea ratio inibatur, ut Legati Regis peterent abrogari decretum Iulii. Cum autem authenticum exemplar apud Cæſarem extaret, inſtabant Legati *ut niſi Carolus intra duos menſes Romę,*

Petitio, ut abrogetur Iulii decretum.

A *vel in Angliâ exhiberet, irritum illud* Papa *pronuntiaret.* Hæc cum Pontifici moleſta eſſent; expoſtulavit cum Campegio, quia Romam huiuſmodi pateretur perferri mandata, ſpemquè feciſſet de rebus huiuſmodi impetrandis, quæ concedi nunquàm poſſent. In eiſdem literis queſtus eſt Io: Sanga (qui erat Papæ à ſecretis) Legatos Regis minatos eſſe defectionem Regis ab Eccleſiâ Romanâ, niſi voti compos fieret. Quaſi ab officio Papa teneretur recedere; ut Rex explere poſſet libidinem ſuam; & uxori dare libellum repudii, nè mitteret adverſùs matrem Eccleſiam. Hinc certò conſtat, quòd Rex vellet potiùs unà cum uxore fidem abiicere, quàm privari amplexibus Annæ. Cum autem Carolus V. diploma illud ad Pontificem tranſmiſiſſet: atquè Henricus Oratorum operâ libellos prò causâ ſuâ; hos omnes Papa *Thomæ vio Cardinali Caietano* obtulit, quem B pro Reginâ ſenſiſſe typis data ſcripta teſtantur. Spe interim futuri matrimonii cum Henricus carnaliter ſe immiſcuiſſet cum Annâ Bolanâ & nuptias pararet ſolemnes; querelas renovarunt denegatæ Iuſtitiæ *Carolus*, & *Ferdinandus*. Quibus ut ſatisfaceret *Clemens*, Monitorium tradidit Nuntio *Aleandro*, re ſolùm deſperatâ publicandum contra Henricum, nè coniugium moliretur ante ſententiam decretoriam ſub pœnâ anathematis, & nullitatis. Sed acriùs urgente Cæſare, materteræ lacrymis lapides emoliri, non Curiales, ut ex literis ad Conſiſtorium die 29. Martii 1531. ad eum placandum Romani non ſolùm publicarunt, ſed iam publicatum fingere decreverunt. *Covos* enim, & *Granuella* clamabant in comitiis Germanorum primam accuſationem contra Romanos futuram, ex ignaviâ Pontificis torpeſcere C Regem, Angliâ ipsâ indignante, cui ſcortum deſignaretur in Reginam. Solas Petri claves clavum eſſe Anglicanæ libidinis Regis bacchantis. Inter anguſtias iacebat *Clemens*, ut violato iure, Carolum & Ferdinandum, vel Regem freneticum ad inſaniam impelleret cum regno ſuo, dilationem ut minùs periculoſā amplexus, ſentētiam in aliud tempus reiecit. Inſtabat ex adverſo Rex Gallorum (qui cum Anglo Lutheranis, & Turcis arma ſociaverat adversùs Carolum) nè Henricus Romam teneretur adeſſe ſed per advocatos etiam ſine mandato procuratorio; aſſenſum eſt ſed extraiudicialitèr; undè Cōſiſtorium die X. Decemb. An. 1531. iuſſit Auditori Capizuchio ultrà procedere, niſi Advocati Henrici legitimum proferrent mandatum. Concepit interim *Anna Bolana*, cuius proles, quam *Henricus* ſperabat maſculam, nè illegitima naſceretur; *Gulielmus* D *Cranmerus* (Cappellanus iſte fuerat in domo Annæ Bolanæ) hoc voto intruſus in Canturberienſem Archiepiſcopatum, matrimonium *Catharinæ* nullum declaravit. Cuius vigore decreti, Henricus clam cū *Bolanâ* contraxit, ac Franciſco fœderato ſignificavit, bella præludens ſibi imminere à Cæſare, anathema à Pontifice; ut *Clementi* inſinuaret Pontifici in congreſſu Maſſiliæ habendo; ſententiam latam à *Granmuero* caveret infringere: ne Angli ab obedientiâ ſecederent. Volens propterea *Clemens* locum adhuc reſervare clementię, eodem die 11. Iulii; 1533. quò decrevit *Henricum ſententiam incurriſſe latæ anathematis propter inobedientiam inhibitionis de non mittendo repudio coniugi, & novam ducendi.* Effectum etiā

Decretum in Henricum.

Carolus urget Papam in Anglum.

Sententia in Henricum. Anno 1533

ſuſpendit futurum Octobrem. Secundo, quòd *Regina tanquàm per vim ſpoliata reſtitueretur in poſſeſſionem thori, & throni*. Indeciſo adhuc articulo de validitare matrimonii cum *Catharinâ*; ut *Henrico* ſpes ſupereſſet, & timor. Contumax tamen, & protervus, ſpretà clementià, ne Idolo ſuo diſpliceret, ac partui futuro præiudicaret, *Bolanam* ſolemniter duxit.

Nuptię ſolemnes Bolanæ cū Rege.

Sic qui Catharinam horrebat prætextu affinitatis, ac *Iulium II.* Rom. Pontificem accuſabat pecunià corruptum contra ius Divinum diſpenſaſse in primo gradu affinitatis tranſverſalis; modò eam carnaliter cognoſcere non formidat, cuius uterinà ſorore anteà abuſus erat, immò cuius matri anteà carnaliter immixtus Annam procreaverat: undè incredibili audacià inauditâ hypocriſi, non ferendà libidine, neptem ſimulquè propriam filiam duxit in coniugem: *Sandero* teſte. Irrepſerunt tunc in aulam Lutherani, quibus clam Anna favebat, ridiculas de monachis fabulas fingentes, & ſuper omnia Pontifici detrahentes Romano.

Thomas Cromuelus ab Anna evectus.

Inter cæteros *Thomam Cromuelum* hominē vaſrum, ambitinſum, avarum, crudelem, hæreticum (Annà rogante) Henricus *Cronmero Archiep.* miniſtrum aptavit, & Audlæo cancellario, ut per hunc triumviratum ſingula expedirentur.

Spoliū deſignatur Eccleſiarum.

Vulgati ſunt poſteà libelli ſamoſi, quorum unus *Henrico* oblatus ſub titulo: *Libellus ſupplex mendicorum*. In quo cum veræ paupertatis numetum exageraſſet, atquè miſeriam, univerſam mali cauſam in mendicos coniicebat robuſtos, quos dicebat eſſe Eccleſiaſticos, ac fratres mendicantes, quorum arte, & Purgatorii ſpecie ultrà mediam partem bonorum Angliæ abſorbebant, languentibus, & ſame pereuntibus verè mendicis. Regē propterea excitabat ſupputatis bonis Eccleſiaſticis, centeſimam poſſeſſoribus eelinquere; nonnaginta novem in Fiſcum traducere ad pauperum alimoniā. Tenerentur inſupee Eccleſiaſtici in ſudore vultus cēteſimam illam comedere partem, aliàs etiam hac parte ſpoliarentur, & pęnis punirentur graviſſimis.

Mori reſponſio.

Huic libro doctiſſimè occurrit *Thomas Morus* altero libro cui titulus *Libellus ſupplex animarum in Purgatorio*. Anna interim cum Heterodoxis Henricum urgebat, in comitiis ſolemnibus Epiſcopos, & Clerum adigere, ad defetendam ei ſacramento ſolemni obedientiam, quam Romano Pontifici præſtare conſueverant: Ita *Cronmerum* Primatem Angliæ, excuſſo iugo Pontificis, translatà in Regem ſupremà Anglicanæ Eccleſiæ auctoritate, liberius ex Regis voluntate laturum ſententiam.

Roffenſis veneno tentatur.

Cumquè res nova, & inaudita eſſet, viſum eſt, tentandum *Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem* Catholicorum columen: ſi enim ipſe ſuccumberet, cæteri facilè ruerent in exemplum. Sin abnueret; occaſio non defutura vindictæ. Anna namquè Bolana odio in eum flagrabat acerbo, ob defenſam *Catharina* cauſam, adeò ut coquum *Ricchardum Riſaum*, qui ipſum veneno interimeret, mercede conduxerit. Sed vir pius ad prœlia reſervatus maiora, cùm die quà coquus ollam infecit communem, non deſcendiſſet in triclinium; famuli illi, qui prandio interfuerunt, ferè omnes expirarunt. Coquus ſuà confeſſione proditus patibulum ſubiit.

Iuramētum Anglus exigit à Clero.

Rege itaquè iuramentum exigente, nec dilationem admittente, ſpecie experiēdi fidem cleri, vel odium adversùs Regem, eàquè formulà exigeretur, *quantum ipſis permiſſum, ac licitum eſſet per verbum Dei*. Roffenſis ut iram Regis declina-

A ret Clero impendentem univerſo, deceptus permiſit; licèt poſteà ſæpiſſimè queſtus martyrium quæreret, ut proprio ſanguine maculam clueret. His fraudibus arreptà in Anglicanam Eccleſiam poteſtate Henricus, impium *Thomam Cromuelum* delegavit Vicarium ſuum ad cognoſcendas cauſas Eccleſiaſticas, ut cum *Cronmero Archiep. Cantuarienſi*, coniugium reſcinderet *Catharina*. Ille ſcenicum ordinem inſtituens iudiciarium, *Catharinam* in ius vocavit & *Henricum*: nec puduit Regem, qui tam flagitioſè Reginā à ſe abiecerat, hypocriſis larvà fingere ſe abhorrere divortium. Hunc *Cronmerus* loco admonens theatrali, nè diutiùs uxorem defūcti fratris retineret, inobedienti cenſuras minatus eſt Eccleſiaſticas. Applauſere huic mimico ludo aſſentatores (teſte *Sandero*) quaſi die illà inciperet refulgere lux Evangelica, quà ſacrà dicendi libertate ſubditus non formidaret

Cronmeri ſententia in Catharinam.

B corripere Regem. Sic innauditā Catharinà, per Cronmerum nullo *Catharina* declarato coniugio, cum Annà nuptię ſunt repetitę ſolemnes. Spoliatā Catharinā uxoris nomine, ac Reginæ titulo, quàm appellari mandavit *Viduam Principis Arcturi*, & in villam deportavit Provinciæ Bedfordienſis tribus ſtipatam ancillis.

Nuptiæ ſolemnes Annæ Bolanæ.

Coronavit poſtea *Bolanam* pompà inſolità, & *Mariam* Catharinæ filiam quaſi illegitimam exuit titulo Principis Vvaliæ, adiunctis pluribus actibus in ſpretum Pontificiæ iuriſdictionis.

Coronatio.

Conſcientià tamen reclamante, quaſi vellet reſipiſcere, Legatos ſuos Maſſiliam miſit, ubi ad colloquium cum Rege Gallo venerat Papa.

Legatio Angliæ ad Papā

Hunc præſente Franciſco convenientes Legati, cum poſt varia iurgia tumidi appellarent ad Concilium: indignatus Rex, quòd in domo ſuà, eoquè præſente, & quaſi fovente, Papa

Gallus obſtat Anglo in cauſà repudii.

C tantam pateretur iniuriam, dixit palam: *ſe pœnitere indulgentia præterita, & regii inceſtus pudere. Ageret Papa ex præſcripto legis Eccleſiaſticæ; quòd ipſe Henrico non ſolum adhærere deſiſteret, ſed reſiſteret*. Id ipſum reſpondit aliis Henrici Legatis, qui vi fœderis auxilium poſtulabant: *Aliis in rebus omnibus ſe fratris animum Henrico præſtiturum: ſed in iis, quæ contra Religionem fierent, nolle cuiquam aſſociari*. Quam piiſſimam Regis vocem Cardinalis Polus copioſè laudavit, teſte *Guiccardino l.* 20. Hiſce excitatus Papa ſententiam meditabatur definitivam, quam tamen protraxit, donec Romam rediret. Eò cum veniſſet, die 8. Ianuarii, An. 1534. urgentibus Auſtriacis pro deciſione ſe obiecit *Io: Bellaius* Archiep. Pariſienſis miſſus à Gallo cum ſpe pœnitentiæ: ſed iſte rubore ſuffuſus, quòd ſpe fallaci iuſtitiam deluderet, & innocentiam opprimeret, curſorem miſit in Angliam

D cum termino peremptorio, ut per literas, vel procuratorem *Henricus* forum agnoſceret Romanum: aliàs ſententiam expectaret definitivam. Elapſo termino, & curſore non redeunte, immò Romę vulgatà comedià, in quà Rex Papam cum Cardinalibus quaſi ſcurras, & moriones ludibrio expoſuerat; ne videretur Papa cum ſchiſmatico conſpirare, vocato Conſiſtorio. *Bellaius* (teſte Belcario) *difficillimo vehementiſſimæ hyemis tempore multa viatoribus terrà, marique accidere poſſe opponebat, Oceano præſertim, tempeſtatibus ferè ſemper obnoxio, diem paululum differrent: poſtremò ſex tantum dies adderent, orabat. Prudentiores, aſſentiebantur. Plures in contrariam ſententiam pedibus ierunt, & quòd tribus vaterat* (urgentibus Hiſpanis)

Sententia pro validitate matrimonii cū Catharina. Anno 1534

nis) *uno conventu perfecerunt , Itemquè adversùs Anglum ſententiam fulminarunt* . Die 23. Martii Ann. 1534. declarantes ſubſiſtere matrimonium inter *Henricum*, & *Catharinam*, cui copulam reddere teneretur carnalem , eiquè rependere litis expenſas . Biduò poſt ab Anglo nuntius (teſte Belcario) vel ſex poſt dies (ut ſcribit auctor Anglicanus *in vitâ Henrici*) rediit cum mandatis ampliſſimis , quibus promittebat ſe ſubmittere ſententiæ Attentatorum , ac Cardinalium iudicio , dummodò ſuſpenderetur anathema ; ac Cardinalium nonnulli excluderentur ſuſpecti:ac Cameracum aliqui delegarentur miniſtri , quò ſuos iam præmiſerat procuratores , ad recipiendas teſtium depoſitiones . Tunc Cardinales erratum corrigere cupientes,convenerunt : ſed nulla erat via retractandæ ſententiæ . Matura hæc, & quaſi ſera ſententia viſa aliquibus præcox, & immatura, quòd (non poſt decem menſes , ut quidam ſcribit) poſt menſem unum ſupra viginti,die 6.Ianuar.An. 1536. obiiſſet *Catharina Auſtriaca* , cujus morte iurgia omnia fuiſſent compoſita , ſalvo Rege , & non amiſſo Regno. Cùm tamen priuſquàm hæc contingerent : Papa ut politicus damnaretur, & puſillanimis, iuſtitiam procraſtinando. Sententiâ cognitâ, Anglus Religione agitatus, & famâ,libidine contradicente, & ſuperbiâ ceſſit tandem vitio victus . Vndè in his *quæ ad religionem pertinent,ſe quaſi Chriſti vicarium declaravit,tributumquè Romanis Pontificibus pendi ſolitum Romam deinceps ferri prohibuit* ; coacto Londini impiorum conciliabulo (teſte Polydoro Virgilio l 8.) in quo *Eccleſia Anglicana formam poteſtatis nullis ante temporibus viſam induit : Henricus enim Rex caput ipſius Eccleſiæ conſtituitur, eiquè ob id munus primi fructus omnium ſacerdotiorum vacantium,ac eorundem decimæ quotannis perpetuæ aſſignantur* . Hæc cum audiſſet *Eliſabeth Bartona* monialis , quæ ob ſanctitatis famam *virgo S. Cantiana vulgò appellabatur,Henricum negavit* Regem,*quia ex Deo non regnaret. Mariam verò Catharinæ filiam , quæ tunc minùs legitimè nata habebatur , ad regni gubernacula ſuo iure ſeſſuram eſſe* . *Propter hæc verba in iudiciū vocata, & à publicis regni comitiis,unà cum duobus D. Benedicti Monachis Edovardo Bochingo,& Io. Deringo,duobus etiam D. Franciſci patribus Hugone Richeo (qui conventui præerat Cantuarienſi) & Richardo Riſbeo ; duobus etiam ſacerdotibus ſæcularibus Richardo Maſtero , & Henrico Goldo (qui omnes eam Dei ſpiritu afflatam credebant) capite damnata fuit ; & poſt publica ludibria omnes conſtanter ultimum ſubiere ſupplicium XII. Kal. Maii quam fœminam cum inter cęteros*

Mors Catharinæ

An Papa præceps fuerit?

Henrici tyrannis.

21. Fiſcherus *Ep.Roffenſis,& Morus diligenter examinaſſent, confeſſi ſunt, ſe nullo iudicio deprehendere potuiſſe eam fanatico ſpiritu (quòd in eius invidiam tunc ſpargebatur) agitatam fuiſſe: undè & ipſi in ſuſpicionem apud Regem venerunt, quòd cum illâ ſentirent : & Roffenſis quidem nominatim de eo crimine in comitiis accuſatus fuit,& Io: Adeſonus, qui ei fuit à ſacello, unà cum tabellione Cantuarienſi, duo etiam nobiles laici Thomas Goldus , & Edovardus Thuaitès in vincula eam ipſam ob cauſam conſiciebātur*. Conſtat tamen vera prænuntiaſſe: nam Maria, quæ tanquàm illegitima Eliſabethæ poſtponebatur, prima regnavit. Eo autem die , quo hæc ancilla Dei patibulum ſubiit,optimates Lōdini iuſſi ſunt iurare coram Archiep.Cranmero,ſecūdas Regis nuptias eſſe legitimas, eiuſquè prolem *Eliſabetham* hæredem regni, excluſâ Mariâ tanquàm illegitimâ . Hanc iuſiurandi formam cum multis de cauſis iniquam Epiſcopus Roffenſis, ac Thomas Morus, aliiquè nonnulli ſuſcipere nollent, in cuſtodiā coniecti ſunt. Fratres Minores , qui *de Obſervantiâ* dicuntur , cum acerrimè cauſam *Catharinæ* propugnarent,tertio Idus Aug. ſuis pulſi ſunt monaſteriis, & ſupra ducentos in carceres coniecti. Coactis poſteà comitiis , caput Eccleſiæ Anglicanæ renunciari voluit, ſub pœnâ capitis obliterato nomine Romani Pontificis , quem purum dixit Epiſcopum . In litaniis prætereà, precibuſquè,quæ publicè, vel privatim pro Chriſti Vicario ab omnibus fieri ſolent; Henricus hæc impia verba opponi præcepit . *Ab Epiſcopi Romani tyrānide,& deteſtandis enormitatibus libera nos domine.* Setiis etiam ut quid ridiculi admiſceret,edixit : ne quis in poſterum barbam raderet , aut capillis uteretur longioribus, quòd viri graviores ad imitationem Cleri facere conſueverant , ipſe tanquàm novum Eccleſiæ caput præbens exemplum, novo, ac elegantiori modo tondendum curavit, ut iterum repubeſcere, uxore, ac religione antiquâ depoſitâ videretur.Legatos poſteà miſit ad Principes,ut in erroris ſocietatem pertraheret,primò ad Gallum, in quo plurimum confidebat , propter communem cum Cæſare diffidentiam. Sed tantum abfuit, ut Gallus *Henrici* impietatem probaret, quòd nec Legatos audire ſuſtinuit. Germani Lutherani licèt gratularentur de abiurato Pontifice, cauſam tamen tanquàm infamem reprobarunt inobedientiæ. Hinc eſt, quod Hēricus Lutherum ſubmiſſam canentem palinodiam ſpreverit. *Calvinus* ipſe paulò poſt Henrici impugnavit primatum Eccleſiaſticum. *Sanderus* .

Morus, & Roffenſis carceri dati

Minoritæ monaſterio pulſi.

Litaniæ in Papā.

Scurrilitas Hērici.

Irridetur etiā à Lutheranis.

Catharina moriens An. ætatis 50. Chriſti 1536. epiſtolam Henrico ſcripſit marito ſuo , quâ iniuriarum oblita,quas acceperat, ſalutis tantùm commonefaciebat æternæ. Legit Rex epiſtolam cum lacrymis, & aulicos omnes ſuos pullatos eſſe voluit. Sola Bolana coloris induit veſtem,indicem lætitiæ ſuæ,ſed quā ſtatim ingens mœror excepit. Facta enim odioſa Regi cum ob editam molem carneam, tū quia *Ioannam Gemeiram* eius famulam deperibat;poſtulata adulterii,& inceſtus cum fratre *Georgio Bollano*,atq. utriuſquè criminis convicta An. 1536.die 14. Kal. Iunii, publicas pœnas capite luit,ac *Gemeria*,quam capitaliter oderat, locum reliquit, ac thalamum: ut fuſiùs dedimus in *Aquilâ Auſtriacâ in vitâ Caroli V.n.324.* Quatuor ſubinde coniuges Henrici haud valuerunt explere libidinem *Semeira* more viperarum, *Eduardum* peperit. Nam difficulter enitenti Rex uterum reſcindi iuſſit . Succeſſit *Anna Gulielmi ducis Cliviæ* filia, quæ Anglicæ ignara linguæ, proptereà Regiis blandimentis non idoneà thorum reliquit *Catharinæ Hovardæ*,ſed hæc brevi repudiata,quia Rege accuſante,corrupta thalamum intraſſet . Vltima fuit *Catharina Parra*, cuius repudium *Henricus* cogitabat, ſed morte præventus non abſolvit .

Catharinæ morientis religio.

Bolanæ inſolētia inceſtus Supplicium.

22. *Io: Fiſcherus* Epiſcopus Roffenſis (quo ſanctiorem,nequè eruditiorem ſęculum habebat) auctor creditus illius libri, quem *Henricus VIII.* Rex Angliæ edidit in Lutherum, *De Septem Sacramentis*, Cardinalis creatur S. R. E. à Paulo III. *(Pallav. l.3. n. 89.)* cum adhuc cruciaretur in carcere;à tyranno autem

Fiſcheri ſupplicium Anno 1535.

An-

Anno 1535. die 16. Kal. Iul. & quòd eius primatum nollet conſiteri; & ut eius ſupplicio *Thomam Morum* exterreret, morti deſtinatur. Scenam, in quà glorioſũ conſumaturus erat certamen è longè conſpiciens, abiecto baculo, quo ætas nitebatur decrepita; *Eia* (inquit) *pedes officium facite; parum iam reſtat itineris.* Conſtitutus in loco martyrii, ſublevatis in Cęlum oculis, *Te Deum* (inquit) *Laudamus, te dominum confitemur.* Hymno toto abſoluto, cervices ſecuri ſubiecit, & martyrio coronavit. Caput aſtili affixum, & in ponte Londinenſi omnium oculis expoſitum, quo diutiùs ibi ſuſpenſum manebat, eo magis venerabile factum cum illuceret, clam removeri mandavit tyrannus. Satellites eius ſuppellectilem inquirentes

Religioſus eius theſaurus.

cum pecuniam copioſam ſperarent; ciſtam tandem inventam benè munitam laminis ferreis, magnà aviditate perfringunt; ſed in eà præter cilicium, atq; flagella, nihil inveniunt. Vixit in carcere laborioſo, ſenio cõfectus, & ſollicitudine, additis voluntariis aſſuetis caſtigationibus corporis ſui, quindecim menſes non ſinè miraculo, ut tàm glorioſo martyrio Eccleſiam propugnaret adversùs tyrannum. Eodem die (licet prohibente Henrico)

Mori pia vota

23. *Morus* certior factus de Roffenſis martyrio, ad Deum converſus ait: *Confiteor tibi Domine, quod tantam gloriam non ſum meritus, non ſum iuſtus, & ſanctus ſicut Roffenſis tuus, quem de univerſo regno iſto tibi ſecundùm cor tuum elegiſti. Sed tamen ſi fieri poteſt, particeps ſiam, domine, calicis tui.* Hæc & ſimilia cum

Mirandũ apophtegma.

lacrymis dicente: putabant filii huius ſæculi mortem timere, ideò ut Regi obediret, adduci poſſe. Venerunt hac de causà multi Principes viri, ſed cum nihil proficerent; ultimò miſſa eſt uxor *Aloyſia*, ut viro ſuaderet, ne ipſam, liberos, vitam pro derelictis haberet. Hęc occinenti mulieri, *Quandiu Aloyſia mea* (inquit Morus) *potero ſupervivere?* Tunc illa. *Annis XX. ſi Deus voluerit. Vis ergo* (ait Morus) *ut æternitatem viginti Annis commutem: tam imperita mercatrix es mea uxor! Si viginti annorum millia diceres, aliquid diceres. Sed tamen ad ęternitatem quid eſſent?* Cum itaquè à ſententià dimoveri non poſſet: ablati ſunt ei omnes libri tanquàm inſtrumenta, quæ illum æternæ vitæ deſiderio inflammabant; nec calamos, & attramentum ampliùs permiſerunt; ut nulla poſt hac cum ullo haberet literarum commercia. Tunc ille feneſtris cubiculi perpetuò clauſis, ſoli Deo vacabat.

Mori merces libri.

Quęrenti cuſtodi, *quid ita ſederet in tenebris?* inquit. *Quid facerem? ſublatis mercibus, clauditur officina.* Merces ſuas dixit libros. Scripſit in carcere librum idiomate Anglicano, cui titulus, *Deſolatio in tribulatione.* Alterum Latinè *De Paſſione Chriſti.* Cumquè ad illa Evangelii verba perveniſſet, *& iniecerunt manus in Ieſum*, in ipſum quoquè iniectæ ſunt manus, nec ultra ei licuit quicquam addere. Poſtquàm enim quatuordecim menſes in carcere fuiſset, Kal. Iulii, ex arce Londinenſi ad tribunal tractus, & interrogatus, *Quid ei de publicà lege videretur, in quà omnis poteſtas Pontifici abrogatà Romano, & ſumma Eccleſiæ gubernatio Regi conceſſa?* reſpondit: *ſe neſcire an ulla eſſet huiuſmodi lex* (Lata enim fuerat poſt Mori captivitatem) Audlæus Cancellarius, ac Dux Norfolciæ, qui primi Iudicum erant in conſeſſu ſubinferentibus: *Nos tibi denuntiamus talem extare legem, & eam omnium comprobatam ſuffragiis: quid ergo tibi de illà videretur?* *Si me pro cive* (inquit Morus) *habuiſsetis, ego vobis de lege veſtrà atteſtantibus credidiſſem. Poſtquàm autem me à veſtrà Republicà ſeparaſtis, & in carcerem velut hoſtem recluſiſtis; quomodò nunc hominem mortuum tanquàm vivum, de Republica veſtrę legibus interrogatis?* Irratus Cancellarius ſubiecit. *Iam te à lege diſſentire video, cum taceas.* Inquit Morus. *Si taceo, hoc vobis, ac legi veſtræ in lucrum deputabitur. Nam qui tacet, conſentire videtur. Ergonè* (inquit ille) *aſſentiris legi. Quomodò* (inquit Morus) *id facerem, cum nemo aſſentiatur ei, quod ignorat?* Præmaturo conſilio ita reſpondebat Morus, ut nequè fidem negaret, neq; mortis periculo temerè ſe offerret. Quanquam enim martyrii cupidiſſimus, cum ſciret hoc eſſe donum Dei, hac moderatione ornabat deſiderium ſuum. Accuſantibus porrò eum, quòd ex carcere Roffenſem per epiſtolam ad conſtantiam excitaſſet; Iudex ad duodecim viros acta tranſmiſit, quorũ erat de capite omniũ cognoſcere, à quibus dictus reus mortis; vocationis ſuæ tunc certior factus, liberè aperuit, quid de eà lege ſẽtiret: *Ego per Dei gratiam ſemper Catholicus, nec unquàm à Romani Pontificis communione diſcedens, audiveram aliquandò Pontificis Romani poteſtatem legitimam quidem, & laudabilem, ſed tamen humani iuris, nõ diurnæ præſcriptionis fuiſſe. Itaquè cum viderem ſtatum huius regni eò ferri, ut neceſſariò inveſtigandam eſſet, quà ex origine Pontificis* Romani *poteſtas dimanaret, toto ſeptennio huius rei diligentiſſima indagatione me dedi, & deprehendi poteſtatem* Romani *Pontificis, quam vos temerè (ut nihil dicam graviùs) abrogaſtis, non modò legitimam, laudabilem, & neceſſariam, verùm etiam divini iuris, & præſcriptionis eſſe. Hęc mea eſt ſententia, hæc fides, in quà per gratiam Dei moriar.* Vix hęc dixerat, cum omnes magnà voce conclamarunt *Morum perduellem, proditorem.* Inter cæteros Dux Norfolciæ. *Nunc More perduellionem in* Regiam *prodis Maieſtatem* Cui Morus: *non perduellionem, ſed fidem meam prodo. Sit mihi propitius Deus: ut ego fidelis fui* Regi *meo.* Ergo nè (inquit Cancellarius) *tu vir melior, aut ſapientior Epiſcopis, Clero, nobilibus, Cõcilio, regnoquè univerſo?* Ad quæ

Mori cõfeſſio.

Morus: *Illuſtriſſime Cancellari. Pro uno Epiſcopo opinionis veſtræ, mihi ſunt centum inter divos relati. Pro veſtrà nobilitate, comitia habeo* Confeſſorum, *& Martirũ. Pro veſtro Concilio, habeo Concilia omnia* Generalia *Annis ab hinc mille celebrata. Pro hoc uno veſtro exiguo regno, habeo pro me Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, ceteraquè ſpatioſiſſima Chriſtiani Orbis imperia.* Quibus auditis, credentes è re non eſſe, ut plura audiente populo loqueretur, mandarunt abduci. Revertenti filia eius Margarita, quam unicè dilexerat, Græcè, ac latinè docuerat, & ex carcere pluribus epiſtolis convenerat, occurrit in itinere, ut patri ſuo ultimum Vale diceret. Subſtitit pater, nec filiæ oſculum negavit, quin & benedictionẽ impertitus eſt. Adfuit Margarita Ioãnis Hartiſii (qui *Thomæ Moro* à ſecretis erat) uxor. Illa cum Morum filià iam oſculatà diſceſſurum timeret, nec ei ſpatium daretur Vale dicendi, ſubitò rapuit ad ſe Mori caput, quòd iam filiæ humero eminebat, & Dominum ſuum magno deſideriò palàm oſculata eſt. Cui Morus: *Inurbanè, ſed tamen peramanter factum.* In carcerem reductus uſquè ad diem necis orationi vacans, variis Dei conſolationibus animam recreavit: ac pridiè mortis, chartam ſuffuratus, literas

paternæ pietatis, carbone (quia deerat attramentum, & calamus) ad filiam exaravit, concludens: *Ego te dulciſſima Margarita filia, nimium diſtineo, ſed ſpero me poſt craſtinum diem, nemini unquàm fore moleſtum, ſummo etenim deſiderio videndi Deum teneor. Eſt enim Octava Principis Apoſtolorum & profeſtum S. Thomæ Martyris. Hic dies, ſi ita viſum ſit Chriſto, mihi apprimè commodus eſſet.* Moriebatur enim pro tutelâ primatus

Mori martyrium Anno 1535. S. Petri. Pridiè ergò Non. Iulii ad locum productus ſupplicii, cùm ad imas ſcalas perveniſſet, nec facilem videret aſcenſum, unum ex ſtantibus in ſcenâ appellans, *Da* (inquit) *ſodes manum, ut aſcendam; nàm ad deſcenſum me mihi relinquant, licet.* Cùm preces abſolviſſet, populumquè teſtem, quòd in fide Catholicâ moreretur, invocaſſet, pſalmo recitato *Miſerere mei Deus*, caput ſubmiſit carnifici, Angliâ ingemiſcēte, Chriſti martyrem, ac ſeipſam capite truncatā. B Eius diei ſummo manè filia Mori peragrabat ſanctas Eccleſias, & eleemoſinas pauperibus plenâ manu diſtribuebat, iamq; omnibus erogatis, cum in templo orationi vacaret, *Heu mihi* (ait ad ancillam) *oblita ſum ſyndonis, quâ patris corpus involuatur.* Audierat cadaver Roffenſis ſinè cruce, ſinè lumine, ſinè linteis proiectum fuiſſe in humum, nemine comitante propter timorem tyranni. Conſulenti ancillæ, ut de proximo acciperet linteum, *quomodò* (reſpondit) *id faciam, cum nihil habeam pecuniæ.* Periculum faciam licet ignota, ut ex proximâ tabernâ mihi credere velint. Cum acceſſiſſet, ac de precio conveniſſet, manum velim quærendæ pecuniæ causâ miſit in perulam, eo animo, ut diceret, præter ſpem ſibi non

Pecunia miraculo immiſſa ad emendum linteum funerale. adeſſe pecuniam. Si ſibi crederetur, quamprimùm ſolutura conventum. Eccè autem, cum ei certò conſtaret, nihil omninò paulò ante reliquum fuiſſe: tamen iam in perâ iuſtum reperit ſyndonis pretium, nec uno teruntio plus, minuſuè, quàm eo tempore ex pacto perſolvi oportebat. Miraculo cōfirmata Chriſti martyrem honorificè ſepelivit.

Clementis VII. obitus. 24. *Pontifex occubuiſſet.* Contabuit Clemens diuturno ſtomachi vitio, ac recurrentibus gravioribus morbis vexatus domeſticorum tædio, & penè ſui, *veneno propinato tabefactus (ut nonnulli ſuſpicati ſunt) quinquageſimo ſuæ ætatis Anno, è vita exceſſit*, teſte Belcario *l.* 20. *n.* 57. die 25. Septemb. An. 1534. Sepultus eſt in Eccleſiâ Vaticanâ S. Petri, vbi ſequens habuit epitaphium.

Clemens VII. *Pont. Max. Cuius invicta virtus ſolâ clementiâ ſuperata eſt.*

Poſtea tranſlatus in Eccleſiam S. Mariæ ſuper Minervam, ſedente Paulo III. cum cinere Leonis X. ubi ipsè ſingulari pietate Virginem proſecutus, inſigne erexerat monumentum, cum Indulgentiarum theſauro, in eo ſodalitio, cui *Roſarii* nomen. Eius memoriā ingratā poſteris plures notarunt Hiſtorici, præcipuè Guicciardinus Pontificibus ſemper infeſtus, qui pro ſuarū hiſtoriarū colophone ſcribit, deceſſiſſe Clemētem *multis gemmis in arce Angelicâ, & innumeris officiis venalibus relictis, ſed contrà communem omnium opinionem, pecuniâ perquàm exiguâ.* Quid poterat

Guicciardini in Clementé calumniæ. relinquere *Clemens* in urbe bis à barbaris expoliatâ, ubi ſub haſtâ coactus purpuram expoſuit Cardinalitiam, ut ſe redimeret a militibus. Paulus Iovius eius familiaris, quod à Clemente honoribus non excultus, manus dedit Guicciardino. *Inerat Clementi* (inquit) *ab ſevero ore, geſtuquè & ſermone ipſo gravitas naturalis, exculta per omnem ætatem civilis æquitate, moderatione, & potentiâ inſignis. Sed deerat in eo, qui fortaſſe in Leone fratre ſuperfuit generoſi & liberalis animi vigor, dignus Principe Mediceâ ſtirpe progenito. Eâ ſiquidem erat natura eius ingenii parſimonia, & diſſimulatione gaudentis, ut illiberalis & durus potiùs, quàm ſavus & maleficus eſſe videretur. Neminem enim planè oderat, quum neminem adamaret, præterquàm ab occultiore causâ conciliatos. His certè animi adeò intemperanter favit, & ad ſummos honores, aut ad ſummæ auctoritatis locum, ſtabileſquè divitias nullo pudore proveheret: multorum verò conſtanter obliviſceretur, qui ab optimis literarum ſtudiis, veterequè obſequio commendatione, & præmia meruiſſent. Hos quidem perblādè appellabat, ut imagine gratiæ detineret, ſed occultè oderat tanquàm creditores. Et certè niſi Gibertus literarum, & virtutis amore incenſus, uti erat in adminiſtratione Reipublicæ, optimâ huius ſæculi ſorte, Clementi intimus, negantem cuncta praduramquè Principem molliendo, fallendoque ad beneficientiæ decus revocaſſet, præclara profectò aliquot, fœcundaquè ingenia, dolore ſimul & pertinaci ſterilitate periiſſent. Dedit tamen omnia vel ſemper nolens, quæ ſuis parùm benignâ facie denegarat; & inimicis quidem ſæpiùs, & indignis, quà in re aliquandò ſuſpirans, ſe miſerum eſſe confeſſus eſt, quùm animus aut præſenti utilitate inductus, aut ignobili compulſus metu, ad id inexplicabili neceſſitate, vel reluctante iudicio raperetur. Ex uno enim & triginta Cardinalibus, quos legerat in Senatum, vix unum atquè alterum probabat, quòd eos præteritis honeſtioribus, nequaquàm exquiſito, devotoquè delectu ut deſideraſſe videri cupiebat,* Cardinales à Clemente creati ſed non probati. *ſed vi ſubitâ inter potentes Regum preces, armorumq; ſtrepitum circumventus, & coactus edidiſſet. Cæterum qui occultare naturæ vitia, & ſtudia hominum promereri expeditâ liberalitate neſciebat, eximiam certè laudem adſequebatur facilitate aditus, perurbanâ comitate, & populari quadam moleſtiſſimarum rerum tolerantiâ. Nunquàm enim infimorum etiam hominum vel preces, vel ſpes ipſas iratus, aut faſtiditus abrupit. In eo quoquè enitebat, quòd certa familiæ proprium fuit, rerum propè omnium, præcellentiumquè artium notitia, atquè cenſura ſingularis, eò admirabilior, quòd nullis propè literis adiuvaretur, verùm ingenio ad infimas artes, ſumptuariaſquè rationes adeò demiſſo, hærentiquè, ut opificum arcana, ſubtilitateſquè operum nimiâ, & prope turpi ſolertiâ ſcrutaretur. Et certè is fuit, quem nemo unquàm in parvis rebus fefellerit, ut obiter non ſit mirum, ſi in magnis demùm, quæ publicam ſalutem reſpicerent, ſæpiſſimè fuerit deceptus. In graviore etenim conſilio, D omnem vim ſummæ eius prudentiæ fatalis avaritia penitùs elidebat, utpotè qui in proferendâ pecuniâ, quàm opus foret, adeò ſuſpenſus, & anceps, triſti cunctatione torqueretur, ut in perlevi momento gerendarum rerum occaſio facilè deperiret. Hic vir profecto alioquin egregiè cautus, & maximarum rerum experiens, nequaquàm alio planè illuſtri, & expedito ſpiritu, ultima animi decreta promere, & conſilia terminare didicerat, uti tum maximè publicæ ſalutis interfuit, quum ipſo conſulente non omnino improviſâ clade obruta Roma periiſſet. Sed excuſare eum hoc loco libet, & profectò iuvat, tanquàm non minore ignaviâ ſuorum ducum, quàm hoſtium perfidiâ in eas miſerias præcipitatum: poſtquàm excellenti demùm conſilio, ab inſigni Cæſaris æquitate feliciter du-*

cio

cto pacem peperit, magnámque Italiæ partem luctuosâ Hiſpanorum militum acerbitate liberarit. Hoc certè honeſtiſſimè facto, & in ipsâ ſaltem morte, quâ omnis invidia facilè extinguitur, præclaram virtutis laudem meritus, niſi ut è poſthumus, patre crudeliter interfecto, priuſquàm ab utero matris in hanc lucem ederetur planè infelix, malè auſpicatam, & verè lugubrem Pontificatus ſui memoriam reliquiſſet. Sævum enim id bellum, & quo Roma funeſtius à multis ſæculis non ſenſit, peſtilentia propè inevitabilis, dira fames, & prodigioſus Tyberis auctus, accumulatis cladibus excepere, adeò ut omnis ordo, & deniquè populus univerſus, diu expectatâ, & demùm auditâ eius morte magnoperè lætaretur; iocatiquè ſummâ libertate nonnulli gratias agerent Curtio Medico, qui firmâ utentem valetudine, innatoquè membrorum robore prævalidum, in multam ſpem longioris vitæ, novis præceptis, & commutatâ vivendi ratione, dubio procul occidiſſe credebatur. Laudavit *eum in funere Laurentius Granius Signinus Antiſtes Romanâ facundiâ, itâ relatis in fatalem iniuriam cladibus acceptis, enumeratiſquè virtutibus, ut Cardinales Reipublicæ probè, atquè opportunè conſulturos diceret, ſi proximis comitiis Pontificem pari animi virtute ſed fæliciore creaviſſent. M. Antonius Caſanova Gomenſis cuiuſdam filius, arguti epigrammatis ſcriptor, Columnę familiæ alumnus cum aliquando in gratiam Pompei Cardinalis, viventis famam Clementis intemperantiſſimè laceraſſet, Clemens ſeipſo, & toto deniquè deſumpto nomine maior, & auguſtior, reo Maieſtatis, captoquè ad ſupplicium facilè pepercit, præclarâ C. Cæſaris imitatione, qui Catulliani dentis æternum virus, & lividam libertatem generosâ diſſimulatione contempſerat.* Iovius l. 32. Hiſtor. & *in Elog. 26 Nemò flevit.* In eius obitu exultaſſe Romanos *Iovio Pallavicinus* ſubſcribit 3. *Hiſtor. Concil. n.* 85. Paſquillus ita luſit:

Lætantur Romani in obitu Clemētis.

Calumniæ in eum.

Clementem eripuit nobis clementia fati,
Humanum toto gaudeat Orbe genus.
Hic eſt qui fuerat iam dedecus Vrbis, & Orbis,
Et fuit ætatis magna ruina ſuæ.
Hic eſt, qui tantos mutato fœdere Reges
Prodidit, & nullam novit habere fidem, &c.

Sed dicant iſti ſycophantæ: Quis aliter potuiſſet Italiæ ſervare libertatem inter Carolum Quintum, & Franciſcum Primum, quorum regnandi libido, & Italiam ſibi aſſerendi, Turcarum tyrannidi Chriſtianam expoſuere Rempublicam? Graviſſima cum urgerent à Turcis diſcrimina, bellis licèt implicitus domeſticis, pro viribus officio nō deficiens Germanis Catholicis exercitum ſubmiſit collectum ære decimarum, quas extraordinariè imperaverat non ſolùm ſubditis S. R. E. ſed ipſis curiæ Romanæ officialibus. Sic An. 1526. quinquaginta nummùm millia *Ludovico Vngariæ Regi.* Anno 1529. cum imminente Turcâ, Lutherani Catholicos opprimere pararent; Clemens unà cum Cardinalibus, licet Romanas opes anteà voraſſent milites Cæſariani, viritim collecto ſtipendio, annuatim ſolvendo donec bellum gereretur in Turcas (ut ex *lib. Brevium An.* 1529. *p.* 419.) re oſtendit, quantum ſibi curæ eſſet Chriſtiana Reſpublica. Sic Anno 1532. collecta decem millia equitum Vngarorum ære Eccleſiaſtico duce Hyppolitho Mediceo, ſubmiſit Carolo V. adverſus Solimanum, qui cum quingentis Turcarum millibus Pannonias populabatur; adiunctâ pecuniâ mēſtruâ 40. millium nummorum, ad militum ſtipendiū, (*Campegius l.* 3. *liter. Princip. p.* 21.) orâ etiam communitâ Picænâ, & 12. inſtructis triremibus, quæ iunctæ claſſi Cæſareæ moverentur in Turcas. Anno tādē obitus ſui, prævalente pyrata Turcarū *Barbaruſſâ*, ac toti Italiæ ruinam minante, reparatam claſſem aliis Principibus iunxit, ut excurſiones retunderet barbarorum. Hæc digna Pontifice. Quòd maiora nō auſerit.

Anno 1525 ut ex lib. Brevium p. 56.

Geſta Clementis.

Nepotes obſtarunt à Florentinis pulſi, in gratiam quorum coactus fœdus renovare cum Cæſare, & opprobria ſuſtinere ſibi à Florentinis illata (*Iovius An.* 1529.) qui nullà honoris præfatione, non Pontificem, ſed Clementem appellabant, *& tanquàm ſpurium nec ritè Pontificem creatum dicebant.* Bello ſe implicuit, ut nepotes in patriam reduceret, & neptem Catharinam Mediceam liberaret, quam monaſterio incluſam Gallorum etiam intercedenti Regi, (quòd Henrico Aureliano ſperaretur ſponſa futura) reſtituere non ſolùm negabant; verùm in lupanar deducendam, vel in murorum ruinis hoſtium telis obiiciendam, agitabant. Fame tandem perdomitos, ſpolio ſubtraxit, ſtipendiis promiſſis militi Cæſareo, ut à rapinis retraheret, ſatis contentus, ſi ſalvâ Florentinis libertatè, mulctâ impoſitâ, in patriam honorificè reſtituerentur *Medicei*: qui poſteà per Magiſtratum ſibi addictiſſimum libertatis propugnatores egerunt in exilium: hoſtes verò Mediceorum affecere ſupplicio. Anno ſequenti, qui fuit Salutis 1531. *Alexandrum Mediceum* generum, cui *Margaritam Auſtriam* notham ſuam Carolus Imperator deſponſaverat, Principem declaravit, & iure hæreditario poſteris tranſmiſit. His Clemens intentus, cum in colloquio Maſſiliæ habito cum *Franciſco* Gallorum Rege, iura tantùm familiæ diceretur promoviſſe, etiam moriens Imperatori præter nepotes nil commendavit. Vtinam vel loco nepotum commendaſſet Eccleſiam; vel nepotes commendaſſet Deo. Forsàn miſerè non periiſſet. Clemens quamvis ad populum in officio continendum, munitiſſimam arcem Florentiæ excitaſſet: *Alexander* ob fœda adulteria in ſe concito ſuorum odio, Deo irreconciliatus, à *Laurentio* conſanguineo eſt trucidatus. *Hippolytus* Cardinalis vertente ab obitu Clemētis anno, nō ſinè veneni ſuſpicione extinctus iacuit. Sic opes, delitiæ, curæquè perituri ſæculi exitium illis paraverunt. *Guicciard. l.* 20.

Malè audit ob nepotes.

Lib. 2. liter. Princ.

Clementis indulgentiam teſtatur adhuc nummiſma, in quo ſub ſpetie Ioſephi in gratiam admittit fratres, concives ſcilicet Romanos, qui ab ipſo deſecerunt, ſub lemmate: *Ego ſum Ioſeph frater tuus.*

Scripta Clementis VII.

Scripſit *Epiſtolas* 11. ut in epiſtolis Principum. M.S. aliæ ſervantur in Angliâ apud Bodleianos. *Conſtitutiones* 40. & Bullas apud Rodericum, Cherubinum, Collect. Romanam. *Conclave* eius, *Diaria*, *Apologia* in Carolum V. *Itineraria* extant M.S. apud Barberinos. Devotus Virginis Lauretanæ viſitavit, ornavit, teſte *Turſellino.* Exploravit tranſlationē S. Domus, cubiculariis miſſis in Dalmatiam, ac Nazarethum, qui eā ibi miraculosè abſq; fundamentis ſubſiſtère retulerunt. Inter Clemētis ędificia, puteū habes mirę altitudinis in Vrbe Vetanâ, ad quē per duas ſcalas coclides ſingulari artificio cōfectas equi aſcēdunt, & muli; Moyſem imitatus, qui ſitienti populo aquā præbuit. Vide nummum pag. 37. ſub titulo, *Vt bibat populus.*

PAVLVS TERTIVS
PONTIFEX ROMANVS CCXXII.



CCXXIIII

IN Chriſto, qui in monte duodecim elegit, quos & Apoſtolos nominavit, vt per Orbem vniverſum prædicarent Evangelium, Paulum III. exibeo, quùm in Vaticano *Societatem Ieſus* adprobavit, vt toto in Orbe Chriſtum prædicaret, nec aliud quæreret, quàm *Gloriam Dei*.

Eligitur Sal. An. 1534. die 12. Octob. Obiit: An. Sal. 1549. die X. Novembris. Cum ſediſſet Annos XV. dies 28. Vixiſſet Annos 81. Vacat ſedes vſquè ad 7. Februarii.

ELOGIVM.

Anni Sal.1Pa. 1535.1i SEdet, non iacet Paulus licèt ſub marmorè [1] A
Ut ſucceſſores doceat ſanctè agere Petrum.
Electione, an ſucceſſione Pontifex? dubium.
Papa de ſignatur ab anteceſſore *Quòd Clemens eum inſtituiſset uti ſeipſo meliorem.*
Coronationi adfuiſſe Deum, vota reſonant;
Quorum plauditur nemine diſcrepante.
Unus reſtitit, diviſus Urbe, & Orbe [2] Britannus.
Rex non melior, quàm maritus;
In thoro adulter, in throno tyrannus,
Herodiadi attentior, quàm Ioanni,
(Qui Herodem Herodi deſcripſerat)
Ioannem gladio ſuſtulit.
Haud perire cum poſſit veritas: Anni Sal.1Pa. 1535.1i
Ioannis caput nunquàm contabuit.
Idem ne Ioannis ſocio contingeret;
Morum mori voluit, & excoqui
Solent tyranni plus timere mortuos, quàm vivos.
Eduxit tūc claves, & clavū anathematis Paulus,
(Qui Ioannem in carcere coronavit,
Martyrem dicens, antequàm eſſet:
Miſſâ purpurà, vt ſacro illo tingeretur murice)
Triennio tamen ſuſpenſum fulmen;

Vt

Anni Sal. Pa. Ut patientiâ impium ad ſalutem revocaret.
Sed magis inſaniit, expilatis mille Monaſteriis,
1535 l1 Er ſemper inops.
Quòd impiè parta ſpargeret luxuriosè.
Semel luxit ſcelera, & funera ſua:
Cum morientis Catharinæ • epiſtolam
Legere volens ſinè lacrymis, non valuit.
1536 l2 Aulicos omnes cum iuſſiſſet pullatos incedere:
Sola [4] Bolana flavum induit colorem lætitiæ,
Qui mœroris erat, & ſanguinis.
Nam illicò ferro percuſſa, nupſit carnifici.
Fluctuabat Hẽricus inter Hæreticũ, & Catholicũ
Cum Hæretico deterior, (ſem
Sãctorũ albo Thomã ſexpũxit martirẽ Cãtuatiẽ
Oſſa cremavit manu carnificis, ſparſit cineres. B
Sub haſtà expoſito cęnobio; cũ emptor nõ eſſet,
Emere coegit Catholicos.
Quorum ſceleribus evaderet ſceleratior.
Ex uxoribus vel adulteris ſex ferro ſuſtulit,
Quieſcere cogitabat in ſeptimà, & Ecclesię reſtitui
Ni paraſitæ ſacris locupletati obſtitiſſent,
Sic qui canis vixit, vt porcus obiit obæſus,
Nimià ſceleris, corporiſquè pinguedine.
Animam agens voluit Inferis propinare,
1547 l3 Quò indè clamans deſcendit:
Amici perdidimus omnia.
Labãtẽ Eccleſiã cum ſolus *Ieſus* fulcire poſſet,
Adfuit eũ ſuà ſocietate[6] chara bonis, ĩviſa malis.
1539 l5 Huius hæc ſumma inſtituti, C
Sola Dei Gloria.
Quà Paulus ſolis ſexaginta ſociis Orbẽ replevit.
Indi obtigere [7] Xaverio, (tus
Qui abſignatio unà literulà monitus I, ſtatĩ mo-
Deo fidens, Dei fidem ad Antipodas portavit.
Ad id muneris electus à Numine, augure ſõno,
Viſus Indum humeris geſtare dealbandum.
Hoc vidit ſomnians, hoc ſenſit vigil,
Cũ Indorum decies centenna millia dealbavit;
Tot enim ſolus baptizavit.
Eius cum quæreret miracula Roma,
Mortuos ĩveniẽs ſuſcitaſſe quinq; ſupra viginti:
Non minorem pronuntiavit Apoſtolis.
Pacẽ in Occidẽte nudis pedibus quęrens Paulus
A Senio maior terquè quaterq. Romà diſcedens, Anni
Ut pugnaciſſimos Principes exarmaret inermis, Sal. Pa.
Clauſo Iani templo, 1545 l1
Concilium [8] & conſiliũ Pacis Tridenti aperuit: 1546 l4
Quod ut Lutherus[9] refugeret, aufugit ĩ Tartara,
Ut Sanctus habitus à Germanis,
Cum omnes blaſphemaret in Sanctos.
Servatis eius turpibus reliquiis:
Quibus nulla aromata fœtorẽ adimere potuerũt.
Noviſſima Pauli [10] expeditio in Proteſtantes,
Qui cõſcriptis octoginta quinq; millibus militũ
Tormentis ſuprà centum & viginti
Exauctorato Carolo, novũ deſignaverãt Cæſarẽ.
Sola cunctatio profuit:
Nè in plumis Aquilam interciperent.
Miſit *Paulus* duodecĩ Italorũ millia *Farneſio* duce
Partàquè victorià, actũ erat de Proteſtantibus;
Si Cæſar Religionem reſpexiſſet, nõ Regnum. 1547 l3
Inter manubias cecidere *Saxo*, *Lantgravius*.
Cum Carolo pugnavit Chriſtus [11] Crucifixus
Qui in pariete traiectus ab impio milite,
Adfuit Cæſari taliter invocanti.
Si tu iniuriæ index; ego ero vindex.
Nõ longè Calvinus [13] diſcipulus Æcolampadii
Errore tamen magiſtro maior.
Medius inter Lutherum, & Zuinglium,
Fugà docuit ſuos abhorrere martyrium.
Ex Parocho factus Calipha Genevenſis
Vxorem duxit viduam *Adeletam*
Ex quà nulli liberi,
Ne tàm infamis hominis vita propagaretur.
Lupum reſpuère ſæpè oves Genevenſes;
Donec dormiente paſtore Petro de Balvà;
Quę erat martyrũ, facta eſt hæreſum ſeminariũ.
Sic Paulus, qui æqualis Petro,
Factus Petrus, propter nepotes, fit minor Paulo.
Ad errorũ cumulũ *Beza* [14] clericus, & pederaſtes
Ignem veritus Pariſiis ſibi præpoſterè paratum,
Venditis beneficiis nec uni tantùm emptori,
Genevã venit, ut magis corrũperet iam pollutã.
Paulus pondere preſſus Affiniũ, [15] & Hæreticorũ
Canendo cecidit
Si mei non fuerĩt dominati; tunc immaculatus ero.

ADNOTATIONES IN PAULO III. PONT. ROM. CCXXII.

Pauli 3. natalia. 1 PAulus huius nominis *Tertius* Pontifex Romanus, anteà *Alexander* filius *Petri Lusſi*, & *Ioanella Caietana de Sermonetà* (Familia hęc ex utroquè latere clariſſima) Carini naſcitur (oppidũ eſt paternę ditionis in Etrurià) pridie Kal. Mar. An. Sal. Studia. 1468. & ſingulari parentum diligentià educatus, Romæ Pomponium Lætum audivit primò; poſteà Florentiam miſſus, in celeberrimà Laurentii Medicis ſcolà, omnibus diſciplinis imbutus, antè omnia Latinas, ac Græcas literas fœliciter didicit. Enitebat enim in eo ingenium vividum, ſublime, & quod ad Drem maximè pertinet, in perdiſcendo, gloriæ avidum. Indè Romam, ſedente Innocentio VIII. ſe conferens, ut literis experientiam (quà prudentiam nanciſcimur, pari fęlicitate coniũgeret) cępit omni officio, & obſervantià Rodericum Borgiam Cardinalem Epiſcopum Portuenſem excolere, & ab eo amari ob morum elegantiam. Quum aliquandò ob rem familiarem à matre diſſentiſſet, eius rogatu, ab Innocentio VIII. in Hadriani molem coniectus eſt, quo iuvenis paulò audacioris ſpiritus reprimerentur. Sed brevi *Pauli Margani* propinqui operà (dum omnes ſuppli-

ca-

cationibus corporis Chriſti religioſiùs vacant) funibus ex prææltâ arce demiſſus, ſe ſe cæteris tædio eripuit Pontifici reconciliatus quum animum ſacto vivendi inſtituo addixiſſet, ſcriptor Apoſtolicus, & Protonotarius creatur. Mortuo Innocentio VIII. ab Alexandro VI. quem antea ſemper obſervarat, ærarii præfecturâ, & Epiſcopatu Montis Flaſconis, Cornetiquè ornatus, mox Cardinalis creatus eſt Anno Sal. 1439. die XII. Kal. Octob. Anno ætatis XXVI. tit. S. S. Coſmæ, & Damiani. Indè accumulatâ dignitate, Viterbii primùm legatus (in quo honore *Carolum VIII* regnum Neapolitanum armis repetentem, honorificè ſuſcepit) deindè agri Piceni factus eſt. In his legationibus ità ſe geſſit, ut ſummis, infimis æquè gratus, magnum ſui deſiderium munere defunctus, provincialibus reliquerit. Propterea Iulius II. ad ſe accitum, & pro Picenâ legatione, Epiſcopatu donatum Parmenſi, in Lateranenſi Concilio, eius operâ uſus, eundem quoad vixit apud ſe Romæ detinuit, atquè opulentiori S. Euſtachii diaconiæ præfecit. In comitiis Purpuratorum Annos vivens ſupra 40. talem ſemper ſe geſſit, ut in Gallorum nè, an Hiſpanorum, quorum tunc factionibus tota ſerviebat Italia, partem pronior eſſet? nunquàm conſtiterit. Itaquè omnibus gratus, nemini addictus, magnâ prudentiæ laude vacans muneri ſuo, cæpit omnibus ſæculis laudatum ædificandi ſtudium, eiuſquè domus fundamenta ponere Antonio Sangallo Architecto, quæ nunc non procul à Campo Floræ, ſtructuræ elegātiâ, & laxitate cunctas noſtri temporis, vel Regias ſumptuoſiſſimas longè ſuperat, artificio autem nequè veterum Romanorum ſuperbiſſimis cedit palatiis. A Leone X. ex Diacono Cardinale S. Euſtachii, Epiſcopus Cardin. Tuſculanus factus, ex vitæ ſuæ inſtituto id adeptus eſt gratiæ, ut mortuo Leoni X. per Cardinales aliquot ſuffragiis ſucceſſor expetitus, ſedem conſcendiſſet Apoſtolicam, ſi Iulius Medices, qui iuniorum patrum ſuffragia moderabatur, ſibi præferri paſſus eſſet. Gallos etiam ſuboffenderat, quum diligenter ambiendo, & prenſando ut Cæſarianos ſibi conciliaret, Manueli Imperatoris legato fidem obſtrinxerat, ſe Cæſari nunquàm defuturum, ſi eius auſpiciis Pontificatum obtinuiſſet, quæ res Gallis aperta Cardinales Gallos ab eo avertit. Biennio poſt, quum Hadrianus Sextus fato conceſſiſſet, inſtauratis comitiis, eadem iuniorum conſpiratione Iulio Medice ſubrogato, ipſe rurſus obtinendi Pontificatus ſpe decidit. Nondum eum Deus excelſæ dignitatis honore ornare deſtinarat. Meliori ſorte, Clementis VII. calamitatibus ſubtractus ad feliciora ſervabatur. Mortuo namquè Clemente, Annus longè omnium eius ætatis, ſecurâ domi pace, mirâ Cœli clementiâ, lætâ paſſim agrorum copiâ, & ubertate, Punicaquè victoriâ inſignis, Pauli III. Pontificatus initia nobilitavit; ita quod qui luctuoſa Hadriani ac Clementis tempora euaſerant, ſe tunc primùm natos crederent in ſæculo aureo. Vivo Clemēte, Præneſtinam primùm Eccleſiam, deindè Sabinam, poſt Portuenſem, noviſſimè Oſtienſē obtinuit. Mortuo Nicolao Fliſco Senatus principe, id munus vetere inſtituto ſuſceptū, eâ prudentiâ ac integritatis opinione annos X. ſuſtinuit, ut nemini dubium eſſet, iis artibus gradum ſibi ad Pontificatum præparaſſe. In Hiſpaniam Legatus eo tempore, quo Clemens direptâ urbe, obſidebatur in arce, in itinere Parmæ ſubſtitit, & Lautrecium in ſuppetias Pontificis ſollicitavit. Cæſarem verò in Italiam venientem Genuæ primùm excepit. Bononiam iterum venientem eo animo, ut inter alia circiter quindecim Cardinales à Pontifice è ſuâ factione creari impetraret; Farneſius auctoritate, & ratione, nè id faceret, perſuaſit. Eas ob res apud Clementem eâ auctoritate prævaluit, ut quùm Papa diuturno ſtomachi vitio tabefactus, ſpem vitæ abieciſſet, eum ſibi ſucceſſorem teſtamento ſcripturum affirmaret, ſi Pontificatus foret hæreditarius. Morti tandem proximus ei uni omnibus prælato, Eccleſiam propediem vacaturam commendans, *Hipolythum Medicem* hortatus eſt; ut unum omninò *Farneſium* collatis amicorum ſtudiis ornandum ſuſciperet, quandò nemo in adminiſtrandâ Republicâ, eo potior eſſe videretur. Non diſſenſere Patres, immò novo, & inuſitato exemplo cogitantes antè celebrata novendialia, ſinè ullo conclavis cœtu, demortuo ſubrogare Pontifici: ipſe conſtantiſſimè recuſavit. Iuſtis igitur *Clementi VII.* celebratis, à Cardinalibus XXXV. 4. Idus Octobris An. 1534. Pontifex ſalutatur. Accidit autem, ut Cardin: Lotharingus Gallicam legationem ad ſe transferri rogaret, ſibi certo pollicitus illum in tantâ animi alienatione ſibi gratiam non negaturum. At *Farnenſius* nondum planè Pontifex, id decori ſuo convenire negans, preces eius obaudivit. Nulla unquàm a multis ſæculis comitia ſinceriùs concordiuſq. inita, peractaq. ſunt, nullo livore protracta, nullo demū metu præcipitata. Eū Populus Romanus incredibili lætitiâ, & gratulatione accepit; quòd poſt Annos centum, in Pontificem civis crearetur Romanus (nam à Martino V. deinceps caruerat) qui famâ nominis, & eximiâ virtutum claritate latronum audaciam contundere poſſet. Proſtidie, quum in ſuffragia itum eſſet, ſyngraphis ſuffragiorum præter morem apertis, in ſacratum calicem coniectis, Pontifex denuò omnium votis renuntiatus, ad tertium Non. Novem. *Pauli III.* aſſumpto nomine, coronatus eſt, & pro ſymbolo: *Confirma hoc Deus, quòd operatus es in nobis*. Huius novæ electionis formam non ſyngraphis ſuffragiorum ſubſignatis, & de more in urnam coniectis, ſed conſenſu, & præclarâ voce totius Senatus factam teſtatur nummus, in quo Chriſtus increpat Saulum, *Saule, quid me perſequeris? Vas electionis*: quia viâ Spiritus Sancti electus tanquàm alter Paulus. Pontificatum ei prædixiſſe dicitur B. Michael Eremita Camaldulenſis (teſte Auguſtino Florentino Monacho *l. 3. Hiſtor. Camal.*) cum *querenti Bartholomæo Grottæ Cappellano eius Cardinalis Farneſii, quòd longo tempore ei ſerviſſet ingrato*, reſpondit: *Perge ut cæpiſti frater, quià aliquando te Pontifici Maximo famulatum impendere animadvertes.* His renuntiatis Farneſio; Monachum & ipſe adiit percontatus, *Quando hæc erunt?* Cui, *poſt electionem duorum*, qui fuere Adrianus 6. & Clemens 7. Vetuſtior conſonat prædictio S. Malachiæ Archiep. Armacani *Hiacynthus Medicorum*. Lilia namq; cærulea ferebat in ſtemmate Paulus III. & Cardinalis erat Sanctorum Coſmæ, & Damiani, qui Medici fuere.

Nummum hoc tempore percuſſum habes, cuius in fronte imago *Pauli III.* ſub titulò *Divus Paulus III. P. O. M.* Divi titulus non ſolum Cæſaribus datus antiquis,

Dignitates.

Mores.

Ambit Pontificatum mortuo Leone X.

Initium Pontificatus felix.

Officia ante Pontificatum.

Papa acclamatur more inuſitato.

Paulus dicitur.

Symbolum: nummus.

Prædicitur Papa.

quis,ſed Pauli ſeculi, Regibus etiam Chriſtianis, Ludovico XI. Gallorum Regi. *D. Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſacra effigies.* Federico,& Maximiliano Imperatorib., Divi Fridericus pater, & Maximilianus filius Imperatores Rom. Philippo II. *Divo Philippo triumphatori, Hiſpaniarum Regi.* Aretino; *Divus Aretinus, flagellum Principum.* Quibus nũmiſmatũ inſcriptionibus (eas habes apud P. Dù Molinet in *Hiſtor. Pontif.*) lucidè patent calumniantium inſidiæ adversùs titulum *Domino meo Adorando* à me oblatũ LudovicoXIV.Gallorũ Regi *lib. Aquila inter Lilia.* In adversà nummi parte duo lemmata habes: alterũ in ambitu nummi, *Nec Primus Tertio, nec Secundus*, quòd ſcilicet famà virtutis æquè certet cum Paulo I. & II. Alterum habes in medio nummi, *Futura virum oſtendent*: illicò enim Romani Capitolini Officiorum Curialium privilegia confirmando: Eccleſiarum prædia temerè locata vindicando, in ſpem excelſam Orbem excitavit Chriſtianum. Cæterum tertiùs Nonas Novemb. Pauli Pontificis coronatione feſtivus, Henrici VIII. Britanniæ Regis defectione funeſtus, Pontificem magno implevit dolore.

Calumnia in auctorẽ tollitur.

Pauli III. nummi.

2. *Britannus* poſt impiè ſuper Eccleſiam Anglicanam uſurpatum primatum, volens Clementem faceſcere (qui repudium Catharinæ damnav.t) cœpit religionem abrogare Catholicam, monaſteria, ædes ſacras profanando, Clericis, Monacis immani ſevitià occiſis, bonis eorum vel in fiſcum redactis, vel quò plures erroris ſui participes haberet, miniſtris inſaniæ ſuæ conceſſis. Sed & in hoc mirabilis apparuit Dei providentia, vt ab his ſanctiſſimis viris initium faceret, quo ipſius tyranni maior eſſet confuſio, & ipſorum martyrum clarior trumphus, ac illuſtrius pro veritate teſtimonium. Tertio Kal. Maii, quinq; ſanctiſſimi viri glorioſum pro Chriſto certamen inierunt, quorum tres Io: Hogthonus Prior Londinenſis, Robertus Laurentius Prior Bevalenſis, Auguſtinus Vebſterus Prior Exhamenſis, Ordinis Carthuſiani. Confidebat lupus ſublatis paſtoribus, facilimè diſpergere oves. Novis Comitiorum decretis cum iuberentur iureiurando ſubſcribere,& Regẽ ſupremum Eccleſiæ caput confiteri: illis autem excipiẽtibus *ſalvà lege divinà.* Cromuellus repoſuit: *Nullã exceptionem admittam: ſivè lex divina permittat, ſivè non: vos integrè, plenè, & categoricè hæc affirmabitis.* Tunc illi. *Eccleſia Catholica iſtud hactenus (quòd ſcimus) non docuit.* Reſpõdit Cromuellus. *Nõ curo Eccleſiã; vultis conſentire., an non?* Inquiunt martyres *Non audemus, nedum Regi placere volumus, Deum offendamus.* Quo audito, cauſa duodecim viris commiſſa ſecundum regni conſuetudinem; licet iſti nil morte dignum invenirent, ob Regis metum, damnarunt. Eadem formulà qui in quæſtionem veniebant, ad patibulum trahebantur eodem habitu, quo utebantur in monaſteriis. Auxit Beatorum numerum eodem die *Reginaldus* doctor, Brigittenſis Monachus ex Abbatià Sion inſignis Theologus, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritiſſimus. Is vbi ſe condemnatum audivit, nec quicquam loqui permiſſum, niſi vt conſentiat, vel nõ conſẽtiat Comitiorũ decreto? *Hoc eſt* (inquit) *verè iudicium mundi.* Negantibus ſpatium tridui, quo ſe ad mortẽ pararet. *Attamen* (ſubiecit) *credo videre bona domini in terrà viventium.* Ad ſuppliciũ perductus populum hortabatur, ut pro Rege preces ad Deum funderent, ne, qui Salomonem initio Regni ſui, ſapientià, & pietate geſſerat; vnà cum illo in fine vitæ, per mulieres ſeductus degeneraret. Hoc terrore exiſtimans Henricus cæteros à conſtantià dimovere, Prioris Londinenſis occiſi membra in ianuà Monaſterii affigi iuſsit; ac viros duos ſeculares cœnobio præfecit, qui iuniores Monachos, vel minis, vel blanditiis depravarent. Sed cum iſti non proficerent dicentes, quòd ſeniorum exemplo iuvenes à Rege abhorrebant; tredecim alios crudeli ſuplicio ſuſtulit, præciſis pudẽdis & flãmæ traditis, evulſis præcordiis, diſſecto corpore in partes, quas elixas variis in locis populo ſpectandas appendit. His auditis *Paulus III. P.R.* & quòd *Io: Fiſcherũ Archiep.* Roffẽſẽ, ac *Thomam Morum* alioſq; multos ab Henrico occiſos ob fidei cõfeſſionẽ accepiſſet; re diu deliberatà, ac Deo per ſacrificia commendatà, mandavit 3. kal. Septemb. An. 1535. vt niſi intra terminũ præfixum à perſecutione deſiſteret, & leges revocaret iniquas, haberetur pro excommunicato, & regno exutus cum omnibus complicibus ſuis. Evulgatis literis, dum tempus expectatur; nova rerum in Anglià mutatio Paulum Pontificem, cæteroſquè Principes ad novam ſpem de Henrici emendatione erigebat. Quo factum, vt Pontifex partim ſuà ſponte, partim Principum rogatu paterno charitatis officio ſententiam ſuſpenderet, fruſtrà tamen. Henricus in deteriora lapſus conſilia, Monaſteriorum bona ad ſe rapuit. Prætextum quærenti ſuggeſserunt plura in monaſteriis graſſari ſcandala, quibus Rex ad commodum vti poſſet, ſi ſpecie viſitationis ingenioſum virum eò mittat, qui Monachos in ſe commiſsos excitaret ad revelãda omnium peccata, vt ſic eorum bona iuſtè invadere videatur. Placuit Regi nequam conſilium impium vndè Menſe Octobri, viſitatione decretà *Leum* iuris civilis profeſsorem, laicum ad inquirendum Monachorum, ac ſacrarum virginum mores delegavit. Viſitationis fuere leges. Primùm, *ut omnium peccata ediſceret. Deinde Minores viginti quatuor annis ad ſeculum exire compelleret. Maiores non compelleret: exire tamen volentes, impunè poſſent. Exeuntibus loco habitus religioſi togam ſacerdotalem, & aureos ferè octo Abbas daret. Virgines ſacræ more fœminarum ſæcularium veſtirentur. Viri ac mulieres pretioſa Eccleſiarum ornamenta, & Sanctorum reliquias Regiis quæſtoribus traderent.* Leus quo diligentiùs commiſſum ſibi obiret officium, Virgines ſacras ad inceſtum ſollicitavit, vt crimina ubi non eſſent, poneret. Sic conficta, vel patrata, pridie Non. Feb. Anni ſequentis, cum publico Regni comitio retuliſſet, obtinuit: vt minora quæquè monaſteria, quorum annui cenſus ſeptingentos aureos non excederent, ſuæ dederentur libidini. Initium fecit à minoribus, tanquàm Reipublicæ minùs neceſſariis, & in quibus (ut aiebat) propter exiguum Religioſorum numerum, diſciplina minùs poterat obſervari: re verà, ut invidià minori ad maiora deinde tranſiret; & ut Abbates cænobiorum alieno periculo cauti, Regi non obſiſterent. Ceciderunt primo impetu monaſteria 376. ex quorum ſpoliis ceſſerunt in fiſcum Regium annui cenſus ad centum plus minus & viginti millia aureorum: in ſuppellectili boniſquè mobilibus ad quadringenta

Henrici Angliæ Regis impia facinora

Henricum Angliæ excommunicat.

Anglus Monaſteria viſitat.

Expilat.

ferè

ferè millia, præter ea, quæ aulici rapuerunt. Religioſorum autem utriuſquè ſexus pluſquàm decem millia ad ſæculum redierunt. Hiſce rapinis egenus factus Henricus octavum poſt menſem nonnullas provincias ad arma compulit, ob noviſſimas tributorum exactiones. Vivebat adhuc Regina *Catharina* ſummis affecta calamitatibus, propter impia Henrici facta, quem unicè diligebat:

Catharinæ Reginæ mors.

ſed ſupra modum cruciabatur ob barbaram ſęviriam, quà regii miniſtri venerabilem ſenem *F. Io: Foreſtum* Ordinis S. Franciſci, Reginæ à ſecretis ſacramentalibus, in carcerem coniecerant inter latrones. In eum auditâ ſententiâ, quòd vivus foret comburendus; Patrem ſuum ex animo commiſerata, literas ei miſit conſolatorias, vt fortiter obiret pro Chriſto. Quibus acceptis Foreſtus reſpondit, *ut eius conſtantiâ ſecura viveret, & de pœnis non eſſet ſollicita. Quòd hiſce puerorum terriculamentis in causâ Dei moveri haud poſſet ſenex, qui 64. Annos iam uixerat, & Annis tribus ſupra quadraginta in habitu S. Franciſci docuerat terrena contemnere.* Cum hæc ſcriberet, exiſtimabat Chriſti martyr brevi ſe deceſſurũ antequàm Regina ſanctiſſima ad coronam gloriæ perveniret. Sed longè aliter ſtatuerat divina providentia, huius patris reſervato certamine poſt Annos duos; Catharina verò abreviatis diebus, ad octavum Idus Ianuarii, ex aeris inſalubris intemperie, atquè aſſiduo calamitatum concurſu (adiungas etiam cum veneni ſuſpicione) ex hac vitâ deceſſit, in villâ *Cimbaltenâ*. Anno Sal. 1536. ętatis ſuæ 50.: 33. in Angliã appulſus. Exequias habuit mediocres in vicinâ civitate, quæ dicitur *Petri Burgum*. Mirabilis planè fœmina ſivè ſanctitatem ſpectes, ſivè prudentiam, ſivè in omni vitâ conſtantiam. Nullo vnquàm periculo adduci potuit iam aulâ eiecta, ac plurimis expoſita iniuriis, vt vel Hiſpaniam peteret, vel Belgium, quò honorificè invitabatur à nepote ſuo *Carolo* V. Imperatore. Infelices matrimonii ſucceſſus ex eo pręcipuè proveniſſe dictitans; quòd *Henricus* VII. ante

Infelicitas huius connubii undè venerit.

nuptias Catharinæ cum Arturo, vt regni ſucceſsionem ſecuriorem faceret, innocentiſsimum iuvenem *Edovardum* Plantagenetam ducis Clarentiæ filium, & *Edovardi Regis* IV. ex fratre nepotem, ac fratrem matris Reginaldi Poli, innocentem occidendum curaverit, quo faciliùs, & liberis proſpiceret ſuis, & Ferdinandũ Hiſpaniæ Regem ad filiam ſuam Arturo Principi tradẽdã induceret. Delecto in quo decubuit,

Catharinæ ad Henricum literæ.

cum mortẽ adventantẽ præſentiret, ſcripſit Henrico Regi. *Domine mi Rex, ac coniux dilectiſſime. Adventante iam mortis meæ horâ, amor, quo te proſequor facit, ut admoneam te paucis æternæ ſalutis, animæ tuæ, quam univerſis huius mundi bonis, ac rebus mortalibus anteferre debes, neglectâ etiam tui corporis curâ, propter quam & me in calamitates multas, & teipſum in plures ſollicitudines conieciſti. Sed ego tibi ex animo condono, precorquè, ut eadem tibi condonet Deus. Quod reliquum eſt, commendo tibi Mariam communem noſtra filiam, ut patris officium in illam præſtes. Tres item ancillas, & miniſtros meos omnes, ut illæ nuptui cõmodè tradantur; his autem præter id, quod iam eis debetur, etiam unius anni ſtipendium integrum, velut cumulus accedat, ne planè inopes deſerantur. Poſtremò hoc unum teſtor, quod oculi mei te ſolũ præ rebus omnibus mortalibus deſiderant. Vale.*

Eas legit plãgens Henricus.

3. *Catharinæ epiſtolam* cum accepiſſet Henricus abſquè lacrymis non ſuſtinuit, Euſtachiumquè Capocium Oratorem Cæſaris apud Anglos (cui Regina exemplum miſerat ſupradictæ epiſtolę, rogans, vt renuente Henrico ſolvere ancillis quod petebat; curaret, vt vel Cæſar ipſe præſtaret; vel Henricum redderet officii memorem) imploravit, vt ſtatim ad eam proficiſceretur, multáq; ſalutem ſuo nomine diceret. Sed mors prævenit Catharinæ. Quâ auditâ, præcepit Rex, vt aulici pulati diem agerent funebrem. Huic pręcepto parvere omnes

Bolanæ impudẽtia.

4 *Bolanâ* exceptâ, quæ in ſignum lętitiæ, ornamẽta flavi coloris ſe, ſuaſq; ancillas indui curavit, gratulantibus aulicis ęmulam è medio ſublatam reſpondit: *Immò doleo, quòd tàm honeſto obierit mortis genere.* Principes exteri magnis expenſis celebravere exequias, vbiq; ferè terrarum. Multę conciones habitæ, plures libri editi in honorem defunctę, & in tyranni, ac conſiliariorum deteſtationem. Et eccè qui iuſtus eſt Deus Annæ glorianti, & ſuperbienti, è veſtigio æmulam ſuſcitat, *Ianam Seimeram*, cuius amore bacchatus Henricus furebat.

Iana Seimera nova ſponſa Henrici VIII

Tempus autem cum veniſſet, quo Anna iterum pareret; peperit monſtrum, vidente Rege. Illa & de abortu dolens, & de Regis amore indignatâ, *Ecce* (inquit) *poſt illum diem, quo meretricem illam Ianam, tuis genibus inſidentem conſpexi, quã pulchrè uterus meus officio functus eſt.* Reſpõdit Rex. *Bono ſis animo coriculum meum; non erit poſt hac, cur de me queraris.*

Bolanæ adulteria, inceſtus.

Annam verò vbi ex Henrici ſemine maſculum concipere deſperavit; experiri cõſtituit, an alia via effici poſſet Regis mater. Putans ergo adulterium magis occultare, ſi potiùs cum fratre ſuo Georgio Bolano, quàm cum alio quopiam rem haberet: & ſic de genere, & ſanguine Bolenorũ, ex utraquè parte procrearet, qui regnum occuparet in Angliâ, fratri carnaliter ſe immiſcuit. Sed cum neq; ex ſcelerato inceſtu, aſſecuta eſſet, tentavit libidinem vagam, vt pręter Noreſium, Veſtonum, Bruertonum homines non ignobiles, etiam Marcum quẽdàm muſicum ſuum, in Regium thorum pelliceret. Hęc tam effuſa libido cum Regem diù latere nõ poſſet, diſſimulavit tamen vſq; ad Kal. Maias quo die, cum Rex Grennici ſpectaculis intereſſet, atq; Annam è feneſtrâ amaſio ſudarium demittentem, ad abſtergẽdã faciẽ vidiſſet; theatro ſtatim prorumpens, nemine ſalutato Londinum venit: vbi Annam ad tribunal eductam, & ab ipſo Thomâ Bolano, qui pater ipſius putabatur inter alios iudices iuſſu Regis conſidente, inceſtus, & adulterii condemnata, XIV. Kal. Iun. capite plectitur, menſe quinto ab obitu Catharinæ; cuius rei dolore etiam *Thomas Bolanus* è vita non multò poſt migravit. Adulteri triduò poſt Annæ ſupplicium ſecuri publicè percuſſi, meritas libidinis dedere pœnas. Annæ mors nullo luctu cohoneſtata; immò eo ipſo die, quo Anna eſt morti tradita, Rex Seimeram in thorum induxit. Comitia poſtea indixit, & ſynodum Epiſcopalem ad 6. Idus Iun. in quibus poſteaquàm non parum ſibi diſplicere ſignificaſſet, quæ tam ſtudioſè iam pro *Elizabethâ* Bolanæ filiâ, in Mariæ Principis detrimentum, egiſſet, proptereà nullam eſſe vellet; in vtroq; concilio diſceptari iuſſit, quænam fides, quæ etiam forma religionis deinceps eſſet in Angliâ obſervanda. Nam hactenùs confuſa omnia; quid agendum, quid credendum ignorabant. Ne tamen

Mariæ principem reſtituit contra Elizabetham.

men crederetur ad Eccleſiam redire Romanam,mandavit primò;nemini liceret de Romano primatu verba facere. Regem vt confiterentur caput; Thomam Cromuellum conſtituit ſupremum Vicarium ſuum in cauſis Eccleſiaſticis,eiq;ſigillum peculiare aſſignavit. Præſidere eum etiam voluit Epiſcopis omnibus in ſynodo,ac Prælatorum conventu. Menſe Septembri Canones quoſdam Eccleſiaſticos, quos *Iniunctiones* vocabat,ſigillo munitos Vicariatus ſui,toti Clero, & Epiſcopis Cromuellus præſcripſit:in quibus iubebantur parochi ſub pœnis graviſsimis orationem dominicam cum ſalutatione Angelicâ, ſymbolum Fidei,decalogum Anglicè in poſterum docere. His ita conſtitutis, de aliis articulis fidei in vtroq; concilio diſceptari cœpit;& poſt longam altercationem libellus editus *ſex articulorum* cum inſcriptione, *Articuli per Regiæ Maieſtatis Serenitatem conſtituti.* Horum primus *in Euchariſtiâ tranſubſtantiationem credendam eſſe iubebat. 2. unam ſpetiem ſacramenti ſufficere ad ſalutem. 3. Cælibatum ſacerdotum omninò retinendum. 4. vota caſtitatis non temerè facta, eſſe ſervanda. 5. Miſſarum celebrationem non ſolùm iuri Divino eſſe conſentaneam; verùm & Miſſas privatas fieri bonum eſſe, & neceſſariũ. 6. Confeſſionem auricularem omninò eſſe ſervandam. Qui ſecùs doceret,ac crederet poſt XII. diem Iunii,in illum tãquàm hæreticum ſupplicia graviſſima eſſe exercẽda,Regis Serenitas eum utriuſq. Senatorii Ordinis,& plebis in Comitiis coacta conſenſu decrevit.* Sed fruſtrà humana ſudat induſtria, vbi non adeſt divina protectio. In vacuũ cucurriſſe Regem, & Epiſcopos comprobavit eventus;quandiù nec cum Petri ſucceſſore convenire, nec à cæteris Eccleſiæ columnis dextras ſocietatis accipere dignarentur. Non enim per haſcè profanas leges, hæretici ceſſerunt Angliâ; ſed Epiſcopi, ipſeq. Henricus hęreſi polluti,quæ docebant,non credebant. Septem cum diceret Eccleſiæ ſacramenta, cum Lutheranis poſteà tria tantùm aſſeruit à Chriſto inſtituta. In Pœnitentiâ Confeſsionem dicebat neceſſariam,ſed à Chriſto negabat inſtitutam, & ſatisfactionis nomen omninò abolebat. Orare permittebat pro defunctis, ſed Purgatorium non agnoſcebat. In ſacramento Ordinis novam formam ordinãdi Epiſcopis præſcribebat. Sacerdotes à coniugio prohibebat, ſed Monachis exire ad ſæculum volentibus ianuam aperiebat. Sanctos cum profiteretur honorare,pretioſâ ſpoliavit ſuppellectile. Hęc cũ adverterẽt Catholici Lincolmenſes, Nortumbri, Cumbri, Dunelmenſes, Eboracenſes, numero quinquaginta mille ſub vexillo, in quo quinque vulnera Salvatoris, Calix cum hoſtia, & nomen Ieſu in medio expreſſum, arma ſũpſere ad tutelam fidei Chriſtianæ. Henricus verò miſſis in Germaniam legatis, ad Proteſtantes ſibi conciliandos convenit,vt Melancthon, Iacob Sturmius, Bucerus, & Io: Draconites in Angliam deſcenderent, vt cum præconibus regni de religione convenirent. Itineris tamen ſollicitudine (quod inviti ſubibant) liberati ſunt auditâ Catharinæ morte, & cæde Bolanæ. Tentavit etiam Regem Scotiæ, dato libello Anglicè ſcripto dogmata cõtinẽte Religionis,vt in mutuum coirent colloquiũ. Sed vigilantibus Catholicis;negavit Scotus Religionis ſubire periculum. Catholicos interim arma tractantes vt falleret Henricus,cum promiſiſſet,ac publicis tabulis confirmaſset, ſe omnia emendaturum de

Vicariũ ſibi cõſtituit in ſpiritualibus.

Librum procudit ſex articulorum.

Fœdus percutit cũ Lutheranis.

Urgent ad defectionem Eccleſię Scotum.

A quibus accuſabatur, brevi poſt, ſpetie novi tumultus Anno ſequenti Sal. 1537. plures magnates, Monachos morte ſuſtulit. Obiit hoc tempore in puerperio *Iana Seimera*, filio relicto, quem vocavit *Edovardum*; & Paulum Pontificem, maiorem in ſpem excitavit, quòd Henricus vinculo Bolanæ, & Seimerę ſolutus, poſſet cum novâ fœminâ explere libidinem, & Eccleſiæ reconciliari. Re itaquè maturè deliberatâ cum Regibus, qui opem lubentiſſimè deferebant, decreta eſt *Reginaldo Polo* (quem Patavio evocatum Pontifex renuntiaverat Cardinalem) legatio ampliſſima in Belgium, vt ex eo loco, qui Angliæ vicinus eſt, tum Pontificis, tum aliorum Principum nomine,cũ Hẽrico ageret,vt ſaniora tandẽ ſequeretur conſilia. Venit ergo Lutetiam facultate inſtructus ampliſsimâ,comitantibus viris ampliſſimis,in quibus *Ioannes Matthæus Veronenſis Epiſcopus* ſingulari rerum uſu,& B experientiâ præditus. Lutetiam cum veniſſet, iubente Rege,à Clero honorificè exceptus. Henricus miſit in Galliam citato curſu Franciſcum Brianum, qui à Rege contenderet, vt ſibi traderetur Polus; aliàs amicitiæ renuntiaret. Rex religione prohibitus,quòd fidem Pontifici de Poli incolumitate dederat; Anglum etiam ne offenderet, quòd eius amicitia eſſet ei valdè utilis, bello exardeſcente inter Gallum, & Cæſarem, *Polo* denuntiari curavit, vt poſtridiè abiret, ſi ſalvus eſſe vellet. Inexpectato nuncio perculſus *Polus*, ne longiori morâ maiores incurreret difficultates, poſterâ luce Deum piè precatus, illius patrocinio ſe totum committens, quàm potuit breviſſimo itinere Cameracum (quod eſt Cameracenſis Epiſcopi oppidum in ipſis Galliæ, Belgiiq; finibus poſitum) contendit: quò tamen non ſinè ſummo vi-C tę diſcrimine pervenit, eò quod vniverſum illud iter nõ ſolùm Cæſarianorũ,Galloruq;militum,ſed & Anglorum, qui Gallis adherebant, excurſionibus infeſtaretur. Quo periculo territi Poli comites cum Crucem ſolitam anteferri Legatis geſtare ampliùs non auderent, *Polus* ipſe invicto animo inſigne illud Salvatoris manibus aſſumptum, magnâ erectum geſtavit conſtantiâ; quouſquè famuli verecundiâ perfuſi illud è manibus Legati repeterent. Cameraci cum eſſet,intellexit ſe in Angliâ ab Henrico proſcriptum, præmio conſtituto 50. millium aureorum ei, qui Polum interficeret. Quà ex re maioribus adhuc implicatus periculis (cum inter milites verſaretur) quò pergeret, neſciebat. Sed eccè ſummis in periculis Deus. Everardus enim à Marchiâ, Cardinalis Epiſcopus Leodienſis, qui Senatui Belgico hoc tempore præfuit, interpoſitâ fide publicâ, Polum nihil tale D cogitantem Leodium humaniſſimè invitavit, & ſummo honore excepit venientem. Quo audito,Henricus ſtatim cum Belgico egit Senatu,ut Polum traderent:ſe Galli partes relicturum, & quatuor peditum millia in auxilium Cęſaris,ſuis ſumptibus miſſurum, ac decem menſium ſtipendia è veſtigio in Senatorum manibus depoſiturum, ſi id fiat. Poli intellectis periculis Paulus Pontifex eum ſtatim Romam evocavit, aſſignatâ ei publicâ cuſtodiâ militum adverſùs Henrici furorem: Cardinali Leodienſi, humanitatem ut rependeret Polo collatam, univerſi Belgii legationem demandavit. Recedentem Leodio Polum Præſul, Clerus, totaquè civitas magno affecit honore, ab eodem Everardo publicatâ indulgentia

Mors Seimeræ.

Nov. conatus Pauli pro Anglo.

Cardinali Polo Anglus inſidiatur

Galli timor.

Poli cõſtantia.

Inſidiæ Henrici in Cardin. Polum.

tià inſtar Iubilæi, triduo ieiunio excitata rogare Deũ adverſus Turcas, & Hæreticos; Lutherano, qui etiam in carcere furere non ceſſabat, mandavit linguam perfodi clavo. Henricus autem, cùm priora non ſucceſſiſſent, in amicos Poli, & conſanguineos furore converſo, comprehendit primò Margaritam Comitiſſam Satisburiæ, Poli matrem, Georgio Duce Clarentiæ natam, qui frater germanus Edovardo IV. Regi fuerat, eamq; ſecuri percuſſit An. 1541. 5. Kal. Iun. quòd literas à filio accepiſſe diceretur, ſacramq; imaginẽ Chriſti quinq; vulnerũ clam in pectore geſtaſſe diceretur (Hoc enim ad Eboracenſium Catholicorum memoriam, qui ſub illis inſignibus arma ſumpſerant pro religione, factum interpretabatur) Cecidere cum eà alii quinq; viri, regii ſanguinis proles, quòd impiis Henrici decretis adverſari crederentur. Plures etiam abſumpſit Religioſos Franciſcanæ familiæ, quorum triginta, bini, & bini è carcere dimiſſi, catenis colligati, vt murmure minori alibi morerentur. Ac ne in illos tantùm, qui in terris agerent, ius habere videretur Henricus, nonnihil etiam in Cœlites audendum putavit. *Cromuellus* Henrici vicarius in ſpiritualibus cum videret quaſdam Sãctorũ imagines, & martyrum monumenta in honore eſſe, eiſq; offerri donaria, Hẽrico author fuit, vt omnes Angliæ Sanctorum imagines celebriores, ad quas præcipua erat hominum frequentia, unà cum memoriis Martirũ auro, & argento refertis, tollerẽtur è medio.

Impius in Sanctos.

5. *Thomam*. Tres cum eſſent in universà Anglia martyrum Anglorum præcipuè. Prima *S. Albani*, qui primus in inſulà ſub Diocletiano Imper. Sal. An. 300. ſanguinem fudit pro Chriſto. Secunda *Edmundi* Regis propter fidem à Paganis extincti. Tertia *Thomæ* Archiep. Cantuarienſis, qui prò iuſtitià, & tutelà libertatis Eccleſiaſticæ, ſub Henrico II. martyrio eſt coronatus Anno 1171. Henricus etſi in omnes Angliæ Sanctos bellum gereret, loculoſquè diriperet, præ cæteris tamen Thomam Cantuarienſem odio perſequebatur ingenti, tum quòd in causà non diſſimili cõtra ſimilem nequitiam alterius Henrici, licèt infinitis partibus minorem, defendendo libertatem Eccleſiæ obiiſſet: tum quòd pretioſis donariis invitaretur ad ſpolium. Viginti namquè ſex plauſtra boum oneravere lapillis, auro, argento, ac veſtibus pretioſis; vndè coniicere liceat, quàm innumerabiles theſauros ex cæteris Sanctorum monimẽtis, templis, oratoriis, monaſteriis corraſerit. Divum ergo Thomam Cantuarienſem Archiep. ab Annis quadringentis pro fidei, & iuſtitiæ tutelà occiſum, & inter Sanctos relatum, tot miraculis clarum, cauſam iterum ad tribunal ſuum contumelioſè dicere coegit, ipſumq; perduellionis condemnatum, inter divos ampliùs cenſeri vetuit, ſed oſſa cremari, in vẽtum ſpargi; lege latà in publicis comitiis, nè ſub pœnà capitis aliquis eum auderet Sanctum dicere, vel memoriam recolere.

D. Thomam Cantuarienſẽ cremat.

Monaſterium D. Auguſtini, à quo fidem Chriſtianã Angli acceperunt, omnibus ſpoliatũ theſauris belluis aperuit; Belluam namq; factus belluas quærebat in ſocios. Quibus cum horrore auditis Paulus P.R. cum ampliùs quid faceret, aut ſperaret, non haberet, ſententiã proſequendam decrevit; vt ex bullà, cuius initium: *Cum Redemptor*. Minimè tamen Henricus territus A. 1538 ſuadẽte *Cromuello*, vt reliqua Monaſteria ad ſe trãsferret, quatuor Ordines Mẽdicantiũ eiecit è ſedibus. Redditus cum eis nõ eſſent; eorum monaſteria, & ædificia ſibi applicavit: Auguſtinenſium æde, Londini, cum integrà Baſilicà, ac ſuppellectile Vicario *Cromuello* in præmium impii conſilii, dono datà: vbi ſtatim ſplendidum cœpit ędificare palatium, ſed non abſolvit. *Sanderus de ſchiſm. Anglic.* Anno verò 1539. 4. Kal. Maii à Parlamento, decretum; *ut omnià Religioſorum utriuſquè ſexus Monaſteria Regiæ permitterentur voluntati, bonaq. univerſa Fiſco cederent*. Promulgato S. Conſulto non ſolum viri eiecti è monaſterio, ſed ſacræ virgines ad libidinem ſollicitatę, ſpectaculo miſerabili patuerunt.

Monaſterium feris tradit.

Vſurpat Monaſteria Mendicãtium.

Hac impietate non adhuc contentus, nequiorem excogitavit, quà animas perderet. Inſtrumentum conſcripſit Monachorum nomine, quo ſupplicabant *Regiam maieſtatem, ut Monachorum ſtatum libertati ſpiritus repugnantem ille tolleret, cui Evãgelii ſplendorẽ, tot ſæculis ab infinitorum Monachorum oculis abſconditũ Deus revelaverat; Permitteret liberè exire; quòd ipſi gratitudinis teſtimonio, ſe ſponte, liberè ceſſuros bona omnia, ſicut in præſenti cedebant omnia, & ſingula Monaſteriorum iura, poſſeſſiones, quas iniuſtè, ac iniquè hucuſq; tenuerant, in manu ſuæ Maieſtatis, ad quam iure pertinebant*. Hoc impium ſcriptum omnibus tranſmiſit Monaſteriis, vt ab Abbatibus, & Monacis ſubſcriptum, & publico ſigillo Monaſterii firmatum, Regi exhiberent nomine communi. Subſcribere volentem laudabant, penſione donabant. Renuentẽ, vt læſæ majeſtatis reum in carcere detrudebant, plures martyrio coronabãt. Subditos ne timeret, fędus percuſsit cum Proteſtantibus, *Annam Gulielmi Iuliæ, & Cliviæ* ducis filiam duxit in quartam uxorem. Sperabat Gulielmus Ioannã Franciſci Gallorum Regis ex ſorore neptem ſibi deſponſare, ac viribus Galliæ, & Anglię munitus Cęſarẽ irridere. Cũ autem Anglus legatos ſuos miſiſſet ad conventum Smalchaldicum ſecundò congregatum, vt Anglicanam Religionem, quam *Reformatam* appellabat Germanis Proteſtantibus ſuperinduceret, nec conſequi potuiſſet, ob ſuperbiam alienatus, immò timore compulſus, quòd Carolus V. cum Gallo amicè convenire videretur, Ducem Clivenſem in magnas conieciſſet anguſtias, cœpit & ipſe de ineundà cũ Cæſare amicitià, ac de repudio novæ coniugis cogitare, quòd Clivenſis Germana eſſet, ignara Angli idiomatis, nec conſuetudinem noſceret, nec Henricum demulcere valeret blanditiis, quantum eius effuſa libido poſtulabat. Annà itaquè repudiatà; quinta ſuperinducta *Catharina Hauvarda* Catholica; non propthereà deſiit ſævire in Catholicos, quos ſupplicio Zuinglianis coniũxit ipſe, nec Catholicus, nec Sacramẽtarius. Exordiũ repudii à *Cromuelli* nece, quòd auctor fuiſſet coniugii cum Clivenſi. Occiſo *Cromuello*, Rex miſit à veſtigio, qui nunciarent *Annæ*, vt licèt cauſæ Regi non deeſſent, ob quas ſeveriùs cum eà ageret, maximè quòd eam hæreſi cõtaminatam ſciret, tamen intuitu Germanorũ Principũ, eius arbitrio permittere, cauſam invenire repudii, propter quam à Regis coniugio honeſtè ſepararetur, modò id ſedulò, celeriterq; perficiat. Annà cum non ignoraret quantum periculi in contradictione eſſet, venit poſtridiè in Senatum, vltrò faſſa ſe antè nuptias Henrici, cum alio clanculum contraxiſse: quod falſiſſimum fuiſse, ita poſteà Reginæ Mariæ conteſtata eſt. Auditâ confeſſione, auctoritate Senatus di-

Quartã ducit uxorẽ.

Quintã uxorem ducit.

vor

vortium eſt interpoſitum inter Henricum, & Annã; Regi datâ libertate, vt quintam vxorem pro arbitrio duceret. Suæ tandem impietatis pertæſus, An. 1540. quo Ratiſponenſia celebrabantur comitia, ſuos miſit Oratores, *Henricum Cnevertum* Equitem Auratum, & *Stephanum Gardinerum* Epiſcopum Vintonienſem, ut ſuam in fidei negotio moderationem certis Germaniæ Principibus probarent, præcipuè cum videret, ſe neq. Catholicis, neque Proteſtantibus gratum eſſe. Conſilia inirent, quibus Cęſari uniretur, & per eum Pontifici reconciliatus Romano, perfectam fidei regulam deinceps ſequeretur. Hæc meditanti abſquè tamen publicâ criminis deteſtatione, & pœnitentiâ; cogitatio ad nihilum recidit. *Sanderus.* Soli Carolo coniunctus, ut Proteſtantibus ægrè faceret, *Catharinam Hauvardam* Anno Sal. 1542. quam nondùm biennio toto uxorem habuerat, adulterii apud regni ordines convictam, cum mœchis ſuis Thomâ Culpepero, & Franciſco Dirthæmo neci dedit: & ne iterum in virgine coaptandâ turpiter erraret, *Catharinam Parram* viduã, Baroni Latimero prius nuptam, quæ Comitis Eſſexiæ, poſteà Marchionis Nortumbriæ uxor fuit, in ſextam uxorem accepit, hoc ſolo beatam, quòd Rex priùs è vita ſublatus eſt, quã novam coniugem (quam cogitaſſe dicitur) ob crimen hæreſis ſuſtuliſſet novi cupidus matrimonii, & rapinæ. Spolia enim mille Monaſteriorum, ſacri theſauri, Cruces argenteæ, calices aurei, Altarium ornamẽta, prædia, fundi, fructus, ligna, lapides (quæ omnia vendidit) explere regiam non valuerunt avaritiam: licèt Pſeudo Evangelici, adulatores impii iactaſſent, neminem in Angliâ pauperem deinceps futurum, ſi ſemel clauſtra diſrũperẽtur, & agri, theſauri, quibus Abbates incubabant, & Monachi, in omnes derivarent. His iunge decimas, & Annatas omnium beneficiorum, quas per vniverſam Angliam exigebat; tamen ex Dei iuſtiſsimâ voluntate omnibus pauperior intrà paucos Annos plura tributa, & vectigaliâ vnus impoſuit civibus ſuis, quàm omnes ſimul Reges per quingentos antè Annos impoſuiſſent. Annum attingebat ſalutis 1547. ætatis 57. Regni ferè 39. cum ex nimiâ pinguedine cępit ægrotare; Volebat Eccleſiæ reconciliari, vocatis ad conſilium Epiſcopis. Sed nemo veritatem aperire auſit, territi eorum exẽplo, qui vel coacti liberè conſulere, morte ſolverant pœnam libertatis. Epiſcoporum vnus fuit, qui ad evitandas inſidias, ità reſpondit, *Regem omnibus eſſe ſapientiorem: conſilio Romanum Pontificem abiuraſſe Divino; nec iam habere, quod timeat; à publicâ Regni lege iudicium illud ſit confirmatum.* Stephanus Gardinerus Ep. Vintonienſis publica ſuadebat vocari comitia, vt rem tanti ponderis cum illis communicaret. Sed paraſitorum, & aulicorum turba, quos ſacris bonis locupletarat, impediit. Eccleſiam tamen Fratrum S. Franciſci, quę ab everſione Monaſteriorum clauſa, & proſtituta iacebat, iuſſit aperiri, & in eâ veluti in Parochiali Miſsam celebrari. Euchariſtiã etiã ſub vnâ ſpetie communicaturus, cum de cathedrâ, in quâ ſedebat, aſsurgeret, vt genibus in terram defixis, Salvatoris noſtri corpus adoraret; excuſanti cuidam Zuingliano, poſſe etiam ſedentem ſatisfacere, reſpondit: *Si me non modò uſq; ad terram deiicerem, ſed & ſub ipſam terram demitterem, ne ſic quidem ſatis honoris huic Sanctiſſimo Sacramento mihi viderer adlaturus.* Interrogatus de ſucceſſore? *Eduardum* primò ex Seimerâ filium, deinde Mariam ex Catharinâ, deniq; Elizabetham ex Bolanâ ſucceſſores declaravit. His deficientibus, ad illos regnum transiret, quos ius commune vocaret. Filio adiunxit ſexdecim tutores, omnes ferè Catholicos: quem in fide Catholicâ voluit erudiri, ſed Primatum Eccleſiæ retinere. Inſtante mortis articulo, pateram vini albi popoſciſſe dicitur, & hæc verba dixiſſe. *Perdidimus omnia.* Deinde intermortuis vocibus, Monachorum nomine aliquotiès ingeminato expiraſſe, non aliâ ſui memoriâ relictâ, quàm quòd diù quidem, ſed malè vixiſſet. Tantis malis vt Ieſus obviaret, adfuit cum ſuâ

De unione cogitat.

Havardam damnat

Sextam ducit.

Hẽrici & avaritia, paupertas.

Mors.

Reſpicit ad pœnitentiam

Ultimę voces.

6. *Societate* tàm malis invisâ, quàm bonis amabili, & fructuoſâ. Eam *Paulus* 3. Anno 1539. Tybure 3. Non. Septemb. probavit verbo, atq; hoc nomine, cum Concilio Generali inſignivit. Huius inſtituti, quod Ignatio Chriſtus ipſe indicarat, hæc ſumma fuit. *Vt qui ſe huic addicerent, præter Dei gloriam, ſalutemq; ſuam, ac proximi, curarent nihil: Vitam ipſam impenderent ad ſalutem hominum curandam præparati quocumquè à Pontifice mitterentur*, ſolo Deo ſubnixi; cui nec homines, nec dęmones pręvalerent. Regimen huius ordinis ex tribus ſtatibus temperatur, Monarchico in Generali, Ariſtocratico in Aſſiſtentibus, Timocratico in Procuratoribus, tertio quoquè Anno Romam mittendis; quibus omnibus prævaleat legitimè congregata Societas. Viros ſervat pietate, ac eruditione celebres, quia ex voto prohibentur dignitates ambire Eccleſiaſticas. Seliguntur ex magnâ, qui verſantur, & docentur in Collegiis, iuvenum notiſſimorũ copiâ; eruditione, natalibus illuſtres, & divites non ſpernuntur. Huius Inſtitutum commiſſum Cardinali *Guidiccionio*, magno novorum Ordinum inimico, ab eo ità probatum, vt etiam ſi alios reiiceret, id admittere, Pontifici ſe fateretur ingenuè. Ita diplomate 5. Kal. Octob. An. 1540. confirmatus eſt, numero tamen ſociorum ad 60. reſtricto, & ſtatim huic *Ignatius* præpoſitus Generalis, qui Dei ſpiritu plenus ſuos per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium, Hiſpaniam, Indiam ſparſit incredibili animarũ fructu; cunctis gentibus eos quaſi Apoſtolos recipientibus, multis tamen contumeliis, atq; calumniis, exemplo Chriſti. In Indiam Orientalem cum propagaretur fides; Rex Luſitanię auditâ famâ Societatis petiit à Pontifice per Legatum ſuum, ſex minimùm ſocii ad ſe mitterentur, quos per Indiam ſpargeret. Conceſſi ſunt duo tantùm. Simon Rodericus, &

7. *Franciſcus Xaverius* vir magni animi, & utroq; Orbe maior. Hi cum adveniſſent in Luſitaniam, tantos effecere motus animorum, vt Ordini ſuo nomen pepererint Apoſtolorũ; ac unus duntaxat in Indiam mittendus videretur, nè tantorum virorum pietate Luſitania careret, & plus Indis Ioannes, quàm ſuis Luſitanis profuiſſe videretur. Anno ergo 1541. In Indiam cum Martino Soſa Indiarum Pro Rege navigavit *Xaverius*, Nuncius Apoſtolicus cum ampliſſimâ poteſtate. Goam pervenit pridiè Non. Maii, Anno Sal. 1442. qui ſtatim poteſtatem ſuam Legati à latere, Ioanni Alburquercio ſubmiſit: quâ deiectione plus profecit, quàm ſibi concreditâ omni Romani Pontificis auctoritate. Probavit etiam Romæ Paulus 3. aureum exercitiorum libellum ab Ignatio Societatis conditore ſcriptum initio ſuæ converſionis. Di-

Ieſuitas adprobat Paulus 3.

Leges Societatis.

Exercitia S. Ignatii probat Paulus III.

vinumopus quodammodò tantæ ſocietatis obſtetrix & alumnus,fons,& origo pietatis, huius libelli operâ in Chriſtianis laicis,Clericis,&Religioſis mirabiliter excitatæ. Agebat interim in Indiâ *Xaverius*, cum Anno Sal. 1549. invitatus à quodam *Angerio Iapone* vt hic primus mortalium Chriſti fidem nuntiaret, Meacum venit pediſſequus nobilis Iaponii, quem equitem pedes, domini,atquè ſacrã ferens ſuppellectilẽ,ſecutus eſt, rigente hyeme,per aſperrimã, ac graſſatoribus obnoxiam regionem, quà tandem virtute, multiſquè editis miraculis, regionem hanc Chriſto aſſeruit tribus maioribus inſulis,& regnis diſtinctã quinquaginta: undè plus centum è ſociis ſuis martyres Cœlo aſſcruit, horrendis cruciatos ſuppliciis,ubi aliquando ſperatur ingens Eccleſia,atq.ſanctiſſima,*ſi ſanguis martyrum, ſemen eſt Chriſtianorum.* Mortuus eſt Xaverius Anno Sal. 1552. ætatis 55. Indicæ expeditionis XI. in inſulâ deſertâ Sanciano, in conſpectu Sinarum,dum eò ire parat,ut ſaltem in carceribus moraretur,ſicq.vinctos Sinas ex Dæmonis compedibus exſolveret. Huius corpus licèt vivâ calce obrutum, poſt menſes XV.integrum,vividumquè repertum eſt,multiſquè miraculis illuſtre Goam reportatum eſt;centum Annis adeò illibatum,flexile, ac ſucci,& ſanguinis plenum, ut dormire videretur; donec ei exciſo, iuſſu Pontificis, brachio, ut deportaretur Romam,quod decies octiès centenna hominum millia ſacris aquis intinxerat,ſiccatum eſt.

Concilium indicit Paulus.

8. *Concilium*. Inter articulos, quos Purpurati iureiurando obſervandos decreverant à Pontifice futuro,is erat: Vt electus Concilium œcumenicum intra annum convocaret:Paulus ſtatim ac Pontifex renuntiatus, non expectatis ſolemnibus coronationis, in primâ generali congregatione (quæ fuit die XIII. Novemb. An. 1534.) cum Cardinalibus de indicendo Concilio deliberavit, ſimulq; tribus Purpuratis mandavit, ut in primò Conſiſtorio de ordine,loco, tempore,conſilia referrent. Propterea ab Antonio Leva nomine Cæſaris ſollicitatus, vt fœderi ſubſcriberet, ſi ad perturbandam Italiam deſcenderent Galli: reſpondit *ſuæ dignitatis eſſe, parentem agere, omnium paſtorem, cunctos pari proſequi benevolentiâ.* Duci autem Lotharingiæ, ac Venetis facultatem expoſcentibus nominandi Epiſcopos, & Cænobiarchas ditionis ſuæ;ad futurum reiecit Concilium, profeſſus eandem facultatem,ſi quibus Principibus permiſſa eſſet, ſe revocaturum. Seriò Paulum indixiſſe Concilium credimus, quòd deſperatam Chriſtianorum concordiam ſolo Concilio diceret reſtituendam; hinc fœdera reſpuens, ne ulli eſſet ſuſpectus, ad Germanos *Petrum Paulum Vergerium*, qui ſub Clemente 7. legationem obierat apud Cæſarem legavit,ut de loco congregandi Concilii conveniret.Initium rerum ſuarum ut ab illuſtri actione deduceret, & viros pietatis vel doctrinâ celebres invitaret in urbem, inter Cardinales cooptavit viros nil tale ſuſpicantes, inter quos *Io: Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem* (cui liber de ſeptem Sacramentis editus ab Henrico VIII. Anglorum Rege adversùs Lutherum adſcribitur) vinculis tunc mancipatum, quia impiis Henrici legibus ſubſcribere recuſaret: ac *Nicolaum Scombergium* Archiepiſcopum Capuanum, natione Svevum, licèt vinculo illigatum ſanguinis cum Luthero cui (teſte *Pallavicino l.* 3.) nupſerat Scomber-

Legatos dirigit.

Creat Cardinales.

Agii germana monialis apoſtata. Venit ergo in Germaniam *Vergerius* ampliſſimis inſtructus mandatis ad Catholicos, & Proteſtantes, Mantuam offerens ſubiectam Cæſari licèt in Italiâ, nec diſſentiebant Catholici, excepto Palatino,dummodò concordaret Cæſar,qui Africano implicitus bello,& de Gallo,& Britanno ſollicitus,mentem aperire nutabat,ne Proteſtantes offenderet,quibus promiſerat nonniſi intrà fines Germaniæ futurum eſſe Concilium. Propterea blandè Vergerius proteſtabatur: *quòd etſi Pontificis eſſet Concilium indicere ubi,& quandò crederet opportunum;benignus tamen pater à dilectiſſimis filiis conſenſum exigere decorum credebat,atquè paternum.* Difficultatem augebat mors *Ioachimi Electoris Brandeburgici*,cuius nati erroribus imbuti Lutheranis, Mantuam abhorrebant. Hos cum per literas conciliare non poſſet Vergerius, ut Berlini conveniret, literas impetravit à Saxonis Vicario (Saxo namquè aberat Virtembergâ) qui ob Pauli Pontificis venerabile nomen, & indictionem Concili uſquè modò negati, & quòd nulli fœderatus,ſequeſter ager et inter omnes; annuit liberaliter Saxo, obuiam miſſis cuſtodibus, cibatiis vbiq; gratis diſpoſitis, ipſe Vicarius obuiam procedens, equo deſcendit, honoris gratiâ in cubiculum induxit Electorale, ac propriis manibus ei famulatus in menſâ. Inter colloquia de Romano Pontifice verba miſcens honorifica dixit:*Pontificem hunc Iridem eſſe, quòd Cœlum aperiret ſerenum. Concilium enim dabat uſquè modò negatum.* Mane ſequente viaticum ſumenti *Vergerio*, voluit iterum miniſtrare Vicarius, ſecùm ductis Luthero, & Ioanne Bugenagio Pomerano, qui auctoritate ſibi à Lutero, & Accademiâ Virtembergicâ indultâ ſacerdotes conſacrare nõ formidabat. Lutherus hoc ſolummodò ſolvit officium, quòd cum Vergerio loqueretur ſemper aperto capite: Paulum laudaret de prudentiâ etiam priuſ, quàm is cathedram conſcendiſſet Romanam. Cœterum audito Concilio, in furorem,& inſaniam exceſſiſſe proteſtatum, ſe adfuturum etiam cum diſcrimine vitæ, vbi contrà Mundum vniverſum, defenſurum opiniones ſuas; nec indignationem eius, hominis crederent, ſed Dei. Reliqua fuiſſe argumenta ſtultitiæ,tumiditatis,& inſaniæ. Smalcaldiæ poſteà congregati Proteſtantes ex ſcriptis reſponderunt Legato Concilium non debere in Italiâ congregari, quia legitimum deſideraretur ab omnibus,& ad hoc ipſi appellaverant.Obiiciente Vergerio, non poſſe in Germaniâ congregari (quod ibi furerent Sacramentarii, Anabaptiſtæ, aliiquè ſectarii) redarguebant: immò aſillum libertatis Germaniam eſſe nationibus omnibus,& liberè ſubditam legibus Cæſaris. Quaſi recens non vigeret iniuriarum memoria, quas in Legato Apoſtolico, Norimbergæ ſubiere Catholici; ubi nec patrocinante Ferdinando Caroli V. fratre, aliiſquè Catholicis Electoribus, permiſſum, habitu incedere Romano. Auguſtæ etiam non ſinè labore obtentum;nè pueri ſuprà centum Furiarum more larvati Legato occurrerent, cadaver trahentes ad ludibrium Romani Pontificis.Excuſabant ſe etiam à Mantuano Concilio, exemplo eruditi Ioannis Huſs; ut à reliquis Italiæ Vrbibus, in quibus auctoritas prævaleret Pontificis. Exemplum, quod Germanos potiùs perurgebat, quàm Italos; cum Conſtantiæ Ioannes Huſs ſit flammis abſumptus manibus Germa-

Paulus 3. in honore habitus à Lutheranis.

manorum, non iubente Pontifice, ſed cum ſedes vacaret Pontificia.

Obiiciebant ſecundò per inſidias vocari ad Concilium, & fraudes; cum in eo præſidere Pontifex vellet Romanus: & de præteritis non diſputare Conciliis. In primo Papa fungebatur officio duorum, partis, & iudicis. In ſecundo litigantes damnabat inauditos. Vtrumq; contrà legem civilem, atq; naturæ. Fraudulosū eſse ad tribunal provocare; priuſquàm de formà iudicandi convenirent. Hæc quàm vana fuerint; ipſi dicant Proteſtantes. Si enim convocare Concilium non pertinet ad Papam; cur Papam calumniari, quòd Concilium non congregabat? Quod Papa fungeretur officio duorum, partis, & iudicis; in poteſtatibus ſupremis non implicat; nam Rex in Monarchià; Senatus in Ariſtocratià ſeipſum iudicat, cum ſuperiorem in terris non recognoſcant. Quòd ad trutinam diſputationis Concilia revocarentur præterita: hoc poſtulare non poterant, niſi eodem tempore fallibilem, & deceptam confiterentur Eccleſiam. Quod ſi Eccleſia fallibilis; ubi ergo certitudo Fidei, & veritas Evangelii?

Smalcaldico conventui anſam fecerant Anglorū, Gallorumq. per Reges legatos ſuos Heduardum Foxium Epiſcopum Herfurti, & Io: Bellaium. Offerebat Henricus *ſe defenſorem Auguſtanæ Confeſſionis*, dummodò in eà aliquis emendaretur articulus; cuius gratià Doctorem ex eis legarent in Angliam. Franciſcus ſe excuſabat aliquos capire damnaſſe ex causà Religionis, non tamen Proteſtantes, ſed alterius ſectæ, quià populum commoverent: cæterum ſe interpretem offerebat concordiæ in causà Religionis, tutelà oblatà contrà quoſcumquè, qui eos turbare præſumerent. Legatos in Galliam dirigerent, vbi cum Theologis ſuis fieret inquiſitio de veritate. Percupidus ſanè Franciſcus inquirendi novam Religionē, adeò adhærere videbatur ſorori Margheritæ Reginæ Navarræ, quę ſupra ſexum, & cum iactantià Novatoribus ſtudebat, vt Melancthonem muneribus, & honoribus in Galliam invitaverit. Quo cognito, *Franciſcus* Cardinalis Turnonius, Archiep. Lugdunenſis ad Regem venit, librum tenens præ manibus. Interrogatus a Rege de nomine Auctoris? reſpondit: Epiſcopus eſt Galliarum, ſapientià, & ſanctitate conſpicuus, alumnus Apoſtolorum, S. Ireneus Diſcipulus S. Policarpi, qui inter cætera docebat: *nō licere Catholicis cum Hæreticis ullum habere conſortium, neque colloquium*. De quo Turnonius tam doctè, tam prudenter diſſeruit, ut Regi facilè diſſuaſerit conſilium peſſimum.

Franciſ. Rex invitat ad ſe Melancthonem.

Proteſtantes autem cum cognoſcerent Gallorum, atquè Anglorum conſilia eſſe, ut reiecto Lutheri dogmate, ſpe protectionis allicerentur in Cæſarem, reſponderunt; quòd & ipſi Gallum defenderent ſalvo imperio, & Imperatore. De Doctrinà opus eſſe longiori conſilio, quòd opportunè patefacerent. Frāciſcus enim Anno 1534. ſex ſectarios, qui Pariſiis in aulà Regià libellos affixiſſent inſames in S. S. Euchariſtiam, non ſolum vivos comburi iuſſerat, ſed indictà publicà ſupplicatione, ipſe aperto capire pedes inceſſit, facem geſtans ardentem, ſequente cū Reginà Eleonorà, Regiiſq. liberis, aulæ proceribus, & omni populo; deindè poſt meridiem graviſſimà oratione omnes excitans in hæreticos, dixit; *ſeipſum quoq. brachium, ſibi exciſurum, ſi eà peſte infectum ſciret*. Eodem Anno conventus Smalcaldici (erat Salutis. 1535.) quo Carolus in Affricam expeditione ſuſceptà, Muleaſſem regno reſtituit, Barbaroſsam magno prælio ſuperatum, Tunetum fugere compulit, & obſedit. Captàq; mox per captivos Chriſtianos arce, ipſe evolavit Algerium, aſsertis in libertatem 20. millibus Chriſtianorum. Turca reparatà claſſe Minorem Balearem vaſtavit, ſicut & multas Chriſtianorum oras. Obiit hoc Anno dux Mediolanenſis Franciſcus Sfortia, cuius ducatum ſibi arrogabat Franciſcus I. iure aviæ Valentinæ, Cæſar autem ſibi retinere ſtatuerat; propterea Principatum Antonius Leva ſtatim occupavit. Carolus vero Romam venit die 5. Aprilis, Anno 1536. à Cardinalibus, Clero, populo, triumphali pompà ad baſilicam S. Petri deductus, & à Pontifice mithrato, ſedente ſuper gradus Baſilicæ, peramanter exceptus. Ibi adorato Pontifice, votis ſolutis ad S. Petri ſepulchrum, in palatium divertit Alexandri VI. quo iſte Carolum 8. exceperat Regem Galliæ: & ſequenti die cum Pontifice ſex, aut ſeptem horas ſecreto communicavit. In cœnà dominicà, duodecim lavit pedes diſcipulorum. In Paſchate ornamentis inſignitus Imperialibus, Pontifici celebranti miniſtravit. Deinde dato Conſiſtorio cauſas aperuit, cur Romam veniſset. *Pro Concilio congregando, ac Religionis propagandæ causà contrà Turcas, & Hæreticos.* Ad hoc invitare Gallorum Regem, pro communi fructu, & glorià. Pax æquis conditionibus ſtatuatur; ſi Gallus renueret, ad ſingulare certamen provocabat bellū ad effugiendum cruentum. Hæc quum magno animi æſtu Carolus pronuntiaſset: Paulus *Abſit* (inquit) *tantorum virorum periculo, tamquè funeſtis cladibus pacem quæri. Amplector ſanè egregiam illam voluntatem reparandi Religionem collapſam; non verò calorem tuum fortiſſime Cæſar, quo te, aut Franciſcum, aut utrumquè huic laborioſo ſæculo neceſſarium dubio obiicis diſcrimini. Quamobrem non bellum, minimè duellum eligendum cenſeo; duabus enim firmiſſimis Reipublicæ columnis proſtratis, totam molem ſimul collabi neceſſe eſt. Meliorem itaquè mentem induite, & pietati potiùs, quàm iracundiæ locum date. Quod ad me attinet, pro ſacro munere, quo fungor, me communem parentem exhibeam, in neutram partem inclinabo, ut citrà omnem ſuſpicionem, vobis reconciliandis operam navare poſſim.* Galli Oratores Matiſconēſis, & Velleius brevi reſponſu verba Cæſaris excepere. Papa ex quibuſdam Cæſaris verbis veritus, ne Cęſar Romę diù commoratus eius occupandæ illecebris caperetur, clam Bellaium, & Stephanum Columnam, vt in Italiam Gallos accirent, emiſit; quorum vi coactus, XIV. die in Hetruriam declinavit. Poſt eius diſceſſum, die 29. Maii, in pleno Conſiſtorio Cōcilium Mantuæ celebrandum Anno 1537. ita Principibus intimari mandavit per Nuntios; *ut de Indictione cuiquè facta patere poſſet vel per confeſſionem vocatorum, vel per ſcripturam, vel per teſtes.* Viennam venientem Petrum Vorſtium Flandrum læti habuere Catholici, & Hæretici Saxone exceptis, atquè Lantgravio. Literas ille Pontificis, cum intellexiſſet citatorias eſſe ad Concilium, reſtituit ſigillo clauſas. Lātgravius colloquium non admiſit privatum. Matthiæ Heldo V. Cancellario Cæſaris ſignificanti Conciliū Mantuæ indictum, cuius dominus ligius erat Germano-

Caroli V. victoria.

Bellum cum Gallo pro Mediolano

Cæſar Regem provocat ad duellū.

Papa ſequeſtrem ſe obiicit.

norum Orbe conſentiente Catholico:ad pacem reſpi- A cerent, ne Turca omnes perderet, quia diſcordes. Reſponderunt locum eſſe ſuſpectum. Fridericus vero Dux Mantuæ, imparem ſe faſſus huic oneri ferendo,urbē tradere meritò recuſavit,niſi Papa cohortes centuriaret Eccleſiæ ſtipendio: quòd inhoneſtum,ne iure Concilium a Lutheranis accūſaretur nō liberum,vbi miles itinera, & mœnia cuſtodiret Pontificius.

Lutherani Cō cilium reſpuunt.

Die ergo 20.Maii,Paulus prorogatæ convocationis ad primam Novembris cauſam expoſuit; nec longè poſt Vincentiam Venetorum urbem, conſentiente Senatu deſignavit 1.Maii, 1538. pacem interim procurans inter Gallum, & Cæſarem.

Vincentia deſignatur pro Cō cilio.

Is Pontificem accuſabat, Franciſco decimas Eccleſiæ conceſſiſſe,quibus Gallus fœderatis Turcis Italiam diripientibus ſtipēdia ſolveret.Reverà An.1537.in Parlamento Parium Franciæ dicta dies CaroloV.uti rebelli, eiq. bellum indictum inito cum Solimano fœ- B dere,ut eodem tempore Galli Inſubriam;Turcæ Calabriam tentarent,& Apuliam.

Fœdus Galli cū Turcis.

Aulone(hodiè Valona) Barbaroſſam in Salentinos ſolvit cum Lutzio Baſſâ, quos ſecuturus erat mox Solimanus: Franciſcus tamen pactis ſtare non potuit: undè à Turcis contemptus,à Chriſtianis irriſus,ex flagitioſo fœdere minus fructus retulit, quā dedecoris. Barbaroſsa interim emiſſo in continentem equitatu totam regionem vaſtavit,quę inter Brundiſium iacet,&Tarentū, multis captivis,pecore omni,armentoquè abactis:indè inVenetos itam;copiaſquè convertit,quas Corcyra repreſſit. *Ibuan. Belcar. Spondan.* Non defuit officio ſuo Pontifex,copiis non contemnendis Ferdinando immiſſis Anno 1537. Duce Lucâ Anconitano, cui bellica tormenta triremibus mari advecta, cum pulvere, piliſquè ferreis attribuit cum comeatu.

Paulus ſuppetias fert Ferdinando in Turcas.

Nec legationibus ſollicitare deſtitit ad concordiam C Carolum,& Franciſcum, interprete Heleonorâ Regis uxore, Margaritâ ſorore Reginâ Navarræ, & Mariâ Cæſaris germanâ Reginâ Pannoniæ induciæ in decem menſes pactæ ſunt.Pace autem non coeunte; & Solimano ingruente, fœdus percuſſerunt Pontifex,Cæſar,Veneti; ut triremibus 200.armatis navibus 100. quinquaginta peditum millibus, 4500 equitibus bellum gereretur. Diſtributis impenſis,ut ſextam Papa,ternasCęſar,binas Reſpublica ſolveret.

Pauli fœdus in Turcas.

An. Sal. 1538 6. Idus Feb.

Claſſem duceret Andreas Auria quem Paulus, ut in nummo n. 9. enſe, pileoquè donatum,& Apoſtolicâ benedictione munitum legavit ſub titulo, *Omnes gentes ſervient ei*. Bellum ut nunquàm majori alacritate ſuſceptum (ut de ſpoliis jam ageretur) nullum fœdiùs geſtum ſoccordia, vel proditione.Nec enim navibus 300.Auria Barbaroſsâ cū 150 D invadere voluit, ſed turpiter ad Leucadem ſecedens certamen à Barbaroſsâ oblatum, frementibus Venetis, recuſavit cum ſignis manifeſtis inuſitati timoris, vel proditionis,quæ nunquàm obliterabitur.

Andreas Aurias prodit Chriſtianos.

Mandavit interim Paulus aperiri Concilium,Vincentiam miſſis Legatis Cardinalibus Campegio,Aleandro,& Simonetā. Morum etiam reformationem aulicis toties commiſſam, imperavit Congregatione delectâ quatuor Cardinalium,(fuere Contarenus,Sadoletus, Caraffa,Polus) & quinque Prælatorum (fuere Federicus Fregoſus Archiep. Salernitanus,qui purpuram ſibi recuſavit oblatam;Archiep. Aleander;Gregorius Cortelius Abbas S.Georgii Venetiarum;Fr.Thomas Badia Magiſter ſacri Palatii.

Mores reformari curat.

Memoriam nummiſma ſervat n. 10. in quo Chriſtus prophanatores templi flagellat,ſub titulo. *Domus mea,Domus Orationis.* Collegerunt iſti abuſus aulę,qui ut plurimū affluebāt ex nimiâ Pontificis indulgetiâ erga Principes, qui eodē tēpore,quo aulā moderandam ſtrepebant, importuni ad lapſum ſollicitabant.Cardinalis Schombergius remedium credens inopportunum, vt cū homines libertatis avidi,frangebant vota,profanabant clauſtra; vinculis detinerētur ferreis; curam Concilio reſervabat; quòd minus grave remediū crederet,ſi ab omnibus imponeretur, quàm à paucis. Opinio hæc prævaluit,ſine tamen præiudicio emendationis opere procurandæ,non verbo. Hinc Anno 1540. Pontifex in Conſiſtorio Cardinales Cupim, Ghinucium,Polum Cameræ præfecit Apoſtolicæ, & Foro Romano: Rotæ Cęſarinum de Montibus, Guiditionum; Cancellariæ Grimanum, Aleandrum, Ridolphum; Pœnitentiariæ Contarenum, Caraffam, Cervinum; vt obiurgando,meliores facerent,ipſumquè Pontificem moderarentur legibus honeſtatis,Scriptura hęc licet in arcanis communicata Cardinali Schombergio,ſed negligenter cuſtodita,in manus declinavit Proteſtātium,à quibus typis data ad iniuriam aulæ Romanæ, probavit Pontificem ſeriò agere prò emendatione: quę gladio exarmata ſæculari non ſufficiebat ad recolligendas oves perditas;licèt enim abūdè proficiat exemplum ad docendos populares ignavos, non tamen ſatis ad Principes ambitioſos.

Conveniunt Niceæ Papa, Cæſar, Rex.

Paulus ergò licèt ætate gravis Nicæam venit percuſſo nummiſmate,in quo Iris cum lilio, ſpes pacis Gallicanæ ſub titulo *Fœdere tuo Deus. Dirige pedes noſtros in viam pacis.* Concordat etiam nummiſma 15. in quo Ganymedes Aquilâ permittente, humectat lilia, figuram Eccleſiæ, vel Gallorum, quos Aquilæ reconciliare ſtudebat. Cæſar Monæcum, Franciſcus Villam-Francam, qui ambo Pontificem ſalutarunt; ſed vt colloquerentur ambo, adduci non potuerunt,nec convenire,ut quemadmodum ſuadebat Papa, Carolus neptem ſuam ex Ferdinando ſponſam promitteret Duci Aurelianēſi,dote Ducatus Mediolanenſis:Franciſcus verò auxilia ſuppeditaret in Turcas,& Hæreticos.Convenere tamen ex condicto,non ſequeſtre Pontifice,ſed Eleonorâ,Principes ad *Aquas Mortuas*, & ſe magnâ amoris ſignificatione complexi ſunt.Ad Carolum venit primò Franciſcus ſcaphâ, in navi ſtantem. Poſteà Carolus Franciſco ſe credidit biduò in continenti. Colloquium creditur excitaſſe neceſſitas,mare ſęviente. Nam præter officia, & fucum nil actum. Decennales licèt Paulus impetraſſet inducias, Legatos tamen non miſerunt ad Concilium. Anno poſteà 1539. Francofurti convenere Catholici, & Proteſtantes, hi iam illis propè numero pares, & audaciâ ſuperiores, abſente Carolo,& Ferdinando non ſatis conſtante,& forti. Pontifex Conciliū ſuſpendere coactus eſt; quia Heterodoxi erant in ſuis rebus aptandis,quàm Catholici ſollicitiores.

Comitia Frācofurti Anno 1539

Acceſſit & aliud malum, mors Georgii Saxonis egregiè Catholici,ideò à Luthero conniventibus eius patruelibus malè accepti. Eccleſię providit quantum potuit, relictâ ditione ſuâ Henrico fratri, eâ lege,ut nihil commutaretur,alioquin cederet Imperatori: ſed quia fœdere continebatur Smalcaldico, omnia ſibi licere putans,unâ die cuncta mutavit, &

Georgii Saxonis mors.

Miſ-

Miſniam Lutheranus Lutheranā fecit. In Flandriâ cū Gandavenſes, aliiq; vrbes tributis oppreſſę, à Carolo defeciſſent; confugientes deſpexit Gallus: & Carolo iter per Galliam poſtulanti conceſſit. Eò venit Alexander Farneſius nepos Pōtificis, vt eâ affinitate, quam contraxerat ob nuptias celebratas inter Margheritam notham Caroli, & Octavium Farneſium, pacem urgeret. Sed eo inſcio mandavit Carolus ſignificari Franciſco per Peluſium familiarem ſuum, *communis concordiæ gratiâ, multo ampliora cōceſſurum, quàm Franciſcus expeteret. In primis aſciturum ſibi in generum Carolum Franciſci filium, cumquè ex iure Maieſtatis Cæſareæ, & dotali nomine Belgarum Regem dicere. Circa Mediolanenſem Ducatum, nil ſibi aut Ferdinando fratri poſſe imminnuere.* Hinc ſuſpectâ inter Cęſarem, & Pontificem amicitiâ cum iſte *Victoriam* neptem filio Guiſiorum Duci obtuliſſet in coniugem, ſed in caſſum *Dianam* filiam notham Franciſci Regis coniugem dedit Horatio nepoti. ProRex autem Siciliæ frumentum à Carolo conceſſum ad levandam caritatem Romanam, extrahi negavit. Tria millia peditum, quos ex regno Neapolitano cōſcripſerat Paulus ære ſuo, ad comprimendam Peruſinam ſeditionē; fraudato ſtipendio Cæſarei revocarunt. Nova tandē ſponſa diſcors ab Octavio Farneſio, quod nec carnaliter copulata, nec verbo conſtricta diſcedere meditaretur; roganti Paulo revocari *Hurtadum Mendocam* aſſertum auctorem diſſidii, Carolus annuerat, non niſi longos poſt dies, forsàn nè filiam offenderet, & aulicum ſinè honore repeteret. Valdè etiam pungebat Alexandri Cardinalis Legati animū, quòd ſe inconſulto, Cęſar Spiræ conventū indixiſſet (*Hagenoam* poſteà ſunt translata comitia, peſte ingruente) pro Religionis colloquio inter Catholicos, & Lutheranos. *Quid enim ad dignitatem Religionis, vel ad Germaniæ ſalutem, vel ad Chriſtiani Orbis præſidium, auſpicatò conſuli poſse ſinè auctoritate Summi Pontificis? qui earum rerum ſupremus arbiter, & diſceptator eſſe deberet: poſtquàm eximiâ pietate, illuſtriquè ſtudio inſignem dediſſet operam, ut diſſidentes componeret; nequè unquàm in tantis navigationum, ac itinerum incomodis grandævus ſenex ætati, aut vitæ peperciſſet? Profectò malis artibus agi de pace, quando ruente Republicâ ad confirmandas tantùm, augendaſq. privatas opes omnium ſtudia verterentur.* Excuſante Cæſare ſpe vanâ per Granvellanum ſeducto, poſſe Proteſtantes ad concordiam adduci; & ab eis in Turcam impetrari ſubſidia. Farneſius, *Marcelli Cervini* Neocaſtrenſis Epiſcopi, quem illi Paulus moderatorem cōſilii adhibuerat, monitu, ſententiam ſuam liberè ex ſcripto declaravit, *Cum Proteſtantibus nullam ſperandam eſse concordiam, quòd doctrinā ſuam ſępè immutaverint, & loco ſtare neſciētes in tot ſectas diviſi, cum ſeipſis concordare non valeant. Concordabis forſan, vetera, & antiqua ſubvertendo? & inconſulto capite, & corpore indulgebis, quæ corpus non admittit univerſum? Si hoc facias, Germanos à corpore ſeparabis Eccleſiæ, nec adhuc deſiderium explebis mutandi; & Concilium ab omnibus eludes expetitum. Quid privata illorum conciliabula profecerint, animadverte. Scheinfurti, Norimbergæ inducias pacti pœnâ conſtitutâ cōtra immutantes Religionem antiquam, nec quenquā in ſuam ſocietatem interim aſcituros promiſerunt. Nec multò poſt promiſſa fallentes, Civitates, Regem Daniæ, Vuirtembergenſem Regulum ſibi adiunxerunt; Angliæ,*

Iter Caroli per Galliā.

Alex. Farneſii Legatio.

Comitia Francofurti Anno 1539

Georgii Saxonis mors.

A Galliæ Reges, Venetos miſſis legationibus pertentarunt: Senatum Spirenſem avertere conati, ut in Germaniâ Imperialis iaceat Maieſtas; & illi Chriſtianorum fortunas invadant impunè. Nihil igitur *cum hæreticis privatim agendum: convocandum quantotiùs Generale Concilium, cui omnes obtemperare cogantur.* Poſteà cum reſciviſſet, Cæſarem, & Ferdinandum ad tentandam inter Catholicos, & Proteſtantes concordiam, Hagenoam Hæreticos invitaſſe, interpoſitâ fide publicâ; indignatus relicto apud Cæſarem *Marcello Cervino*, declinavit ad Gallum, à quo ſeverum in Hæreticos impetravit edictum. Venit ergo Hagenoam Ferdinandus cum Epiſcopis, & Theologis plurimis. Principes Proteſtantes, uti Cæſar ſperaverat, nulli adfuerunt, ſed legatos cum miniſtris Bucero, Brentio, Oſiandro miſerunt. Melancthon morbo correptus in viâ ſubſtitit. Lutherus non venit, deliciis B cum ſuâ Catharinâ Vvirtembergæ occupatus. Miniſtri ut ſuos aſſeclas ad actionem acuerent, privatim apud illos concionabantur. Id prohibenti Ferdinando reſponderunt; *privatim docendo, nemini iniuriam fieri.* Rogati capita doctrinæ exponerent; *ad Augustanam Confeſſionem antè Annos decem editam, eiuſquè Apologiam digitum intenderunt, eamquè eſſe fidei regulam firmam, à quâ nè latum quidem unguem diſcedere proteſtabantur.* Contra Catholici Lutheranos accuſabant Confeſſionem Auguſtanam antè decennium Cæſari exhibitam in pluribus vitiaſſe, & ab articulis Auguſtæ conciliatis turpiter reſiliiſſe. Vrgebant inſuper decretum in Receſſu Comitiorum Auguſtæ promulgatum, firmum, ac ſtabile permaneret, & forma reconciliationis ibidem cæpta obtineret. Proteſtantes non formâ, neq; decreto, quòd ſuorum gladio iugularentur, aſtringi voluere: ſed omnia C nova fieri flagitabat. Catholici dogmatum definitione Concilio reſervatâ vim à proteſtantibus illatam accuſantes, bonorum Eccleſiæ reſtitutionē vrgebant. Reſpondentibus Proteſtantibus, *priùs doctrinæ controverſiam eſſe finiendam*, Inſtabat Ferdinandus, *ut ſaltem uſquè ad definitionem bona ſequeſtrarentur.* Cum nihil permitterent Lutherani; Ferdinandus conventum Vvormatiam tranſtulit ad diem 28. Octobris itâ tamen, *ut nihil de Auguſtano Imperii decreto decederet, & Romano Pontifici locus relinqueretur, ſi legatos mitteret. Interim Catholicos bonis ſpoliatos in integrum reſtituendos, æquum eſſe.* Hoc decretum pro nihilo habentes Lutherani negarunt ſe legatis Pontificis ullum permiſſuros primatum. Cęſar confirmato decreto Granuellanum legavit, qui cum filio Antonio Ep. Attrebatenſi, & tribus Theologis D Hiſpanis eò profectus conſilia pacis expoſuit. Adfuit etiam Thomas Campegius Legatus Pontificis, cum Vergerio Ep. Iuſtinopolitano nomine Regis Galliæ. Publicavit iſte orationem latinam, quâ concilium nationale refellebat prò ſtabiliendâ pace communi, opus eſse generali Concilio. Ille orationem habuit de pace Chriſtianis omnibus neceſſariâ, & primò Germanis, quorum cervicibus Turca imminebat. Idibus Ianuarii, An. 1541. factum eſt initium colloquii inter Echium pro Catholicis, Melancthonē pro Lutheranis. Altercatum triduò de peccato Originali, poſteà cum dogmatum definitionem, & morum Reformationem ſolis committerent Principibus Germaniæ, quibus veluti paſtoribus animam ſubii-

Hagenoæ cōventus.

Vvormitiæ conventus An. 1540

ſubiiciebant; auditâ Cæſar eorum verſutiâ, actionem A
ſuſpendit, eamquè in Ratiſponenſem conventum reiecit Martio celebrandum, quò ipſe primus ſe conſulit ſpe magnâ concordiæ conciliandæ. Venit etiam *Gaſpar Contarenus* Cardinalis Legatus Pontificis. Albertus Brandburg. Cardinalis Elector Mogunt. Salisburgenſis Archiep. Bambergenſis, Spirenſis, Auguſtanus, Eiſtetenſis, Conſtantienſis, Hildeſſemius, Brixinenſis, Paſſavienſis Epiſcopi, Elector Brandeburgenſis, Federicus, Otho, Henricus Palatini, Georgius Brandburgenſis, Gulielmus, & Ludovicus Bavari, Henricus Brunſuicenſis, Carolus Dux Sabaudiæ, Philippus Regulus Pomeraniæ, Lanthgravius Haſſiæ. Saxo adfuit per legatos. Melancthon iubente Electore venit, ſed Calvini novis pollutus erroribus. Contarenus Pontificis nomine, oſtendit *ſe pro concordiâ miſſum, eam facilem fore, ſi Proteſtantes principia Religionis admittant, uti pe Romanū primatum à Chriſto inſtitutum, ritus Eccleſiæ in ſacramentis, conſenſu Orbis receptos. In cæteris, quæ contrà Concilia, & Canones non eſſent, Germanis ſatisfacere ſe paratam.* Interrogatus an facultatem haberet liberam conveniendi? reſpondit *ſe habere, exceptis in rebus fidei: quod privilegium non errandi in fide, ac reliquos confirmandi in eâdem, ſoli Pontifici Chriſtus conceſſerit, cum dixit: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Orare itaquè Cæſarem, ne quam Proteſtantibus propoſitionem concedat, inconſultis aliis nationibus, *ne ſchiſma fieret in Eccleſiâ Dei*. 5. Id. April. colloquium Vvormatienſe continuari petentibus; deſignavit Cæſar Echiū, Iuliū Plugiū, & Io: Gropperū; ex Lutheranis Melancthonē, Bucerum, Io: Piſtoriū, quos ſuaviter, & clemēter admonuit, ut affectu poſito ſolū Deū reſpicerēt, & pacē populi Chriſtiani. Præſides fuere Fridericus Palatinus, & Grāvellanus cum ternis, & ternis teſtibus ex vtraq. parte. Initu colloquio, Grāvellanus librum expoſuit ad tollenda diſſidia opportunum, à Veltuvichio Cæſaris familiari compoſitum. Cum legiſſent, eius capita vtrâquè parte conſentiente nonnulla adprobarunt, alia correxerunt. In quibuſdam coire non potuerunt puta *de cælibatu*, *de Eccleſiâ infallibili, de Eccleſiæ poteſtate, de ſacramento pœnitentiæ*. Melancthon enim Eccleſiam errare nō poſſe in dogmatibus, neq. in tauro Phalaſidis confitendum dicebat, vndè nec Generali Concilio cauſam ſuam ſubmittendam volebat, vt annuebat Cardinalis Contarenus. Ventum deindè ad Euchariſtiam, obiicientibus Catholicis articulum X. Confeſſionis Auguſtanæ fœdè mutilatum à Melancthone, qui in gratiam Sacramentariorum particulam *Adeſſe*, & vltimum mēbrum articuli, quo damnabantur ſacramentarii, ſuſtulerat: cum crimen falſi negare haud poſſet, cum rubore coactus eſt reſtituere. Quanquàm nec ſic quidem integritati ſuæ reſtitutus eſt. Cum enim legeretur in conſeſſu Principū Confeſſio, non cū pane, & vino, ſed ſub ſpetie panis, & vini verum Chriſti corpus, & ſanguinem adeſſe dicebatur. Quæ confeſſio mutationē elementorum, vel tranſmutationem includit. Hanc de Euchariſtiâ concertationem *Bucerus* in hiſtoriâ colloquii pro ſua fraudulentiâ cautè diſſimulavit, nè ſuam ipſius, & Melācthonis fraudem, atq; tē turpitudinem detegeret. De hoc autem pſeudo Apoſtolo, cuius ex ore Germania pendebat, ac tot

Comitia Ratiſponæ An. 1541

Contarenus mandata exponit.

Colloquutores.

Melancthon convictus ut falſarius.

Regulos ditaverat Eccleſiarum ſpolio, hoc mirum refert Pallavicinus *l. 4. n.* 123. eâ paupertate laboraſſe coactus, vt à Cardinali Contareno Legato ſubſidia quæreret prò alimentis; Legatus tamen, nè aurum diceretur extorquere cōſenſum, nihil ſubminiſtravit. Abſoluto colloquio, librum ſibi Cęſar reſtitutum cum notis de conventis, & non conventis obtulit Ordinibus. Iſti poſt matura conſilia rogarunt, vt eius operâ etiam in reliquis concordia fieret, vel novo colloquio, vel per Generale, aut nationale Concilium. Contarenus mandante Cæſare, accitos dominum ſuam Epiſcopos, primò ad morum reformationem excitavit, & Eccleſiaſticam diſciplinam. Verbo, & Exemplo vigilarent ſuper oves ſibi commiſſas. Indè circà colloquium, *Cum Proteſtantes in quibuſdam dogmatibus à conſenſu Eccleſiæ Catholicæ diſceſſerint, ad quem paulatim per Dei gratiam reduci poſſint; videri conB ſultum, ne quid ampliùs de rebus iſti, definiatur; ſed ut omnis cauſa referatur ad ſummum Pontificem per Generale Concilium definienda.* Concilium planè reſpuentes Proteſtantes; de conventu Ordinum in Germaniâ conſentiebant. Cæſar conſentientibus Electoribus proponebat, vt dogmata conciliata uſquè ad Cōcilium reciperentur. Nec diſſentiebant Lutherani, dummodò Cæſar Auguſtanum decretum tolleret, vel ſuſpenderet. Epiſcopi verò vt ulla Religionis aut rituum immutatio fieret, aſſentiri negarunt. Dogmata conciliata vt ad tempus recipiantur, non placere: quædam enim ſupervacua; quædam non controverſa, alia non magni momenti; & in quibuſdam formula loquendi ab Eccleſiæ conſuetudine porsùs aliena. In colloquio plùs æquo datum eſſe Proteſtantibus; in dè nè ſuſpitione laboret exiſtimatio ſtatus Catholici; C omnia ad Generale referenda Conciliū. Cæſar 5. Kal. Iul. decrevit, *Theologorū colloquium ad Concilium referrent Generale in Germaniâ celebrandum: quod ſi haberi non poſſet; ad Nationale, vel comitia Imperii intrà 18. Menſes habenda. Proteſtantes nihil innovent, dogmata conciliata ſuſcipiant. Epiſcopi veterem diſciplinam inſtaurent. Monaſteria non diruant, Bona Eccleſiarum non uſurpent. Decretum vigeat Auguſtanum in cauſâ Religionis; nulli tamen vis inferatur: nequè examinentur proceſſus titulo Religionis, ſed omnia iaceant in ſuſpenſo, uſq. ad futurum Concilium.* Hæc Cæſar, ut à Proteſtantibus auxilia impetraret in Turcas, qui cum Gallo coibant. Contarenum cum aliqui calumniarentur, quaſi Cęſarem induxiſſet ad ſancienda dogmata conciliata, & Nationale poſtulandum Concilium; vt nomini ſuo, ac dignitati conſuleret Apoſtolicę, ſcripto edito denuntiavit; *non aliam ſibi D mentem fuiſſe, quàm nihil de Religione in conventibus ſtatuere, ſed omnia referre ad Summum Pontificem, qui omnia in Generali Concilio, eandem diiudicaret. Pontifex eam ab initio ſui Pontificatus Concilium congregari curaverit, tandem indixerit, legatos miſerit, non poſſe ſinè iniuriâ ſua dignitatis altrà ferre, quod in Germaniâ verba fiant de religione, maximè cum nullo bono, nullâ ſpe pacis, una Germanorum natio ſola ſibi arroget, quod omnium eſt Chriſtianorum commune. Hac cum ſemper in animo habuerit, colloquiū, librū, cōcordata, concordanda ad unū eſſe referenda Pontificem. De Concilio Nationali ita ſentire; illud ad animarum interitum, & Eccleſiæ interitum pertinere; ſi in eo agatur quod ad Eccleſiam ſpectat univerſam. Si enim nationi concedatur Religionem in-*
no-

Interim Caroli V.

Calumniæ in Contarenum.

novare: quod hodiè placet, cras poterit diſplicere. Bellum interim agebatur inter Solimanum, & Ferdinandum cuius cauſa dum iſte Io: Sigiſmundum nititur opprimere, huicq. repugnat Georgius Monachus, & Regina, inter duos litigātes tertius gaudet Solimanus, qui ſpetie auxilii eiecto Georgio cū Principe, regnū vectigale obtulit Ferdinando, & iſte (dicitur) recepiſſe. Carolus credens Turcā à Pānoniis avertere, ſi moveret in Africam, inſtructā claſſe 22. millibus peditū, & equitibus mille abiit, & rediit inglorius, ſi ignominia eſt tempeſtatibus vinci, & inclementiā Cœli. Ab hac expeditione conatus eſt Carolū retrahere Paulus P. R., qui Romā itinere æſtuoſo diſcedens Lucam venit, vt ibi Carolum ex Germaniā conveniret redeuntem, exactæ ætatis ſenex, ſed ingenii vigore, cuncta ætatis pericula, quæ publicam includerent ſalutem, ſemper contemnens.

Colloquium Papæ, & Caroli Lucę.

Quater convenerunt Pontifex, & Imperator pacificè; excuſans Carolus ſe cōcordaſſe cum Lutheranis, ſolùm vt minùs infenſos relinqueret, non vt Eccleſiæ vim faceret. Tria à Paulo poſtulavit; *fœderi ut iſte Catholico in Turcas ſubſcriberet; Concilium indiceretur etiam Vincentiæ: ſed Veneti reclamabant, nè Solimanum ſibi reconciliatum iterum irritarent. Reformatio Cleri Germani fieret iuxtà ea, quæ iam præluſerat Contarenus.*

Cur Vincentiæ non celebraretur Cōciliū.

Actum etiam de pace: cum Gallus ob cęſos in Pado fluvio Antonium Rinconium, & Cęſarem Fregoſium, dolo *Vaſtii* Gubernatoris Mediolan. (Gallorum iſti legati ad Turcas redibant, & perſonati incedebant) violatas quereretur inducias. Cęſar autem oblato ad purgationem duello, cum negaret ſe conſcio patratam cędem: Franciſcus Georgiū Auſtriacum, Archiep. Valentiæ, Lugduno tranſeuntem interceperat, vt cæde ſimili iniuriā vindicaret acceptā. Hiſpani vt Gallū committerent cū Pontifice, eius dignitatē exclamantes graviſſimè læſā Archiepiſcopi captivitate, excitabant Paulum, ne Archiepiſcopum pateretur in vinculis. Hinc Pontifex miſſo Nicolao Ardinghello, tria poſcebat à Rege; *Pacem dare, Archiepiſcopum ſolvere, in futurum conſentire Concilium.* Fructus legationis libertas Archiepiſcopo data paucos poſt menſes.

Rinconius, & Fregoſius cæſi bel lū excitāt inter Cęſarē, & Gallum.

Inter im Cę... roſi V.

Legatio ad Gallum.

Coactis poſteà Spiræ comitiis Ianuario 1542, adfuit Io: Moronus Legatus Pontificis. Decretum bellum Turcicum, cui ſi Cæſar belli dux ſit, obtulit Pontifex quinquè millia peditum: ſin alius 2500. De loco Concilii cum adhuc non convenisſent, cui adeſſe volebat ipſe Pontifex, Bononiam, Ferrariam, Mantuam offerebat: ætas namquè longæva, profectio longinqua, Cœli mutatio in Germaniam ipſum aſcendere non permittebat. Si ab his diſſentiret; Tridentum non recuſare ad fines Germaniæ. Proteſtantes, qui verbo Concilium vrgebant, re abhorrebant, nequè Concilium à Pontifice indici, neq. locum, nequè in decreto mentionem Pontificis probabant.

Comitia Spiræ An. 1542

Ad Kal. ergo Nov. Concilium indicitur Tridentinum, creatis tribus Legatis à latere, qui Cōcilio pręſiderēt, Petro Paulo Pariſio, Io: Moro, & Reginaldo Polo.

Concilium indicitur Tridentinum.

Recrudeſcentibus inter Gallos, & Hiſpanos bellis, calamo non minùs pugnātes, quā gladio Indictionem Concilii, non ſinè querelà Cæſar excepit; quòd eo in diplomate parem ei faceret Gallus, qui Turcarum ſocius, & Hæreticorum pacem impediret, excurſionibus, & latrociniis Chriſtianos infeſtaret. Proindè Gallum accuſaret, ſi Concilium non celebraretur. Hæc ut illuderet Franciſcus, edicta ſevera propoſuit in Novatores. Apologetico Cęſari obiurgavit Romanę Vrbis ſpolium, dum pias ſupplicationes Madriti fingeret pro libertate Pontificis, quem ipſe tenebat in vinculis, vt homines fallere non contentus, & Deum deciperet.

Paulus ne officio deeſſet paterno medius incedens, & ſequeſter reſpondebat, *Romæ manducari panem, & pro obſonio neutralitatem: Franciſcum ex ſolà fœderis ſuſpicione cum Turcis non poſſe damnari. Satis ei, ſi vires conferret Eccleſiæ adversùs Barbaros, abſquè eo, quòd Gallum offenderet, quem nec amplius excitare poſſet ad concordiam: & anſam daret uſurpandi bona Eccleſiæ, ſpetie inimicitiæ, quibus impinguatus fortior irrūperet adversùs Cæſarem.*

Papa iterum ad pacē Reges ſinatet

Voluit propterea aperiri Concilium, quò Mendocam, & Granvellanum cum filio Ep. Attrebatenſi, ac nonnullis Epiſcopis Neapolitanis legavit Carolus, nè in abſentem aliquid molirentur præſentes. Irà turgidus in Cliveniſem regulum, qui in eius contumeliam, Gallorum ſubnixus pręſidio, Brabantos magnis cladibus affecerat, in Italiam navigare ſtuduit, ut in Belgas properaret. Quo cognito, Pontifex ſupplicationibus habitis in Vrbe, ad 4. Kal. Martii 1543. Romà profectus, poſt luſtratum imperium Eccleſiaſticum (fuit enim Mutinæ, Regii, Parmæ, Ferrariæ, poſteà Anconæ, Peruſii, Viterbii, per patrimonium, vel nivoſo veris initio, ſenibus valdè maligno) Bononiam venit, maturatà ſi quidem profectione, Cæſaris adventum præocupare, atquè Tridentinis actionibus, ſi Epiſcopi conveniſſent frequentes, ex propinquo venturi famam præbere, & à bello Cæſarem avertere cupiebat; ſed arcani conſilii alias graviores ſubeſſe cauſas homines putabant; quòd Mediolanenſem ducatum nepotibus affectaret facilè præſenti pecuniā ab egente comparandum Cęſare, qui ſummo aſtu ſpem nutriebat Pontificis, reſte *Panvinio*.

Carolo V. occurrit.

Huius arcana itineris

Decedente Pontifice Rodulphus Pius Carpenſis Cardinalis, vrbanarum rerum curam ſecundà iam vice ſuſcepit. Alexandro Vitellio, Leonianę Vrbis muro cingendæ munus impoſitum (cuius rei teſtis eſt nummus ſub lemmate, *Securitati perpetuæ. Paul. III. P. R. Leonianā aggeribus communivit*) ut poſtquàm Roma ad Orientē vaſta intùs, & antiquis mœnibus à frequentià ædium remotis communiri non poterat; temporatium ſaltem perfugium in periculo repentino, per Ælium pontem ad Vaticanas ædes populo pararetur.

Munit Vrbem mœnibus.

Cæſar demùm tardiſſimà uſus navigatione circà Solſtitium Genuam pervenit. Præſto adfuit miſsus à Pontifice *Petrus Luiſius Farneſius* pater Octavii generi Cæſaris. Sed prædurum invenit Cæſarem, atq; difficilem: *Properanti namquè ad bellum nihil pacis colloquio opus eſſe*, reſpondebat; *ne reliquum æſtatis tempus* bello deſtinatum *Sicambrico, morà conſumeret inutili.* In hanc quoquè declinandi colloquii ſententiam abruptè filiā è Bononià literis acciverat, vt eam Papiæ inviſeret, poſtquàm Pontificem minimè viſurus eſſe videretur.

Cæſar fugit Papæ colloquium.

Pontifex Cęſarem demulcendum ratus, Alexandrum Farneſium Cardinalem citatis itineribus Genuam miſit, cuius operà, quùm ſumma quoq; ad perſuadendum auctoritas eſſet, Cæſar adductus eſt, vt ad Buxetum oppidum Pallavicinę familię inter Cremonam, & Placentiam, cum Pontifice iungeretur. Fuere, qui exiſtimarent Cęſarem invitum trahi ad colloquium videri voluiſſe, nè Britannum hoſtem digni-

Colloquium Papę cum Carolo.

gnitatis Pontificię, contrà Gallos ſibi fœdere iunctum offenderet. Cum acceſſiſſent,& de Mediolanenſi ducatu convenire non potuiſſent, Hiſpanis namq; verſutiis Pontifex non fidebat; Imperator cum *Coſmo Medice* de redimendis imperii arcibus, quę præſidio tenebātur Cęſareo, opportunè tranſegit, vt ſuprà ducenta aureorum millia ſolverentur. Pontifex ergo privatis conſiliis penitùs abiectis, in eam curam incubuit, ut repræſentato *Ferdinandi* periculo, propoſitiſquè æquiſſimis conditionibus pacis à bello averteretur inſtituto; tridui tamen accurato colloquio Cæſarem Paulus cum expugnare non poſſet, poſtulavit, ut poſtquàm ipſe hortando nihil profeciſſet, Cardinales de concordià verba facturos audire minimè gravaretur: quod Cæſar facilè tribuit, & Grimanum Cardinalem orantem audivit ociosè. Spe pacis deiectus Paulus, Ferdinandi tamen pericula, quę à Solimano imminebant, Reipublicæ pariter, ac amicitię causà, ſe minimè neglecturum Cæſari confirmauit. Nec multò poſt Baptiſtā Sabellum prætorii præfectū, & Iuliū Vrſinū cū XXX. cohortibus tuendo Norico ad Pannoniæ fines tranſmiſit. Quinquè diebus, eo colloquio fruſtrà conſumptis; Cæſare in Germaniam contendente, Papa pari digreſſu Bononiam venit, ubi feſtum S. Petri celebravit. Hoc eodem die

Anno 1543

Barbaroſſa à Solimano, rogante Gallo, miſſus, ut Cæſari inſigne aliquod damnum inferret, à Pontiis inſulis ad littora Tarracinæ delatus, appulit ad oſtia Tyberis tanto hominum terrore, ut Romam cives deſerturi viderentur, niſi à *Polino* Galli Regis Legato, qui erat cum Barbaroſsà, literæ ad Rodulphum Legatum tranſmiſſæ, tumultum compreſſiſſent. Cæſar in Germaniam profectus, Sicambris domitis, Legatum Papæ Alexandrum Farneſium Cardin. audivit. Is Cæſari æquiſſimas pacis conditiones obtulit, Regem ſcilicet Regni Neapolitani, & Mediolan. principatus jura Cæſari conſervaturum, Sabaudiam Duci redditurum eà lege, ut Subalpinam regionem bello acquiſitam retineret. Hæc Cæſare recuſante,

Concilium ſuſpenditur.

Legatus paululùm commotus dixit: *Poſt hæc occaſio calva*, rebuſquè diſceſſit infectis. Pontifex verò Tridentinum ſuſpendit Concilium, nè ibi ocioſi, & in-

Anno 1543

decori Legati ſubſiſterent. Carolus Regi reconciliatus Britanno, fœdus excuſabat *neceſſitate initum, ut ſe defenderet à Gallis fœderatis cum Turcà, Pontifice conivente, quòd ad litora Terracinæ Turca à Romanis amicè recepti, commeatum pretio accepiſſent, captivos Siculos permutaſſent. Hoc ſi Gallo non iniuſtum; minus Cæſari illicitum cum eo paciſci, qui Chriſtianis ſuppetias ferebat in Turcas*. Britannus namquè quadraginta millia aureorum ſubmiſerat Ferdinando. Propterea tàm Gallo, quàm Hiſpano exigenti à Pontifice, ut arma ſociaret; reſpondit Paulus uſquè modò caduceatoris ſe functum officio, deinceps executurum partes iudicis, quis eorum Chriſtianam turbaret Rempublicam.

Querelæ in Papam.

Comitia Spiræ Anno 1544 omnia contrà Catholicos.

Cæſar bello tantùm attentus, indictis Spiram comitiis magnà frequentià Principum; Legatos Pontificis Vvormaciæ reliquit, ut nullo redarguente, facilius conveniret cum Proteſtantibus, qui captatà occaſione Cæſaris indigentis, audaciores facti obtinuere tandem ſuſpenſionem edicti Auguſtani, donec Concilium liberum, generale, Chriſtianum in Germanià congregaretur præſente Cæſare, vel Nationale, aut Dieta, in quà homines pii à Cæſare deſignandi decernerent, quid credendum. Interim de Eccleſiarum ſpoliis nemo in iudicium traheretur. Proteſtantes inter Aſſeſſores Iudiciorum Cameralium non prohiberentur adeſſe, à quibus iam erant eſcluſi. Colonni, ligii, emphiteuticarii Eccleſiarum debita ſolverent, licèt ab Hæreticis poſſiderentur Eccleſiæ. Gymnaſiarchæ, & concionatores tam Catholici, quàm Lutherani ære viverent Eccleſiarum, vel largitionibus fidelium. Io: Frider. Elector Saxoniæ, qui Ferdinādū Regē Romanorū agnoſcere diſtulerat, in hoc cōvētu agnovit. Viciſſim Cęſar pactionē dotalē Saxonis, ac Sybillę ſororis reguli Clivenſis ratam habuit, vt Clivenſi ſine maſculis decedenti Saxo ſuccederet: modò ante aditam hęreditatem de Religione conveneri. Eàdem conditione Ferdinandus filiam *Heleonoram* filio primogenito Saxonis deſpondet: quæ tamen conditio Lutheranos latuit: nec conſumatæ nuptiæ deficiente conditione. His auditis, excanduit Paulus à Carolo Religionem fuiſſe poſthabitam, & poſt conſultos Patres, die 24. Auguſti, zelo ſacerdotali Imperatorem monuit, *ne exemplū Heli ſacerdotis, quē Deus ob nimiā ergà filios indulgētiā, mulctavit graviſſimè, in ſe comperiret. Decreta Spirenſia ei animę periculū, & Eccleſiæ maximam eſſe perturbationem; quibus nullà habità ratione Pontificis (qui ſolus divino, & humano iure Concilia cogere, & de rebus ſacris diſponere valet) de Generali, & Nationali Concilio ſtatuendo, idiotis, & hæreticis iudicium de religione permiſerit, de ſacris bonis pronuntiaſſet, hæreticos ab eodem damnatos priſtinis honoribus reſtituiſſet. Credere ſe non ex ipſius ingenio, ſed à pernicioſo eorum conſilio profecta, qui Eccleſiam perſequuntur Romanam, atquè eo vehementiùs dolere, quòd iis morem geſſerit. Exempla recordaretur Oza, Dathan, & Abiron, Chore, Ozia, qui Sacerdotis munus uſurpaverant. Nec ſatis excuſatio; decreta hæc eſſe temporaria, & ad Concilium modò duratura. Quod enim natura pium, agentis non idonei culpà impium eſt. Deum Principes Romanæ defenſores Eccleſiæ, Conſtantinum, Theodoſios, Carolum Magnum, honoribus exaltaſſe; eiuſdem hoſtes, Anaſtaſium, Mauritium, Conſtantem II. Philippum, Leonem, pœnis afflixiſſe graviſſimis. Henricum IV. eà de causà à filio ſuo caſtigatum, ſic Fridericum II. Provincias reſpiſceret mulctatas, Iudæos propter occiſum Chriſtum, Græcos propter ſpretum eius Vicarium. Idquè eò magis ipſi verendum, quòd originem debeat iis Imperatoribus, qui plus honoris ab Eccleſià Romanà receperint, quàm ipſi detulerint. Eccleſiæ Romanæ emendationem cupere, laudabile: ſed miniſterium relinquendum ei, cui Deus eius curam demandavit. Imperatorem eſſe miniſtrum, non caput. Seſe Reformationis cupidum eſſe, indicto non ſemel Concilio abundè teſtatum; ſed cum Hieremià c. 7. iuſtè queri:* Vocavi vos, & non reſpondiſtis: Venimus, & homo non erat. *Sternendam ergo ab Imperatore Concilio congregando viam pacis. Paternis obtemperet monitis, cauſam Religionis à conventibus arceat, de ſacris bonis non iudicet; quæ Sedis Romanæ hoſtibus conceſſa reſcindat: alioquin futurum, ut ſeveriùs cum ipſo agere cogatur, licèt invitus, ne paſtorali deſit officio.* Non ſurda aure Pontificis monita audiit Imperator, ſed quà reverentià ſuſcepit, obedientià non minori adimplevit, frementibus Lutheranis: licèt enim reſponderit, quòd geſtis non minùs præteritis, quàm futuris Catholicum ſe oſtenderet Imperatorem, nec ſibi poſſe imputari Chriſtianorum diſcrimina, ſed calumnia-

Carolū monet Papa.

Caroli pia obedientia.

Pax inter Reges.

niatoribus ſuis ; pace tamen cum Gallo Caſpini edi- A tà, inter alias conditiones addi voluit, *ut uterquè pro virili Catholicam Religionem propugnaret, Pontificem ad cogendum Concilium interpellarent; Rex Galliæ per legatos hortaretur Proteſtantes, ad aſſentiendum Concilio.* Pontifex ne videretur Concilium indicere ad arbitrium Cæſaris, diſſimulatà initæ pacis iniurià, ſe

Concilium Tridentinum iterum indicitur. Anno 1541

inſcio; Concilium indixit pro die 15. Martii Anni 1545. ac Cæſari ſignificavit, ut facilè poſſet ſe cum Proteſtantibus excuſare, ſi iniuſtè, atquè coactè promiſſa in comitio Spirenſi non adimpleret, cùm jam reſeratū ſubeſſet Conciliū Legatis Cardinalibus Io: Marià de Monte Epiſcopo Paleſtrinæ, Marcello Cervino Pontificibus futuris, ac Rinaldo Polo, qui in conclave Iulii III. à pluribus vocabatur ad Pontificatum, unde tot Pontifices præfecti, quot legati. In Polo fulgor natalium, & vita religioſa ſpem adhuc faciebat Angliæ laſcivientis. Officium Epiſcoporum B totius Orbis erat, perſonaliter adeſſe Concilio, & nō per procuratorem ex Pauli decreto, ut Petro occurreret Toletano Neapolitano ProRegi, qui omnes Epiſcopos regni ſui cogere volebat quatuor ſolummodò conſtituere procuratores ab eo nominandos, qui vicem gererent cæterorum. Celebrabantur inte-

Comitia Vvormatiæ.

rim Vvormacienſia comitia, quò Cæſar Idus Maias appulit. Die altero Farneſius Cardinalis, qui paucos ibi dies commoratus Romam nullà vel acceſſus, vel reditus ſui causà declaratà rediit. Belli concitandi in Lutheranos gratià acceſſiſſe ferebatur, ſed nondùm Cęſar ſatis paratus erat. Proptereà Conciliū refugiebat, quòd hoc reſerato, protinùs adversùs inermes Catholicos irrupturi eſſent Hæretici: quos ut deluderet, novum promittebat colloquium; à Pōtifice requirebat, vt causà procraſtinādi, *Morū emendatio* pręcederet C dogmata Fidei. Pontifex verò aiebat, *Fidem Orthodoxam formandorum morum eſſe principium.* Rogabat etiā Cæſar, vt ſibi poteſtas fieret contrà *Hermanum* Archiep. Colonienſem, qui deceptus ſpetie recti à Lutheranis, dum reformare credit Eccleſiam ſuam, deformavit; & Lutheri deformationem credidit Pontificiam. Tàm brevi ab impietate diſtat ignavia. Inſtanti *Paulo*, vt Cæſar manum daret vel Concilio Tridenti aperiendo, vel Bononiam traſferendo, nè Epiſcopos longiori ludificatione deluderet: iſte qui hæreticos emungere volebat, reiiciebat utrumquè, miſſis tandem legatis, aperiri conſenſit Dominicà ergo *Lætare*, 4. Quadrageſimæ, Cardinales Legati

Ritus aperiendi Concilium.

cum Epiſcopis habito induti Pontificio, Theologis, Clero, populoquè ab Eccleſià S. S. Trinitatis ad principem Vrbis Baſilicam proceſſere, vbi à Cardinali *de Monte*, ſacrificio ſolemni implotatà Spi- D ritus Sancti gratià, *Muſſus Ep. Bitontinus* pià, & eleganti oratione, quibus de cauſis vrgeretur Concilium, edocuit. Poſthæc, lecta tria diplomata, *de Indictione Concilii, De Legatorum deſignatione, De Concilio incoando.* Cæſaris etiam perlectum reſcriptum ab oratore Mendocca. Vltimò in genua provoluti, recitatis precibus, in proximam Epiphaniam, quæ erat 7. Ianuarii, An. 1546. primam indixere ſeſſionem. Creationem tunc Pontifex obtulit Cardinalium, quà vulgus edoceretur, etiam aperto Concilio, dignitatum, ac purpuræ collationem ad Pontificem pertinere. Vocem, & votum cum dubitarentur habere Generales Ordinum, & Abbates

A Monachorum? admiſſi ſunt ex privilegio, cum Epiſcopi admittantur de iure; Abbates tamen ſi plures eiuſdem Ordinis, ut Benedictini, unum conſtituerent votum, exemplo cæterorum Regularium. Diviſi ſunt Patres in tres claſſes quorum una Fidei dogmata promoveret. Altera reformationi incumberet. Tertia de pace Chriſtianorum, & bello Turcico conſuleret. Decreta à Claſsibus in formā redacta ad Generale Concilium referrentur. Placuit etiam, ſimul eodem tempore, tàm de rebus Fidei, quàm Reformatione, procedere; ne dubitarent Lutherani poſt dogmata Fidei, prætereundam Reformationem, ut contigerat in Conciliis Piſano ſub Alexandro V. & Conſtantienſi ſub Martino V. Convenere interim Francofurti Proteſtantes pro Concilio

Conventus Proteſtantium. Anno 1546

abrogando. Habitum non longè Ratiſponæ colloquiū inter eoſdem, & Catholicos: iſti fuere Petrus Maluē- B da, Eberahardus Billichius Carmelitanus, Io: Hofmeiſterus Auguſtinianus, & Io: Cochlæus. Illi Martinus Buccerus, Io: Brētius, Georgius Maior, & Elhardus Schneppius. Præſides colloquii Mauritius Eyſtetenſis Epiſcop. & Fridericus Comes Furſtembergicus. Inſtituto colloquio, vicerunt Catholici peritià, & doctrinà. Primo namquè collocutionis die, Maluenda proteſtante ſe privatum inſtituere colloquium, & interrogante, an Buccerus in confeſsione Auguſtanà perſiſteret? diù cunctatus, reſpondit *ſe adverſarias illi damnare ſententias*, quamvis in concio-

Buceri vita.

nibus, & in ſcriptis nō ſolùm à Lutheranis, ſed à ſeipſo diverſus appareret, nam ex Monacho Dominicano apoſtata, & maritus, ex Lutherano deindè Zuinglianus, inter ſacramentarios, atquè Catholicos medius, in Angliam tādem delatus poſt quinquēnium iudaizans C mortuus eſt. Hoc itaquè in colloquio cum de *iuſtificatione* ſermo recurreret, & ſola incredulitas reputaretur ad culpam, ſecundùm Auguſtanæ Confeſſionis defenſorem, adulteria Proteſtantium ſanctiora erant eleemoſinis Romanorum, cum hæ, non illa imputaretur ad culpam. Hanc confuſionem erubeſcentes Principes Acatholici iuſſerunt, ne quid eis inconſultis ut pote Germanæ Eccleſiæ Pontificibus ſtatueretur. Ex adverſo enim vetuiſset Imperator quicquam à conciliatoribus vulgari ante exitum: Lu-

Fuga Proteſtantiū.

therani collocutores inter ſaxum, & ſacrum conſtituti, turpi fugà clam receſsere. Diſsipato conventu, ſupervenit Cæſar cuius vilebat auctoritas. Apertis comitiis adfuere Mauritius Saxo, Erricus Brunſuicēcis, Io: & Albertus Brandeburgici, Epiſcopi nonnulli. Proteſtātium ſoli oratores, potiùs exploratores comparebant, expoſcentes Concilium in Germanià cele- D brari, remoto Papà, in quem litem agebant. Deſperatà concordià ad arma ſe convertit. Sciſcitantibus Hererodoxis, *in quem dirigeret?* reſpondit Cęſar, *adversùs pacis perturbatores, pro ſalute, & libertate Germaniæ.*

Arma in eos.

9. *Lutherus* Armorum ſtrepitum prævenit prid. Kal. Mar. cum à lautà menſà benè cænatus ad lectum divertiſset, nequè priùs ægrotare à domeſticis, quàm mori compertus eſset. Quid de fide ſenſerit? ipſi neſciunt ſectarii.

Lutheri mors

Colonien. excommunicatur.

10. *Expeditio.* Romæ interim Paulus XVII. Kal. Maias Hermannum Colonienſem Archiep. è Chriſtianorum cætu ſubmovit, ac ſacerdotio privavit, iureiurando ſoluti quo ſubditi tenebantur. Poſt anathema eidem ſcripſiſse legitur Carolus, nè Proteſ-

 tan-

Fœdus Papę,& Cæſaris in Lutheranos.

tantibus opem ferret, uni Cæſari militiæ diceret ſacramentum,refractarios vindicaret. Paruit Hermannus Cæſari, & totam provinciam obtulit obſequentem.Nec mirùm eum excommunicato communicaſſe Carolum; votum namquè Cæſaris erat, Proteſtantes dividere,ut perderet.Eàdem ratione Helvetii, Auguſtani, Norimbergenſes, Argentini, Dux Virtembergicus à fęderatorum partibus avocati. Vrbes tamen Smalcaldico fœdere iunctę,quarum præcipuè Auguſta, Vlma, Argentoratum, Francofurtum, Lubecca,Hamburgum, Brema à Saxone, & Lantgravio diſcedere noluerunt. Iſti vulgato Apologetico docebant, *bellum adumbratâ Religionis ſpetie,quæ nulla eſſet, reverà religionis per Germaniam naſcentis opprimēdæ gratiâ ſuſcipi; ut animiram ſoluto Germanorum fœdere,alios poſt alios opprimat,& ſibi victoriam facilè, illis ſervitutem inſtruat. Vbiorum Archiepiſcopus exemplo eſſet, quem Pontificis auctoritate Cæſar eiecerat ſede ſuâ. Saxo ſua in Cæſarē merita reſonabat; Federicum patruū à Septemviralibus electum Cæſarem ſe abdicaſſe, ut in Carolum transferret imperium. Cæſari ius non eſſe, indictâ causâ aliquem proſcribere, vel militem externum in Germaniam Principibus inconſultis, evocare.* Cęſar

Saxo,& Lantgravius proſcripti.

porrò accerſitis tribus Hiſpanorum millibus,quinquè additis Germanorum,cum 700.equitibus,quanquàm viribus longè inferior,XIII.Kal. Aug.Saxonem proſcripſit,& Lantgravium.Paulò antè fœdus cum Pontifice percuſſerat, interprete Cardinale Tridentino,

Fœdus inter Papam, & Cæſarem An. 1546

eà conditione, *ut menſe Iunio proximo Carolus Proteſtantes comprimat,cum quibus nullam pacem agat,Romanæ adverſam Eccleſię. Pontifex vicisſim præter centū aureorū millia,quæ iā Auguſtæ depoſuerat, alia centū millia Venetiis deponeret; quæ in nullum alium, quàm in huius belli uſum expendantur: ſi nullum bellum erit, utraquè recipiat. Addat pecuniis duodecim millia Italorum peditum,equites levioris armaturæ quingentos ære ſuo ſcribēdos, & per ſex menſes alendos. Indulgeat dimidiam ex Hiſpanis Eccleſiæ proventibus partem, ex Cęnobiorum verò poſſeſſionibus venditis ad 500.millia aureorum:eâ tamen conditione,ut è poſſeſſionibus ſuis tantūdē cœnobiarchis,Pauli arbitratu,oppignoraret,quantū ſufficiat.* Hoc tamen aliundè adimpleri poſſe leniùs credidit. Occurrerunt illico Cæſari Saxo,& Lantgravius cōſcriptis ſeptuaginta millibus peditum,& quindecim,equitum, cum 120.tormentis, magnoquè apparatu, quo ſi ſtatim Carolum adorti eſſent, ſinè dubio debellaſſent; ſed dum bellum non ſatis gerunt concordes; Itali ſupervenere imiſſi à Pontifice, Duce *Octavio Farneſio*,cuius ſymbolum habes in nummo,quem cudit *Paulus III.* P. R. in quo *Iuvenis Ganimedi ſimilis, lilia permiſſa Iovis humectās* cum inſcriptione Græcà,

Pauli III.nummus.

Dos Iovis exhilorat. Liliis inter ſpinas enaſcentibus confertur Eccleſia,quā frigidà fovet,ac refocillat Pōtifex,copias Cęſaris augēdo,pecuniā ſubminiſtrando, uſurpatis Agamemnonis apud Homerūverbis,quibus Teucrū ſub ſcuto Aiacis latētē,& Troianos ferientem compellat. Carolum itaquè ut Proteſtantes inter ſe committeret Fridericum Electorem Palatinum,eorū auxiliatorem in gratiam ſuſcepit: poſt quæ rebelles ita contempſit, ut eis pacem nonniſi duris conditionibus annueret, qui anteà de eo exautorando cogitabant. Sic Dux Vvirtembergicus perſolutis 300. millibus aureorum, gratiam Cæſaris redemit,eiuſq; exemplum ſequentibus pluribus civitatibus. Supere-

A rat Saxo victoriis ferox,& Mauritio patruele ſuo totà ditione ſpoliato. Quare in eum impetus belli cōverſus, principio, Albi fluvio propè per miraculum ſuperato, Carolus cum Catholicis ad Mulbergum ſecutus,& Lochanam ſylvam, An. 1547. die 8. Kal. Maii,cruento novem horarum prœlio fudit, vulneratum cœpit, & cum eo *Erneſtum Brunſuicenſem*.

Proteſtantes victi à Carolo V.

11 *Christus*.Fugiētibus dū inſtaret à tergo Cęſar, ac obviā *Crucifixi* imaginem impii militis glande convulsā cerneret,impium facinus deteſtatus,elevatis in Cęlum manibus,*Si volueris* (inquit) *mi Deus,illatam tibi iniuriam ulciſceris hodiè*. Saxone capto, mox à Cæſare ſententia capitis in eum pronunciata eſt; licèt, Electore Brandeburgenſi, & Clivenſi duce pro affine ſuo deprecantibus,exutus electoratu, (qui conceſſus eſt fratri eius Mauritio) arcibus Vittembergà, & Gothà ſpoliatus, indictà inſuper gradi pecunià, & B bonis eius inter Ferdinandum, & Mauritium diviſis vitam redemerit. Concilio autem ut acquieſceret nunquàm induci potuit; Lantgravio quoquè iidem deprecatores obtinuere veniam, ſed gravibus conditionibus. Celebrata poſteà Auguſtana comitia ab armato Cæſare (erat urbs præcipua fœderis Smalcaldici) In iis Fide erectà Catholicà, Hæreſis eſt abiecta. Coloniæ ſuffectus Archiepiſcopus Adolphus in locum Erimanni à Pontifice excommunicati, & à Cæſare deiecti. Victoriam hanc fuſiùs deſcriptam habes in noſtrà *Aquilà Auſtriacà*. Excitatus Lantgravius Tridentino parere Concilio ab Epiſcopo Attrebatenſi, renuit, *Mauritio*, ac *Brandeburgico* ſtipulatà manu clanculum fidem dantibus, quod & ipſi Concilium non eſſent adprobaturi. Vrgente tādem Epiſcopo Cęſaream indignationem, hac conditione ſubſcripſit. *Liberi, pii, generalis Concilii decretis, quo* C *non minus caput, quàm membra reformentur, ſe pariturum; ubi Mauritius, & Brandeburgicus facturi eſſent.*

Paulus victorias Caroli celebrat.

Pontifex auditā Cæſaris victorià, ſupplicationes publicas Romæ obivit,editiſquè ingentis lætitię ſignis, eundem in frequentiſſimo Cardinalium Senatu,*Maximi*, & *Fortiſſimi* cognomine decoravit. Patres Tridenti congregati de tranſlatione, vel ſuſpenſione Concilii,verba miſcebant ob timorem hæreticorum, qui ex vicinis alpibus ſubitaneà incurſione valuiſſent irrumpere.Conveniebant Cardinales Legati ob Pauli Pontificis ſenectutem. Licèt enim electio futuri Pontificis ſpectaret ad Cardinales, non ad Cōcilium, ſchiſmati tamen non abundè proviſum,Concilium transferre conabantur in locum, ubi Principes ſæculares ſeditioſos fovere haud poſſent. Hiſce

Concilium transfertur.

conſiliis Cæſar adverſus (teſte *Hadriano* Anno 1546.) D per legatos intimari mandavit *Cervino Cardinali*, quòd ſi ſinè expreſſo diplomate Pontificio traſlationi præbuiſſet aſſenſum, in Atheſim præceps mitteretur. Timebat enim Cæſar, quòd tranſlatione Cōcilii Alemania quereretur quaſi decepta, Cæſare connivente, & Concilium in ſpeciem celebratum. Quo non obſtante,Patres morbi (quem dicunt *Exanthematicum*,& peſtilentiæ præludium) arreptà occaſione, quòd triduò plures ſuſtuliſſet,inter quos Epiſcopus Capaccii, Miniſter Generalis Minoritarum, nonnulliquè Legatorum domeſtici; civitates propterеà vicinæ comercium Tridentinis negarent; tet tranſlatione propoſità, & ſemper maiori parte ſuffragii adprobatà, ita conſulente *Fracaſtoreo* Bononiam

trans-

Concilium Bononiam transfertur An. 1547

tranſtulere, Cęſareis obſtinatè Tridenti degentibus. Cardinalis Madrucius Tridentinus ſuccenſus, quòd cum tranſlatione Concilii ambitus tranſmigraſſet Pontificatus, cuius electionem, ſede vacante, ſperabat futuram non ſolùm in ſuà civitate, ſed in ſeipſo, ad Cæſarem venit ut eum concitaret. Gemino cruciatus Imperator vulnere, quod propter tranſlationem Concilii; deſperatà unitate Fidei, & populorum pace, Cæſarea etiam Maieſtas vileſceret, miſſo Romam tabellario, urgebat reſtitutionem. Papa vt honeſtè excuſaret Patres, mandavit Nuntio, ut iram Cæſaris mitigaret, epiſtolas legendo, quibus certiorem faciebat neceſsitate tranſlatum. Lectionem itaquè exordiente Nuntio, intercepit Carolus ut ab exordio Pontificem modeſtè accuſaret dicens, *Non inſcio Papà tranſlatum eſſe Concilium, nè abſolveretur Tridenti. Verba geſtis probari mendacia. Fallere linguam, non manum.* Adiecit in Cardinalem Cervinum, *Opus hoc Cardinalis S. Crucis.* Excuſante Nuntio neceſſitatem, ac melius eſſe Concilium tranſlatum, quàm diſſolutum. Cæſare cauſam reiicente ut falſam; cum Nuntius ad teſtimonia confugeret, & ad Epiſcopos, qui Tridento aufugerant; quievit Cæſar, non acquievit. Epiſtolam proſequente Legato, in quà dicebatur *non conducere, quòd Papa revocaret decreta Patrum;* reſpondit Carolus. *A Patribus declinat Papa, cum ſua intereſt. Solus tamen cauſam dedit inobedientiæ eis, qui Concilio parere promiſerant. Concilium non deficiet, quod omnibus ſatiſfaciat, & in omnibus. Papa iam ſenex ſuà pervicacià vult perdere Eccleſiam Dei.* Reponenti Legato, *Papam in tantis complacuiſſe Cæſari, canitie edoctum diſcrimini occurriſſe futuro; Qui enim Bononiam ſeceſſerant Patres, abierant liberè. Qui Tridenti ſubſtiterant, ſubſtitiſſe coacti Cæſaris imperio.* Tunc rubore ſuffuſus cœpit exclamare, *Recede, Recede: de hoc nolo diſputare, loquere ad Arras.* Subiicienti Legato, *Bononiæ ſecuros degère Patres, quia Papa ſequeſter incedens inter Hiſpanos, & Gallos, æquè proſpiceret:* reſpondit Cæſar. *In Papà ſola verba eſſe communia. Obſtare tamen Deum arcanis hominum.* Mortem annuebat Franciſci Gallorum Regis. In epiſtolà cum legeretur, *plura Concilia Romæ celebrata fuiſſe;* abſolvit Carolus imperio potiùs, quàm colloquio. *Romam ad Concilium pergã libens, non invitus.* Aliam epiſtolam cum legeret Nuntius, quà Paulus annuebat novum Legatũ directum Cæſari, obſervavit Nuntius Cæſarem non repudiaſſe. Bellum namquè minabatur, ut placaretur pace. Ex adverſo Bononiæ, & Romæ Cæſare; petito Senatu, adhibitis etiam exterorum Principum Oratoribus, An. 1548. XV. Kal. Februar. cum traſlationem accuſarent vitioſam, *Conventum* dicerent, non Concilium Bononienſe, Paulus compendioſà oratione reſpondens, Petro, non Cæſari dixiſſe Chriſtum, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* inſalutatis Legatis receſſit. Proponente poſteà *Mendocà* honeſtis conditionibus Concilii revocationem Tridentum, quæ erant, ut decretis Tridentinis iam abſolutis Germani ſubſcriberent: Sede vacante, electio ad Cardinales pertineret, non ad Concilium. Paulus ut Carolum demulciret, cui ex vi fœderis indulſerat *vaſſallaggia Monaſteriorum* in Hiſpanià exponere ſub haſtà, & poſteà revocaverat æquali compenſatione promiſsà, quadringenta millia ducatorum exhibuit perſolvẽda ab Hiſpanis Sacriſtis.

Carolus Cervino Cardinali iraſcitur.

Reclamat Cæſar.

Haſce conditiones ſperabat Paulus impleri poſſe facillimè Germanis iam domitis. Calumnia quidem eſt, Paulum voluiſſe ſe adversùs recentem Cæſaris potentiam, & victoriam, novo armari Gallorum fœdere, quia Legatus Cardinalis *Caput Ferreum* miſſus ad *Henricum II* pro obitu Franciſci patris, Romà diſceſſit *6.* Aprils, antequàm victoria contingeret, victoria enim accidit Carolo die XXIV. eiuſdem menſis. Neapoli etiam Anno cadente 1547. cum Petrus Alvares Toletanus P. Rex S. Inquiſitionis tribunal erigere tentaſset adversùs hæreſim Lutheranam, quę dolo Io: Valdeſii Hiſpani, Neapolim irrepſerat; negante acquieſcere populo, eoſq; per dies Vicarius Archepiſcopi importunè propoſuiſſet in vitam inquirere, & mores Clericorum; audito verbo *Inquirendi,* cœpit plebs furere, nobilibus incitantibus (quorum timore in arces aufugerũt Hiſpani) & per Legatos Paulum excitare Pontificem, vt vaſſallos ſuos in clientelam reciperet. Renuit Pontifex, ne ambitus unius regni Fidem perderet, & Rempublicam Chriſtianam. Ad Cęſarem interim Bambergæ ſtantem Legatus venerat Pontificis, Cardinalis Sfondratus; à quo adversùs Britannum reum læſæ maieſtatis, & Religionis excitatus Carolus reſpondit: *ſuà magis intereſſe Germaniæ conſulere, quàm Britannię, ne victoriæ fructum colligerent Proteſtantes: eo magis, quòd cum alienà gratià arma tractaſſet malè gratus, & peſſimè acceptus, caſtra modo faſtidiret.* Irritas Legatus cum adverteret preces, de unione Concilii verba miſcuit, iis conditionibus, quas adprobaverat Mendoca. Cui Cęſar. *Cum ad Bellum deſcenderim ob gloriam Dei, non Imperii libidinem, Deum in partibus habui. Pax Religionis non erit niſi Tridentum reſtituto Concilio, cui plures promittebant ſubſcribere, reſtitutione ſuppoſità. Diviſioni ſi Pontifex non aſſenſit, cogat ad reditum. Morbus, qui cauſa eſt dicta receſsus, vel falſus, vel evanuit. Hæc ni fiant, graviſſima ingruunt diſcrimina, quorum pœna in eum redundabit, cuius eſt culpa.* Reponenti Legato. *Poſſe quidem Cæſarem de ſe benè ſentire, non tamen de aliis malè iudicare. Concilium revocare Tridentum, ubi inviti, & incomodi degebant Patres, nec honeſtum, nec poſsibile, niſi contrarium expoſcat Religio. Alemanni ergo decretis ſubſcriberent iam abſolutis, & futuris non diſſentirent. Hoc modo poſſe Patres revocari Tridentum.* Reſpondit Carolus, *Hęc in ſpetiem proponi, quia comitiis adverſa futuris.* Obiicienti Legato Concilii dedecus, *ſi Concilium Tridento violenter reſtitutũ ſpernerent Alemanni, vel impugnando, vel non accedendo,* reſpondit Carolus *non aliter innocens apparebit Papa coram Deo, & hominibus.* Reponenti Legato, *vt maturè Cæſar dignaretur conſulere, nec facilè diſſentire ab oratore ſuo Mendocà tantorum arcanorum abundè conſcio:* reſpondit: *Mendoca decipit: Ego diutiùs meditatus arcana Concilii, quàm conſilia Belli, meliora neſcio.* Recedam ergo, replicavit Legatus, ne longiori moleſtià afficiam Maieſtatem tuam. Perculſus Cæſar ſolvit tepidè; *liberum eſſe.* His Romæ relatis, non conveniebant Patres, alii cum Sfondrato conſentientes, alii nimis præcipitem accuſantes. In eo cum Sfondrato conveniebat Cardinalis Cervinus, ut tacitè, vel expreſsè ſuſpenderetur Concilium, dummodò factio illa Epiſcoporum Cæſariana Tridenti non ſubſiſteret. Quod aliter haud poterat expediri, quàm patres Romam avocando, ut contigit tem-

Turbæ Neapolitanæ.

Sfondratus legatus ad Cæſare

Paulus cogitat Concilium avocare Romam

tempore Pauli Samoſateni, qui Concilio ſe oppoſuerat Antiocheno. Timorem tamen abſtergebant Galli, quorum tredecim Epiſcopi, novi Regis mandato, Bononiam accedebant, tutores devoti; apppulſo iam Claudio Durſeo cum duobus Epiſcopis, qui Tridenti adſuetant; inito etiam coniugio inter Horatium Caltri ducem, fratrem Octavii Farneſiii, & Dianam notham Henrici II. Gallorum Regis, quod ut antea meditatus erat Paulus, nè Galli offenderētur Octavii affinitate cum Cæſare, nunc libentius ſtipulationem abſolvit, ut Cæſari novam oſtentaret coniunctionem, quà iniurias propulſaret. Sed ecce novum Italiæ diſcrimen, ob libidinem

Nuptiæ Horatii Farneſii cum notha Henrici II.

12. *Aſſinium*, & conſanguineorum ipſius Pontificis: duos habuit Paulus III. filios nothos Petrum Luiſium, & Conſtantiam, quorum filios, *Alexandrum* Petri Luiſii filium Annos agentem decem & quatuor, & Guidonem *Aſcanium Sfortiam* Conſtantiæ filium annorū ſexdecim, Diaconos Cardinales creavit. Ex his priorem mortuo Hippolyto Medice S. R. E. cancellarium, & commendatarium monaſterii Triumſontium: poſteriorem verò camerarium defuncto Spinulæ ſuffecit. At minimè contentus, tantis dignitatibus prolem exaltaſſe illegitimam, poſt Novariam urbem Petro Luiſio à Cæſare Romæ agentem impetratam, celebratis quoquè nuptiis *Octavii* nepotis cum *Margaritâ Auſtriâ* filiâ Cæſaris, & Alexandri Ducis Florentiæ viduâ, magno apparatu cum dote redditus XV. millium aureorum in Sabinis; quum fortè è vita exceſſiſſet *Franciſcus Maria Ruverus Dux Vrbini*, ad Camerinum recuperandum, Eccleſiæ devolutum, animum adiecit. Oppidum occupaverat Ruvereus, quia eius filius *Guido Vbaldus Iuliam*, duxiſſet filiam *Ioannis Varani*, mortui ſinè maſculâ prole, cui Feudi titulo Leo X. urbem conceſſerat. Paulus ergo occaſione arreptà hæredis rei bellicæ imperiti, conſcripto milite expeditionem, quam patre vivente ſuſcipere non auſit, continuò ſuſcepit. Nec ſefellit opinio. Ad primam belli famam, oppidum Ruverens iuvenis reſtituit. Reſtitutum Pontifex, grandi pecuniâ cunctis, qui aliquod ius in eo uſurpatent, perſolutâ, *Octavio Farneſio* nepoti, unà cum ducatus inſignibus, iure conceſſit beneficiario, quùm ipſum paulò ante in eiuſdem Ruverei defuncti locum, etiam Vrbis præfectum dixiſſet. Exhauſtum propterea ut reſarciret ærarium, tributa, vectigalia, & portoria multa vel nova exegit acerbè, vel auxit vetera, Peruſinis recalcitrantibus, qui tamen armis domiti, Imperata facere ſunt coacti. Huius rei teſtem nummum perhibent, in quo currus triumphalis, in quo præit pax cum ramo oleæ, non palmæ; & ut intelligatur optimū parentem magis de pace populo conceſsà, quàm de victoriâ lætari. Anno poſtea 1539. mortuo Cardinale Auxitano *Farneſium* nepotem Avenionenſem legatum creavit. Nec ſatis. Parmam & Placentiam cum Iulius II. ſibi vindicaſſet: Leo X. redemiſſet; Paulus Anno 1541. ut videretur eas honeſtè nepotibus tradere, vocato Conſiſtorio permutandas propoſuit ſuadente Eccleſiæ utilitate, cum Nepeſinâ urbe, quam offerebat *Petrus Loyſius* & Camerino, quòd offerebat *Octavius* (utramquè civitatem paulò ante Eccleſiæ uſurpaverant) Redditus namquè Parmenſes & Placentinos, detractis oneribus in ſeptem millia uum. Amorum aureorum Cameralium ſupputabant; cum Nepenſes & Camerini aſcenderent ſupra decem millia nummorum aureorum Cameralium, excepto canone perſolvendo, Novem namquè ducatorum millia pro canone Paulus meditabatur exigere à ducibus Parmenſibus. Onera etiam recenſebat atquè diſcrimina, quæ ſemper imminebant ſedi Apoſtolicæ ab iis, qui principatum poſſiderent Mediolanenſem, ut nō ſolū contigerat ſub Leone X. contra Franciſcum I. Gallorum Regem; ſed hodiernis temporibus Pauli, qui licèt in pace, & otio ad ſolam cuſtodiam Zelotypus expēderat ducenta millia ducatorū. His auditis maior pars Cardinalium ſubſcripſit metu tamen, nàm in primo Conſiſtorio reſponderunt opus eſse maturo conſilio. In ſecundo Cardinales *Cupis* decanus, & Burgos Hiſpanus apertè reclamarunt. Bononienſis Gallus ſe oppoſuit impetrato ſilentio. Piſanus, Carpius, Sadoletus poſtquàm negaſſent, conſilio ſe ſubmiſere Pontificis. Trivultius, Caraffa, Armeniacùs illà die abſtinuere Conclavi. Hoc modò incraſſatus, impinguatus *Petrus Loyſius* cœpit in Plancentinos ſævire. Eius tyrannidem ut effugeret *Hieronimus Palavicinus* vir nobilis bonis ſpoliatus, Cremam Venetæ ditionis oppidum ſeceſſerat, in carcere filiis & Vxore relictâ. Nihil intercedēte *Octavio* Petri filio, qui in gratiam Cardinalis Tridentini obnixè curaverat patri reconciliare Pallavicinum. Indignati propterea magnates numero triginta ſex, duce *Auguſtino Lando* arce trucidant egreſſum, ſuppellectilem opulentam diripiunt ad urbem muniendā. Populus audito tumultu cum ad arcem conveniſſet, cæſum ei tyrannum nuntiant, & ad libertatem provocātes, tyranni cadaver catenà illigatum è muro oſtentant, acceptaquè cautione in foſſam deiiciunt, C quod pleriquè pugionibus confixerunt, vel pedibus conculcarunt. Cives Pontificem ultorem veriti, ad *Ferdinandum Gonzagam* Inſubrum præfectum confugiere. Is cum firmo accedens præſidio etiam Parmenſes ad defectionem invitabat; ſed iſti in fide permanere maluerunt Pontificis. Gennenſis ſeditionis Petrus Loyſius auctor fuiſse inſimulabatur: idcircò hanc coniurationem illi à *Gonzagà* adornatam pleriquè exiſtimarunt. Alii libidinem Petri accuſabant, præſertim de *Coſmo Cherio* Epiſcopo Favenſi per vim conſtuprato, cuius indignitatis mærore mox iſte interiit: aut veneno periit, nè ad Cæſarem confugeret. *Bekarius l.* 25. *n.* 4. Cæſar an & ipſe conſpiraverit? latet. Legato tamen urgenti ut urbem annos ante XXX. ab ipſo Carolo, Eccleſiæ redditam ex pacto, quandò gladio Eccleſiæ Principatum redemit Mediolanenſem, filiæ reſtitueret? neq; D affirmabat, nequè negabat. Spectabat enim Carolus in pretium reſtituendæ Placentiæ, Concilii reſtitutionem. Hanc rogabant Germani Præſules & quaſi extorquebant: minabantur enim Concilio Tridentum non reſtituto, ſe aliter conſulturos de Religione. Cardinalem etiam Madrutium Romam Cæſar remiſerat, ut de concordatis in Auguſtano comitio Papā certiorem faceret, *Etiam Principes Hereticos, tandem & Civitatem liberas promiſiſſe ſe parituras Cōcilio Tridenti congregando, veluti in loco Germanis non incongruo, & cæteris nationibus non odioſo. In hoc Concilio deciſio foret iuxta doctrinam ſacra pagina, & Patrum. Sub umbrà Cæſaris tanquàm Eccleſiæ protectoris accederent*

Quot filios habuerit Paulus III.

Exaltat

Camerinum recuperat

Parmā & Placentiam tradit nepotibus.

Tyrannis Petri Luiſii.

Petri Loiſii libido.

Proteſtantes ſe ſubmittūt Concilio.

rent omnes cum facultate liberà loquendi,ſtandi,& ad libitum recedendi etiam ſi Confeſſionem profiterentur Auguſtanam. Eò totius Orbis venirent Epiſcopi ſaltem per procuratorem,& præcipuè Germani, quorum gratià Concilium habebatur. His conventis Principes Proteſtantes ex inſperato Domum convenere Legati Apoſtolici,& ibi magnà reverentià voluerunt prandio recipi. Venit ergo Romam Madrutius ſignificans, *Deo inſpirante præter ſpem, Germanos ad Concilium inclinare, & ſubiici, ubi cum plenà poteſtate Papa præſideret. Impleret ergo promiſſa Concilium cogendi Tridenti, quotiès Concilio ſe ſubiicerent Germani. Pacem daret Eccleſiæ, quam Cæſar profuſo ærario, cæſo milite, vitæ diſcrimine redemerat, & munus Advocati S. Petri abundè ſolverat; ut in poſterùm de iis, quæ ventura eſſent, nonniſi unus Papa rationem Deo reddere teneretur. Interim nè aberrarent à Fide, viros delegaret fideles, qui oves deducerent errantes. Reſtitutionem nè impediret Concilii periculum Sedis vacantis; proteſtabatur Cæſar nunquàm cogitaſſe, nè Romæ fieret, & dignus eligeretur ſacerdotio. De hiſce fideiuſſorem offerebat Ferdinandum, qui tanquam Rex Romanorum Caroli ſucceſſior erat.* Hęc privatim cum legiſser Paulus, priuſquàm reſponderet, Cardinalem Cervinum Bononià Romam euocavit, cuius conſilio, omnia remiſit Concilio; Si liberè diſceſſerar, liberè redirer. Reſponderunt Patres quinquè deſiderari, ut Cæſari ſatisfacerent. *I. Vt Patres, qui Tridenti ſubſtiterãt, Bononiam deſcenderent, Concilium recognoſcerent. Incongruum enim, ut ad contumaces iudex deſcenderet, non ad iudicem contumaces. 2. Declararent Proteſtantes, an Concilio iam Tridenti celebrato acquieſcerent. Decreta namquè haud poterant novà diſputatione tentari. 3. Cum promiſiſſent acquieſcere Concilio Chriſtiano, huius nomine quid intelligerent. 4. libertas eundi, ſtandi, & recedendi nõ ſolum ſtatuẽda eſſet prò ſingulis, ſed etiam prò univerſis. 5. Concilium brevi eſſet abſolvendum; non enim ad libitũ Proteſtantiũ operiri, vel claudi debuiſſet.* Hæc conſideraret Cęſar, & citò deliberaret: aliàs Bononiæ progrederẽtur Patres.

Cervinus Romæ vocatus.

An. Sal. 1548

Cæſaris proteſtatio in Conventum Bononienſe.

His acceptis Carolus procuratoribus Bononiam miſſis *Franciſco Vargà, & Martino Sorià Velaſco* literas protulere XVI. Ianuarii, Annos 1548. ad *Conventum Bononienſem.* Scribas poſtulantes, & teſtes inrroduci, quos ipſi ſecum duxerant: inuſitatà poſtulatione perculſi Patres nolebant admittere procuratores exemplo Conclavis, vbi miniſtri non admittuntur externi. Verùm vt cuiquè conveniendi, & recedendi appareret libertas, eà conditione admiſerunt, *nè cum Cæſar ſanctam hanc ſynodum iniurià Conventum* appellat*, eiuſquè præſidentes,* aſſertos legatos; *huius ignominiæ diſſimulatio quidquàm ſynodo præiudicet legitimè tranſlatę.* Scribæ itaquè, & teſtes ſunt introducti ſed vnà cum miniſtris Concilii, non ſoli. Exordiente Vargà, *Adſumus hic legitimi Cæſaris Procuratores*: Legatus Montanus interponendo ſubiunxit: *Adſum & ego verus indubitati* Pontificis *legatus, unaquè adſunt legitimi, & Æcumenici Patres.* Velaſcus illicò oblatà ex ſcripto proteſtatione, Cæſaris nomine cœpit dicere: Quòd Carolus *velut Procurator, & advocatus Eccleſiæ ſupplicaſſet* Romanum *Pontificem pro convocatione* Concilii *univerſalis in loco ad tollenda ſchiſmata opportuno. Cognità iuſtitià ſupplicationis electum eſſe Tridentum velut Italiæ, Germaniæ, Gallię conterminum, omniquè vicinum nationi; & hoc communi conſenſu. Idem fuiſſe legitimè congregatum, quamvis in eo Religionis negotium frigidè ſuſceptum. Cum eccè legati tumultuosè, inſcio Papà nullo conſulendi ſpatio permiſſo, retulerunt Patribus, ut pridiè propoſuerint, poſtridie decreverint, perẽdiè diſceſſerint cũ multis patribus; quamvis plures Epiſcopi magnæ fidei, & auctoritatis viri contra fuerint proteſtati, eodem tempore, quo de hoſtibus Eccleſiæ reportatà victorià, Germani omnes promiſerant venire Tridentum. Cognità propter eà periculoſà tranſlatione Cęſarem rogaſſe Pontificem iubere Patribus, redire tridentum; cum proteſtatione de nullitate conventus, ſi aliter fieret. Promiſiſſe etiam bis, & ter redituros Patres, ſi Proteſtantes vellent Concilio acquieſcere. Deo dante, & præter humanam ſpem, etiam* Proteſtantes *Cõcilio ſe ſubmiſiſſe.* Redirent *ergo, nec fidem fallerent. Cum autem novis tergiverſationibus Orbem eludant, iterum rogaſſe Pontificem pro reditu, qui Epiſcopis Bononiæ congregatis ex compoſito negotio remiſſo, & clam convenientes, illi redire negaverint, iſte negationem cõfirmaverit.* Proteſtari *ergo iterum, atquè iterum factã tranſlationem ultimum fore* Catholicæ Religionis *excidium; quia tot impenſæ, labores, ſanguis profuſus evaneſcerent; & anſa daretur hoſtibus calumniandi non deſiderari Concilium, vel in loco deſiderari, ubi Epiſcopi ignari nationis Alemannæ à ſolius nutu penderent Pontificis.* Febres*, aeris vitium, vanę formidinis cauſam fuiſse diſcedendi Bononià, quò certè non erant adituri Germani.* Propter*eà proteſtari damna omnia, tumultus, clades, populorum excidia, Religionis pericula indè eventura* Pontifici*, non Cæſari imputanda, qui negligentias ſuppleret* Pontificis*, atquè illius illegitimi conventus.* Reſpondit Legatus *ex falsò obiectis nihil concludi contrà veros Legatos ſedis Apoſtolicę. Cæſarem eſſe quidem filiũ non Dominum, & magiſtrum Eccleſiæ. Rogare proptereà ut ſuſpitione depoſità Concilium defenderet; nam Patres etiam ad martyrium parati, Eccleſiæ haud poterant deſerere libertatem.* Redirenr ramen reſponſum in ſcriptis accepturi; ſed iſti nullo expectato reſponſo diſceſſerunt. Eandem proteſtationem *Mendozio* Romæ in Purpuratorum Senatu, coram Papa renovanti, Paulus accurato reſcripto, quod *Reginaldus Polus* elaboraverat, reſpondit: *Rem peſſimi exempli nec niſi ab Eccleſiæ perduellibus attentatam hactenus, ad incredibilem animi ſui dolorem perveniſſe. Illam ſe voluntatem attonitum obſtupuiſſe in Cæſare, Pontificiis nuper copiis ad victoriam, hoſteſquè religionis comprimendos opportunè uſo, adeoquè nunc diſpari gratià reſpondente. Mitigatum tamen hunc ſuum dolorem, ubi ex mandati formulà* Mendozæ *tradità cõperiſſet, non ad Pontificium Senatum, ſed Patrum Bononienſium pertinuiſſe.* Mendozam *verò prætervectum mandati limites, nec levem Cæſareo modeſtiſſimi Principis nomini ignominiam irrogaſſe, idcircò nec exiſtimandum, Cæſarem hac de re iudicium, ſententiamquè Pontifici de manibus extorquere ſtatuiſſe; ſed integrum huius rei arbitrium ſibi relictum eſſe, irritum verè* Mendozæ *conatum, nec agendi facultate præditi, nec æquum poſtulantis. Quod ad negligentiæ ſibi impoſitæ culpam attinet, illam luculentiſſimis factis à ſe abundè refutatam, toties ſuppeditata pacis conſilia, arteſquè omnes ad Europæ tranquillitatem poſſidendam adhibitas, criminationi iſti reclamare. Concilium per ſe multò antè Tridenti poſtulatum, quàm permiſſum à Cæſare, nunc cum bellis inperturbatum ſubſtiterit, diſceptandum pru-*

Proteſtatio ſimilis Romæ à Mendoza.

prudentibus relinquere: Pontificiis, an Imperatoriis armis, ſuis emotum ſedibus fuerit? Nihil in ſe moræ ad reſtituendum Tridenti Concilium futurum, modo citrà Apoſtolicæ poteſtatis detrimentum, iure, non violentiâ, diſceptetur. Mirari verò, atquè etiam amplecti illam Germanorum voluntatem, ad neglectum iam antè Concilium aſpirantium; ſed quod unius civitatis Synodo hoc deſiderium affigi patiantur, extra commendationem, ſuſpicioni etiam obnoxium videri. Cogitandum eodem morbo Danos, Gothos, Britannoſquè teneri, quorum tamen finibus nemo facilè Synodum includat. Eam rem exemplis, veterum adverſus hæreſes, Conciliorum, iam diù probatam, ſe tamen migrationem illam Patrum ad leges moremquè Eccleſię *expendendum prudenti, exactoquè quatuor virorum, Bellai, Brugenſis,* Poli, *ac Creſcentii iudicio delaturum, quibus, ſi quid erroris in Concilii traſportatione apparuerit, facturum, ut propediem Tridentum revocetur, inter hoc temporis, utrimquè acquieſcendum. Ne tamen Germanorum ſaluti defuiſſe videatur, ex Cæſaris ſe voluntate legatos ſubmiſſurum, qui gentis infirmitati opportunis remediis ſubveniant.*

Hac de causâ evocatis Romam Procuratoribus Concilii, mandavit, cauſas tranſlationis edocerent: Patres etiam evocavit Tridenti ſtantes, ſed parere modeſtè recuſarunt. Ita deſperato Concilio, Cæſar ut ſectarios ad concordiam reduceret, tres Theologos *Iulium Pflugium* Naumburgę Epiſcopum, *Michaelem Heldingum* Vicarium *Electoris Moguntini*, & *Io: Agricolam Iſlebium* qui duodeviginti annos, unà cum *Melancthone*, ac *Brentio* Saxonicam doctrinam defenderat, Brandeburgici nunc Principis concionatorem accivit, & librum *Concordiæ* dictum tradidit examinandum. Hi, Electore Brandeburgico medio, & pacis ſequeſtre, ac Cæſari apprimè favente, eâ fide, ac induſtriâ ſubiere laborem, ut exceptis *communione ſub utraquè ſpetie, & ſacerdotum coniugio*, cōtroverſiæ omnes ſopitæ eſſent. *Carolus* ubi librum hunc auctoritate illâ triumvirali collectum expendiſſet, Romano Pontifici diiudicandum obtulit. *Paulus* per Cardinalem *Sfondratum* reſpondit; *quòd Sacerdos ſacris initiatus, uxorem ducat, ut populus ſub utraquè ſpetie communicet, contrà* Patrum *eſſe decreta: Concilium univerſum duntaxat, aut Rom.* Pontificem *id poſſe permittere: cæteris Chriſtianis hæc permittenda non eſſe: Lutheranis, ſi qui ad antiquum Chriſtianorum conſenſum redeant, indulgeri poſſe.* Et quia uſquè ad definitionem Generalis Concilii, quid *interim* credendum, liber ille formulam daret, *Interim* eſt appellatum. *Carolus* priuſquàm comitiis exhiberet librum, *Mauritii* animum privatim explorandum accepit, nè publica reclamatio ſeditionem excitaret. *Moguntinus*, & *Brandeburgicus* Electores navarunt operam, iubente Cæſare, ſed fruſtrà movère lapidem. Excuſabat ſe *Mauritius*, quòd annuente Cæſare, ſubditis fidem dediſſet, *in religione nil innovandum, ipſis inſciis*. Carolus ipſe beneficiorum memoriâ tentavit *Mauritiū*, ſed incaſſum. Nam iuſiurandi religionem, quò ſe ſubditis aſſerebat obſtrictum, obiiciebat. *Melancthonem* etiam, quē virum doctum, & publicę tranquillitatis amatorem publicabat, ſuis ſubductum manibus, timore periculi à Cæſare imminentis aſſerebat. Exemplum tamen libri poſtulavit, quem Theologis ſuis *Crucigero Maiori*, & *Pfeffingero Luvieavia* examinādum tranſmiſit. Hi Cellæ conventu habito, unà cum *Melanctho*ne ex latibulis evocato, reſponderunt *Imperatoris librum probari non poſſe, quòd vera falſis confunderet; Cæſari ipſos aſſentiri nec poſſe, eum longè ab ipſo diſſentiāt.* XV. itaquè Maii convocatis Comitiis librum expoſuit *Interim* valiturum, uſquè dum haberetur Generale Concilium. Sed primi Catholici librum recuſarunt, quorum conſtantiam laudavit *Carolus*, quòd avitam religionem tuerentur incorruptam. Proteſtantibus poſteà ſuaſit, vel Catholicis ſe adiungerent, vel librum ad normam fidei reciperent, donec quid ſentiendum à Generali Concilio decerneretur. Et protinùs librum legi imperavit.

Liber concordiæ examinatur

Interim dictus.

Eum Mauritius accipere renuit.

Hoc audito, triplici ordine Electores, Principes, Legati civitatum ſeparatim, ex more ad deliberationem receſſere. Acquieſcendum cenſebant Ordines, ſolus *Mauritius* hæſitabat, ſuamquè propediem Cæſari pleniùs voluntatem expoſiturum dicebat. B Ponè conſultationem congreſſi Ordines, *Moguntino* principi reſponſum committunt. His poſt actas Cæſari gratias, omnium, & publico nomine, libro pręſtat aſſenſum, petito exemplo. Typis vulgari Cæſar iuſſit latinè, atquè Germanicè ſub hoc titulo. *S. Cæſ.* M. *declaratio, quomodò in negotio Religionis per Imperium, uſquè ad definitionem Concilii, vivendum ſit.* Ore omnes conſentiebant, pleriquè corde diſſentiebant; *Io: Brandeburgicus, Vuolfgangus Bipontinus*, & filii Saxonis captivi unà cum parente negarunt, ſalvâ conſciētiâ, Cæſareo poſſe aſſentiri decreto. Acceſſit *Mauritius* proteſtatus ſinè ſuorum conſenſu, non poſſe prò aliis fideiubere. Excanduit *Carolus*, ſed ad meliorem frugem compoſitus, *Mauritio* abitum indulſit, omnem ad ſuorum reconciliationem induſtriam pollicenti. Tentavit *Mauritius* fide, & diligentiâ proceres C ſuos componere, qui deinde Pegaviam, poſt Cellam, magno contentionis, ſed nullo concordiæ emolumento, deniquè Lipſiæ, ſub ancipiti loquendi apparatu, parùm aut nihil ab Auguſtano *Caroli* libro diſſentire profitentes, novum typis *Interim* ediderunt, quod *Lipſienſe* eſt appellatum, ſed neque in hoc convenere Sectarii. *Oſiander* in Pruſſiâ, *Muſculus* Bernæ, Halę *Brentius* diverſi diverſas excitarunt ſectas. *Melancthonem* Flaccius *Illyricus*, Magiſtrum diſcipulus extremâ cum ſuis maledicendi rabie ob miſerum vitæ tædium adigebat. Favebant Melancthoni *Maior, Pomeranus, Pfeffingerus, Greſſerus, Camerarius.* Flavio *Ambſdorffius, Gallus, Vuigandus,* *Merlinus*, peculiaribus & hi opinionibus ſuffulti. *Oſiander* ab univerſis implacabili odio divulſus, ſolus ſibi ad *Lutheri* ingenium ſapere videbatur. Talem exitum habuit inter Proteſtantes *Interim* Auguſtanum. Nec diſſimilem D inter Catholicos, prohibitos à Summo Pontifice adhęrere, qui ad Cæſarem datis literis, querebatur, *quod non modò regionum, ſed & religionum novam credendi induceret metamorphoſim, quæ Catholicis diſpliceret, nec placeret Hæreticis.* Suſpendit tamen Bononienſe Concilium: poſteà, legatos miſit, qui de manibus Catholicorum damnatum librū extorquerent, Epiſcopos Tridenti ſubſiſtentes admonerēt, *ne ſchiſmatico adhærerent conciliabulo, ſe Eccleſiæ Romanæ adiungerent.* *Monachos monerent, clauſtralem ſequi innocentiam: lacticinia in Quadrageſimâ indulgerent: utriuſquè ſpetiei laicis* Euchariſtiam, *ſed privatim concederēt, ſi tamen Eccleſiam errare in perceptione unius non contenderent: bonorum eccleſiaſticorum raptores à fructuum reſtitu-*

Interim Lipſienſe.

A Papa damnatur Interim Germanorum.

ſtitutione abſolverent, modo proprietatem reſtituerent. Parum profuit Pontificis diligentia. Indignabantur Catholici,& Proteſtantes locum Concilio iam deſtinatum negari, evocari Bononiam quaſi in carcerē, ubi ad nutum Pontificis cuncta procederent. Inuſitato more Concilium potrahi,cum Orbis penè totus in præceps rueret; muſſitantibus etiam amicis, Concilium ſuſpendi diſciplinæ timore, quæ in capite prius exercenda eſſet. Et niſi ſuo *Interim Carolus* laſcivienti libertati frenum impoſuiſſet, iam tota Germania iaceret errore convulſa.

Diſſidia fovebat Placentiæ civitas,quam dum productis ſcripturis Paulus ſub dominio aſſerit Eccleſiaſtico, præcipuè ex fœdere *Iulii II.* An. 1511. cum Cæſare,& Sfortia(ut quiſquè ſua vindicaret ab uſurpatione Gallorum, cuius vigore vidente, & patiente Imperatore Iulius Parmam, & Placentiam redemerat, quas cum poſteà Sede vacante Sfortia uſurpaſſet, coactus eſt ſucceſſori reſtituere) Ceſſionem adiiciebat factam à Maximil. I., confirmatam à Carolo V. Negabat iſte Maximiliano ius fuiſſe, inferre ſucceſſoribus damnum; neque ex noviſſimo fœdere aliquid Pontifici acquiſitum,ſupra id, quod antiquitùs habebat, ſed ſolummodò facultatem urbes illas repetendi à Gallis: tamen in gratiam pacis, & titulo retribuit ſe eſſe paratū Octavio Farneſio aſſignare redditus annuos ducatorum 40. millium, in Regno Neapolitano, ſi tamen etiam Parmam reſignaret in manu Cæſaris. Hinc indignatus *Paulus*,Gallo fovente diſſidia,& promittentePlacentiā ferro recuperare, ſi tamen ea unà cum Parmà daretur Horatio (cui Dianam deſponſaverat notham Henrici Gallorum Regis) Octavio autem redderetur Camerinum cum æquis penſionibus;cœpit Paulus dubius cum Gallis miſcere conſilia, obiurgante eodem tempore *Soto*, qui Cæſari ab arcanis ſacramentalibus erat; quòd ſi Parma,et Placentia nō erant Cæſaris,forent Eccleſię non familiæ Farneſiæ.Si enim eas Pontifex ab Imperatore receperat,non eas poterat alienare inſcio Cæſare. Paulus volens obtrectatoribus ora præcludere ſignificavit; ut quemadmodùm honeſtè urbes illas familię tradiderat cuſtodiendas,eàdem intentione Eccleſiæ reſtituere volebat.Octavius autem indignè ferens non ſolùm à ſocero ſpoliari, ſed & ab avo quem à mutuo Infeudationis contractu recedere non poſſe credebat,clam Romà ſecedens, Parmam venit, ſed excluſus à Camillo Vrſino, qui nomine Eccleſiæ vrbē præmunierat,fruſtrà tentatis inſidiis,ad Gōzagā Imperialem Vicariū confugit,vt gladio Cæſaris Parmā redimeret.Annuebat Gonzaga,dummodò civitas ſervaretur Carolo. Octavius fœderi priuſquàm ſubſcriberet, datis literis ad Cardinalem fratrem ſignificavit,ni ſibi Parma reſtitueretur,Cæſaris opibus irrupturum, ac clientelà. Has ubi Paulus in hortis Quirinalibus obambulans accepiſſet,dolori,ac obortæ indignationi impar,animo derelictus per quatuor horas mortuus iacuit. Inſperatum vulnus ab eà manu dolens inflictum,quam ſupra meritum amaverat, & ſupra ſortem armaverat, exclamavit moriens. *Si mei non fuiſſent dominati, immaculatus eſſem.* Reſumpto ſpiritu mādavit Cardinalibus,vt etiam eo vivente pręcaverent, quæ Eccleſiæ crederent opportuna. Eodemquè tempore Breve ſubſcripſit,quo *Vrſino*

Paulus III. recuperat Placentiam.

Diſſidia cum Nepotibus

Camilli Vrſini conſtantia.

Obitus Pauli.

A imperabat Parmam *Octavio* reſtituere, ac per Antonium Elium Epiſcopum Polonum ſecretarium ſuum tranſmiſit. Quod Vrſinus vel Octavio infeſtus, vel Eccleſiæ devotus reiecit tanquàm ſuſpectum, & legibus ſibi commiſſis adverſum. Poſteà certior factus veritatis,ac mortis Pontificis reſpondit,deliberatam Pontificis voluntatem mente,& corpore ſani non revocari diſſenſu incerto,& ſemivivo. *Pallavicinus. Onuphrius Panvinius. Belcarius.*

Obiit Paulus cum Iubilæum præpararet celebrādum diplomate edito,numniſquè percuſſis,quæ habes n. 16. 17.

Defunctus Paulus per mediamVrbem,nullà pompà, domeſticorum humeris in Baſilicam S. Petri delatus ſequens habuit epitaphium, teſte Franciſco Svertio.

Diſcite mortales fluxa ut ſit gloria mundi,
B *Vt terrena brevi tempore regna ruant.*
Qui Petri nuper ſacratè in ſede ſedebam,
Dum tegeret noſtrum ſacra Tiara caput,
Qui potui dudum populis dare iura ſubactis,
Ante meos Reges procubuere pedes.
Maximus & Cęſar pedibus dedit oſcula noſtris
Numen,ut in terris iam veneratus eram.
Tertius hic gelido condor ſub marmore Paulus,
Continet hęc cineresnunc brevis vrna meos.
Pontificem geſſi ſummum ter quinquè per annos,
Tempeſtiva ſemel me Libitina rapit.
Funera non lachrymis mea ſunt ſpargenda,peregi
Naturæ curſum, mors nova vita fuit.

Funus illi amplum per novem dies celebratum, cuius impenſas 50. millibus aureorum ſupputari, vult *Belcarius*.

Scripta Pauli III.

C *Carmina quædam. Ciceronis epiſtolas* ad Atticum magno eruderavit ſtudio, & declarationibus illuſtravit. *Epiſtolas ad diverſos. Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſexaginta quinquè*,ut in collectione Romanà,*69.* Bullarii.

13. *Calvinus.* Ioannes Calvinus Noviodumi naſcitur Sal. Anno 1509. *6.* Id. Iul. ex Gerardo Couvino, & Ioannà filià cuiuſdam cauponis parentibus Catholicis, qui ſe inepta Metatheſi *Alcuinum* dixit,cum verè ob impietatem *Lucianus* dicendus eſſet. Pariſiis ſtuduit, factus poſteà Capellanus in Eccleſià Noviomenſi,& parochus in pago PōtisEpiſcopi. Biturigibus dum iuri operam daret, à *Melchiore Vuolmarià* linguam Græcam,& venenum hauſit,quod poſt vendita beneficia, dum diſſeminat in patrià,atq;Pariſiis,igne combuſtus fuiſſet,hęreſis cauſà An.1534. niſi è feneſtrà demiſſus maturè fugiſſet in Germaniam,ubi Melancthonem,Sarcerium,Oecolampadiū magiſtros habuit erroris, omnes facilè ſuperaturus. In Galliam cum reduſſet medius inter Lutherum,& Zuinglium voluit Chriſtum verè ineſſe cœnæ, ſed *figuratè*, & *ſacramentaliter*, vndè Secta Sacramentoriorum effluxit, in quos iuſtè exardeſcente *Franciſco I.* Galliarum Rege Ann. 1535. Calvinus martyrium exoſus, Baſilæam fugit, vbi *Inſtitutione* ſuà conditā Gallicè primùm, deindè Latinè, mutatis tamen titulis nè radargui poſſet, Ferrariam venit,vt Renatam Ludovici XII. filiam vxorem Herculis Ferrarienſis inficeret hęreſi;ſed indè Genevam fugit

Calvini natalia.

D

Hæreſis.


PAVLO III
FARNESIO PONT
OPT MAX


NEC.PRIMVS.TERTIO.NEC. SECVNDVS
FVTVRA. VIRVM. OSTENDEN.
ANNONA.PONT.
SECVRITAS.TEMPORVM.
SECVRITATI. PERPETVAE
SECVRITAS. P. R.
OMNES.REGES.SERVIENT.EI.
DOMVS.MEA DO. OR.
DIRIGENTVR.PEDES.NOSTRI.IN.VIAM.PACIS
FOEDERE TVO DEVS.
ALMA.ROMA.
ASOLO EXCITATA.
TVSCVLO. REST.
PETRO.APOST. PRINC.C.
IVSTI.INTRABVNT.PER.EAM.
HAEC PORTA DNI
ROMA.C.
HANC.PETVNT.MIRACVLA.SEDEM.
S.PAVLVS.AL MA. ROMA.
BENEDICTIO.DOMINI.SVPER.VOS
IDEM IPSE ES.
DIVVS.PAVLVS.III.PONT.OPT.MAX.

git Anno ſequenti, vt Genevenſium rebellione tutus eſſet (cui facilè ſolet hæreſis adhærere) & *Guillelmo Farello*, qui hoc tempore (dormiente *Petro de Balvà* Epiſcopo) Genevam corruperat commendatus, cępit novam docere Theologiam, cuius limina nunquàm ſalutaverat. A Bernenſibus autem accuſati, quaſi de Chriſto, & Trinitate malè ſentirent. Calvinus Argentoratū venit, ad eum pluribus confugientibus ex Galliâ, & Belgio coniugem duxit *Ideletam* viduam cuiuſdam Anabaptiſtæ, ex quâ nullos ſuſcepit liberos. Indè cum Bucero miſſus Vvormatiam, ac Ratisbonam pro colloquio habendo inter Catholicos, & Proteſtantes, cùm liberè, & ſinè timore blaſphemaſſet contrà realem Chriſti præſentiam in Euchariſtiâ, Genevam poſtliminio revocatus phalanges inveniſſet Apoſtatarum, qui libidine capti aufugerant è monaſteriis, omnes habuit in partibus quòd contrà *Perrinum* magnatem Genevenſem gladio ſubtraxiſſet deſtinatos. Ex hoc loco Galliam corrupit vicinam; prædicantibus ſuis miſſis uſquè in Americam, ut novum Orbem pollueret. Obiit Anno Sal. 1564. ætatis 56. horrendis cruciatibus tortus deierans, ac dæmonem invocans, cuius mox præda futurus. Fuit totâ vitâ moroſus, & aſper, adeò ut hunc Bucerus amicus rabidum appellaret canem, alii viperam, alii ſcorpionem, verè omnes loquerentur. *Prateolus*. *Lindanus*. Succeſſit ei in Caliphatu *Theodorus*

Beza Hæreſiarcha 14. *Beza* amenioris ingenii: quarę Genevenſes vulgò iactabant malle ſe cum Bezâ in inferis vivere, quàm in Cœlo cum Calvino. Naſcitur Beza Anno 1519. Vizeliaci, literis Latinis, ac Græcis, potiſſimumq. poeſi apprimè eruditus. Clero addictus, plura ſortitus eſt beneficia Eccleſiaſtica, quæ libidinoſus, ac pederaſtes proſtituit, omni turpitudine infamis, cęteris criminibus addidit hæreſi colophonem. Pariſiis ignem veritus ſibi paratum ob libidinem præpoſteram, venditis beneficiis ſuis, nec vni tantùm emptori, in ſceleratorum omnium Aſylum, Genevam fugit, vt eam magis corrumperet, ac funeſtaret. Obiit Sal. An. 1605. iam à duobus Annis ſinè mente, ſinè memoriâ, Ætatis 86. ſed adhuc criminibus, quàm Annis gravior. *Mezerai*;

Nummiſmata Pauli habes in tabulâ ſequenti. Quorum quintum annonam reſpicit à Paulo procuratam in utilitatem Populi Romani.

VI. & VIII. initia annuit Pontificatus, quùm ſecurâ domi pace, mirâ clementiâ Cęli, lectâ ubertate, partâquè victoriâ, reſtitutum crederent ſæculum aureum. Pauli III. Nũmiſmata.

Ædificandi ſollicitum Romam, publicis ornaſſe ædificiis nummus teſtatur 12. 13. & 14. in quo Ædes Pontificiæ, Paulinum Sacellum ut in n. 22. aulaquè Regia, ornata, ampliata, munita ſub titulo, *Alma Roma*: ſub altero, *Harum ædium fundator*. Quę grata nummum percuſſit, ac D. Paulo Vrbis patrono conſacravit ſub lemmate *S. Paulus Alma Roma*.

XIII. Domum exhibet Farneſianam, ad cuius ſtructuram Amphitheatrum Veſpaſiani, toto Orbe celeberrimum, Pauli II. inſiſtens veſtigiis, ex parte diruit.

XIV. Civitas eſt Tuſculana, ubi non ſolum palatium excitavit ſuburbano receſſu commodum, ſed urbē ipſam bellorum iniuriis dirutam reparavit: ſub lemmate; *Tuſculo reſtituto*.

XIIX. Æream exhibet equeſtrem ſtatuam Antonini Pii, ut in eius epigraphe legitur, quam urbis caſibus everſam ex humiliori loco in aream Capitolinam tranſtulit M. D. XXXIIX.

XXIV. Ager eſt Reatinus ab aquarum inundationibus repurgatus, ſub lemmate; *Vnita mentes uniunt*. Fructus pacis initæ inter Carolum V. & Franciſcum I. Paulo procurante ſagacis animi dexteritate, ut ex nummo 21. in quo equos non modò, ſed animos ipſos pro libito flectebat facilè.

XX. & XXIII. à pluribus tanquàm adulterina reiiciuntur, verumtamen 23. in quo Gryphus volucrium princeps, (cuius ungues ingentes Abbatia ſervant S. Dionyſii in Franciâ, & Eccleſia S. Quiriaci Prurinenſis) figuram crederem Henrici VIII. Anglorum Regis, quem tanquam chimæram Mundus abhorruit nulli inhærētem Religioni. Hunc Paulus cum ſuâ prudentiâ illigare, & ad ſanam mentem reducere ſperaſſet, illigatum pingit ſerpente, ſinè lemmate tamen, quia ſpes cecidit.

XXV. Claſsem annuit inſtructam contrà Barbaruſsam Tunetanum Regem, Italiæ incubantem.

XXVI. Conſtantiam Pauli, ſub lemmate *Idem ipſe es. An.* 10.

IV-

JULIUS TERTIUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXIII.



CCXXIII

CArdinalibûs Gonzagæ, Quevæ, Madruçio, Paceco hoſtibus apertis, qui ad eius adoratio-nem venère ſolùm noviſſimi, nec neceſſarii, veniam petentibus, Caini ad Deum verbis, *Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Geneſ.* 4. ex corde parcet, Iul. III. P. R. & beneficiis reſpondens monſtrat; in viro Principe Clementiam magis proficere, quàm rigorem.

Eligitur Sal. An. 1549. *die* 7. *Februarii. Obiit An. Sal.* 1555. *die X. Kal. Aprilis. Ætatis* 67. *ſuprà menſem* 6. *diem XIV. Cum ſediſset Annos* 6. *Menſ.* 1. *dies XVII. Vacat ſedes dies* 17.

ELOGIVM

Anni Sal. Iul.

IN montibus natus, in montibus ſedet,
Iulius Tertius, anteà [1] *Ioannes de Monte.*
Mons Dei, Mons pinguis
Alumnus Iulii II. & Clementis VII.
Clementiam ab hoc didicit, ab eo Iuſtitiam.
Ex legibus, quas docuit, & didicit,
Unam ſibi *Honeſtatis* impoſuit.
Eloquentię libertate in Lateranenſi Concilio,
Patres vitio ſpoliavit, & [2] infulà,
Quam ipſe induit.

A

Bis [3] Romę Gubernator
Servavit patriam etiam perire volentem.
Obſes Cæſaris pro Pontifice,
Non ſemel ductus eſt ad patibulum;
Ut promiſſa morte ſolveret, vel pecunià.
Falerno tamen Germanis deceptis avaris,
Animum nunquàm abiecit, ut hoſtem falleret.
Captivus Hoſtium
Fugà ſuà factus eſt ingenuus, non libertinus.
Variis indè Provinciis præpoſitus,

Anni Sal. Iul.

Anni Sal. Iul.

Exhibuit Papã ubiq; præſentẽ, ſupplevit abſẽtẽ. A
Erepto Arimino Malateſtis
Nec bello abſtinens vir togatus
Literàs ornavit armis, literis armavit arma:
Auditor Cameræ, Cardinalis
1549.11 Tandem plaudente Paulo, factus Petrus,
Iulius Tertius dici voluit;
Ut ex nomine recordaretur tutelam Eccleſiæ.
Thronum aſcendit ut Chriſtus Crucem,
Iuſtitià, & Clementià.
Primum facinus, dilectio [4] inimicorum.
Farneſiis [5] donata Parmà, & parmà,
Quos poſteà ſpoliavit.
Quia munera recognoſcerẽt à Gallo, nõ à Petro.
Cępit tamen deferveſcere flamma, & fama B
Cum tantà in luce umbras quæſivit ſylvarum:
Et negotio in Otium [13] commutato (*lexit*
Militẽ donis, ãnonà populũ, cũctos dulcedine otii pel-
Ipſos volens otiari Superos
1550.11 Luſtralẽ[8] Annũ sãctior Ianus aperuit, & clauſit
Urbis, Orbis, Orbium confractis ianuis,
Anglia [9] Catholica ex ſterili reginà ſoboles
Supra triginta millibus pulſis Hæreticorum
Luſtravit fidem, & luſtro tenuit.
Famoſum impoſtoribus ſæculum
(Ne ſupereſſet, quòd noſtris morib' addat poſteritas)
Probavit Samoſatenos, Arianos, Macedonianos.

Sua & ipſi habuere [10] miracula.
Nã fingentẽ mortuũ volens excitare Calvinus,
Excantationibus ſuis vitam ademit:
Veris lacrymis, Calvini fraudes detegẽte uxore.
Aperuit tunc Iulius Romæ domum [11] Sapientiæ
Ubi ſedendo vinceret, quos alii pugnando.
Hoc primum caſtrum,
In quo milites inſtructi togati.
Quid Deus eſſet?
Sed ſuo in monte contabuit Iulius.
Mortis cauſa, oblivio Mortis.
Dignitatem ſi cogitaſſet, & ætatem; 1555.17
Eccleſiã nõ diſſolviſset, quã Tridẽti [6] cõgregarat Suſpenditur
Viſum enim timuiſſe adventum Spiritus Sancti. Concilium
B Paſſavii [7] ſublato *Interim*; Tridentinum.
Cum ablatus crederetur animarum interitus:
Proteſtantes cœperũt liberè peccare ſinè formidine.
Delictum Iulii deliquium fuit amicitiæ.
Gravant alii Eccleſiam familià: [12]
Ipſe amicitià Eccleſiam oneravit, atq; familiam.
Cœpit indè ludere cum Morte, 1552.13
Quæ ioco vocata, ſeriò non ſerò venit:
Ut diſcas, cum Marte ludere, non cum Morte.
Parma, Paſſaviũ, Tridẽtũ peſſimè cũ obloquãtur,
Tu optimè.
Maluit enim mori, quàm fœdari
Et ſpolium Eccleſiæ nepotibus indulgere.

ADNOTATIONES IN IULIO III. PONT. ROM. CCXXIII.

Iulii 3. natalia.

1 IOannes *Maria de Monte* filius *Vincentii* nepos *Fabiani* celeberrimi I. Conſulti, & cauſarum patroni, quę coram Pontifice agitantur, Matrẽ habuit ...... Senis ortam, & generis nobilitate illuſtrem. Naſcitur Anno 1481. die 4. Id. Septemb. Romæ in regione Parionis propè domos Mellinorum. *Aretinus* eſt dictus, licèt in urbe natus, ab agro paterno. Maiores eius à natali, oppido mõtis S. Sabini, in agro Aretino recens familiæ nomen *de Monte* traxerunt, quùm olim *Georchi* dicerentur. Patruum habuit *Antonium de Monte* iuris Civilis ſcientià, & rerum experientià illuſtrem, Archiep. Sipontinum, Rotæ Auditorem, tandem Cardinalem. Huius diligentià *Io: Maria* poſt humaniorum ſtudia ſub Raphaele Brandolino, Lippo, Peruſii, & Senis Iuri operã cũ ſtrenuè navaſset, eloquens, eruditus vernaculà, & Latinà linguà peroravit in celebritatibus Põtificiis, præſertim in quintà Seſsione Lateranenſis Concilii ſub Iulio II. in Tridentino Concilio. Extant Epiſtolæ ad Marcellum Cervinum Cardinalem poſteà Papam; Ægidium Cardinalem Viterbienſem, Reges, Principes, ut in *epiſtolis Principum.* Habes etiam *conſtitutiones, & Literas Apoſtolicas;* quæ leguntur in *Collectionibus, & Bullariis*. Plura Bononiæ contuliſſe beneficia Pontificem factum, quòd eius in Accademià literis, ac Iuri præſertim operam dederit, vt libri declarant appoſiti, teſtatur numiſma p. 179. Primum eius eloquentiæ pretium

Scripta

Dignitates, officia.

2. *Infula*, à patruo Archiepiſcopo depoſita, Sipuntina, plaudente Iulio II. Indè ſub Leone D X. patruo Peruſiæ, & Vmbriæ legationem obtinente, ipſe ProLegatus ſecundà nominis famà fuit. Sub *Clemente* VII. bis Vrbis gubernationi præpoſitus, iuſtitià, & æquitate aulicos ita ſibi conciliavit, vt inſolità fœlicitate neminem pateretur adverſum. *Panvinius*

3. *Obſes.* Sub Clemente VII. captà Vrbe à Germanis, Romano in excidio penè vitam redemit; quãdo cum aliis præſtantiſſimis viris, ipſe etiam à Pontifice rei numariæ difficultatibus implicito, furioſis militibus aurum immaniter extorquentibus obſes datus, & bis in Campum Floræ more latronum catenis vinctus ad patibulum tractus, donec tantorum obſidum calamitatem miſertus Pompeius Columna Cardinalis per tubum evaporarium, funibus ſublevatos, Falerno conſopitis Germanis cuſtodibus liberavit. Mortuo Clemente, ineunte Pontificatum Paulo III. Bononiam pro Legato adminiſtravit; indè Auditoris Cameræ Apoſtolicæ munus ſummà cum laude ſuſtinuit. Carolo V. à victorià Tunetanà in Vrbem venienti Tarracinam uſquè profectus, meruit in præmium tantorum onerum ab eodem Paulo III, naturà in benemeritos liberali, adjunctis aliis viris lectiſſimis (inter quos Paulus IV. Sadoletus, Iacobatius, Carpenſis, & Polus fuere) presbyter Cardinalis S. Vitalis tit. Veſtinæ An. Sal. 1536. creari. Et certè pauci fuerunt (inquit *Panvinius*) qui in curià Romanà diuturniùs, iuſtiùs, fideliùs, & laborioſiùs tot Annis, ut Iulius III. verſati fuerint, in quo uno nullus unquàm in maximà rerum varietate gerendarum ſuper-

perbiam, nullus avaritiam, nullus negotiorum, quæ is ſuſcepiſſet, neglectum, aut quæſtus aliquam notavit cupiditatem. In Pauli Pontificatu legationibus Galliæ Ciſpadanæ, Flaminiæ, Æmiliæ, & noviſſimà Bononienſi adminiſtratis, Concilio præpoſitus Tridentino, collegis Marcello Cervino, & Reginaldo Polo, vicem Pontificis eà conſtantià, & Maieſtate ſuſtinuit, vt martyrium ſubire malet, quàm Eccleſiæ deſerere libertatem. Propterea cum translationem Concilii vitioſam carperet Carolus Imperator, & verbis minacibus per Oratores ſuos Bononiæ ad reditum Legatos impelleret; Cardinalis Montanus eà fortitudine propulſavit Cæſareos, vt cæteros iam perterritos ſolus ad conſtantiam excitarit, & ad reformationem. Aliquibus iam verbo tenùs morum reformationem proponentibus, reſpondens ſeriò, *Hanc exemplo meliùs fieri, quàm legibus*: Primus Papienſem reſignavit Epiſcopatum, cuius redditibus ab Hiſpanis privatus etiam quia conſtans renueret deſcendere in partem Cæſaris. *Pallavic. l. 11. c. 6.* Mortuo tandem Paulo 3. & Cardinales quinquaginta quatuor teſte Belcario; quadraginta ſeptem, ſecundùm *Panvinium*, conveniſſent, magna fuit inter eos contentio de Pauli ſucceſſore, quæ ſupra tertium menſem dilata eſt. Tres erant factiones, Cæſaris, Galli, Farneſiorũ.

Eligitur Papa Anno 1550

Hæ duę poſtremę coniunctæ *Io: Mariũ Montanum* Põtificem deſignarunt, quòd Farneſiis addictiſsimus, à Gallis non alienus putaretur. Conclave 3. Kal. Novemb. XIX. à Pauli morte ingreſſi erant, quum decimo poſt mortem Pontificis ingredi ſolerent. Multa ſuffragia tulit *Reginaldus Polus* Cardinalis Anglus, & quo minùs Pontifex crearetur, Theatinum Cardinalem, (qui mox *Paulus* 4.) obſtitiſſe ferunt, quòd *Polum* ad Lutheranam hæreſim inclinantem accuſaret. Die ergo X. Feb. Pontifex dictus, impleto S. Malachiæ vaticinio *de Coronà Montanà*, quià geminã haberet coronam in ſtemmate, cum tribus Montibus, aſſumpto ſymbolo, *Vias tuas Domine demonſtra mihi*. à

Cur dictus Iulius III.

4. *Iuſtitià, & clementià* exorſus Pontificatum Iulius III. dici voluit ad memoriam Iulii II. à quo fortunæ ſuæ primordia emanaſſe affirmabat; & proximo D. Petri cathedrę Antiochenę die, à Cardinale *Cibo* Diaconorum principe Coronatur. Primum Iulii facinus

Parcit inimicis.

4. *Dilectio inimicorum* Cardinalium Gonzagę, Pacechi, Quevæ, Madrucii, quibus cùm plures intercederent ſimultates initę Tridenti, & Bononię propter opinionum diſsonantiam; eius electioni ſubſcribere noluerunt, donec à reliquis adorato *Montano* acceſſerunt noviſsimi, & genuflexo veniam ſupplicantes Caini ad Deum verbis, *Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear Geneſi 4.* Clementiam invenere non diſsimilem. Cardinali namquè Gonzagę indulſit de Epiſcopatu diſponere Papienſi, eoq intercedẽte permiſit vt eum repeteret Hieronymus de Rubeis, cuius gratià à Gonzagà Montanus fructibus fuerat expoliatus. Ferranti etiam Gonzagę fratri eiuſdem Cardinalis, à quo ſpolium ſubierat, donavit quatuor millia nummorum è ſpolio Cardinalis Ravennatis. Cardinali Tridentino, qui à Camerà Apoſtolicà decem millia nummorũ ſibi numerari poſtulabat, prò damnis ſibi illatis à concilio Tridenti celebrato, ſatisfecit in duplum: licèt nec Paulus, nequè Patres Sede vacante exaudire voluerint: ipſumq. æmulum paſsus non ſolùm in Concilio, ſed & in ambitu Pontificatus. Vt reconciliatio magnanimi eſſet animi argumentum. *Pallavicinus l. 11. c. 6.*

5. *Farneſiis.* Extincto Paulo III. cum in Comitiis ſanxiſſent Patres, ut Pontifex futurus, belli avertendi causà Parmam *Octavio Duci*, Farneſio confeſtim redderet. Iulius non ſolùm ſanctè obſervavit, miſſo Legato Archiep. Barenſi ProLegato Bononię; ſed nè longior mora novos turbines excitaret, *Camillo Vrſino* viginti millia nummorum numeravit, qui civitatem reſtituere negabat, ni priùs pecunia ſibi reſtitueretur expenſa ad urbis cuſtodiam: Octavio autem ſolvendum non eſſet. Immò per Legatos Cæſari, & Gallorum Regi Farneſios commendaret, quaſi nepotes. Promotores ſuos cum Gallos crederet, à quibus repulſus Polus, quem præferebant Cæſarei, Claudio Durfæo ad præſtandam ei obediẽtiam Regis nomine, admiſſo in publico Conſiſtorio, non ſolùm more ſolito reſponderi permiſit per Bloſium Palladium ſecretarium Brevium, ſed Papa ipſe reſpondit, *Dictis à Secretario noſtro Nobis placet adiungere teſtimonium officii, quod publicè, & privatè debemus Regi Chriſtianiſſimo propter ſua in nos officia, & merita.* Erga Cæſarem, cui electionem ſuam agnoverat non ingratam, ne ſtudio reſponderet minori, obtulit ut permiſſione mutuà, ſine præiudicio partium Cæſar cuſtodiret Placentiam; Octauius vigore infeudationis Pontificiæ ultrà Parmam reditus conſequeretur æquales clientibus Cęſaris, & ſubditis ſuis.

Reſtituitur Parma Farneſio.

Aſcanio Columnæ oppida reſtituit, caſtra, dignitates, quibus expoliatus fuerat à Paulo III. Sed hanc plurimi dixere ratihabitionem, non donationem. Nam Sede vacante, Columna amiſſa violenter uſurpaverat. Crimina Majeſtatis indulſit Abbati *Farfenſi Vrſino*, quem Paulus proſcripſerat vt perduellem; exceptàquè Abbatià (quòd eà inhoneſtè ſpoliari haud poſſet Cardinalis S. Angeli) prædia reſtituit, ſuburbia, quæ uſurpaverant Paulus Baleonus, aliiquè magnates.

Miniſtri.

A ſecretis poſteà ſibi aſſumpſit *Fabium Mignanèllum* Luceræ Epiſcopum, & *Hieronymum Dandinum* Epiſcopum Imolenſem Legationibus graves, & famà venerabiles. Legati cùm veniſſent ad Cæſarem, & ad Regem, tanquàm teſtes oculati expoſuere, quà modeſtià Iulius inter ambientes, ſoli Deo reſervaſſet arcanum Pontificatus. Pacem offerendo, excuſavit Parmæ reſtitutionem Octavio factam apud Gallum (qui Horatium præferebat Octavio) propter iuramentum factum in Conclavi, ac belli diſcrimen, quod aliàs excitabatur inter fratres, & inter Reges. Reſtitutæ pacis nummiſma habes pag. 179. Carolo ſignificavit, facilè reſtitui poſſe Religioni pacem Concilio interprete, dummodò Cæſar, & Pontifex amicè coirent. Cum autem Cęſarei Romæ indirectè reſponderent ſolam Concilii Tridentini reſtitutionem obſtare. Adiecit Iulius non diſſentire, ſi *Concilium foret celebrandum adversùs Hæreticos, & exaltationem Fidei Catholicæ, non ad depreſſionem Pontificiæ dignitatis.* Ex his cum aliqui ſuſpicarentur velle Papam eum Cęſare de Concilio paciſci, aboluit Papa dicens: *Iſtis ignotum eſſe Concilium, & quantum in eo Pontifex prævaleret.*

Cæſar petit reſtitui Cõcilium.

Reſtitutionem porrò Tridentini Concilii mutatà rerum facie, non renuebant Patres. Propter namquè vegetam Iulii ætatem; nulla erat ſuſpicio, quòd Sede vacante vellet Cæſar uſurpa-

pare electionem. Epiſcopi etiam cum Tridento diſceſſiſſent Cæſarei cum Cardinale Pacecco; quoties redirent, diceretur Concilium reſtitui, non continuari. Quod neceſſarium, ut Eccleſias uſurpatas à Proteſtantibus redimerent Catholici, & nè anſa daretur Cæſari, Pontifice deficiente, uſurpandi convocationem Concilii, qui iam in comitiis, immiſsà ſalce in meſſem alienam, non dubitaverat leges præſcribere Religionis. Concilium ergo cum eſſet celebrandum; unum Tridentum videbatur locus opportunus, quod invito Carolo tot Regnorum domino haberi non poſſet, qui tamen communi Germaniæ nomine Tridentum vocabat quaſi ad locum vel minus ſuſpectum. Cunctationibus ergo ſepoſitis, Iulius miſſo Trivultio Tolonenſi Epiſcopo Gallorum Regi ſincerè ſignificat, *Concilium Cæſari negari haud poſſe (qui forſan rogabat, ne impetraret) ne detur anſa etiam Catholicis conniventibus paciſcendi ad libidinem Proteſtantium, amoris lucro, & obſequii: Permiſſo verò Concilio, nova ſubibat cum hoſtibus diffidia, ut eos cogeret ad obſervationem Concilii, cuius legibus cōſtringendi erant & ad bonorum reſtitutionem, & ad continentiam. Propterea vel obedirent coacti, magna Cæſaris diffidentià; qui ut cautè regnaret, non deberet incedere inermis; vel apertè reclamando, Cæſarem revocarent ad caſtra. Hoc in Concilio non de privilegiis agendum Eccleſiæ Gallicanæ, vel Gallorum Maieſtate; ſed de Fide Orthodoxà, iiſquè conditionibus, quas infra propoſuim Cæſari circumſcriptas.* Carolo ergo pariter per Sighinum ſignificavit, *Concilium futurum Tridenti, ſi Regem Galliæ interpellaret, qui favore ſuo protegeret, & Gallos Præſules tranſmitteret. Si de impenſis quibus Epiſcopi Itali pauperes alerentur, cogitaret. De obſequio Catholicorum, & Proteſtantium ergà decreta tam præterita, quàm futura certus fieret, nè tantum opus ludibrio haberetur. Concilium ſinè morà procederet, in quo Dignitas ſalva foret Pontificia.* Annuit Cæſar, excepto articulo de Gallo ſollicitando, quod munus eſſe dicebat Pontificis. Parmam Farneſio reſtitutam non laudavit, poſtulans cauſam de iure cognoſci. Reponenti Iulio, *iura Regum in armis eſſe; quia ſi Mediolani Iuris periti ſtabant pro Cæſare, Romæ pro Pontifice reſpondebant; propterea Placentià contentus acquieſceret, quia hæc volūtaria partium permiſſio ſpolium honeſtabat iniuſtum.* Negavit Cæſar ſed inconſultò. Nam Parmam non habuit, & Placentiam reſtituit. Auguſtę interim cum de obedientià Concilii ageretur; reiicienti Nuntio particulam *continuandi* Concilium Tridenti, nè per eam accuſaretur iniuſtè translatum, dictum eſt de *Reaſumendo* Concilio. Mauritius novus Saxoniæ Elector Concilium exigens in quo excluſo Papà etiam Proteſtantes votum nãciſcerentur deciſivum, non eſt auditus, quod comitiis adverſaretur præteritis. Concilio ergo ſubſcripſere comitia.

Diffidia pro Parmà.

Saxo quale Concilium petat?

Inſtanti Carolo ut Parma, & Placentia ſibi darentur in Feudū, cenſu Eccleſiæ ſolvendo conſtituto: *Negavit Iulius quòd inhoneſtum compedibus illigare Italiam infamià nominis ſui: iniuſtum, quia Feudatarii Domino potentiores nil ſolvunt præter nomen. Exemplo eſſet Regnum Neapolitanum: idcircò deſperaret conſenſum Patrum.* Farneſii autem ſuprà modum ſolliciti, nè cedere cogerentur imparati, fratri ſuadebat Horatius, qui ob recentem affinitatem ad Gallos inclinabat, ad Gallos confugere. Suſpicatus arcanum Iu-

Papa negat Pārmã Cæſari.

Farneſii vocant Gallum

A lius, Octavio ſub pęnà læſæ maieſtatis inhibuit Gallos in Italiam evocare; aliàs ipſe utroquè gladio ſpirituali, & materiali cum Cæſare conſpiraret. Tempori indulgeret Octavius, & à Pontifice iam benefico, à Cæſare affine meliora ſperaret, tria millia interim nummorum (*Pallavicino teſte l. 11. c. 18.*) menſtruè reciperet pro tutelà, vel ſi Parmam permutare vellet cum Principatu Camerino opulentiori, & ab incurſionibus longinquo; Pontificem non diſſentire. Abhorruit Octavius ſpecioſa Parmæ & Placentiæ nomina cum Camerino permutare; *Pallavicino* teſte. Petenti Farneſio ſtipendia maiora, vel alterius Principis clientelam, cuius ope Parmam contrà Cæſarem propugnaret, permiſit Iulius (teſte Panvinio) *ut quà commodius videretur, ratione, conſuleret difficultatibus ſuis*. Quibus verbis veluti facultate acceptà, percupidè occaſionem amplectenti ſe coniunxit, fre- B mente Pontifice, quòd ſe inſcio Gallus urbem ingrederetur Eccleſiæ. Ex adverſo indignatus Gallus, quaſi eius neceſſaria ſubſidia Pontifex ſperneret Romanus, vulgatà epiſtolà circulari, Epiſcopos Regni ſui ad reſidendum revocavit, ut per ſynodum nationalem, Eccleſias reformarent. Iulius ſequeſter ultrà ſtare prohibitus, à minori diſſentiens, ſub pœnà anathematis prohibuit Octavio Farneſio, externi Principis præſidium admittere intrà męnia. Indè ad Cæſarem miſſo *Dandino*, contumaciam Farneſii, Gallorumquè accuſavit. *Velle tamen eandem cum Cæſare ſubire fortunam, ſi ipſe bellum crederet opportunum. Maturè cogitaret facilè deſcendi in hunc labyrinthum, ſed difficillimè egredi. Perpenderet belli ſumptus, ærarium exhauſtum. Timeret à Turcis, cum quibus Galli miſcebant fœdera, Concilium nè præteriret, bello incongruum, & ſinè pace importunum. Expeditio Italica Germaniæ* C *inutilis, & nociva quæ Gallos Proteſtantibus reconciliaret.* Iulium accuſant Galli (inter quos *Belcarius l. 25. n. 32.*) cum Cæſare conſpiraſse, ut Concilium quod reformidabat, diſſolveret. Sed nova legatio *Aſcanii de Cornià*, quem ex ſorore nepotem miſit Iulius ad Regem, occlamat. Magni nominis inter milites Aſcanius venit ad Henricum obſequio plenus, & veritate clarus ſignificans *non ſine infamià poſſe Pontificem graviſſimi belli ſemina ſerere, & cum Farneſiis colludere. Oblationem Regis*, nil ſibi privatim quęrerētis, ſed tantùm curantis, nè patrimonium Petri in manus cadat alienas, *facilè evaneſcere, ſi Parma permutetur cum Camerino. Obſecrare itaquè Regem, ut Octavium induceret ad obedientiam, vel deſereret inobedientem. Sic feciſſe Cæſarem, qui licèt indignatus Paulo III. nunquàm tamen auſit arma tractare prò Columnenſibus antiquis clientibus Imperii, quos bonis omnibus expoliaverat Paulus.* D *Quòd ſi Farneſios velit protegere, Pontifici non ſuccenſeat, ſi pro iuribus Eccleſiæ invocet Cæſarem. Concilium tandem defenderet, quod eſt gladius Pontificis.* His auditis Rex tentavit reſponſum protrahere, donec Parmenſes meſſem colligerent, ſed fruſtrà. Nàm prę̄monitus Aſcanius receſſit, dicente Rege ſe miſſurum, qui cum Pontifice concordaret. Non proptereà evanuit Concilium, ſed apertum Kal. Maii prorogatum eſt in Kal. Septemb. ut expectarētur abſentes. Gonzagà vt Parmenſibus meſſem interciperet, occupato Breſſelio, pago ducis Ferrarię, qui cum Gallis conſpirabat, commeatum intercludebat. Farneſii Cardinales Alexander Vrbinum, Ranucius Venetias

Galli diffidia cum Papa.

Calumnia in Iulium.

ſe

Querela Iulii in Gallum. An. Sal. 1551 die 6. Aprilis

Regis modeſta excuſatio.

ſe receperant. Romę accuſavit Iulius die 6. April. ab Henrico Gallorum Rege turbari pacem Italię, & Generale Concilium mentione immiſsà Concilii Nationalis. Rex autem die 7. Iulii per Oratorem reſpondit *ſibi nunquàm in votis fuiſſe Nationale Concilium vel sui uſurpare Religionis, ſed geſtis illibatum ſervare titulum Chriſtianiſſimi. Vndè ergò Papa, qui eſt caput Eccleſiæ, & Chriſtianorum, Pater univerſalis, iudex incorruptus, Defenſor veritatis, nunc factus delator, nullà monitione præmiſsà Regem illum accuſat, qui ſolus inter Principes Concilium propugnaverat Bononienſe, & Religionem Chriſti in Scotià. Mandaſſe quidem Epiſcopis Clericos Gallicanos ſignare vagãtes, & in Nationali Cõcilio corrigere lapſos. Nationis autem nomine non intellexiſſe Regem Gallias omnes, ſed ut in quàlibet Provinciâ Concilium cogeretur, quod vocant Canones Provinciale. Pro Generali Concilio Regem, regnum, arma, ſeipſum offerre, utinam Italia ipſa rumoribus ſuis, Concilium non impediret. Pacem inſequi Regem; & ad bellum non deſcenſurum, quàm coactum. Roganti Farneſio dediſſe pecuniam, nè Parma caderet in manu hoſtiliȝ quemadmodùm fecerat vivente Paulo, ac Sede vacante, nec unquàm repetiiſſe ſolutam, ſalvis ſemper Eccleſię iuribus, Pietatis, & iuſtitiæ officium eſſe ſuccurrere lapſis, indigentibus, & oppreſsis. Opus ut laudabile cognoſcerent vel deteſtabile, offerre, Parmam ab Octavio reſtituendam; dummodò Cæſar Placentiam reſtitueret, quæ Eccleſiæ reſervarentur inalienabiles: ac Farneſios Pontifex compenſaret. Hæc ſi reiicerent: Rex avità maieſtate non deſereret fœderatos ſalvà ſemper obedientià Eccleſiæ debità, licèt bello prohibente, Galli Concilio non eſſent adfuturi.* Hæc cum in ſpeciem proferrent Galli: Iulius nè Reges ad arma conſurgerent, ſemper cum Eccleſiæ iacturà opus credidit nomine ſuo in Farneſios irrumpere, Cæſare tantummodò auxiliante, ut Parmam Eccleſia redimeret. Explicatis ergo vexillis Caſtrum occupãt Galli duce Horatio Farneſio agrum populantur Bononienſem. Rex repetità proteſtatione, negavit *Gallos Præſules illi Concilio adfuturos, quòd Papa ex partium conventione celebrabat in gratiam privatorum, non ad bonum commune, ubi accedere, & contradicere prohiberentur univerſi. Conſulturum ſe libertati Eccleſiæ Gallicanæ, quę Tridentino non obligaretur concilio ſalvà ſemper obedientià, & obſequio debito Eccleſiæ Romanæ.* Huiuſmodi Proteſtationibus quamvis claneulò circumlatis, reſpondit Papa nè videretur conſentire ſilentio. *Inobſervantiam accuſando erga ſedem Apoſtolicam, quæ amore paterno ſingula privilegia Franciſco Regi conceſſa, eiuſq. morte extincta, confirmaverat unà die. Amore tamen minimè ſepoſito, ac ſpe priſtinæ neceſsitudinis, non in vindictam reſpondere, omnibus notum eſſe, quantà æquitate Octavio neceſsaria contuliſſet ſubſidia, nè iſſe gentem evocando externam, pacem conturbaret Italiæ, immò honoris exceſſu per tres Cardinales Legatos Farneſium, Sfortiam, Medicæum eundem Octavium tentaſſe ad conſilia ſaniora retrahere; ad Regem legaſſe Aſcanium de Corneà nepotem ſuum, in argumentum honoris quæ omnia vanis deluſa præmiſerit. Spetioſam Parmæ tutelam Eccleſiæ titulo non concludere quia non petitam, ſed reiectam à Domino Fendi. Concilio ut adeſſent Galli, omnem promittere cautionem ſecuritatis, licèt bellorum turbines Rex ipſe excitaret. Viribus ne confideret humanis quia ſæpè in auxilium infirmiorum Deus deſcendit, & homines.* Etiam in diebus Iulii III. Humanitę, ut loquendi maieſtatem ſervarent Romanam, verbis utebantur Gentilium. His in Orbem vulgatis; Iacobum Amiotum Abbatem Belloſanæ clam immiſsũ à Cardinali Turnonio, qui Venetias ſeceſſerat, Tridentum ingredientem cum duobus tabellionibus vigiles interrogarunt, quis eorum accederet ad proteſtandum? Literas cum obtuliſſet, lecta inſcriptione, Patres dubitarunt an recipiendæ? quòd in eis *Conventum Concilium* Rex appellaret. In ſacrarium ædis ſevocati Patres poſt aliquam diſceptationem, conſulentibus Electoribus Moguntino, & Colonienſi (immò arguente Moguntino, *Si Literas Regis legere recuſatis, quia in inſcriptione Concilium apellat* Conventum; *quomodo audietis Proteſtantes, qui nos appellant conventum Malignantium*, quòd in bonam partem accipi poſſit, Legatum audiendum eſſe decernunt. In ſuas ergo ſedes reverſi reſponderunt. Quod Conventus nomine Rex Concilium ſignificet, neq; ſe arguere, neq; de tanto Rege velle malè ſuſpicari: Sin aliter intelligat, literas pro nullis ac pro non ſcriptis habere, ita mandata exponere iuſſus eſt. Ille autem repetitis iis, quæ ſuprà adnotavimus, proteſtatus eſt, Tridentinã ſynodum pro Generali Regem nunquàm habiturum; quandoquidem per Cæſarem, & Pontificem hoſtes ſuos, ſibi atq; ſuis ad id liber non eſſet acceſsus. Se itaq; ac ſubditos ſuos huiuſce decretis non teneri: remedia adhibiturum, ſolita maioribus ſuis in ſimili causà. Idem præſtarent Helvetii, & Rheti, etiam effecit, ac pecuniam ex Gallià Romam deferri prohibuit: repetitis tamen in Lutheranos edictis: ne novatores ex hac diſſenſione libertatem Religionis cõceſſam crederent. Patres autem Belloſano ad audiendum reſponſum non comparente, libellum edidere, cauſam explicantes indicti Concilii: nempe *In Hæreticos indictum à Paulo III à Iulio ritè reſtitutum, undè privatum dici non poſſit*. Non eſſe cur *Epiſcopis ſuis Rex metuat; ſi bello ſanum hominem privatum, quamvis in uno grata nunciantem libenter audierunt, quanto facilius audient Epiſcopos publica munera abeuntes? Franciſcum imitetur patrem, qui epiſcopos miſit ad Concilium, & ſimultates, ſi quas adverſùs nonnullos concepit, tam pià occaſione Reipublicæ oblatà condonet. De Negotiis Parmenſibus reddet Papa rationem villicationis ſuæ. Interim Epiſcopi memores paſtoralis officii accederent ad Concilium, nam inter eos, & Tridenti ſtantes nulla diſcordia, quod nec iſti nec illi viri eſſent militaret.*

Gallorum Proteſtatio cõtrà Tridentinũ Cõcilũ.

Concilio ita procedente, Cæſare, ac Gallo dimicãtibus, Solimanus quoq. ſibi non defuit, Tranſylvaniæ, & reliquæ Vngarię intentus occupandæ. Hanc Regina Iſabella cum filio puero obtinebat, Georgio Monacho, & Petrovitio Tutoribus omnia curãtibus. Georgius ex tenui Dalmatarum nobilitate, humile puer in aulà Regis Ioannis ſortitus officium, mediocri literarum imbutus ſtudio, D. Benedicti aſceterio adſcriptus fuit, & ſacerdos initiatus. Exulem ſequutus Ioannem in Poloniam, fidelem, & utilem navaverat operam; nam huius induſtrià Solimanus Ioanni regnum reſtituit. Hinc gratus Ioannes regni quęſturà, & Varadinenſi donavit Epiſcopatu, moriens denique tutorem filio præfecit. Fortis, fęlix, ſed infidelis, & inconſtans tutelam geſſit, Solimano modò inclinans, modò Ferdinando. Mortuo Ioanne, nè Budam occuparet Ferdinandus, aſcito Solimano defendit, ſed in manibus Turcarum relinquere coactus,

Georgii Monachi vita, cædes.

tus,ſuâ eſt deluſus perfidiâ. In Tranſylvaniâ poſteà, ortâ diſſenſione cum altero tutore *Petrovitio*, Ferdinandum evocavit hiſce conditionibus, ut Regina Tranſylvaniam Ferdinando cederet; quã iſte in Sileſiâ per Oppolienſem Principatum cum idoneis redditibus compenſaret. Pupillum adoptaret in filium, cui,ſi ad legitimam ætatem pervenerit,ei filiam Ioãnam deſponſaturum. Prò operâ Georgio Strigonienſis cederet Archiepiſcopatus,ac purpura Romana, quam ei à Pontifice Ferdinandus procuraret. Ita factum; Claudiopoli indictis comitiis, Reginam incuſſo metu ad cedendum Tranſylvaniâ compulit. Solymanus quamvis bello Perſico implicitus, Reginæ,ac Petrovitii querelis incenſus, acerrimo renovato bello,quo direptâ Siciliâ,captâ Auguſtâ,in Tranſylvaniã irrupit. Vario Marte certatum. *Io: Baptiſta Caſtaldus* Caſſani Marchio caſtris præerat Cæſareis; cum quo ortâ ſimultate, vel quòd Caſtaldus divitiis inhiaret Cardinalis; vel quòd Cardinalis ut accuſabatur à Caſtaldo, iterum conſpiraret cum Turcis; (ut ſcribit *Paulus Paruta*) Ferdinandus reſpondit; *Curaret Caſtaldus occupata propugnare, fortiter ageret*; *De Cardinali Georgio eſſet in arenâ concilium*. Credidit Caſtaldus reſponſum hoc eſſe capitalem ſententiam in Georgium, undè immiſſis ſicariis,in arce Bintianâ interemit, & in mortuum barbarè ſęvîit: nam poſt cæſim, punctimquè illata vulnera,glande traiecit,auriculam dexteram præcidit,ad Ferdinandum miſit,cadavere inſepulto, quod dies ſuprà ſeptuaginta neglectum iacuit, donec Menſe Martio ineunte, ſacerdotes Albenſis Collegii tumularunt funere tumultuario, quum Idibus Decemb. fuiſſet trucidatum. Re cognitâ Solimanus Mahomettem Baſſam validioribus inſtructum copiis remiſit in Tranſylvaniã, ſpreto tributo vicenum millium ſcutatorum (quod obtulerat Ferdinandus,bello implicitus Mauritiano) ac facilè recuperatam Tranſylvaniam *Iſabellæ*,ac *Ioanni* Sigiſmundo clientibus ſuis eâ cautione reſtituit, *nè in eam hæreſis penetraret, quæ ſubditorum fidem ergà Dominos ſubverteret*. Petrovitius tamẽ cuncta ſubvertit Lutheranâ illectus libertate. Arcem illam,in quâ cædes patrata eſt, cœnobii à Georgio everſi ſuperſcriptam fuiſſe ſcripſit *Cetorius*. Quod cùm fieret, Cœnobii Abbatem exindè exitium Georgio præſagiiſſe,ſivè eſſe imprecatum, his verbis: *Id Deus non ſinet inultum. Pœnam video imminentem.* Addunt alii amicum virum probum ei dixiſſe. *Quorſum hæ in ſacro loco munitiones Georgi?* Cumquè reſpondiſſet: *Arcem non extruo, ut ſacro loco iniuriam faciam, ſed ut vitæ meæ tutelam præparem*. Adiecit amicus. *Cave, loco præſidii tumulum efficias. Sacra loca, ſi profanã fiant, Deum habent ultorem*. Indignæ cædis famâ excitatus Papa tam in Caſtaldum, quàm in Ferdinandum, diras devovit: licèt deprecantibus Cardinalibus, & Ferdinandi Legatis ſuſpenſa denunciatio, quando potiùs ſuppellectilis deprædandæ, quàm proditionis causâ Caſtaldo Georgium occiſum, ſuſpicio eſſet: theſauri namquè illius 300. aureorum millia excedere dicebantur, quæ(inteſtatus cum deceſſiſſet Cardinalis) Fiſco erãt addicenda Pontificio. Sed cum iam omnia in exercitus alimoniam expenſa fuiſſe reſponderent Legati,totum negotium per delegatos tractari placuit, miſſi in Auſtriam, qui veritatem inquirerent. Hi ubi Vienam venère, à Ferdinando, & Maximiliano filio honorificè excepti,nihil ſolidi invenerunt, teſtibus vel corruptis,vel ignorantibus. Vndè ad evitanda majora diſſidia rem diſſimulari placuit, & inſtantibus Ferdinandi Legatis,abſolutionem proferre, cum clauſulâ, *ſi probationes in medium adductæ veritate niterentur*. Quæ tandem remota eſt,ne fides,& innocentia Ferdinandi in dubiũ vocaretur. *Bzovius* A.1552.

Bellum Ferdinãdi in Turcas

Cædes Card. Georgii.

Ferdin. excom. municatur.

Abſolvitur.

Tridentinum interim cùm ad Concilium Carolus Principes vrgeret deſcendere Proteſtantium; *Mauritius* in omnem tergiverſandi occaſionem intentus vſq; dum Gallorum advenirent auxilia,Cæſari ſignificavit, minus ſuorum ſecuritati conſultum,niſi ultra fidem Cæſaris, & Patrum daretur in Concilio. In ſpeciem ergo miſſi oratores Vvirtembergenſes, Argentini, Saxones, ſed animo contumaci,& bellum meditantes clandeſtinum. Obedientiam ne viderẽtur Romano profiteri Pontifici,neq;dignati ſunt viſitare Legatos,qui Iulio mandante,omnia tulere patienter, vt filios placarent inſanos. Inſtabat Elector Brandeburgicus, vt Papa electionem Federici filii ſui in Epiſcopum Alberſtatenſem,& Magdeburgenſem fac. tam à CanonicisCathedralibus cõfirmaret;licèt ætas Annorum 24. non legitima; Patris memoria, qui Proteſtantibus acceſſerat in communione ſub vtrâquè ſpecie,& connubiis ſacerdotum;prohibitio à Cõcilio,ne quis duos haberet Epiſcopatus obſtarent. Ex adversò cum preces vrgerent Caroli,& Ferdinandi; & quòd nemo auderet regimen recipere illarum Eccleſiarum,adverſante Brandeburgenſi, qui inter primates Germaniæ,viribus fulgebat, & opibus,Patres, quid agendum? conſulebat. Fluctuarunt Patres, tandem indultum his conditionibus; vt Federico daretur adminiſtrator illarumEccleſiarum,donec ad legitimam perveniret ætatem, & ſufficiẽs daret Religionis teſtimonium. Accederet ad Concilium,& ibi vſquè ad fidem perſiſteret.

Oratores Proteſtantium ad Concilium.

Auditi poſteà Oratores Vvirtembergenſes, Saxones ſeparatim, qui *Patres* ſalutarunt vt *Ampliſſimos*, *Reverendiſſimos;Veſtras Ampliſſimasdignitates*,inſtantes quòd cum ſatis non eſſet conſultum *De Fide publicâ*, provideretur prout in Concilio Baſileenſi erga Bohemos: ne idem cõtingeret quod in Conſtantienſi Concilio,quod Hęreticis non eſſe ſervandã fidem decreverat. Quod falſum. Fides namquè publica Conſtantiæ Hęreticis data fuerat non à Concilio, ſed à Cæſare,cui tamen non teneri Eccleſiam ſtare, decretum fuit. Vndè Concilium Conſtantienſe neminem decepit. Fidem publicam dederat Cæſar,& ex parte ſuâ ſervavit. Eccleſia,quæ de publicâ fide nõ promiſerat,vti voluit iure ſuo. Saxoni propterea reſpondère Patres; fidem in Baſileenſi Concilio datam fuiſſe Bohemis poſt Seſſionem 4. eiuſdem Concilii, quum iam Concilium ſeparatum à capite Pontifice declinaſſet in ſchiſma:vndè non ſtabat exemplum. Adiiciebant nunquàm petitum à Bohemis, vt Hæretici admitterẽtur cum voto deciſivo, ſicuti vrgebant Saxones. Immò Bohemi fidem publicam ſibi dari rogarunt etiam à Papâ cuius mentionem omittebant Proteſtantes, nè maioritatem confiterẽntur in eo. 2. vrgebant ſpatium dari Theologis ſuis,qui non longè diſtabant. 3. vt decreta præterita novo tentarentur examine; quia Concilium eſſet nationum omnium conventus, cui tamen ipſi non interfuerant. Patres au-

An fides hæreticis data ſit ſervanda?

Poſtulata Proteſtantium.

autem concedebant nationes omnes quidem vocandas, quod abundè factum in Tridentino; quamvis poſteà non adeſſent; aliàs quęlibet natio poſſet ad libitũ irritare Concilium. 4. Inſtabant declarari an Concilium eſſet ſupra Papam? vt in Conciliis Baſileæ, atq. Conſtantię? Cũ replicarunt Patres. Si Concilia illa, à quibus omnes condemnantur articuli Lutherani nõ obſervantur ab eis, cur Concilia producere ſuſpecta? Concilium Baſileæ pro vniverſali non haberi, quia à Martino V. non fuerit confirmatum, & quòd contrà illud Generalia fuerint vocata Cõcilia Ferrariæ, atq. Florentiæ. Replicãtibus Lutheranis multa haberi cõtrà Papã, qui iudex eſſe nõ poterat in causà propria? dictum, quòd tam in regimine Monarchico, quàm Ariſtocratico Poteſtates ſupremæ iudicem nõ patiũtur. Vrgentibus, vt Epiſcopi ſolverentur iuramento, quo ſunt adſtricti Pontifici? reſponſum; Vel credi validum, vel invalidum. Si invalidum, fruſtrà quæri ſolutionem. Si validum, non eſſe Pontificem arbitrum illius dignitatis, quæ Chriſtum habet auctorem. Hæc ab Hæreticis non omnia ſimul, ſed gradatim propoſita, quorum Oratores, unus poſt alium accedebant, vt ſpetie legationis Cęſarem fallerent. Electoribus ſuadentibus, vt ſibi à Mauritio caveret, reſpondit (tantam dabat Mauritio fidem) *vana hæc eſſe commenta*. Donec inſtructi belli à Mauritio fama Tridentinos ita terruit, vt Archiep. Trevirẽſis morbi ſimulatione, ad tutelam ſuæ diœceſis, & poſt eum Moguntinus, & Colonienſis ſe ſubduxerint. Cum *Mauritio* conſpiraverat Gallus, interprete *Alberto Brandeburgico*, eà lege, vt octoginta aureorum millia in ſingulos menſes penderet alendo Germano militi; ipſequè etiam proprio exercitu Lotharingiã invaderet. In ſocietatem ſcribit Bzovius aſſumptum etiam Solimanum Turcarum Regem, qui ſub Sinanis, & Dragutis imperio claſſem immiſit. Primus armorum impetus à Saxone, Alberto Brandeburgico, Guillelmo Lantgravii filio Principibus Mechelburgi, ac liberis civitatibus. Noribergà, Nordlinga, Donauverdà. Auguſta venienti patuit. Indè versùs Ænipõtẽ movẽt, diſiectiſq. præſidiis ex anguſtiis Alpium, tantum terroris iniecere Cæſari, ac Ferdinando, vt repentè intempeſtà nocte diffugerent, pleriquè etiam nobiles relictis equis, & impedimentis. Villacum cum perveniſſet Carinthiæ, cum equitum præſidio Venetum obvium habuit Legatum, qui primo aſpectu tantum terroris attulit, quantum poſteà auxilii: Capta exindè Ænipõs, in quà hęretici pepercere ciuiũ bonis, & Ferdinandi. At Caroli, & Hiſpanorum direpta ſuppellex militi ceſsit. Gallus præmiſſo Annæo Monmoraucio Conneſtabili, cum luculento exercitu Lotharingiam ingreſſus, totam invenit ſuam. Occupavit quoquè Tullum, Virodunum, & Metas. Claſsis quoquè Turcica mare ingreſſa Tyrrhenum evocata ab Henrico II. ut ferret ſuppetias Principi Salernitano, quem Petrus Toletanus ProRex ad deſperationem adegerat. Paratæ ſunt quoquè Maſsiliæ 25. triremes, quæ Turcicis adiungerentur.

Gallorũ fœdus cum Mauritio in Cæſarẽ

Concilium Tridenti ſuſpẽditur.

6. *Tridenti*. Patres nè opprimerentur, in conſiliis ſuis, de ſuſpenſione Concilii, facto, & publicato decreto, diſceſſere Tridento.

Romæ *Simon Sulaka*, Danielis filius, de familià Bellu, monaſterii de Hormiſd, ordinis S. Baſilii, in urbe Muzalanà, quæ eſt in inſulà Tigridis fluminis in Aſſirià, poſt mortem Simonis Mamæ, Patriarcha totius Orientis creatus trans Euphratẽ uſquè ad Indos (ab Eccleſià Orientali, & ab eàdẽ Romam miſſus ad ſedẽ Apoſtolicam, ut cõfirmaretur, productis Eccleſiæ ſuę literis, pulcherrimà, doctàq; Fidei confeſſione, hanc de ſe, & Eccleſià ſuà relationẽ Iulio obtulit Pontifici.

Sulaka, hoc eſt, accedens Arabicè, vulgo haud dictus, annos iam natus circiter quadraginta, in civitate Muzal, quæ & Aſſur vocatur, octodecim Chriſtianorum Eccleſiis inſigni, quarum quindecim ſunt Neſtorianorum, tres verò Iacobitarum, ſita in ripà citeriore Tigridis fluminis, à quà ex alterà parte ripa abeſt Ninive illa Ionæ prædicatione nobilis, bis mille paſsibus, quæ nunc circiter mille ædibus, tantum habitatur: parentibus, inter ſuos cives optimatibus, admodum puer, ſuo ipſius genio inſtigatus, monaſticam vitam amplexus eſt, quam hactenus, cum ſuà, & noſtrà religione coluit in Cœnobio nuncupato Rabban Hormiſd, quod ſitum eſt ultrà Tigrim, circiter octo millibus paſſuum à Ninive in monte, ut ſunt omnia in illis regionibus monaſteria, propter ſeceſſum, & ſolitudinem. In quo monaſterio ipſe Sulaka iam annos ferè duos, & viginti Abbatem egit, habetquè fratres ſupra quinquaginta. Abeſt autem ab hoc monaſterio duobus tantum miliaribus Altus, patria Naum prophetæ, ubi illi in hanc diem celeberrimum extat ſepulchrum, ad quod Iudæi longè, latequè confluunt, & Chriſtiani, qui ſoli eam civitatem circiter mille domibus incolunt, & id ſummà cum religione venerãtur. Longè maxima pars Chriſtianorum, qui per Aſſyriam, Perſiam, ac reliquas orientales provincias habitant, appellantur Neſtoriani. Nam Maronitæ extra Libanum montem pauci ſunt. Iacobitę ſparſi quidem habitant, ſed non frequentes, At Cophti, ſive (ut ipſi ſcribunt) Aegophti magis verſus Aegyptum, à quà videntur mihi hoc nomen ſumpſiſſe, vergunt, & provincias Preſti Ian. Verùm hi Neſtoriani, nomen potius Neſtorii hæretici, quàm errores retinuiſſe mihi videntur. Nam nihil planè, quod illam ſectam referat, in his hominibus, qui hic adſunt comperio. Invidia verò, quà apud Maronitas, Iacobitas, Cophtos, & reliquos earum regionum Chriſtianos laborant, fortaſſe tum ex ipſo nomine, tum ex eo quod reliquos omnes, numero, ac multitudine populi, Eccleſiarum frequentià, rerum opulentià aliquanto fæliciore ſuperant, nata videri poſſit. Porrò autem antè annos circiter trecentos, ex communi eius gentis decreto, huc ad ſacroſanctam ſedem Apoſtolicam miſſus quidam eſt nomine Maraus, ut Apoſtolicà auctoritate in Patriarcham crearetur, qui à Summo Pontifice Patriarcha creatus, atquè ad ſuos remiſſus eſt. Veriſimile itaquè eſt, eum multa illic de vetere religione, in ſynceriora dogmata, & noſtra orthodoxæ Eccleſiæ cõſentanea mutaſſe. Succeſſu verò temporis accidit, ut antè annos circiter centum quidam illic Patriarcha, ſacroſanctum hoc munus ſibi, ſuiſquè poſteris hæreditarium facere ſit conatus, ita ut ex eo tempore nemo niſi ex ipſius familià in Archiepiſcopum, aut Epiſcopum ſit creatus, ac deindè in Patriarcham. Cum verò nunc tandem poſtremus Patriarcha ſimili modo fratris filium, puerum octo annorum Epiſcopum feciſſet, ut eà ratione ſibi in Patriarchatu ſucceſſorem relinqueret, antequàm puerum in eam auctoritatem evehere potuiſſet, fato functus eſt. Eà re univerſus populus, tam laicorum, quàm Eccleſiaſticorum, datam ſibi diuinitùs abrogandæ illius uſurpationis occaſionem ratus, de vindicando vetere eligendi ritu agitavit. Convenerunt igitur ſuperiori anno maxi-

at-

atquè ille Patriarcha eſſet defunctus in civitate Muzal. Epiſcopus Arbelæ, ea eſt civitas apud quam Alexander Darium ſuperavit: Item Epiſcopus de Salmaſt, & Epiſcopus de Aderbeigan, hæ ambæ ſunt in Perſia, octo, aut novem dierum itinere à Ninive in ditione Pſophis, qui Epiſcopi tres tunc ſoli ei genti ſuperfuere; & præter eos ex omnibus civitatibus latè vicinis, non quidem Populus univerſus, ſed ex ſingulis viri primates, Chriſtiani tres, aut quatuor cum litteris cuiuſquè populi, nomen, ac voluntatẽ teſtantibus, utpote ex Babylonia, quam modò Bagdat vocant, ex Careà, ex inſulà Tigridis, quæ in medio flumine circiter duodecim millia paſſuum ſuprà Muzal eſt, ex Tauris, quæ eſt in Perſià ſedes Pſophis; ex Ecbatanà in libro Iudith appellatà, ex Niſibi, quam Migdoniæ Antiochiã veteres nominarunt, ut Strabo teſtatur, ſità ſub monte Maſio ad amnem Hormiz, qui illic per agros paſſim derivatus, eos ita fœcundat, ut ſaccus orizæ quantum equus ferat, vix duobus tribuſve Iuliis veneat, ex Merdino (quæ Marda Ptolomæo eſt) ex Amet, quæ Ammea ab eodem dicitur, ex Naſà Cephà hoc eſt, forti petrà, quæ ſupra petram inſulam Citerioris ripæ Tigridis rupi munitiſſimæ inſidet, fortaſsè eadem Seleucia Nicanoris Straboni dicitur. Ac deniquè ex omnibus reliquis vicinis locis convenere legati populorum Chriſtianorum ad civitatem Muzal, ad eligendum ſibi Patriarcham. Quò cum omnes conveniſſent, factà re divinà per unum ex iis epiſcopis, & poſteà propoſito ſacrorum Evangeliorum libro, ac ſanctà cruce ex ordine primum ipſi Epiſcopi, ac deinde reliqui ſuæ quiſquè Reipublicæ nomine ſententias dixerunt. Quæ ſententiæ omnes in hunc Sulaka ob perſpectam omnibus vitæ eius probitatem latæ ſunt, quem niſi tertio miſſis nunciis, & tum quidem per vim, ex eo monaſterio ad ſe pertrahere potuerunt. Celebratà itaquè iterum re divinà, invocatoquè humiliter Spiritu Sancto, ac deinde ipſo in medium producto, quum ibidem maximo omnium plauſu denuo ſententiæ omnes in hunc comprobatæ eſſent, viſum eſt eum pro confirmatione, huc legare ad pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, tanquam Vicarii Chriſti, & Succeſſoris Petri, capitis Apoſtolorum. Scriptæquè publico decreto literæ illæ ſupplices, quas ipſe huc ad Sanctiſſimũ Dominum noſtrum Papam pertulit; & redacta eſt tota res in acta publica, ut geſta erat. Miſſiquè ſunt cum eo viri cùm Eccleſiaſtici, tùm Laici ex primatibus Chriſtianorum uſq. ad Hieroſolymam circiter LXX. id quod etiam teſtantur literæ Gardiani montis Sion; & ex eo numero, qui ipſum comitarentur delecti ſunt tres, quorum unus nomine Calephi vir Laicus. Sed apud ſuos in eà, quam dixi inſulà Tigridis primi nominis, hic adeſt; alter morbo periit in itinere, tertius verò ægrè relictus eſt. Ipſe verò Simõ Sulaka obſecrat humillimè Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ut ipſum in Patriarcham velit confirmare, idquè quod poteſt fieri citiſſimè, quò poſſit quàm primũ navibus verſus patriam proficiſci, à qua iam pluſquam ſeſqui annum abeſt. Veretur enim, ne populus mortem eius ſuſpicans, de novis rebus circa religionẽ cogitet. Præter ea petit ſibi, ac populo, regionibuſquè Orientalibus ſanctam benedictionem à Sanctiſſimo Domino noſtro dari. Optaret etiam, ut unà ſecum quiſpiam vir Eccleſiaſticarum rerum peritus ablegaretur, qui illis ritus huius orthodoxæ eccleſiæ noſtræ doceret. Promittitquè mox, ſi quis talis mitteretur, eum aut in Epiſcopum, aut ad aliã dignitatem promovendum, ac ſe daturum ipſi viro locum, & ædes, in quibus commodiſſimè habitare poſſet. Addit etiam, illic quatuor concilia magna magnis voluminibus haberi, atquè etiam alios libros, veterum doctorum, quibus hic caremus, qui per eundem virum poſſent ad Vrbem trãſmitti, &c. Hac relatione optimè examinatà, Pontifex eundem Simonem Patriarcham conſecrari fecit, eiquè manu ſuà pallium, quod eſt inſigne ſummæ Patriarchalis poteſtatis, in ſecreto conſiſtorio, impoſuit, apoſtolicàquè benedictione; & muneribus donatum, in patriam remiſit, adiunctis ei quemadmodum ille poſtulaverat religioſis hominibus aliquot Syri ſermonis peritis.

Huius legationis memoriã duo nummiſmata ſervant, quorum alterum navim exhibet appellentem ad portum ſub titulo *Portus, & Refugium Nationum*. Portus namquè ſalutis eſt Eccleſia Romana. In altero ſtat epigraphes, *Gens, & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit*. Vnum Forſan annuens Eduardum Angliæ Regem, qui ab Eccleſià Catholicà defecerat.

Ad pacandam etiam Italiã, miſſo Cardinale Turnonio, Gallũ ſollicitavit, qui tandem eà eſt Iulio conditione reconcilatus, *ut Pontifex in hoc bello medius inter* B *Cæſarem, & Regem incederet. Per biennium ceſſetur ab armis, ſinè ullo tamen Cæſaris præiudicio. Caſtrũ Horatio Farneſio reſtituatur, acceptà fide Alexandri, & Rannutii Cardinalium, qui proprio nomine pro Horatio, Pontifici caveant. Cæſari ſpatiũm detur ad deliberandum, an velit induciis conſentire. Exacto biennio, liberum ſit Farneſio, etiam ſine Regis conſenſu, cum Papà, & quibuſvis aliis paciſci*. His conventis, etiam Cæſar, ſuadente Coſmo Mediceo, ſubſcripſit, & ad pacem cum Germanis reſpexit, Gallo magnopetè, & Brandeburgico reclamante, qui omnes ferè Germaniæ Epiſcopos pecunià mulctaverat, tantà iniectà formidine, ut quacumquè incederet, Sacerdotes diffugerent. Eius argumentum crudelitatis inter plurima ſit unũ ſatis. Magnum ruſticorum hominum numerum in templo cum incluſiſſet cum pecudibus, & iumentis, C ſubiecto igne omnes concremavit, audienſquè boum mugitum, & hominum, inter quos non paucæ mulieres gravidæ, & vagientes infantes, eiulatum aliter Nero illudebat cum riſu. Is ipſe novis excogitatis ſuppliciis Sacerdotes cervorum pellibus incluſos, canibus dilaniandos obiecit. Inter tot victoriarum curſus *Mauritius* non deſiſtebat fortunam Cæſaris revereri, ſuæ metuere. Ex pari illum emerſiſſe periculo ad tantam viderat fœlicitatem. Affluebant ſenſim ex Germanià, Italiàquè milites. *Fridericus* ex hoſte captivo amicus, & hoſpes amiſſæ non dubiè inhiabat dignitati. *Mauritius* conſiderans ſe hoc bello in libertatem aſſerere inimicos ſuos, ac ferrum ſtringere auctoris in iugulum retorquendum, comitia

7. *Paſſavii* congregari conſenſit in 7. Kal. Iulii; immò Gallum Regem oravit, nè ultrà progrederetur. Rex, Germanorum repentinà mutatione per- D culſus gradum ſtatim compreſsit, acceptiſquè frigidis Mauritii excuſationibus, vultu dolorem ſimulãs, rediit in Campaniam, quam Maria Belgii procuratrix excurſionibus deformabat. Pax itaquè confecta dicta *Mauritiana*, ſeu ſecunda, cum prior vocaretur *Norembergenſis*, quæ columnæ ſunt Proteſtantium. Per illam *Interim* abolitum eſt, ac Proteſtantibus conceſſũ, ut arbitratu ſuo viverent. Huic ſecundæ Cæſar adeſſe noluit, ruboreq. ſuffuſus, nũquã fateri voluit præbuiſſe cõſenſum. Pacem Brandeburgenſis non admiſit, ſed furioſus in Catholicos, etiam Proteſtantes provocavit ad iracundiam, Mauritium præcipuè, cũ quo

Comitia Paſſavii Anno 1552

Pax Mauritiana cũ iniuria Religionis.

quo inito prælio ad fluvium Viſurgim, victus ad Gallos profugit, ubi miſerè deceſsit. *Mauritius* poſt biduum victoriȩ ex vulnere obiit. Hunc finem ſortiti ſunt auctores tanti diſsidii. Repetitis interim legationibus conabatur Iulius Reges conciliare. Suadebat Gallo, ut qui prior Cæſarem provocaverat, & expoliaverat, prior etiam proponeret compenſationem. Senis Gallus ſecederet, quibus etiam Cæſar abſtineret. Senenſes enim hoc Anno ab Hiſpanis malè habiti, Francis evocatis, iugum excuſſerant. Indè magna enata bella; dum Franci urbem hanc retinere in umbilico poſitam Italiȩ, & ad Neapolitana bella perutilem; Hiſpani recuperare nituntur velut belli Gallici ſeminarium. Dum ergo bellum in Hetruriâ magnis utrinquè contentionibus adornatur, Iulius Papa Guidonem Vbaldum Vrbinatium Regulum ad Vrbem evocatum, totius Eccleſiaſtici exercitus Imperatorē creavit. Senas pro Gallo Rege Hippolytus Cardinalis Eſtenſis, & Termeſius Dux militaris tenebant, circumſtrepentibus Cæſarianis ad viginti millia peditum, qui cuncta cædibus complebant, atquè rapinis. Papa ut aliquo modo pacem componeret, legatis Cardinalibus Simonetâ ad Ferrarienſem, Mignanello ad Senenſes, Corniâ nepote ad Medicem, ipſe cum Marcello Cervino Cardinale Viterbium venit ſperans, Senas ſe recepturum loco depoſiti, ſed fruſtrà. Turca namquè ingruente, retrocedentibus Cæſarianis, urgebat victoriam Gallus. Vſquè multò Coſmus Medices ſpectator fuerat, occultis cum Gallo cōventionibus, donec *Ilva* ſuæ ditionis inſula à claſſe Turcicâ, & Gallicâ petita, à Gallo deſcivit; iſte autem cum exulibus Florentinis duce Petro Strozzio, Florentiæ inhiavit. Hinc Medices cum Cæſare inito fœdere, Anno 1553. adversùs Senenſes irrupit, nec deſtitit, donec Senenſibus ſervitutem impoſuit magno Senenſium queſtu contra Iuliū, quòd paſtor communis, eius Vrbis res minimè procuraſſet, in quâ mater nata, ipſe educatus, & perpetuâ humanitate cultus fuiſſet. Sed Coſmo Duci gratiam referre voluiſſet, qui initio Pontificatus oppidum Hetruriæ montis S. Sabini, titulo Marchionatus donaſſet *Balduino* fratri Pontificis. Qui etiam finito bello filiam in matrimonium Fabiano Montio Balduini filio, quæ poſteà Alfonſo Ferrariæ Duci nupſit, deſpondit; Paulus 4. ut inde poſſet à Duce pecuniam Eccleſiæ debitam repetere, *Io: Franciſcum Lotinum* conſiliorum illius belli conſcium, in mole Hadriani detentum, iudiciali ritu interrogari voluit; ſed nil repertum à Pontifice datum, qui quietis avidus, & bello afflictus priore, ſe medium perpetuò geſſerat, fruendo potiùs, quàm regendo, Pontificatum magno Vrbis, ac Chriſtianorum incommodo. *Panvin.*

Papa pacem procurat inter Reges.

Senenſes in ſervitutem adducti.

Querelæ in Papam

8. *Luſtralem Annum*, qui fuit Salutis 1550. quem more maiorum apertis quatuor portis, & clauſis, religiosè coluit ſæpè populo benedicens, & celebrans. Convenere ad Vrbem nationes frequentes, ſed Italicæ. Huius Iubilȩi memoriam quatuor nummiſmata ſervant (ut in p. 185.) quibus duo alia ſubſequuntur in quibus puella exhibetur cum ſpicis. Corona autem, laurea, monticuli appoſiti, iidem ſunt, qui in faſciâ tranſverſâ parmæ gentilitiæ huius conſpiciuntur Pontificis, ſub titulo *Hilaritas Publica*; *Hilaritas Pontificia*, Annum primum annuens Pōtificatus eius inter eos, quos Populus Romanus vidit lætiſſimos, nō modò ipsâ Iubilæi feſtivitate, ſed ipsâ Pōtificis temperantiâ. Eodem anno poſt auditos Oratores Principum, quos *Obedientia* dicūt; Stephanum Armeniæ maioris Patriarcham, qui ſub Paulo III. cum duobus Epiſcopis, & uno Archiep. Romam venerat, multis honeſtatum donis in patriam remiſit. Vectigalia aliquot à Paulo III. imperata molarum, & contractuum edicto ſuſtulit. Montem Iulium ex vectigalibus annonæ, Ripæ, Ripettæ inſtituit, qui in duodenos aureos annuos pro centenario redderet. Privilegia incolentium urbem, & Curialium confirmavit, ius condendi teſtamenta iis tribuit, & nè morientibus ab inteſtato iniuriam inferret Fiſcus Apoſtolicus prohibuit. Edictū, quo Clericis Romæ deſcedētibus ſpolia eripiebātur abrogavit. Libros Hæreticorū damnavit, eoſq; legi, & teneri gravi pȩnâ vetuit: idē de Iudæorum libro Thalmud, ac ſimilibus Codicibus Chriſtum blaſphemātibus ſanxit; quibus etiam privilegia confirmavit. Romanæ Sedis Pœnitentiarii munus firmavit. Epiſcoporum aſſiſtentium privilegia auxit. Apoſtatas ad ſua monaſteria redire iuſſit; eoſq; à facili monaſteriorum exitu repreſſit. Vrbe gravi frumenti inopiâ laborante tritico advecto, famis incommoda, quantum potuit, ſublevavit. *Panvinius*.

Iubilæū.

Nummiſmata.

Initium fauſtum Pontificatus.

9. *Anglia* Anno 1553. Mortuo Eduardo VI. Anglorum Rege. Maria Henrici VIII. & Catharinæ Arragoniæ Cæſaris Caroli V. materteræ filia cum regnum manifeſto divinitatis auxilio ſuſcepiſſet; Iulius Pontifex *Reginaldum Polum* Cardinalem Anglicum, virum in eo regno primarium (qui tunc in monaſterio Maguerano ad lacum Benacum agebat) Legatum in Britanniam ſummâ cum poteſtate creavit. Polus non antè ex Italiâ excedere conſtituens, quàm Angliæ ei eſſet explorata conditio; miſſus *Io: Franciſcus Commendonus* Venetus, Pontificis cubicularius impigri ingenii vir, qui, Londinum accedens (ubi obſequii ſpetie Hæretici Reginam in cuſtodiâ ſervabant) ſæpè eam allocutus ſyngrapham accepit, quâ *obedientiam ſedi Apoſtolicæ, & ſchiſmatis abſolutionem pro Regno petebat, clam tamen, donec ſedato tumultu, per Oratores id facere licèret.* Hȩc cū Iulius accepiſſet, Polum cum liberâ facultate ad expiandum regnum, & ritus reſtituendos Catholicos legavit. Legatio hæc Cæſari minimè placuit ſuſpicantis, quod Polus regiâ ortus ſtirpe Reginæ ambiret coniugium, quam Philippo filio deſignabat, vt Gallis vim faceret. Ipſa namquè Maria non ſemel Commendonum interrogaverat, an ſperanda *Pontificis diſpenſatio, ut Polus quamvis Diaconus connubium ſubiret?* licèt poſteà Gallorum viciniâ perterrita, maritum quæreret, cui ſi regnum tradebat in dotem, ipſe plurium regnorum vires adiiceret in cōtradotem. Diſſipata ergo conſilia malignantium, pactis nuptiis inter Philippū, & Mariā; factuſq. aditus Polo, vt ad Cæſarem accederet, omni honore ſuſceptus, obviam ei procedente duce Sabaudiæ. Exordium legationis ab epiſtolâ reſponſivâ, quam de pace promovendâ acceperat ab Henrico Gallorum Rege. At cum in eâ, ſpetie pacis Gallus claſſicum caneret; indignatus Cæſar Legatum redarguit; *Melius fuiſſe, Domi ſubſiſtere* Ingratam porrò ſuſpicatus Polus legati perſonam, non legationem à Papa revocari rogavit. Cuius

Anglia reconciliatur.

Polus ad Cæſarem legatus. Anno 1554

miſſo Iulius: *Indignum Polo vitam claudere inconſtantiâ, poſtquàm patriam, patrimonium, parentes Religioni immolaſſet, ac tantâ tranquillitate iacturam ſuſtinuiſſet Pontificatus, quem quaſi poſſederat, priuſquam ſperaret. Famam, quæ exeuntem è Conclavi erat comitata Polum ſinè thiarâ, centum prævalere thiaris. Semivivum nè timeret* (Carolum V. carpebat morbo pœnè abſumptum) *viriliter ageret, pro coronâ verè Apoſtolicâ, ſi patria Eccleſiam, Eccleſiæ patriam reſtitueret. Divina forſan Providentia corona eum non exornavit Pontificiâ, ut diademate redimeret pretioſiore, quod haud ſanè ſubiret, ſi eum Pontificia brevi murorum ambitu intercluderet. Occaſionē quaſo ne foveret calumniādi, quòd novo ambitu prenſaret Cæſarem pro petitione Pontificatus futuri.* Currenti hæc fuere calcaria; qui verus Chriſti miles dummodò Chriſtum non pateretur diviſum, ipſe dividi, & ſeparari cupiebat. Cæſar Polo dicebatur infeſtus; quia duo nepotes eiuſdem Poli, Dilingæ vnus Mariæ nuptias cum Philippo, Angliæ inſimulaſſet inutiles; alter verò ex Britanniâ ſecedens Pariſios ad Polum aufugiſſet, nè eas probaret, quę tamen Polus correctum repellerat. Ipſe etiam accuſabatur Polus in publico convivio damnaſſe coniugium. Quod falſum; nam Polus nec probaverat, neque improbaverat, ſed medius incedens, nemini voluit eſſe ſuſpectus. Donec certior de matrimonio futuro per literas gratulatus, omnia ſolvit amoris argumenta, & obſequii. Regina reiecto titulo *Capitis eccleſiæ Anglicanæ*, Catholicos Eccleſiis præpoſuit vacantibus, quos eâdē rogante Polus, & Pontifex confirmarunt, cum dubitaretur, an Poli iuriſdictio locum haberet, extra limina degens legationis ſuæ. Hac occaſione, literas dedit ad Philippum, interprete Bartholomæo Catanzâ, verè Apoſtolicas, per quas excepius Legatus tribus conditionibus, *Vt primâ fronte ingrederetur tanquàm Cardinalis, non Legatus, nè tumultum excitaret. 2. ut legationem exerceret* Regibus *arcano communicato Legationis. 3. Vt Papa facultatem ei ampliaret non ſolùm diſpenſandi cum clericis coniugatis, ſi beneficia deponerent, & ab altari abſtinerent; manducandi carnes in diebus vetitis,* Componendi, *&* tranſigendi *circa bona uſurpata, ſed etiam* donandi; *nè uſurpatores crederent ſe in iudicium vocari.* Reſpondit Polus, quod cum Iulius Pontifex Romanus non niſi ſalutem quæreret animarum, ei novo diplomate omnia indulſerat. Feſtivè tunc Nuntius à Philippo miſſus Polum invitavit ad traiectum, teſtatus quod ſi hæc Regibus innotuiſſent, iam teneret Britanniam. Abſolvit tandem mandata Nuntius, Archiepiſcopatum Canturbenēſem Polo offerendo, ut Primas foret in totâ Britāniâ. Cui Polus modeſtè negavit, quòd inſcio Pontifice miniſter eius nil poſſet accipere: & quod negotia publica eſſent præferenda privatis: Hæc cum Iulius Romæ accepiſſet, etiam priuſquàm tabellio Legati adventaret, omnia confirmavit; immò Carolo permiſit, ut regnum Neapolitanum Eccleſiæ Romanæ feudum Philippo filio conferret, nè ſponſa minor thalamum ſcanderet. Difflatis ergo calumniis eorū, qui Polo invidiam conflare tentaverant: miſit Maria duos viros primarios *Pagetum*, *& Eduardum Haſtingum* præfectum ſtabuli Regii, qui Polum Bruxellis honorificè deducerent Dovetam. Ibi ab Elienſi Epiſcopo, & Montiſacuti V. Comite exceptus, magnoq;

Polus Londinum venit Anno 1554

A nobilium confluentium numero, tandem Graveſindæ ad ripam Tameſis, obvios habuit Dunelmenſem Epiſcopum, & Comitem Salopienſem, qui de adventu gratulantes, diploma exhibuerunt de lege in comitiis abrogatâ, quâ ille hoſtis Patriæ damnabatur; utquè major auctoritas abrogationi accederet, ipſum Philippum, & Mariam præter morem (nam ſemel cùm coguntur, & dimittuntur, Reges ad comitia accedere ſolent) comitiis intereſse voluiſse. 9. Kal. Decemb. Londinum venit, argenteâ cruce (quæ inſigne eſt Legationis Apoſtolicæ) in prorâ cimbæ conſtitutâ, ut ab omnibus aſpiceretur. Navigio egredientem Epiſcopus Vintonienſis Regni Cancellarius cū pleriſquè proceribus exceperunt. Philippus, qui adhuc cum Mariâ ſedebat ad menſam, obviamquè procedens, cuidam miranti, quòd ſubdito obviam pergeret; reſpondit; *Legato occurrere Pontificio.* Regina ad B ſummas ſcalas venientem excepit tantâ lætitiâ, quaſi eo momento regnū ſcanderet. Triduò poſt veniēti Polo occurrit Rex extrà cubiculum, poſtridiè viciſſim ad Polum venit: tandem Comitiis habitis Polus linguâ vernaculâ longā habuit orationem, ut ad pænitentiam excitaret, & leges latas contrà Sedem Apoſtolicam abrogarent. Variè tunc affecti ſunt auditores, alii adhuc memores religionis antiquæ, alii erroribus Lutheri corrupti auctoritatem timerent Pontificis. Cum receſſiſset Polus, tantiſper ut deliberaretur, mox revocatus fuit: eoquè præſente, Vintonienſis Epiſcopus Deo gratias egit, qui pro ſuâ pietate Prophetam ex eorum ſemine ſuſcitaſſet Cardinalem ampliſſimum, Beneficio poſteâ laudato Pontificis, ſeipſum cum cęteris errore lapſum palā faſſus, ac vt reliqui ad cor redirēt, & reſipiſcerēt, admonuit. C Demum prid. Kal. Decemb. D. Andreæ ſacro, Polus ab Arondelii Comite Regiæ domus prȩfecto ſex equitibus comitantibus, totidemque Epiſcopis in Regiam venit; ubi interrogante Regni Cancellario, *Placeret ne eis, ut ipſorum nomine venia peteretur, & abſolutio à Romano Legato?* Clamore magno alii, ſilentio nonnulli aſſentientes, libellum ſupplicem Regibus porrexere rogantes, vt veniam impetrarent, Eccleſiæ Catholicæ reſtitutionem. Lectum libellum Reges Cancellario obtulerunt, vt eum altâ voce recitaret, & interrogaret, *num eam petitionem ratam haberent?* Omnibus affirmantibus, & Regibus deprecantibus, Polus, recitato diplomate poteſtatis ſuæ Regibus in genua procidentibus, multitudini benedixit, eamquè abſolvit. Indè cuſtodiæ dato Thoma Mero Archiep. Cantuarienſi, aliiſquè pſeudoEpiſcopis, ſupra 30. milla hȩreticorum exularunt. Ampla D poſtea ad Pontificem decreta legatio tribus diſtinctа perſonis, quæ Ordinem Eccleſiaſticum Nobilium, & Populi repræſentarent. Regina ablatos Eccleſiæ proventus, quos Henricus in Fiſcum retulerat, plenè reſtituit. Hinc timor, & quaſi ſeditio, niſi maturè Polus occurriſſet, omnes abſolvens uſurpatores ſacrorum bonorum, dummodò præ oculis habentes ſeveritatem divini iudicii, contrà Balthaſarem Regem Babylonis, qui vaſa ſacra non à ſe, ſed à patre è templo ablata in uſum converterat prophanum, ea Eccleſię reſtituerent; & vt ſalutis ſuæ non omninò immemores, tantum ſaltem reſtituerent, quantum ſufficeret pro honorificâ alimonia eorum,

Patriæ reſtitutus.

qui

qui curam gererent animarum. Epiſcopi Cathedralium in ſchiſmate creati, ſi de religione Catholicè ſentirent, perſeverarent. Matrimonia contracta reclamantibus impedimentis Canonicis, ſi ea eſſent, quæ iure poſitivo ſunt introducta, & à Pontifice diſpenſari conſueta; ſubſiſterent. Gratias, beneficia eccleſiaſtica perſonis Regularibus conceſſas à Rege licèt nulliter, & de facto, confirmavit, abſolvit. Oxonii, Cantabrigię collegia omnia ad normam prioris fundationis reſtituit, præpoſito eis Petro à Soto Dominicano Theologo excellentiſſimo, qui accitis collegis omnia brevi reſtituit, atquè purgavit. *Sanderus.* Pallavicin. *l.* 13. *c.* 10. Anglicanæ reconciliationis nūmiſma habes, in quo Maria prona Pontificem veneratur, adſtante Polo Cardinale, ſtipante Carolo V. & Philippo II. ſub titulo, *Anglia Reſurgens ut nunc noviſſimo die.* In altero Septicolles habes Romanos, & in eis Anglos ſub ovium figurà, quæ erraverant, ad Eccleſiam redeuntes Romanam, ſub illo Pſalmiſtæ, *Nos autem populus eius, & oves paſcua eius.*

Exorciſmus Lutherani.

10. *Miracula*, qualia habuerint Hæretici? attende. Exorciſmis à ſe concinnatis Energumenam à dæmone liberare conatus Lutherus Anno Sal. 1545. in Eccleſiæ ſacrario, à malo Genio obſeratà ianuà malè mulctatus eſſet, niſi ianuam ſecuri fregiſſet *Staphilus* eius diſcipulus, qui rem ſcriptis prodidit, & cacatas Magiſtri ſui caligas facetus ſecuturis temporibus turpiter oſtentavit. Anno Sal. 1553. Michaelem Servetum Hiſpanum nefarium hæreticum Samoſatenum, Arianum, Macedonianum Calvinus Genevę compingi iuſſit in carcerem, ac poſteà vivum exuri: huius tamen ſectam Valentinus Gentilis, & Georgius Blandrada Itali per Vngariam, Tranſylvaniam, Poloniam diſſeminarunt. Fuit hæc ætas impoſtoribus famoſa. Tholoſæ quidam mentiens ſe Ioannem Evangeliſtam crematus eſt. Baſileæ duo profeſſi ſunt ſe habere Genium Moyſis, ac S. Petri. His meritò Calvinum accenſeas, qui hoc Anno conatus Brulleum quemdam Heduum, fingentem mortuum excitare, huic vitam ademit, eius uxore veris lacrhymis, Calvini fraudes, & mariti mortem proſequente. *Brietius.*

Hæreticorum pſeudo-miracula.

Supplicia.

11. *Domum ſapientiæ*, hoc eſt Seminarium Iulius 3. Romæ inſtituit, in quo iuvenes alerentur Germani, qui poſteà in paſtores Eccleſiis præpoſiti, catholicà expoſitione Evangelii, Eccleſiam conſolidarent in patrià diviſam. S. Ignatio Loiolæ curam Iulius commiſit, aſſignatis in Annos ſingulos aureis 1500. Huius initia quamvis parva, & humilia, in altiſſimam arborem excreverunt ſub Gregorio XIII. *Pallavicinus l.* 13. *c.* 8. Salmaticenſi etiam Collegio, aureos 700. quotannis attribuit. Cæſarauguſtæ inſuper domicilium ſacrarum virginum à Ioanne olim Conſalvo excitatum, & ab eodem poſteà diſſolutum Pontificis auctoritate, Patribus Societatis attribuit.

Seminarium erigit.

12 *Familia.* Exordia ſancta Iulius purpurà polluit collatà iuveni *Innocentio*, cuius natales tam humiles, & obſcuri, ut adhuc lateant progenitores. Conquerētibus Cardinalibus Ordinē ſuū hominis ſordidi labe commaculari, dicterio reſpondit Iulius (*ſi fides, cui nulla fides. Bodino* 5. *de Repub.* 4.) *Quibus virtutibus, quibus natalibus, quàve eruditione nobilitatum Pontificem me creaſtis?* de hoc puero plura leguntur. Scribit Pallavicinus *l.* 11. *c.* 7 *Trident. Concilii*: Quod Placentiæ cum Legatus degeret *Io: Marià de Monte* puerum conditionis ignotæ, ſed ingenio præſtantem, qui feſtivus ſolebat accurrere menſæ, in familiam traduxit, & literis imbui curavit humanioribus; & ſanè ſtudium expectationi reſpondit, magno Cardinalis gaudio, quòd radicem implantatam, atquè cænoſam ſelegiſſet non infrugiferam. Amoris cauſæ licèt in puero plurimæ, hæc præcipua illi Dominum conciliabat; ne mens videretur erraſſe in electione, & operam perdidiſſe. Amor adeò exuberavit, vt ante Pontificatum in familiam adoptari voluerit à Balduino de Monte fratre ſuo, vt probat Pallavicinus l. XI. c. 8. ex Diario Angeli Maſſarelli Secretarii Concilii, dictus Pontifex priuſquàm de Republicà benemeritos dignitatibus rependeret, vel conſanguineos exaltaret, dictum Innocentium non adhuc plenè puberem, vix enim annum attigerat XVII. primum omnium Cardinalem creavit, atquè redditibus XII. mille nummorum annuis locupletavit. Huius inutilem, & inhoneſtam promotionem excuſaturus apud Patres, nepotes carnales accuſavit impares, & inhabiles tanto oneri. Indè ad morū reformationem progreſsus, intempeſtivà hac creatione deformavit. *Pallavicinus.* Is ille Iulius, qui (eodem Pallavicino teſte *l.* 13. *c.* 5.) qui à Regibus, & Principibus excitatus per coniugia neptum, atquè nepotum, Regalibus ſe imiſcere familiis per Legatos expreſsè reſpondit, *munus Pontificis eſſe, Eccleſiam promovere, non familiam.* Nuntio etiam S. Crucis, qui ſæpè per literas ad ſimilia ſollicitaverat, ſeverè prohibuit, in poſterū talia loqui, vel audire. Et licèt inconſtans plures ex conſãguineis creaverit Cardinales, caſtra tamē nō alienavit Eccleſię, neq. affinitates inivit Regales, quamvis à pluribus ſollicitatus. Solùm à Coſmo Hetrurię Duce Balduinū fratrem paſſus inſigniri Feudo Montis Saſovini patriæ ſuæ ambitu illectus, vt eis familia imperaret, quibus civis convixerat. Pari voto nuptiis ſubſcripſit filiæ Coſmi Hetruriæ ducis cum nepote illegitimo, ſed vivo ex Balduino fratrę, venià tamen priùs impetratà à purpuratorum Senatu, cautione iuratà, quòd illud connubium minimè Reipublicę præiudicaret. Hinc Senenſes iacturam ſuæ libertatis Iulio adſcribebant, quaſi cum Medice conſpiraſſet in Rēpublicam prò familià. Falſum tamen, nam licèt

Hominem indignum creat Cardinalem.

Iulii mores.

13 *Negotio in otium commutato*; de quo Panvinius. *Fuit Iulius ſtaturà procer, facie ſubagreſti, prolixà barbà, naſo grandiore, ore paululùm contracto, acri oculorum obtutu, ut facilis in excandeſcendo, ſic irà ſtatim depoſità mitiſſimus. Exiſtimatus & liberalis, delectabatur ruſticis, & craſsioribus cibis, cepis præſertim, quæ prægrandes Caietà ei advehebantur, aſsiduè convivabatur. Quòd ſi vitæ quam privatus egit inſtitutum, Pontificatum adeptus conſtanter ſervaſſet, multa, quæ eo tempore depravata erant, in meliorem haud dubiè formam eſſent reſtituta. Qui namquè occupationibus totus intentus Cardinalis furtim voluptates ſequebatur, Pontifex factus votorum iam omnium compos, abdicatà rerum curà, hilaritati, & genio ſuo nimium indulſit; uſquè adeò homines præmii ſpe potiùs ad virtutem amplectendam, quàm ipſàmet virtutis pulchritudine accenduntur. Vnum poſtremò etiam crimen datum eſt; quòd tantæ poteſtatis oblitus, omnium maximi muneris* di-

Statura.

Voluptates.

dignitatem parum animadvertens, levibus, & inanibus verbis, ſuam aliquando maieſtatem, non ſinè audientium rubore, aut riſu minueret.

Deliriæ Iulii Villa dicitur fuiſſe, quam vià Flaminià extruxit, & à ſuo nomine Iuliam nuncupavit. Reparavit in eà fontem Aquæ Virginis, quàm M. Agrippa iuxtà rivum Herculanum, in agro Lucullano collectam Romam quondàm deduxerat. Huius aquæ ductus diſruptos Claudius Imperator novos fecerat: Hadrianus I. P. R. Anno circiter 790. reſtauravit: Nicolaus V. ſeptingentis poſt Annis reparavit: Iulius 3. in meliorem ſtatum reſtituit. Chriſtianam namquè Rempublicam indefeſsè adminiſtravit, prioribus preſertim ſui Pontificatus Annis, vnde nummiſma, in quo Arlas genu curuat ſub Orbis pondere cum lemmate, *Pondus immane, vires infracta.* Adiice alterum, in quo *Annona* tipus, quòd Anno V. ſui Pontificatus vrbem frumenti inopià laborantem, aduecto tritico laboravit. Stat tertiũ nummiſma, in quo Prudentia Fortunam vincit cum Græco titulo *vincor* ΚΡΑΤΟΥΜΑΙ. Sed in gratiam Agatoclis potius, quàm Pontificis cuſa ſuſpicatur *Molinetus*, quòd vtriuſquè partis horum nummorum inſcriptio Græca ſit, & quòd indecorum, nudam puellam Pontificis nummiſmati apponere.

Morbũ fingit. 14 *Parma.* Sunt tamen, qui (licèt Iulius malè audiat ob infelicem Parmæ expeditionem, Paſſavii Comitia, & Concilii diſſolutionem) optimè laudent, quia *Baldaino* importunè urgente Pontificem fratrem, ut ei, ac Fabiano Filio, eiuſquè hæredibus Camertium oppidum aſſignaret in Feudum, quod ei regendum mandaverat eam rem procraſtinando diſtuliſset, tandem ne conſiſtoria vocare cogeretur à fratre importuno, languorem finxit, utq. rei fidem magis faceret, cibis abſtinere, eoſq. parciùs, ac inſolitos, ægroto ſcilicèt aptos ſumere cœpit. Ex eà vitæ ratione ludicrè commutatà, morbum ſeriò contraxit, qui ſenem breviſſimè aſsumpſit. Cadaver Canonicorũ S. Petri humeris, de more tenui pompà in Baſilicam Vaticanam delatum, triduoq. populo expoſitum, Lateritio monumento, ponè aram D. Andreæ conditum eſt; & habuit pro epitaphio obiurgationes Papirii Maſsonii, Panvinii, & Thuaniivitam ſcilicet potuiſse inter ludos, aleas, comœdias, & quæ talia comitari ſolent hęrede deſignato Innocentio illo Montano, qui ſceleribus, & morum inhoneſtare infamis, longo poſt tempore, ſacrum Collegium dehoneſtavit. Obiurgationes in eum

Pietatem tamen, & religionem erga Chriſtum dominum, eiuſquè B. Virginem matrem reſtantur nummiſmata. Confirmavit Indulgentias, beneficia, immunitates Lauretanæ Domus; ſacram ſuppellectilem auxit, gradus marmoreos in Templi veſtibulo excitavit; atrium ad loci munditiem lateroulo ſtratum; nonnullas privatas ædes vel ad plateæ ſpetiem, vel incolarum comoditatem è regione porticus extruxit. Singularem Domum Patribus Societatis extruxit: pœnitentiarios delegit ad inſtructionem pere- Devotus erga Deiparam.

A grinantium Sacerdotes Societatis, qui linguarum omnium comercio peregrinos allicerent ad expiationem animorum. Roſam auream, S. Mariæ Maiori in ſignum obſequii dono dedit. Societati S. S. Crucifixi in eccleſià S. Marcelli de urbe facultatem indulſit liberandi annuatim unum capite damnatum, citrà tamen læſæ maieſtatis crimen, cum ampliſſimis Indulgentiis. Pallia, veſtes cuiuſq. coloris auro contextas Baſilicæ attribuit Lateranenſi; Canonicorum S. Georgii in Algà privilegia firmavit antiqua. Munera Eccleſiis data. Firmat privileg. Canon. S. Georgii in Alga

Sepulchrum eius in Vaticanis cryptis viſitur adhuc ſolo Iulii III. nomine inſcripto, vt habes in paginà ſequenti. Sepulchrum.

Scripſerunt de eo Ianus Vitalis plurima carmina. Paulus Iovius miſit ei hiſtoriam ſuam: Cæſarum imagines, & nummiſmata eidem ſunt dedicata. Antonius Franc. Rametius librum edidit de creatione B Iulii. Iulianus Cæſarinus eiuſdem Conclave ſcripſit atq; Diaria. Seraphinus Eccleſianus carminibus inſignia Iulii exornavit. Eidem librum de Iubilæo inſcripſit Io: Bapt. Paulianus. Eius liberalitatem carmine teſtatam reliquit Fauſtus Sabæus. Scriptores de eo.

Anno 1550. Iulii Pontif. 1. Romam venit Petrus Carolus è Doctore Sorbonico miniſter factus hæreticorum, qui cum Calvini blaſphemias in S.S. Trinitatem, & Nicænam ſymbolum advertiſſet, ac ſcripto publicaſſet, abiectà infami ſocietate Romam venit, & apud Robertum Cardinalem Lenoacurtium piè obiit teſte Genebrardo contra Bezæ impuriſſimi calumniam, ſcribentis in vita Calvini, eundem Petrum Romæ cum ludibrio exceptum inopià præmente, & Gallica ſcabie vix in Xenodochium exceptum miſerè ibidem periiſſe. Petrus Carolus Sorbonicus.

C Iulii III. plures cum recurrant memoriæ; vnam habes in Vaticano, vbi bibliothecam extruxit privatam.

Iulii III. P. M.

Ad honeſtum ab ingentibus curis animi relaxationem literarii otii fructum, & iucunditatem, bibliothecam privatam fieri, & exornari iuſsit Pontif. An. 1.

In Eccleſià S. Pauli in via Hoſtienſi ad Portam Sanctam.

Iulii III. P. O. M.

Preceptis, & auſpiciis porta hæc ab ortu Iubilæi An. M. D. L. patefacta eſt, ac eo exacto rurſus pariete abſtracta, ſacras cæremonias Io. Card. de Salviata Ep. Portuenſi de more agente.

In Eccleſià D. Bernardi

D *Iulio III. P. O. M. Catharina nobilis Sfortia avunculo amantiſsimo, & benemerentiſs. ſed. A. V. M. I. D. XVI. Vix. An. 78. Obiit IX. Kal. April. A. M. D. LV.*

Peruſii antè ædem S. Laurentii ſtat Statua ænea cum inſcriptione ſequenti.

Iulio III. P. M. ob reſtitutos Magiſtratus piè deprecantibus Fulvio S. R. E. Card. & Aſcanio Corneo ex ſorore nepotibus, ad muneris, gratiquè animi perpetuitatem Peruſia dedicat.

MAR-


IVLY.III. P.M. SEPVL. IN CRYPTIS VATIC.ET NVMMISMATA
GENS ET REGNVM QVOD NON SERVIERIT TIBI PERIBIT
ROMA
ROMA
ROMA
BONONIA
VILLAE IVLIAE
IVLIVS.PAPATERTIVS
Gio: Palazzi sculp.

O.

MARCELLVS SECVNDVS PONTIFEX ROMANVS CCXXIV.



CCXXIII

CRucem, quam Magno Conſtantino oſtendit de Cœlo Deus ſub lemmate, *In hoc ſigno vinces*, Marcellus adſumit in ſymbolum ad propugnanda mœnia remiſsà cohorte, quæ ſtipare ſolebat Pontificem; dicens ſatius eſse, ſi ab impiis occideretur, quàm Reipublicæ Chriſtianæ tam indecorum præbère exemplum, ut gladio propugnaret Crucem.

Eligitur A. 1555. die 5. Id. Apr. Obiit die 27. Cũ ſediſset dies 22. Vacat ſedes uſq. ad diẽ 10. Kal. Iun.

ELOGIVM.

Anni Sal. MA 1555. II

REſpira Roma, Sacerdotem habes,
Sinè patre, ſinè matre, ſinè genealogià.
Talis cum non eſset, eſt dictus Melchiſedech
Vt poſteris pingeret imaginem Pontificis ſancti.
Magna ſemper ſub Marcellis Roma:
Vrgẽtib⁹ Cardinalib⁹ mutationẽ nominis, dixit:
Nec nomen mutabo [10] *nec mores.*
Marcellus fui, Marcellus ero.
Claves ei pater cum [2] prædixiſset, & promiſiſset
Excitatus ad nuptias, reſpondit:
No'le vinculis matrimonii curſũ irretire Stellarũ.

A Eam tamen ſervàvit modeſtiam iuvenis;
Vt eo preſente, Muſæ conticeſcerent impudicæ.
Antiquitatis [3] volumina ita indagavit ſollicitus,
Vt à finibus quæreret Orbis terrarum.
In curã cũ recepiſset à *Paulo III.* Card. [4] *Farneſiũ*
[5] Reſtituit nomine, & moribus Alexandrum.
Eum ſibi cum penè præfeciſſet Paulus,
Marcello inconſulto, nil audebat tranſigere.
Concilio [6] præpoſitus Tridentino,
Ut lumẽ eſſet ad cognoſcẽdũ digitũ Dei ſcribẽtis.
Libros Canonicos Canonẽ coarctavit:

Anni Sal. MA 1555. II

Ne

Ne quid indè temerè crederes.
Bellarmini magiſter & patruus cum nepote,
Doctores omnes examinavit vivos, & mortuos.
Ut ſinè errore legi poſsint, etiam qui errarunt.
Tridenti, Legatus cum eſſet Spiritus Sancti,
Cæſarem timuit, ſed uſquè ad aram.
Amicos tāti fecit, ut gratiā Cardinalis de Mōte,
Seipſum Legatione ſpoliarit [7] Bononienſi
Defuncto Paulō III. ſubrogatum Iulium,
De bono regimine tam ſeriò monuit;
Ut Pontifici lachrymas [8] excuſserit.
Fuit Marcellus Iulio; qualis Petro Paulus;
Utinā & *Iulius Marcello* fuiſset, qualis *Paulo Petrus*:
Sed ſuos Iulius oblivviſci noluit, vel non potuit.
A Moriente Iulio [9] Papa prædictus.
Eo tempore, quo animus hominum eſt penè propheta.
In aditu velut in cunis, iugulato ſuorum amore;
Iuſſit affines [10] abire palatio:
Nè Petri patrimoniū crederet pratrimoniū ſuū.
Timens per oculos ſorbere venenum,
Toto Pontificatu nec eos videre ſuſtinuit:
Fratres dicens pauperes, & peregrinos.
Excitatus aulæ reformationi [11] ſubſcribere, noluit:
Dicens: *factis opus eſſe, non verbis.*
Optimi Principis pauca dicere, plura facere.
Rotæ Auditores [12] ſe ſalutatū de more veniētes
Iuſſit ī poſterū domi cōſiſtere, & vacare iuſtitiç.
Æquè Cæſarianus, ac Gallus.
Reges de pace [13] ita oravit, rogavit,
Ut vel cōvenirent; vel ipsū Legatū expectarent.
Intercedētibus Hiſpanis [14] pro quodā homicidā
Negavit ab iniuſtitiā exordiri Pontificatum.
Aulam meditatus ab arā ſecernere: (gere.
Voluit Præſules [15] cōtētos clavibus, clavū nō atti-
Gregem deſerere, [16] *etiam ut Deum adeas; Lethale*
Ad Deum in Sinam conſcendit Moyſes:
Et illicò ad iumētū deſcēdūt Hebrei iumēto ſimiles.
Eccleſia nè viveret more caſtrorum:
Satellites [18] exauctoravit, qui ſtipabāt Pontificē.
Clavibus, nō gladia cuſtodit Petrus portas Cælorum.
Veſtibus nè operiretur nō ſuis, vel ęre alieno;
In pecuniam conflari iuſſit vaſa [17] aurea:
Ut creditoribus ſatisfaceret.
Hunc typum deſignabat Eccleſiæ:
Cum hoſtibus viſa, & inviſa virtus,
Intra menſem veneno [19] periit.

ADNOTATIONES IN MARCELLO SECUNDO PONT. ROM. CCXXIV.

Marcelli natalis.

1. M*Arcellus* filius *Ricardi Cervini* claræ familiæ viri, & agri Piceni theſaurarii, ac *Caſſandrę Bencia* nobilis, & honeſtiſſimę fœminæ, Anno Sal. 1501. naſcitur, pridiè Non. Maii in oppido Montis Fani. Novem Annis ſub Alexandro 6. quęſturæ munere magnā cum laude functus Ricardus literas accepit ab eodem Pontifice, & Auguſtino Barbadico Venetiarum Principe plumbo ſignatas. Illius quidem ſic. *Dilecto filio theſaurario provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ, Alex. P. P. 6.* Huius verò ità. *Auguſtinus Barbadicus Dei gratià, Dux Venetiarum, &c. Magnifico* D. *Ricardo Cervino Marchię Anconitanæ Apoſtolico Theſaurario ſalutem, & ſynceræ devotionis affectum.* Duos fratres habuit Marcellus ex eodem patre genitos, ſed ex novercā Alexandrum, & Romulum. Hic præſtantis ingenii vir, triennio antè eius Pontificatum, magno fratrum mœrore deceſſit. Ille quinquennio poſt è vitā migravit, quatuor filios ſuperſtites relinquens: quorum Herēnius egregiæ indolis iuvenis, patrui virtutem referens, à ſupplicibus libellis referendis Pontifici præſto erat. *Cæterum Marcellus* (inquit Panvinius) *à primā ætate liberalibus diſciplinis, patris ſtudio educatus, poſtquā adoleuit, Senis, ubi bonarum artiū ſtudia maximè florebant, aliquandiù commoratus, atquè in Academicorum ſodalitatem cooptatus, omnium favorem ſibi facilè conciliavit, undè ab æqualibus frater, à maioribus filius diligeretur. Tanta eius modeſtia, & continentia, ut cum quid non ſeriò, ſed per iocum inter amicos paulò liberiùs forte ageretur, aut diceretur, adventu Marcelli omnes illicò conticeſcerent.* *Qui animadverſo Stellarum curſu, qui tum erat, quum puer naſceretur, ex eorum coniunctione ſummā eccleſiaſticam dignitatem filio prædixiſſe fertur, cui quidem perſuaſioni poſteà Marcellus indulgens, quum poſt multos annos à civibus ſuis ad nuptias incitaretur, conſtanter recuſavit, per iocum nolle ſe dictitans, longè clariorem ſtatus conditionem, quam ſibi aſtra portendebant, matrimonio veluti vinculis impedire. Poſtquam Senis diſceſſit, ubi honeſto otio, ac literis aliquandiù operam dederat, Romam primū in comitatu legatorum Florentinæ Reipublicæ, qui Clementem VII. civem ſuum Pontificem maximum recens creatum, Chriſtianorum omnium more veneraturi adibant, profectus, Pontifici innotuit, quo cum Ricardus pater in privatā vitā amicitiam habuerat, eiq. patris nomine arcana quadam ad rectam aſtrologiæ cognitionem communicavit. Pontifex Marcello iniunxit, ut ad patrem reverſus eum ſuo nomine ad Tabularum Aſtronomicarum, quæ anni rectam curſus rationem reſpicerent, perfectionem ſollicitaret. Eam rem Pontificis iuſſu Ricardus confectam Marcello Romam redire iuſſo Pontifici miſit. Cuius ſuaſu Marcellus infelicis epiſcopi .... Datarii contubernio aliquandiu permanſit. Lachrymabili Urbis caſu in patriam profectus, rebus compoſitis Romam rediit, ubi ſcriptor Apoſtolicus factus, Alexandrum Farneſium Cardinalem, qui patrem eius Ricardum bellis domo profugum, caſtrique ſubſiſtentem, & Canini frequenter ſe adeuntem, ob Aſtrologiæ artis peritiam, magno in pretio habuerat, aſſiduus colere cœpit. Quo tempore in Angeli Colotii, Conſtantini Laſcaris, & aliorum eius ætatis litteratorum amicitiam inſinuatus, virtutis cauſa non mediocri in honore habitus eſt.*

Studia.

Papa prædicitur à Patre ſuo.

2. *Ex ſydere.* Narrat Panvinius, quòd Marcelli pater *Ricardus Aſtrologiæ peritiſſimus (quanquam iudiciariam averſaretur) Marcellum filium maximum in Dei Eccleſia virum evaſurum eſſe pro certo ſibi perſuaſerat.*

3. *Antiquitatis* ſedulus indagator, *nobili perquirendorum Codicum ſtudio primùm vacare cœpit, cui etiam Cardinalis* (Panvinius proſequitur) *tantum incubuit, ut refertiſſimam optimorum voluminum Bibliothecam*

Antiquitatis indagator

confecerit. Patris morte in patriam redire coactus, curæ vacavit, ſorores honeſtis matrimoniis nuptui tradidit. Clemente VII. mortuo, quùm Alex. Farneſius Pauli III. nomine Pontificatum obtinuiſſet, Romam quarto in Roberti Pucii antiqui amici, qui poſtea Cardinalis & ipſe fuit, comitatu rediit, à Pontifice benignè ſuſceptus. Qui eùm Pontificatus initio

Nepoti Pauli III præpoſitus. 4 Alexandrum Farneſium *nepotem in Diaconorum Cardinalium numerum allegiſſet, & viris undiquè conquiſitis, quorum mores anteacta vita probaſſet, quoſquè puero coaleſcenti, & adhuc tenero, quaſi vitæ ſpecimen quoddam conſpiciendos proponeret, quo iis quaſi ſepta clauſtris lubrica illa ætas cõtineretur, inter alios etiam Marcellum adlegit, cuius operà in epiſtolis ſcribendis uteretur. Erat enim Paulus Pontifex ingeniorum æſtimator acerrimus. Quod munus maximà cum integritatis, prudentiæ, & dexteritatis opinione ita geſſit, ut omnibus, qui Reipub. adminiſtrandæ, cæteris aptiores videbantur, unus ipſe omnium iudicio præſtare putaretur. Quare cùm Alexander Cardinalis in partem Reipublicæ, à prudentiſſimo ſene eſſet aſſumptus, nè in tàm tenerà ætate, ſtatim maximorum negotiorum mole obrueretur, Marcellum, qui in conſiliis, & curis adoleſcenti aſſiduus eſſet, præſto eſſe voluit: erat enim rebus gerendis gravis, prudens, & in iiſdem conficiendis expeditus. Quem tum etiam indies magis magiſquè gratià ſuà, & favore creſcentem, Pontifex protonotariorum numero adſcripſit, & eum ad Cæſarem uxoris obitu mœſtum in Hiſpaniam conſolandi gratià, cum ampliſſimo adoleſcente Farneſio ire iuſſit. At non longè poſt, quò maiore apud nepotem ſedis Apoſtolicæ iam negotiis præpoſitum, & Galliam de maximis graviſſimarum rerum negotiis Legatum, cum dignitate eſſet, Neocaſtrenſem deſignavit Epiſcopum. Nallum enim iam negotium, nulla legatio, Marcelli conſilio, & viribus, non digna videbatur. Firmatà iam ætate, quùm ad Imperatorem Cæſarem Carolum quintum Auguſtum Cardinalis Farneſius Legationis munere fungeretur, eidem Marcellus, qui Pontificis nuntius eſſet, comes eſt datus. Ubi à Pontifice frequenti Senatu, ſummo eum Verborum honore commendatus, abſens in Belgii XIV. Kalend. Ianuarii anno ſalutis M.DXXXIX. Cardinalis presbyter tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem renuntiatur: & quum Reipublicæ causà Alexandrum Cardinalem, non ita multo poſt Romam reverti opus eſſet, Pontifice de more in ſenatu referente, ſummo patrum conſenſu placuit, ut is apud Cæſarem legati munus pro Farneſio obiret. Romam demùm reverſus, Regienſem Epiſcopum obtinuit. Paulum III. prudentià, & dexteritate ſuà adeò ſibi devinxit, ut graviora, & maioris molis negotia Pontifex.*

Dignitates.

5. Marcello inconſulto *nunquàm tranſigeret, ratus non alium quenquam cui crederet, magis toto in Senatu ſe habere poſſe.*

Concilio præpoſitus Tridentino. 6. *Concilio præpoſitus* eà virtute, ac libertate auctoritatem defendit Pontificiam, ut *quum Carolus V. Imperator Tridentini Concilii tranſlationem, quam ex Pótificis auctoritate Legati adornabant, ægrè ferret, Marcelluſquè in eà re ab eo diſſenſiſſet, quòd Cæſaris voluntatem, Romanæ ſedis dignitati adverſari videret, à Cæſaris miniſtris interpellatus, neque minis, neque precibus à ſententià moveri potuit. Eà re Cæſari invisus, quum* Cæſari ſuſpectus. *graviora eius verba ſibi relata audiviſſet,* Cæſarem quidem in corpus, in animam verò ſuam nihil ei iuris eſſe, *reſpondit.* Ceterùm eius facta Dei iudicio reſervari, qui unicuiq. iuxtà merita ſua eſſet retributurus *Tridentini verò Concilii Bononiam tranſlationi operam ſuam præſtitit, manſitquè aliquandiu Bononiæ in eà ſynodo, ubi Reipub. Chriſtianæ adminiſtrationi deditus, ab omnibus quaſi Pontifex M. futurus obſervabatur.* Panvinius. Pallavicinus Hiſtor, Concil. Trident.

7. *Bononienſi Legatione.* Suſpenſo Bononienſi Concilio, quùm Romam reverti conſtituiſſet Cardinalis Cervinus; *Io: Maria de Monte Cardinalis alter Concilii Legatus eum rogavit, ut à Pontifice ad vitæ ſuæ ſuſtentationem Bononienſem Legationem ſibi impetraret. Id Marcellus annuit. In vià Pontificis diploma ſuſcepit, quo eum inſcium eadem legatione honeſtatum, ut Bononiam rediret, monebat. Sed Marcellus amici memor rectà Romam contendit, tantumquè apud Pontificem nonnihil reluctantem effecit, ut legatio ipſa ab ſe ad Cardinalem Montanum tranſlata fuerit.* Panvinius. — Bononienſi legatione ſe abdicat in gratiam amici.

8. *Lachrymas.* Defuncto Paulo 3. *quùm in eius locum idem Cardinalis Iulius III. vocatus, quo cum arctiſſima amicitia nexu* (ita Panvinius & Iulius Pogianus. Cabrera) *coniunctus erat, Pontifex factus eſſet, abſens (conclave enim adverſà valetudine conflictatus exierat) primùm per nuntium ei gratulatus eſt, mox viribus parumper recuperatis, cum Urbe egredi ad ſalubriora loca medicorum conſilio ſtatuiſſet, ſe ſella impoſitum, ad Pontificem deferri curavit. Quo cum longum ſermonem inſtituens, cum tot colloquiorum, quæ de communi eccleſiæ utilitate Tridenti, & Bononiæ, quum uterquè eàdem Concilii legatione fungerêtur, habuiſſet, admonuit, ut quum ipſum Deus Optimus Maximus vicarium ſuum delegiſſet, modò in poteſtate ſuà eſſe cognoſceret, pia illa deſideria exequi poſſe, enixequè eum rogavit, ut nullà neque propinquorum, neque aliarum perſonarum ratione habità, ſe à ſanctis inſtitutis permitteret deiici, ſummi ſacerdotii, & apparentis fœlicitatis honor brevi tranſigi: mucietam, pileum, ſoleas purpureas, ſtolam lineam, tunicam ſericeam, brevi conſumi, quæ haud ità multò poſt cum corpore ipſo verminum domicilium futura eſſent: benefactorum verò præter æternæ vitæ præmium, quàmdiuturnam memoriam in benedictione hominum tranſmitti. His, & ſimilibus affectuoſe dictis, Pótifici lachrymas excuſſit. Eum deindè ſæpè vetuſtæ inter eos amicitiæ iure, & officii ſui memor, ubi occaſio ſeſe obtulit, modeſtè admonuit. Qui demùm eum fratris, & amicorum importunis precibus peteretur, ut fratrem ipſum Balduinum Camercium Ducem crearet, eoſquè populos ab eccleſiaſticà ditione exẽptos, in principatus formam redigeret, ipſe verò ſe id facturum initio conſtanter recuſaret, Marcellus eius coſtantiam laudare, optimi propoſiti firmam, & immutabilem ſententiam, ſummo verborum honore extollere, & ut in eà opinione perſeveraret monere. Veritus verò, ne Pontifex exigui animi propinquorum ſuggeſtionibus tandem ſuccumberet, eidem petenti conſilium dedit, quo lege caveret, ut nullus Pontifex bona Eccleſiæ Romanæ ſtabilia alienare poſſet, in quam legem ipſe, futuri Pontifices, Cardinales quotquot in poſterum eſſent, iurarent. Donationem verò neceſſariò factam, non antè validam cẽſeri, quàm duorum, aut triũ ſubſequentium Pontificum auctoritas acceſſiſſet: atquè hac ratione ſe omnes ſuorum impetus retundere poſſet docuit, ſi ea peterent, quorum tradendorum poteſtate eum exutum eſſe cognoſcerent. Poſtremò cum Iulius III. propinquorum importunis precibus, quæ de Camerino agitaverat, exequi conſtituiſſet, ac Cardinale quodam internuntio, eidem valetudinario, & poſtridiè Urbe exituro inſinuaſſet, Marcellus rem verbis quantum potuit acribus, &* — Monita Salutaria ab eo data ad Iulium 3.

va-

validis rationibus diſſuaſit. Cuncta verò aliis aliquot patribus, ne rei ignari de improviſo in conſiſtorio præveni-rentur, inſinuavit, & quum ipſe ex Vrbe ob infirmitatem diſceſſurus eſſet, eos monuit, nè Pontifici de ea referenti aſſentirent, quam ipſe tantopere diſſuaſiſſet. Vrbe excedens Eugubium in Vmbriâ, cuius civitatis Epiſcopatum gerebat, deindè ad Montem Fanum oppidum aeris ſalubritate conſpicuum profectus eſt.

Papa prædici tur.

9 *Moriens Iulius* Marcellum Papam dicitur prædixiſſe futurum. Sed longè anteà Papa prædictus legitur à S. Malachiâ Archiepiſcopo Armicano, gemino verbo *Frumentum floccidum*, quia Marcellus *frumentum* haberet in ſtemmate. Adiungitur *Floccidum* quià ſolis diebus 22. vixit in Pontificatu. Scribit Sfortia Pallavicinus *l.* 13. *c* 11. in Diario Ludovici Firmani Cæremoniarum magiſtri: quòd cum ipſe ad oſtium Conclavis die 9. Aprilis An. 1555. expectaret vocari, ſi fortè electio cotingeret Pontificis, audiit à Collega; electionem die 4. ab ingreſſu Cardinalium futuram prædici, & brevi victurum electum. Cardinalibus autem eâ die exeuntibus adhuc diſcordibus, irriſam fuiſſe prædictionem. At cum ſerò iterum coactis comitiis, Marcellus fuiſſet electus; cæperunt admirari, & prædictioni acquieſcere. Triginta novem Cardinales huic adfuere electioni, inter quos Io: Petrus Carafa Theatinus, ſacri Collegii Princeps annum agens 79. cum audiiſſet in comitiis agi per Ranucium Farneſium, & Guidonem Aſcanium Sfortiam, de Marcello Cardinali S. Crucis in Romanum Pontificem eligendo; ſtatim ad eum, quinquaginta tres Annos natum, accurrit: cui auguranti Marcello pro bono communi *ſupremum S. R. E. faſtigium*. Reſpondit, *Nihil magis cupivi, quàm in divi Petri ſolio paſtorem optimum, ſacroquè zelò fervidum aſpicere: & iam Deum votis annuiſſe, cognoſco.* Quare ſtatim antè illum venerabundus poplites flexit; alioſquè ad id faciendum, hortatus. (*Caraciolus l.* 4. *c.* 1. *Caſtaldus c.* 8. *vita Pauli* 4.) die 5. Idus Aprilis Eccleſiæ præpoſuere univerſæ. Alterâ die, à Io: Petro Cardinale Carafà Ep. Oſtienſi (qui mox ei ſucceſſit in Pontificatu) Romanus Epiſcopus conſecratur ſinè pompâ ſolemni, ac cęremoniâ in ſacello Palatii, quia feſta inſtarent Paſchalia. Anteà licet Neocaſtrenſis, & Regienſis fuiſset Epiſcopus, conſecratione inaugurari noluerat. Cuius recta mens adeò ſollicita miſeræ ambitionis cupiditate vacabat, ut omnibus dignitatibus ſummoquè Pontificatui præferendam vitæ innocentiam, incorruptamquè iuſtitiam, in ſuffragiis præcipuè ferendis, neceſſariam affirmaret. Vndè illa tanto viro digna ſententia celebraretur *Pluris fieri debere in Comitiis integrè, & incorruptè verſari, quam Papam creari*. Hoc enim à nobis pendet, illud ab aliis. Thiaram impoſuit Cardinalis Piſanus Diaconorum primus, adſtante *Panvinio*, & cuncta (ut ipſe ſcribit) accuratè contemplante, *magna omnium expectatione, maiore ſpe; Præfulgebat enim ſanctitate, moribus, & doctrinâ, ſic ut ipſius vita omnium cenſura haberi poſſit.*

Morũ iuſtitia

Nomen ſuum in Pontificatu retinet.

10. *Nec nomen mutabo, nec mores. Marcellus fui, Marcellus ero.* Sunt verba Marcelli II. ad Cardinales interrogantes. *Quo nomine vellet appellari in Pontificatu?* Nomen ſibi impoſitum in baptiſmate, etiam in Pontificatu retinuit, Hadriani Papæ 6. exemplo, Aut mirabilem Marcelli. I. Sanctiſ. Pontificis memoriam excitaret, qui Maxentii iuſſu, in catabulum idest ſtabulum animalium pro Chriſto detruſus, equis ſenio confectis pabula miniſtravit. Vel nomen non mutavit, ut oſtenderet digna ſemper cogitaſse Pontifice etiam ante adeptum Pontificatum. Vſus mutandi nomen à Sergio IV. dicitur emanaſſe, qui cum Petrus diceretur, (ut patet ex eius epitaphio in Baſilicâ Lateranenſi) ob reverentiam Apoſtolorum Principis, ſuper quem petra eſt Eccleſiæ erecta, nomen mutavit. Pallavicinus *l.* 13. *c.* 11. Ciaconius *in vitâ Marcelli* 2.

Coronationis memoriam habes ex nũmo pręſenti.



Alter fauſtum preludit Marcelli regimen. Puella namquè Eccleſia eſt dexterâ tenens libros; leva temonem, quo navem regit Eccleſiæ.

Affines non exaltat

10. *Affines*. Eccleſiam quantum familiæ Marcellus 2. prætulerit? audi Panvinium, Ciaconium. *Neminem propinquorum Romam venire voluit, nè fratrem quidem: quodquè hiſce temporibus, & moribus novum eſt. Duos parvulos Alexandri fratris filios Ricardum, & Herennium, quos ipſe in Vrbe educabat, à nemine ſalutari, rarò etiam in publicum prodire, pręterquàm ad ſacra paſſus eſt; eos verò ſericeis veſtibus indutos modeſtiæ admonendos curavit, nec brevi eo tempore, quo Pontifex fuit, illos unquàm vidit. Interpellatus an in palatium ex privatis ędibus introducendi eſſent? reſpondit: Quid illis cum palatio, eorum fortè id patrimonium nè eſſe cenſetis?* Et infrà. Plura cum meditaretur ad reformationem Eccleſiæ, *illud præcipuum erat. Quod fratribus liberiſquè ſuis tantum elargiri, quantum ſinguli è nobilitate homines in redditibus haberent, decreverat: nec ultrà privatorum civium conditionẽ ſe efferre paſſurus erat, non ad principatum, & dignitates evehi, nè aſſem quidem de fructibus Eccleſiæ, niſi de liberâ omnium Cardinalium ſententiâ, eos auferre permiſſurum. Id maximè percupere videbatur, ut eos Venetus Senatus in Patriciorum ordinem adſcriberet, ſummum id honoris genus, quo eos honeſtaret, eſſe reputans;*

Reformationi cur noi. let ſubſcribere

11. *Reformationi.* Inito Pontificatu Marcellus, *quum à Cardinalibus rogaretur ut priſco inſtituto ei diplomati ſubſcriberet, quo iuramento obligaretur, certum tantum numerũ Cardinaliũ eſſe creaturũ. Id facere recuſavit, affirmans ſe id opere præſtaturum, verbis nolle. Cardinalem Mantuanum, qui ei in ſacris aſſiſtebat, longo ſermone de Pontificatus onere alloquens, inter cætera ei aliquando dixit: Se proculdubio ſcire, optimum eſſe, pauca dicere, multa verò præſtare: ipſum autem eâ ratione multa polliceri, ut iis verbis fidem ſuam obligaret; quòd ſi aliquando mali Dæmonis impulſu ab rectè cæptis deſiſteret, ſe eum ipſe poſteà cogitaret, & diceret: Quàm iuſtè de me uti hypocritâ Cardinalis Mantuanus conqueri poteſt, & Pontificatu indignum iudicare, poſtquàm aper-*

tè

tè cognovit verba, & actiones meas præteritas adumbratas fuco, & fallaciis plenas. Panvinius, Ciaconius. Die coronationis, tormenta (ut ſolet) in ſignum lætitiæ explodi prohibuit, ut ex literis Cardin. Roberti de Nobilibus, qui comitiis interfuit.

Auditores Rotæ juſſit Romæ conſiſtere.

12. *Rotæ Auditores.* Tribunalibus omnibus cum neceſſaria ad rectam iuris admiſtrationem obſervãda, ſcripto mandaſſet; audiendis iis, qui negotiorum causà àderant, totus incubuit. *Sed & Rotæ Auditores ſe ſalutatum de more venientes, in poſterum domi ſe continere, & parum neceſſario ſalutandi officio omiſſo, muneri ſuo ſtudioſè vacare iuſſit.* Panvinius. Æquè Cæſarianus, & Gallus, *Oratores Cæſaris, & Gallorum Regis ad ſe accitos, graviſſimà oratione monuit, ut de iis quæ ipſe eorum Regibus ſcripſerat, & ipſi eoſdem certiores facerent, ut in pace ineundà conſentirent, quòd ſi recuſarent, præter Nuntios, & Legatos, ipſe quoquè ad eos hortandos profecturus eſſet.*

Homicidæ non parcit.

14. *Rogatus ab Hiſpanis* veniam indulgere homicidii pro quodam nobiliſſimo Romanorum reſpondit: *Se Pontificatum ab homicidii abſolutione auſpicare nolle.* Idem

15. *Vt Præſules contenti clavibus clavum non attingeret.* Cum reformationem aulæ meditaretur Marcellus, *omnem Eccleſiaſticam Iuriſdictionem viris profanis, & nullis ſacris initiatis demandare cogitaverat.* Idẽ

Mandat Epiſcopis reſidere.

16. *Gregem deſerere*, &c. Eccleſiaſticæ ſanctitati *turpiſſimum eſſe*, dicebat Marcellus, *eos, qui ſacerdotiis ad curam animarum ſpectantibus præfecti eſſent, à ſuis gregibus paſcendis abeſſe, neq; ſe eos Romæ, aut uſquam verſari, niſi ſacerdotiis abdicatis, boniſq. paſtoribus commiſſis, permiſſurũ. Decreverat itẽ, eiectis ex aulico miniſterio cunctis indignis, ſe neminẽ in Palatinis, niſi qui frugi, & honeſtis moribus eſſet, cuiuſq; operà foret neceſſaria, eſſe paſſurũ. Luxũ enim omnium malorum cauſam eſſe, & ipſum peſſimum eſſe dicebat. Quare etiam profuſas ſuperiorum* Pontificum *Sportulas, in modicam quandam pecuniarum ſummã iam vix* Pontificatum *adeptus contraxerat. Collegium Cardinalium ſuprà omnia exornare conſtituerat, neq. quemquàm preterea in eorum numerorum lege veteri repetità, ſinè omnium conſenſu legere, quæſitis quoquè in eorum lectionibus ſummorum virorum teſtimoniis. Quanquàm autem illud in ore habuerit ſe vectigalia, atquè onera publica, per ſuperiores principes impoſita, vel aboriturum, vel ad modeſtam quandam rationem redacturum.* Initio *tamen Pontificatus ærario exhauſto, & magno ære alieno inſuper contracto, coactus eſt præter animi ſui ſententiam propoſitum mutare, & ſubſidium illud triennali trecentorum millium aureorum à Paulo III. indictum continuare, quod tempus præſcriptum exactum eſſet, quo in maximis Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus ſublevari poſſet. Sedis enim Apoſtolicæ ſtabiles reditus ſunt CL. millia aureorum, ex hoc ſubſidio reliqui, &* XXX. *millia, qui cenſibus hauriuntur. Priori pecuniarum indictioni quartam partem redituum congregationum regularium, ac vigeſimam Hebræorum adiunxit. Quod vectigal Cardinalium pauperum ſuſtentationi addicere decreverat.*

Cogitat liberare Eccleſiam ære alieno.

17. *Vaſa aurea, &c.* Præcipua Marcelli cura cum eſſet, æs alienum Eccleſiæ ſolvere. Quo perfecto, quæ de vectigalibus minuendis, vel tollendis conſtituerat, ociiſſimè exequi. *Id ut faciliùs faceret, ſe neque bella geſturum, neque inſanis ſubſtructionibus vacaturum, aut propinquis ſuis principatus empturum, publicè profeſſus eſt. Quà parſimonià, illud ſibi certo perſuadebat brevi Eccleſiam Romanam ære alieno liberaturum. Quum aliquãdo eius menſæ cochlear, & alia inſtrumenta aurea appoſita eſſent, argentea ſufficere dixit: clibanum pro argenteo æream voluit, & ex iis pecunias uſibus Apoſtolicæ Sedis cõflari iuſſit. Ferunt ipſum in animo habuiſſe, Parmæ ſtatum mutare,* Camerinoquè *Farneſiis reſtituto eam Vrbem tunc nutantem Eccleſiæ reddere. Senarum libertatem* (ità Panvinius) *maximè deſiderabat;* Præcipuè; quod à Senenſibus (qui adhuc pacta deditionis cum Medice ſtudio non compleverant) ſollicitaretur oppreſſos erigere: noluit tamen ut concivibus ſuccurreret, & convicinis, pacem turbare Italiæ. Reſpondit *propterea tempori indulgerent, & cum victoribus paciſcerentur honeſtè* Pallavicinus *l. 13. c. 11.*

Recuſat aurea menſæ inſtrumẽta.

Corporis recuſat cuſtodes.

18. *Satellites.* In reformatione, quam meditabatur Marcellus, & hoc erat: *rebus compoſitis viros militares, ac prorsùs omnem militiam à ſe abigere, & in Eccleſiaſticæ ditionis limitibus procul ab Vrbe ad ipſos tuendos fines conſtituere. De ipſis etiam Germanis corporis cuſtodibus exauctorandis, illud ſæpè repetens, multos Principes ſalutari ſigno crucis, potiùs quàm armis adversùs hoſtes defenſos:* Pontificẽ *verò* Maximum, *qui pro Chriſto univerſam* Eccleſiam *gubernaret, ſcutis, & gladiis nõ indigere. Vndè ſatius eſſe, ipſum ab impiis, & ſceleratis, ſi caſus ita tuliſſet, occidi; quàm Reipublicæ Chriſtianæ tam indecorum præbere exemplum. Religionis Chriſtianæ diſſidiis, & his quæ nunc vigent hæreſibus vàldè angebatur, & proculdubio, ſi vixiſſet omnem operam ſuam & ſtudium in eo collocaſſet, ut ſublato ſchiſmate omnes ad concordiam redigeret, vel generali* Concilio, *quod ſemper expetivit, vel alià quavis ratione. Sanctiſſimam hanc eius mentem, ego non aliis referentibus, ſed ex familiaribus ſermonibus inter nos habitis dum Cardinalis eſſet, optimè novi, me enim multum dilexiſſe viſus eſt. Amicitias namquè, quas iam uſq. ab adoleſcentià coluit, conſtanter uſquè ad ipſum Pontificatum maximum retinuit, multis nihil minus cogitantibus, ultrò etiam accitis. Doctos quoquè, & graves viros dilexit in primis, eorumquè familiaritate iucundiſſimè utebatur, quos conſilio, operà, & facultatibus, aliquandò ſublevavit: in his Guillelmum Sirletum, incredibili doctrinà, & pietate virum, quem modò ſolius virtutis ergo* Cardinalem *videmus, quem multis annis domi ſuæ humaniſſimè aluit. Cibi, ac vini parciſſimus fuit, eaquè ſimplicitate, quà privatus quum eſſet, edebat, habebatquè ſive publicè, ſive privatim convivaretur, Anagnoſtem in menſà, qui ſacros libros, aut Sanctorum Patrum ſcripta legeret. Poſt longum in prandio ſilentium recordatus aliquando ea Hadriani quarti Papæ verba: Romano*Pontifice *nemo eſt miſerabilior, conditione eius nulla miſerior, Totius eius vitæ lætitia, & fœlicitas amaritudo eſt, Cathedra* Romani Pontificis *eſt ſpinoſa, iter undiq; conſertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robuſtiſſimos premat, & confrigat humeros: manu menſam percutiens dixit: Non video, quomodo qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvari poſſint.* Panvinius. Legimus in *M. S. Corneliæ Bibliotheca* Venetiis; Deum non ſemel rogaſſe, ex hoc Mundo evocari, tanti oneris timore correptum.

Literatos amat.

Sobrius

Dubitat de ſuâ ſalute.

19. *Veneno periit* (Vt notant Ciaconius, & Genebrardus) quod impius chirurgus occulto ulceri, quo Marcelli crus iampridem infeſtabatur, à tantæ virtuti-

tutibus hoſtibus ſollicitatus, illeviſſet. Panvinius verò nullà veneni mentione factà, ita ſcribit. *Valetudine fuit non ſatis proſperà, honeſto corporis cultu, facie decorus, ore venerabilis, ſtaturà procerus, corpore gracili, capillo ſubruffo, ſuperciliis diſparibus, atquè altero paulo eminentiore. Fuit modeſtus, quietus, temperatus, pro cenſu liberalis, eleemoſynis largus, in inceſſu, & motu gravis, & quamquàm rarus in riſu, tamen quandoquè facetus, & ut uno verbo multa complectar, in quo magnum ſanctitatis ſpecimen, in tam corrupto ſæculo maximè relucebat, qui nobis non ſuo ullo damno, ſed noſtro maximè tam cito fuerit ereptus, maiore profectò noſtrà, &* Reipub. *Chriſtianæ iacturà, quàm ullo ſuo detrimento; fuiſset enim ſi quiſquã alius Chriſtianæ Reip. neceſſarius* Pontifex, *miſeris hiſce, & calamitoſiſſimis temporibus. Quum ſatis (ut dixi) firmis non eſſet viribus, & properreà anno ſuperiori diù etiam febre laboraſset, corpore quoquè tàm comitiorum incommodis, quàm obeundis publicis muneribus, quæ vetere Chriſtiani populi inſtituto, annuis Dominici cruciatus, & Reſurrectionis diebus per maximum Pontificem fieri conſueverunt, fatigato, duodecimo Pontificatus die gravius è pituità, & non levi febre decubuit. Poſtridie ſanguine emiſſo, febris quidem remiſsior fuit, verùm corporis vires imminutæ: viſus tamen eſt, per aliquot dies convaleſcere, quibus diebus ſemper aliquid per familiares egit. IV.* Kal. *Maii quum melius ſe habere videretur, Vrbinatum III.* Kal. *Ferrarienſium Duces. Itèm* Camerarium, *Guiſium,* Farneſium, *& Eſtenſem Cardinales audivit. De Farneſio dixit, ſe operam daturum, ut intelligeret familiæ ſuæ beneficio Paulum III. in in ſe revixiſse. Nocte ſequẽti haud multum quievit.* Prid. Kal. *horà* XII. *apoplexi correptus, omnes paulatim ſenſus amiſit, & hora VII. noctis ſequentis, quæ* Kal. Maii *præcedit ſecundo, & vigeſimo Pontificatus die, vitæ anno quinto, & quinquageſimo minus ſex diebus, maximo ſui apud omnes bonos deſiderio relicto, rebus humanis exemptus eſt, inſigni hominum concurſu, communem iacturam dolentium ad Vaticanum facto. Cadaver publico funere elatum, tenui pompà* Canonicorum *humeris, in Vaticanã Baſilicam delatum, marmoreo conditum eſt monumento. Vacavit tunc ſedes dies* XXII. *De eo verè Virgilianum illud carmen dici poteſt.*

Obitus Marcelli.

Cum luctu omnium.

Oſtendent terris hunc tantum fata, nequè ultra
Eſſe ſinent.

Genebrardus, mutatione uſus ſic vertit.

Oſtendit tantum terris hunc, eſſe nequè ultrà
Permiſit Deus.

Vltimum verbum ab eo prolatum (ut ex *M. S. Bibliotech. Cornel. Venetiis*) fuit; *S.* Petre *ora pro me.*

Sepultum in navi Vaticanæ Baſilicæ, quæ olim nuncupabatur *S.S. Sudarii* inſcriptionem habuit ſequentem.

Marcellus II. Cervinus *Politianus Pont.* Max. *ſedit dies* XXII. *Vixit Annos LIV. Obiit* Kalendas *Maii MDLV.*

Quod ſepulchrum noſtris hiſce diebus coloribus etiam expreſſum in Vaticanis cryptis apparet.

Ex quo loco, recurrente Anno 1606. die 25. Octobris ſub novæ Baſilicæ pavimentum oſſa tranſlata, alterà ibidem marmoreà urnà excepta ſunt. Ex M. S. S. Vaticanis habemus: *Marcellus II. An.* 1555. *die primà Maii ſepulchro marmoreo reconditur in Baſilicæ navi, quæ ſanctiſſimi olim Sudarii nuncupabatur; quo ex loco, recurrente Anno* 1606. *die* 25. *Octobris, ſub nova Baſilica pavimentum tranſlatus, alterà ibidem marmoreà urnà exceptus eſt.*

Fauſtus Sabæus Marcello tumulum talem poſuit.

Epitaphia Marcello poſita.

Non ut Pontificem Summum, Sanctumquè decebat
Marcelle; indigno conderis hoc tumulo;
Parce; ubicumquè iaces, ſemper celebrare: honorat
Non tumulus cinerem, ſed cinis ipſe locum.

Eidem plures inſcripſit Ioachimus Bellaii, quorum primus hic eſt.

Tu quoquè ſi fati potuiſſes rumpere iura,
Tu Marcellus eras, ò miſerande Senex.
At te fata tuis ſolum oſtendere, neque ultrà
Pontificis titulo te voluere frui.
Te, quo nec melior Romanæ contigit Vrbi,
Nec meritis maior, nec probitate prior.
Heu pietas, heu nota fides, devotaquè Chriſto
Pectora, antiquæ religionis amor!
Non illo quiſquam belli componere motus
Aptior, aut vitiis acrior hoſtis erat.
Quanta illi in dubiis conſtans prudentia rebus,
Quantum illi ingenium, conſiliumquè fuit.
Ah nimium fœlix, propria hæc ſi dona fuiſſent
Ah nimium fœlix, tu quoquè Roma *fores.*

Alter verò eſt talis.

Hoc tumulo ſitus eſt Vrbis Pater, & Pater Orbis,
Romanaquè cum propriis publica damna gemit.
Marcellum cecinit divini Muſa Maronis,
Hic quoquè Marcellus, ſi licuiſset, erat.

Marcellum laudavit Cabrera; Iulius Pogianus; Paulus Manutius, *ep. ad Marcellum*; Seripandus in *ep. ad* Camaianum *Epiſcopum Feſulanum. Tomo 3. epiſtol. ad Principes.* In eius creatione Antonius Tabo Albinganenſis orationem ſcripſit, ediditquè Romæ An. 1556. Aliam habuit in eius morte. Marcello adhuc Cardinali librum de ædificatione Eccleſiæ conſcripſit Iacobus Card. *Sadoletus.* Eidemquè literas dedit *Io: Bapt. Sanza,* Clem. VII. olim à ſecretis. Galeatius Epiſcopus Aquini Sermones S. Auguſtini, aliorumquè linguà Italicà Marcello Cardin. dedicavit. Eodem urgente, Annibal Carus duas S. Gregorii Nazianzeni orationes è Latino conſcripſit Italicè. Laudavit Franc. Rogerius Italus. Laurentius de Burgo Mugellenſi, ſermone Hetruſco vitam edidit Marcelli II. Monaldus Monaldeſius in ſuà Hiſtorià de Marcello reliquit. *Marcellus II. reliquit famam magnæ bonitatis, & ſanctitatis.* Guillelmus Paradimus. Io: Cappeavillus de Ep. Leodienſib. Latinus Latinius *ep. ad Ep. Cracovienſem.* Ioſeph Silos *Hiſt. Clericorum Regularium.* Sylveſter Petra Sancta in *Vità Bellarmini.* Marcellus Cervinus Politianus eiuſdem Põtificis pronepos orationem de eo habuit An. 1611. Petrus Iuſtinianus *Hiſt. l.* 14. quorũ communi elogio, *Luxiſſe eum civitas Romana, quùm multà in viro ſanctitatis opinio eſſet, ſperarentquè omnes, eo præſide cuncta Chriſtianæ Reip. proſpera ventura.* Creatum Cardinalem laudarunt Cardinales duo præſtantiſſimi *Bembus,* & *Sadoletus* geminis ad eum datis literis. Clemens VIII. Papa præ rationibus, quibus permotum ſe dicit ad creandum Cardinalem *Robertum Bellarminum,* præcipuam dixit; quòd ſorore *Optimi Pontificis, Marcelli* II. ortum habuiſſet, ut in *vità Bellarmini.*

Qui Marcellum laudaverint.

Ipſi fidei hoſtes ab eius laudibus non abſtinuerunt, inter quos *Theodorus Bibliander* magni apud ſuos no-

nominis, in ſerie Pontificum. *Sedit Anno* 1555. *Marcellus* II. *vir Sanctus, & doctus*.

Devotiſſimus fuit ergà Deiparam Lauretanam, ut legitur in elogio ei appoſito manu Cardin. Roberti Bellarmini, quod tale eſt. *Succeſſit Iulio III. Marcellus huius nominis II. vir ſanctiſſimus, quo Pontifice dignus non fuit mundus: colebat is unicè ſacratiſſimam Domũ Lauretanam, & multis audientibus dicere ſolitus erat, eſſe Lauretanam ſacrarii dignitatem, ſanctitatemquè, ut nullus in illud niſi priùs ſacramentali confeſſione ſe expiaſſet, & cilicio indutus fuiſſet, ingredi deberet, quod ipſe magnà religione obſervabat; Italiam quoquè, & Mũdum univerſum tanto munere indignum, ſummàquè religione colendum, ſummiſquè laudibus, & honoribus extollendum aſſeverabat. Degebat vir ſanctiſſimus adhuc Cardinalis in oppido Lauretanæ Domus vicino, quod Montefanum vocant, quod ipſe ſuum natale ſolum appellabat, ludens illo Poetę verſiculo*.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec ſinit eſſe ſui.

Indè igitur frequentiſſimè Lauretanam Domum inviſebat, myſteria noſtræ ſalutis altiſſima, quà præditus erat, ſapientià perpendebat, & crebris Miſſæ ſacrificiis, prudentiſſimiſquè orationibus Deo, & Lauretanæ Virgini placere ſtudebat. Anno igitur ſalutis humanæ 1555. *accepto inopinato nuncio de Iulii III. morte, ſtatim Lauretum ſe contulit, & accerſitis omnibus religioſis Societatis Ieſu, quos unà cum univerſà Societate unicè diligebat, illos gravi, ac pià oratione eſt cohortatus, ut prò bonà electione optimi Paſtoris, proquè aliis S. R. E. neceſſitatibus Divinum Numen flecterent, & Deiparam Virginem enixè obſecrarent*. Narrat deinde quæ Marcello in eodem ſacello evenere, ſuperiùs in eiuſdem Marcelli Cardinalis Vità enarrata.

Oldoinus in addition. ad Ciaconium, præter nummiſmata hic appoſita ſcribit nummum vidiſſe Marcelli, in quo Chriſtus orat in horto, cum lemmate; *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. In altero mulierem ſedentem, ſinè lemmate.

Marcelli effigies habitu picta Cardinalitio à *Geor*A*gio Vaſario* in Eccleſià principe Neapolitanà cernebatur olim expoſita iuſſu Ranutii Cardin. Farneſii. *Vaſſar*. 2. *p*. Vitæ *Pictorum*.

Scripſit Marcellus II. *Epiſtolas varias*, quarum quatuor leguntur inter Epiſtolas Friderici Nauſeę, & duæ ad Iulium III. inter epiſtolas Principum. Variæ eius epiſtolæ reperiuntur ſub nomine *Alexandri Farneſii Cardinalis*, cuius fuit ſecretarius. Conſtitutio eius *de prorogatione ſubſidii* 300000. *ſcutorum* legitur in Collectione Romanà.

Orlandinus *l*. 15. *Hiſt*. Soc. Ieſ. omni laude cumulat, & omnium opinione parem muneri Pontificio. Creatus Pontifex S. Ignatium ad adorandum profectum arctè amplexus, & ſuaviter oſculatus cũ eo inãbulavit, & de propagandà fide, de Rep. Chriſtianà cõponendà non pauca contulit; duos Theologos apud ſe futuros petiit, ſed eà modeſtià, *niſi S. Ignatius eos* B *alibi utiliores exiſtimaſſet*, cui etiam dixit. *Tu milites collige, & bellatores inſtrue; nos utemur*. Lainium, & Olavium vir ſanctus deſignavit. *Orlandinus*.

Poſt eius obitum percuſſum creditur præſens nũmiſma in memoriam tanti Pontificis, ſub titulo, *Fiat pax in virtute tuà. Memoria Optimi Pontificis*.



Amator namquè pacis Reges ipſe adire decreverat, C ſi aliter componi non poſſent. Hic Cardinali Tridentino legationem Bononienſium non conceſſit, nè magis Cæſarianis, quàm Gallis favere videretur, inter quos tanquàm communis pater, medium ſe gerere conſtituerat.

PAULUS QUARTUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXV.



ROmanos ſuccenſos in Paulum IV. Inquiſitionis ab eo erectæ causâ exprobret Rex inclytus Ioſaphar 2. *Paralipom. c.* 17. cum teſte Abulenſi *q.* 14. *&* 16. Legatos miſit *ad inquirendum de hæreticâ pravitate* Principes,& Sacerdotes.Principes,*ut eſſent executores contrà Infideles,& Hæreticos . Sacerdotes,& Levitæ erant tanquàm Inquiſitores Hæreticæ pravitatis ; ut ſi qui nollent corrigi redeundo ad veram fidem, per potentiam Principum corrigerentur .*

Eligitur An. Sal. 1555. *die ſacræ Aſcenſionis* X. *Kal. Iunii Coronatur* 7. Kal. *Iunii . Obiit Anno* 1559. *ætatis ſuæ* 83. *menſ.* 1. *diebus* 22. *Pontificatus verò quarto ſupra menſem ſecundum ; & diem* 24. *Vacat ſedes Menſ.* 4. dies 7.

E L O G I V M.

Anni Sal. Pa. 1555. 1.

PAulus hic Quartus .
Cui ſoli inter homines elogium cecinere Sancti.
Paulum ſi neſcis, conſule ¹ Pium :
Qui ne palpare videretur, laudavit poſt mortē.
Carrafâ ² patre, *Camponeſiâ* matre ,
Solis natalibus Annales implet .
Huius ſtemmata audiviſſe , cognoviſſe eſt.
Veſtinis natus ; ubi nec Hæreſis nota .

A Solum ſubiit cæde conſperſū , ſed prò Eccleſiâ
Nā ſuis in laribus *Peruſinus* exciſus³ *Brachius*, Anni Sal. Pa. 1555. 1.
Qui brachium,& bravium amputaverat Petro.
Nobilis ſanguine , nobilior virtute,
Familiæ addidit, quod nec familia ſperabat.
Spes enim improba :
Non ſolùm portis, ſed clauibus aſpirare Cælorum.
Tanto impar una lingua capiti,

Anni Sal. Pa. 1555.1t

Hebraicè loquebatur, Græcè, [3] & Latinè,
Ad Hiſpanos, [4] & Anglos Internuntius;
Ita Pontificis, & Regum partes miſcuit;
Vt neſcires, an Anglus, Hiſpanus eſſet, vel Romanus.
Donec ut redimeret, quæ amitti ſolent in aulâ,
Abiit in ſolitudinē, [5] ut quæreret ſanctitatem:
Quæ raró ſub purpurà invenitur, & byſso.
Naufragiū nè in itinere ſubiret, nudus profugit,
Sarcinis proiectis honorum:
Et nè umbræ fallerent, ad umbras fugiit.
Inventà hic pace,
Cępit aſsueſcere Deo, vocemq. audire loquētis,
Cum quo Theatinam [6] meditatus ſocietatem,
Ea iniit cū Deo fędera, ut mutuò ſe adiuvarēt,
Hinc de Deo tàm ſollìciti fratres,
Vt nec quærere alimenta dignentur:
Quòd Deū œconomū habeant, & promocondū
Hos *Clericos Regulares* dixit Clemens VII.
Ut exregularibus eſsēt moduli Reformationis.
Romà exules primū Venetiis habuere refugiū;
Sequeſtrem pacis agente Marco cum Petro.
Sic ignotum, & cognitum
Vidit illum Paulus III etiam latentem.
Bis evocatū Romā, & ſinè ſociis redire nolētem,
Vocavit [7] purpurà:
Ut moribus præficeret, Religioni, & penè ſibi.
Venit, ille ſecum ferēs religioſam ſeveritatem,
Quà Quæſitor, [8] nō quęſtor hęreſim mactavit,
Auctor Inquiſitionis
Irruenti Luthero Italiam clauſit, vel eripuit,
Reparatà Fide, Religione purgatà.
Vicit tamen hæreſim, non invidiam:
Quæ etiam Chriſti iuſtitiam rigorem dicit.
Satis ei placère Deo, & Pontifici,
Quos corrigere non potuit, corripuit.
Infula Albana, Sabina, Neapolitana, Tuſculana,
Oſtienſis, Veliterna, Decanatus
Gradus fuere ad Pontificatum.
Vt per ianuas ingrederetur, non per feneſtras.
Octonos emēſus Pōtifices Pōtifex [9] octogenarius
1555.1t Publicà aulæ [10] mœſtitià,
(*Lætari nequit vitium, dum virtus coronatur*)
Voluit munificè [11] vivere, more Principum.
Non aliter prænſatur turba populorum.
Officia vendi ſolita donavit;
Ut Simoniacos liberè obiurgaret.
Gravis namquè vulgi cenſura, vita Principis.
Hinc vitiis [12] & [16] quàm hoſtibus ferocior
Iudæos corripuit, Datarios correxit, Hæreticos inquiſivit

Libros cōbuſsit, Apoſtatas relegavit, Epiſc. ſtetit
Exemplo corruptos exemplo correxit.
Orbis ne ampliùs doleret, Urbem ſanavit,
Aureū renatū ſæculū ut teſtaretur S. P. Q. R.
Paulū donavit more vetuſto, Statuà [13] marmoreà;
Centum deſignatis civibus,
Qui in Mortē excubarēt ad vitā Pōtificis Sācti.
Rediit tūc ex Philippi, & Mariæ coniugio
Angliā [14] Catholica ab ſterili Reginà Soboles,
Supra trigīta millibus Hęreticorū exulare iuſsis,
Publicā adauxit lætitiā lachrymis, & pœnitētià.
Donec fidem luſtro tenuit:
Eliſabetha [15] virgo, & pellex, (verat
Quę Marię mortē, & regnū in carcere expecta-
Thronum, & thorum polluit Ann. 45. 1559.1t
Hæc ſi religionem ſpectes, Calvino nupſit:
Si Europæ Principes, omnibus, ſi thorum, nulli.
O ſpes fallaces!
Orbem Paulus cum expectarent unà ſub urbe,
Volens Reipublicæ armis vindicare familiam,
In Aquilam conduxit [16] Gallos.
Primo impetu viſi iſti canere, illa cadere, 1556.1t
Donec Sanquitinà clade deplumati:
Coactus Paulus è caſtris redire ad choros,
Pepercit omnibus, exceptis Columniis.
In ſeveritatem pronior, quàm in clementiam,
Bellum in ſuos [17] renovans, omnes deportavit.
Ut in hæreſes ſerò licèt, ſeriò inquireret.
Erit Petro exemplum ſinè exemplo Paulus: 1558.1t
Orbem non melius regi, quàm ſi ab uno regatur. Eiectis agnatis ſolus imperat.
Democratice, vel Ariſtocraticè
Si Deus imperare vellet, non poſset,
Eſt Trinus, quià unus.
A die eiectæ familiæ dies numerans Paulus;
Plura decrevit; quib[us] Roma reformari potuiſſet.
At cum cœpit regnare, deſiit vivere.
Expiravit [18] canendo:
Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi:
In domum Domini ibimus. 1559.1t
Tutelà Eccleſiæ, Philippo [19] Regi relictà:
Eo Hiſpanum decoravit honore, quo Ieſus Diſcipulū:
Cui moriens commendavit Matrem.
In eius ſtatuam [20] furens populus Romanus Romanis odio ſus ob tribunal ab eo erectum Inquiſitionis.
Cum vidit, & adhuc loqui credidit, præcidit,
Inquiſitionis tribunali deiecto;
Quaſi Petrum non timeret, mortuo Paulo.
Sed loquitur adhuc mutum caput,
Quia Caput Eccleſiæ, & lingua Dei.

ADNOTATIONES IN PAULO IV. PONT. ROM. CCXXV.

1. Pium. Pauli IV. dehoneſtatà memorià à furente Romano populo: Pius V. eius beneficio gratus, magnificū Paulo è nobili marmore monumētum ad Minervā ſeptimo poſt mortem Anno Pyrrhi Ligorii Neapolitani Architecti operà, maiorum ſuorum ſacello extruxit, cum ſequenti epitaphio.

Ieſu Chriſto ſpei, & vitæ fidelium.
Paulo IV. Caroffa Pont. Max.

Eloquentiâ, Doctrinâ, Sapientiâ ſingulari, innocentiâ, liberalitate, animi magnitudine Praſtantiſſ. Scelerum Vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori Pius V. Pontif. Max. grati, & pii animi monumentum poſui. Vixit annos LXXXIII. *menſ. I. dies* XV. *obiit* MD. *LIX. Calend. Septemb. Pontificatus ſui* Anno *V.*

Natalia Pauli IV.

2. *Caraffâ* patre *Ioanne Antonio* naſcitur *Ioannes Petrus*. Avum habuit *Diomedem*, qui ob bellicam virtutem ab Alphonſo Rege, Mataluni à Cerreti Comes creatus eſt. Huius Gentis gloriam ex pluribus collegit Franciſcus Maria Magius, ad quem curioſos antiquitatis remitto. Matrem habuit *Victoriam Camponeſcam*. Filia hæc *Petri Lalli*, atquè unica hæres, in quà *Camponeſiorum* familia defecit, in *Veſtinis* vetuſtâ admodùm, & *Guelphæ* hoc eſt Pontificiæ partis non ſequa modò, ſed princeps in illà regione. *Camponeſiâ* namquè in domo, *Gebellinorum* famoſus ille Dux

3. *Brachius Peruſinus* Pontificibus ſemper infeſtus, bello captus, terebrato cerebro obiit, teſte *Antonio Rainaldo in Chron. Aquil.* Tulit in dotem *Victoria* Montorium agri Veſtini toparchiam. Naſcitur *Io: Petrus* Anno 1476. die 3. kal. Quinctil. aurorà illuceſcente, & geminum ſuſcepit nomen, quod intrà octavam S. Io: Baptiſtæ, atquè in pervigilio B. Petri primo lucem aſpexerit. Editus eſt in *Hirpinis*, vico vel Carpiliæ, vel S. Angeli à ſcalà, propè Furcas Caudinas, & Beneventum. Fratrem habuit *Io: Alphonſum*; ſorores quinq. *Mariam*, *Beatricem*, *Dianam*, *Elizabetham*, *Ioannam*. Prima Chriſto ſponſa, monaſterium *Sapientiæ* fundavit Neapoli, rexitquè ſanctiſſimè. Cæteræ in nobiliſſimas matrimonio migravere familias *Leoniſſam*, *Carboniam*, *Solphiam*, *Cantelmiam*. Vitam Pauli IV. ſcripſerunt Victorellus, Panvinius, Ciaconius, Antonius Caraciolus, Franciſcus Maria Magius, Hugo Folietta, Franciſcus Robertellus, Io: Bapt. Caſtaldus, Laurentius de Burgo, Stephanus Binetus, Cynus Campanus, Antonius Caraffa, alii, quos recitat F. Ludovicus Iacob à S. Carolo. Naſcitur Paulus IV. die 4. Kal. Iulii, An. 1476. teſte Victorello, Caracciolo, & Caſtaldo. Secundùm alios, An. 1466. Puero geminum *Ioannis Petri* nomen inditum eſt, quòd intra Octavam S. Io: Baptiſtæ, atquè in S. Petri pervigilio, lucem hanc primò aſpexiſſet. Cùmquè eumdem mater alvo geſtans, (ut erat moribus ſanctiſſimis) Templum in monte, qui Virginis dicitur, equo vecta, Religionis causà vià conſcenderet præcipiti, monita eſt à Religioſo quodam viro Eremiticam vitam agente, ut pergeret pedetentim, atquè utero ſuo præcaveret; quòd ex eo vir divinæ virtutis, quiq. ſummus in Eccleſià Dei Paſtor, ac Princeps naſceretur futurus. *Ioſeph. Sylos p. 1. Hiſt. l. 8. Bzovius. Donius. Panvinius in vitâ Pauli IV.* quam ſecundò edidit. Eum mater Victoria effudiſſe potiùs, quàm peperiſſe viſa eſt, nempè nullum perpeſſa dolorem: ita ut priùs infantem ediderit, quàm obſtetricem opperiri potuerit; ut ex literis ejuſdem Pauli IV. ad ſororem 9. Ianuar. An. 1547.

Qui de eo ſcripſerint.

Cur dictus Io: Petrus.

Papa prædicitur cũ in utero eſſet.

3 *Græcè, & Latinè.* Natus Paulus, educatus eà curà puer, quà ſolent nobiles, atquè optimi parentes. Illuxere ſtatim in ipsà ingenuæ frontis, oriſq. ſuprà puerum gravitate, magnæ cuiuſdam mentis crepuſcula. Facilitas illi, ac vigor ingenii, & memoriæ vis iugẽs.

Mores.

Vultum egregiè honeſtabat germanis velut lineamẽtis modeſtia; ut nihil unquàm exciderit nobili puero inelegans, vel indecorum. Præcipuam morum magiſtram *Mariam* habuit ſororem, quæ Monaſterium Sapientiæ ſundavit Neapoli. Animam cùm in eo advertiſſet egregiam, eò animum adiecit, ut ad omnem virtutem fratrem fingeret. Puerulus Dominicanorũ Eccleſiam frequentabat, & religionis S. Dominici ſcientiſſimus, duodecim Annos natus habitum poſtulavit; quod ætas tenera obtinere non potuit. Similiter Anno 14. S. Dominici habitum induere propoſuerat. Sed Divina ſic Providentia diſponente, & ad alium finem illum deſtinante, vi parentum à Clauſtro, ad quod confugerat, raptus, domum evocatus eſt; & ſub optimis præceptoribus, artibus Theologiæ, utroquè iure, Literiſquè Græcis, & Latinis, Hebraicis, uſquè ad miraculum eruditus, S. Thomæ Doctrinę fuit ſtudioſiſſimus. *Dominicus Gravina in voce Turtur. par. 2. c. 29.*

Tentat ingredi Religionem S. Dominici.

Studia.

4. *Ad Hiſpanos.* Romam miſſus adoleſcens, diù in contubernio Oliverii Caraffę Cardinalis gentilis ſuĩ, vixit. Huius domus viris ſemper referta doctiſſimis (quod Cato admodum ſenex in ſenatu, & Cleanthes in ſervitute conſtitutus factitarunt) quàm ſæpiſſimè in angulis libellum aliquem raptim, furtimvè inſpiciebat. Refert *Iulius Nigronus è Societ. Ieſu in Hiſtor. diſput. fol.* 19. oblatum ei Epiſcopatum, tantum abeſt, ut prenſarit: quòd apertè recuſatum, præceptori ſuo conferendum curarit. Theatinus poſteà creatus Epiſcopus à Iulio II. Neapoli Ferdinandum Regem Catholicum ex Hiſpanià venientem, Sedis nomine ſuſcepit Apoſtolicæ. A Leone X. in Angliam miſſus ad colligendum S. Petri vectigal, triennio in eà inſulà manſit. Indè per Oceanum in Hiſpaniam ad Ferdinandum ſe conferens, à prudentiſsimo Rege, qui eius virtutem Neapoli cognoverat, ad Conſilia admiſſus, & maximi ſacelli Regii ſacerdotis, quem magnum capellanum vocant, vicarius electus; contigit, quòd Ferdinando ad mortem ægrotante conſultus Caraffa, an Rex teneretur regnum Neapolitanum Aragonenſibus ablatum reſtituere? ille liberè affirmaret, cæteris diſſentientibus, accuſatus eſt non ex zelo iuſtitiæ, ſed odio nationis Hiſpanę, in eam deſcendiſſe ſententiam: excluſus fuit ab arcanis; & licèt Carolus Ferdinandi ſucceſſor eum ad Brunduſinum Epiſcopatum nominaverit, maiorem tamen habuit æſtimationem, quàm confidentiam. *Sfortia Pallavicinus lib. 13. c. 14. Concil. Trident.* Manſit in Hiſpanià annos circiter octo, quo tempore linguam Hiſpanam, perindè ac Italicàm hauſit. Romam evocatus ab Hadriano VI. quo cum ob morum ſimilitudinem vetus ei intercesſerat in Hiſpanià conſuetudo, inter eos patres relatus eſt, quorum operà, & conſilio Pontifex in Eccleſiaſticà morum cenſurà, quam cogitabat Pontifex uteretur. Romam cum pergeret, Populonii incendium offendit An. 1513. die 2. Februar. quod toti oppido exitium minabatur, nullâq; hominum multitudine, nec induſtrià extingui poterat. Tunc Deo fidens Epiſcopus, ac nihil parcitans, ſcalas ſibi afferri imperavit, quas incendio admotas conſcendens, cereã divini agni effigiem, quam collo ſuſpenſam ad ſui tutelam ferebat, Fidei plenus in flammas conicecit

Romã vocatur ab Hadriano VI.

Incendium extinguit.

voraces: quæ momento repreſſæ prorſus evanuerunt. *Franciſcus Bencius è Societ. Ieſu in Orat.* & *Carm. Orat. 21. fol.* 338.

5. *Abiit in ſolitudinem*. Quaſi alter Gregorius Paulus 4. cum ſub colore Epiſcopatus ad ſæculum retractum ſe videret, & ægrè animæ ſaluti vacare, ac negotiorum fluctibus expoſitum, ad divina, vix mentem erigere; Theatem pergens ad gregis cuſtodiam, cùm nec illic internâ pace gauderet; cœpit animo volvere, ne fortè patruus eius, Cardinalis ille Oliverius, humano potiùs affectu, quàm divinâ motione impulſus, eum ad onus Epiſcopale evehi curaſſet; re priùs benè conſultâ, ſe ab hominum frequentiâ ſubtraxit, ac ſacerdotia, cum Brunduſino Archiepiſcopatu, dimiſit. Quin etiam facultates ſuas omnes in egenos diſtribuens nudus ad ſacrum otium fugit; hanc ratus veram eſſe philoſophiam, ſi quis ad Dei cognitionem, non niſi terrenis omnibus impedimentis ſolutus, aſſurgeret. Privatis in ædibus, procul ab hominum conſpectu, in regione montis Pincii, aliquandò conſedit *Ludovicus Donius de Attichii Epiſcopus Æduenſis in florib. Hiſtor. S. R. E. Cardinal. To. 3. fol.* 130. Non ambitione, nec ignaviâ hoc vitæ genus petiiſſe, natalia, divitiæ, eloquentia, munera, acta apud univerſos ferè Orbis Principes, facilè indicant, ac tandem rerum omnium humanarum deſcientiâ, quæ inſignis fortitudinis eſt argumentum.

Dignitates.

Se abdicat.

6. *Theatinam ſocietatem*, quæ An. Sal. 1524. erecta morum exemplo, ut Clerum qui virtutis, æviq; inclinatione peſſum ibat, emendarent: paupertatem excolerent Apoſtolicam: Patrimonia, nec cēſus communes haberent: nec ſtipe emendicatâ, ſed ſpontaneâ fidelium pietate victitarent. Vſum ſacramentorum priſco ritu, poſtliminio revocarent. Concionādi munus, quod Clericorum eſt proprium, eo ſeculo obſoletum reſtituerent. Morientibus opem ferrent nullo prorſus gradu hominum excluſo. *Nicolaus Orlandinus Hiſtor. Soc. Ieſu l.* 1. Auctorem habet Paulum IV. R. Pontificem, qui Theatino Archiepiſcopatu relicto, cum aliis tribus æquè piis, ac nobilibus viris Clericorum Regularium Ordinem, quos ab Archiepiſcopo cæteris clariore *Theatinos* nominant, recens condidit. Cœpit autem hoc ſecum ardentiſſimè eo tēpore meditari Caraffa, quo id ipſum Caietanus Thienæus nobilis Vicentinus Protonotarius Apoſtolicus animo pervolutabat, collimabantquè impulſore Deo in idem ſimul inſtitutum cumquè neuter alterius mentem, ſenſumquè cognoſceret; modum uterquè excogitabat, quo res benè cederet. Intereà evulgare egregium conſilium *Thienæus* cœpit: ſtatimquè ſparſus rumor in Epiſcopi Theatini aures inſuſurravit, illum de abdicandâ aulâ cogitare, & condendi novi Clericorum Ordinis mentem cum Bonifacio communicaſſe. Reſcivit id vix Caraffa: cum admotis veluti ſtimulis, ac vehementer incenſus, Caietanum ingenti quodam ſpiritu convenit. Et, molitum ſe, ait iam diù opus: Eandemquè Clericorum Regularium Ideam & concepiſſe pridem animo, ac tum quidem de ea cogitare, nec ulli adhuc mortalium mentem aperuiſſe. Nunc verò quando ipſe priùs eâ de re ſermonem habuerat, admitti ſe magni conatus ſocium prolixè rogabat, ad omnem certè Paupertatis aſperitatem, ſiniquè contemptum vires, atquè animos ſuffecturum. *Ioſ. Sylos Hiſtor. p. 1. l. 2. Ioannes Rhò è ſociet. Ieſu in Apolog. interrogat. p.* 198. *Ioannes Antonius Pratus apud eundem Rho p.* 47. Congregationem hanc Romæ iuravit Caraffa An. 1524. die Crucis exaltationi ſacrâ, ſub nomine *Clericorum Regularium*; cognomento *Theatinorum*, addito ab inſula, quam Caraffa dimiſerat. Hoc tamen non Caraffæ conſenſu, ſed vulgi arbitrio, nutu ſuo perſæpè nomine inſcribentis. Præcipuum Ordinis inſtitutum erat, ut diurna inter penſa aliquid ex Evangeliis legerent, facta quotidiani operis partitione, quâ ſingulis hebdomadis unum Evangeliſtam percurrerent: ſingulis menſibus quatergeminum. Cum ecce furia Infernalis dux Borbonius Vrbē invadit; quâ captâ, & direptâ Papa ipſe cecidit inter ſpolia. Hiſpani, quibus Caraffæ erat celebris ſanctimonia, obuiam facti, ad genua procidentes, vt ſibi benè precari vellet, ſupplicabant. At ille contractâ fronte, ac voce increpitans ſeverâ. *Ego ne ſacrilegis, atquè execratis capitibus fauſtâ precatione benedicam? Ite maledicti in ignem æternum.* Tanta in illâ gladiorum licentiâ; vel inter parricidales ficas, virtutis conſtantia fuit. *Io: Rhò de variis virtutum hiſtoriis l. 1. c.* 11. Milite autem ingruente Germano, & lue infecto Lutheranâ, vir ſanctus, quaſi divinæ Providentiæ nube tectus, & muro vallatus per medias belli flammas, Oſtiam venit incolumis, quem etiam ad locum Auguſtino Amulio, Venetæ Claſſis præfecto, paucis poſt diebus appellente, ab ipſo benigne, è liberaliter acceptus eſt tum ibi, tum Venetiis. (*Ludovicus Donius ib.* conductiſquè ædibus ad S. Nicolai Tolentinatis, Anno ineunte 28. domicilium fratribus poſuit, ubi fuit ad Annum ferè 26. quo à Paulo III. purpurâ eſt inſignitus. Interim ut pietatis, doctrinæ novorum Religioſorum fama percrebuit, multorum ad eos frequentia, multis Religioſi inſtituti probata eſt diſciplina, ardenter etiam expetita, & ſuſcepta: *Plurimorum vitium, patrum operâ, & ſtudio, caſtigatus vitæ luxus, & morum licentia.* Inter devotos adfuit Hieronymus Æmilianus, cuius creber acceſſus, nec Caraffæ moleſtus erat, nec Hieronymo inutilis. Cum poſteà in diſciplinam etiam Caraffę ſe tradidiſſet, ita ab eius nutu pendebat, ut eo inconſulto ne leviſſima quidem attentaret. Hunc *Æmilianum* Somaſchæ habuere parentem Græcos à ſchiſmate, Hebræos perfidiâ revocaret, cum Græcis Græcè, cum Hebræis Hebraicè Caraffa diſertiſſimè loquebatur; Arbiter Conſcientiarum, ſorori Mariæ author fuit condendi Neapoli monaſterium. Cum Epiſcopo Paulano Nuncio apud Venetos diſſidium Reipublicæ, & Archiducis Ferdinandi arbiter compoſuit: Inde Inſanabilium Noſocomii cum Caietano ab illius Gubernatoribus protector conſtitutus S. Ignatium in Xenodochium introduxit, immò in ſuo cænobio hoſpitem recepit (teſte *Io: Rhò*, & *Iulio Nigrono Societ. Ieſu in Regul. comm.*) magna neceſſitudine iunctus. Ita dum ſanctè, & in ieiuniis multis vitam traheret more Pauli Eremitæ, contrà Lutheri excubans admiſſarios, huius ſectæ hominem magnâ hominum frequentiâ ſermocinantem Paravii, expelli curavit ab inclyto Venetorum Senatu.

Inſtituit Theatinorum Ordinē.

Linguarum peritus.

Noſocomio prępoſitus.

7. *Purpura.* Romanum ſolum velut curarum inanium

nium feracem agrum adeò averſabatur *Caraffa*, ut Anno Chriſti 1535. revocanti eum ad Vrbem Paulo III. P. P. poſt actas gratias Vannucium, conſodalem deprecatus, ut ſe, quà erat apud Pontificem gratia, excuſatum iret, ne Romam pergeret. Vacua tamen cecidere officia: nam Paulus iterum Caraffam Romam accerſcivit, & in Cardinalium collegium reluctantem licèt ad legit. Venit ad eum perquiſitum non quæſita purpura. Onuphrius rem ita narrat. *In collegio* ſuorum Clericorum dum Caraſa degeret, à Paulo 3. per Pontificias literas *Bis Romam vocatus*, *biſquè ille contravenire abnuens*, excuſanſquè ſe modeſtè, ac humiliter; tertiò tandem obtemperavit, Pontificem, adiit qui in morum reformatione eo uti volebat. Primo aditu breviſſimi auditus eſt à Pontifice. Præmonitus enim fuerat Papa, ut ſi Caraffam detinere vellet, & honoribus augere, loquendi non permitteret libertatem; alioqui ſi viri facundiæ locum daret, ſentiret utiquè ſibi perſuaderi, nè eum ab inſtituto revocaret. Ægrotantem intereà Caraffam, cum Paulus Cardinalibus vellet adſcribere; obiicientibus dignitatem mortuo obventuram, reſpondit Paulus, virtutem illam vel poſt funera decorandam. Pileo recepto ad ſuos dixit. *Appendite pileolum hunc ad illum clavum*. Nullum enim ad purpuram apparatum, niſi arctiſſimæ, & ſuſpiciendæ paupertatis in eà celulà cernere erat. *Panvinius in vità Pauli IV. ſecundò edita. Ludovic. Donius loco cit. Caraciolus. Caſtaldus. Sylos.* Promotione vulgata; varià apud homines famà iactabatur, aliis ſanctiſſimum virum relicto quietioris vitæ inſtituto, ad Reipublicæ fluctus ſe vocari paſſum; ſummis laudibus extollentibus; aliis contrà id factum accuſantibus. Ipſe Eccleſiæ Theatinæ iterum præpoſitus, intentus, ita doctrinæ, ac ſanctitatis fama fruebatur ut obloquentiū ſententiam facilè eludere videretur.

Caraffa Cardin. creatur.

8. *Quæſitor.* Zelo flagrans Apoſtolico in Apoſtatas, Hæreticos, auctor fuit Paulo 3. ut violatę fidei quęſtionem inſtruendi adverſus eos, quos tamē ubi reſipiſcerent, ſeveritatem benignitate, ac manſuetudine tēperās, adeò blande excipiebat, ut patrem inveniſſe mirarentur amantiſſimum. Solerti quoq; prudentià rabidas oves diſtinguebat à lupis, ac tanquàm peritiſſimus medicus, opportuna pro uniuſcuiuſq. perſonę captu adhibens remedia (*Card. Sirleto, ac Buleng. hiſtor.* Flaminium ForoCornelienſem, depulſo mentis, corporiſquè morbo, ſaluti veræ, quæ Deus eſt) reſtituit, teſte Donio *in flor. to. 3. fol.* 141. S. Sedis honori conſulens, eam adversùs primarios quoſquè Principum miniſtros intrepidè propugnavit. Vbi enim.... Orator nonnulla in Conſiſtorio de convocatione, ac celebratione ſynodorum Generalium Eccleſiaſticæ adverſa poteſtati attuliſſet in medium; exurgens Cardinalis Caraffa, apponenſq. ſe murum pro domo Dei: *Non eſt* (inquit) *tuum, ò Beatiſſime Paule, qui iudex omnium ſedes, rei propoſitæ reſpondere. Lex enim ſeu Magiſtratus non diſputat, ſed iubet: verùm mihi, qui inter hos patres ſolam ſtatu habeo prærogativam, incumbit, pro veritatis, & Eccleſię causà, quæ impugnatur, dicere*, Moxquè *ſubmiſſo poplite, ſubiunxit Pontifici*: Iube me Domine benedicere. *Qui elatà manu, & facto annuens ſigno Crucis, Caraffæ Cardinali* loquendi tribuit facultatem, *his verbis*. Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis. Tum ille, quà erat eximià facundià, nec minore doctrinà præditus, Oratoris argumenta diſrupit; rotumq. Concilii negotium, ad Romanum Antiſtitem pertinere ſolidiſsimè, graviſsimè ſtupentibus cunctis probavit: meruitquè ut frontis ſudorem Pontifex, dimiſſo ſenatu, proprià manu detergeret. Grandi, ſi hoc ageretur apud homines, mercede; ſed altiora Caraffa ſequebatur. Sylos *par.* 1. *l.* 8. *p.* 297. Caraciolus *l.* 3. *c.* 8. Poſt titulum S. Clementis, ad titulum S. Mariæ trans Tyberim tranſlatus. Epiſcopatum Albanenſem, mox Sabinenſem, Tuſculanum, Oſtienſem progreſſu temporis obtinuit. Cumquè vacaret Eccleſia Neapolitana, ob reſignationem à Raynutio Farneſio factam, eam Paulus Io: Petro Cardinali Caraffæ, die 9. Novemb. An. 1549. contulit, licèt reclamante Petro Toletano Pro Rege, poſſeſſionē adipiſci non potuerit; quaſi regnum Neapolitanum Carolo V. Cæſari eripere, & Paulo. 3. P. P. tradere meditaretur. Iulius tamen III. honoratis verborum formis apud Cæſarem, Cardinalem purgavit, teſte Sfortià Pallavicino, *l.* 13. *c.* 11. *Trident. Concil.* & per interpoſitam perſonam, ſcilicet *Scipionem Rebibam*, quem Vicarium ſuum nominavit, poſſeſſionem Archiepiſcopatus accepit: cuius Eccleſiam cum Caraffa minori veſtium cultu ornatam reſciviſſet; munera quidem ſumptu, atquè opere inſignia ex intervallo ad eam mitit; Calices ex auro ſolido, ac priſco ritu prægrandes; indumenta ſacerdotalia, Attalici operis auro pretexta; lampadem ex cryſtallo, mole, ac pretio ſpectabilem, quem Reſpublica illi Veneta dono dederat. Ipſo è vivis ſublato, reperta in ſecretiore eius cubiculo pleraquè ex auro, argentoquè ingentis ponderis ad ſacrorum uſum vaſa, quæ Neapolitanæ Eccleſiæ deſtinaverat; teſte Caracciolo *l.* 3. *c.* 12. Magio *l.* 6. *diſquiſ.* 4.

Auctor Inquiſitionis Romanæ. Sedem propugnat Pontificiam. Ei ſudorem Pa pa abſtergit. Ep Nea pol. Cæſari ſuſpectus. Dona mittit Eccleſię Neapol.

9. *Pontifex.* Cū ſoleat Deus, quę maxima in terris ſunt, priuſquàm eveniant, luce quadam pręvià indicare, pręſertim in principibus ſivè, Laicis, ſivè Eccleſiaſticis, Io: Petro Caraffę in utero prædixit Ponticatum, ut ſupra *n.* 2. Alterum conſonat vaticinium in Vaticanà Bibliothecà: *Severus index in ſenectute ſuà, gladio, & carcere diſperdet impia.* Orbi namq. præpoſitus Octogenarius, bellū pro tuendà Sede geſſit Romanà ecce gladius. Sacrę Inquiſitionis domū conſtruxit: ecce carcer. *Sylos par.* 1. *l.* 8. *p.* 318. Alterum eſt S. Malachiæ, *de Fide Petri*. Quę non ſolùm *Ioannis-Petri* nomen, ſed & *Caraffæ* cognomen *Caram - Fidem* oſtendit ideſt *Cara-Fè*, quæ in eius pectore exarſit. Conſonat Marcellus II. cum ſignificatum eſſet, Cardinalem Theatinum, domicilium non ità commodū ſortitum fuiſſe, *Cedemus nos* (inquit) *ex hoc loco, ne tanto viro deſit locus*: quaſi ita futurum divinus ille ſanè animus præſagiret. *Flavius.* Ipſe prætereà Caraffa, ſe ſummum Pontificem futurum prędixiſſe viſus eſt, cum teſte Panvinio, ad ſuos converſus, qui Marcello II. quinquageſimum quartum ætatis annū vix agente, Pontificatum adepto, de Theatini ſupremo prę̄ſulatu plane deſperabat: *Confidite* (inquit) *Nondum venit hora mea.* Præſagium hoc; nam intrà duos menſes & ille ſanctè obiit; & iſte in eius locum electus eſt. Marcello itaq; defuncto, poſt breves, ſed ac-

Pręſagia Pontificatus. Papa eligitur

acerrimas Cardinalium contentiones, Deo iubente, in Pontificem Caraffa eligitur. Conclave ingredientibus Cardinalibus; Theatinum monuit Mendozius Orator; vt omnem cogitationem de adipiſcendo Pontificatu deſereret; quòd primo loco à Cęſare excluſus eſſet. Cui is non iratus, ſed gravis: *Imperator impedimento eſſe non poteſt, quià ſi me Deus velit, Pontifex evadam. Et id lucro mihi erit; ut eam Dignitatem tunc acceptam referam uni Deo.* Oldoinus. In Polum inclinabant Galli, ſed abſentem, & longè in Britanniâ agentem reiecerunt Patres. Pro *Caraffâ* cœpit tandem prænſare Farneſius, cumquè in ſacellum Paulinum deductum, adorandum convenere Patres exceptis quatuordecim, cum omnes eſſent numero 45. Tres cum deeſſent ad numerum neceſſarium, *Otho Truchſes Cardinalis S. Sabinæ* inter Cęſarianos Princeps, licèt eàdem die, Ceremoniarum præfecto Puteum prędixiſſet Papam futurum; auditàquè famâ Caraffæ, interrogaſſet, *Quomodò ſe haberet Theatinus ille ambitioſus?* die inclinante, cœpit mutari, & die ſequenti poſt devotiſſimè ſumptam S. S. Euchariſtiam, mandavit ſignificari Caraffæ, quòd & ipſe conveniret in eius exaltatione; cuius exemplo & reliqui excitati Pontificem adorarunt nomine Pauli IV, ob memoriam Pauli III. *Palavicin. l. 13. c. XI.*

Rigidus, & ſeverus

10. *Publicà aulæ mœſtitià.* Cum enim in Inquiſitionis munere (ita *Panvinius*) cui ipſe præ cæteris delectus fuit, obeundo, inſtitutum magnum ſibi aulicorum hominum odium contraxiſſet, qui rectam eius mentem aſperitatem interpretabantur. Illud enim conſtanti omnium famâ liquet, cum antè Pontificatum magnè quidem integritatis vitæ, ac doctrinæ, ſed nimis ſeveri ingenii, & in propoſiti ſententiâ permanentis animi opinione vixiſſe, eoquè ingenio hominum ſtudia promereri neſciebat. Hinc magnâ, & vniverſali hominum, qui eius ſeveritatem timebant, męſtitiâ eius electio audita eſt. Quod à nõnullis futurarum rerum, luctuoſiquè gravi bello Pontificatus triſte omen iudicatum eſt. Civitas enim paulò liberiùs vivere, præſertim proximis ſub Iulio III. Annis, quum, ſolita eſſet, ſeverum, & acre hominis ingenium timebat, cuius anteactam vitam communi hominum vivendi rationi contrariam noverat: quam adverſam de ſe opinionem ipſe Pontificatus initio avertere ſtudens, certis quibuſdam Cardinalibus ultrò etiam non rogatus pollicitus eſt, ſe nihil omninò in Vrbe novaturum, ſed veteri inſtituto cuncta moderaturum. Timentibus verò ſeveram reformationem, vetus illud uſurpavit: *Vxorem non habentes ſæpè verberant.*

Mores.

11. *Voluit tamen magnificè vivere, more Principum.* Mores Pauli cum plures pro affectu deſcripſerint; quid Pallavicinus, in *l. 14. c. 9. Trident. Concil.* omnium noviſſimus protulerit, audite. *Purpura non quæſita cum ad eam veniſſet quæſitam, totum vitæ curſum ita curavit, ut ſocios ſemper habuerit morum candorem, ardorem pietatis, ac publicam Zeli Apoſtolici libertatem. Græcæ, ac Latinæ eloquentiæ æquè peritus, Thomiſticæ Theologiæ indagator profundus, & S. Scripturarum diligens inveſtigator, facundiam naturâ fovebat, & in delitiis habebat non ſinè iactantiâ, quæ non minus aſſentatores excitabat, quam detractores. Seipſum magni faciens, cæteros parvi, virtutem tamen alienam non præterit ſinè mercede.* Pietas, Religio compreſſit, non extinxit vitia naturæ, patriæ, familiæ. Hinc in Pontificem electus, more patrio, *profuſis ſumptibus* (teſte Onuphrio) *& magnifico apparatu totâ Vrbe auleis ornatâ, omnibus Cardinalibus comitãtibus à Palatio Vaticano profectus ad S. Marcum, ad tollendam ſuſpicionem ſiniſtram, privatim, & publicè multa liberalitatis, & Clementiæ ſigna dedit, & cum in publicum prodiret, humanis verbis omnium favorem ſtuduit promereri.* Rogatus, quànam ratione *ipſe, & fratris filii victuri eſſent? munificè (reſpondit) largè, & more Principum, quod re egregiè præſtitit.* Genuino verbo Pallavicinus abſolvit: *Veſtitum non maſculè coluit, & ſuprà faſtum* Eccleſiaſticum; Huic patriæ vitio ſuum familia ſupperaddidit, nimium ſuorum amorem, quos ut ornaret, divitias quæſivit, & titulis excęſſit. Natura tandem ſtomacoſus, & iracundus non tàm rigore videbatur peccare, quàm ſuperbiâ. Primum Cõſiſtorium habuit die 30. Maii An. 1555. in quo Hercules Dux Ferrariæ ſolvit iuramentum Fidelitatis. *Pallavic. l. 13. c. 7.*

Correctio.

12. *Vitiis, quàm hoſtibus gravior* Paulus *IV. pecuniæ minimè cupidus, clericatus, ſecretariatus, Protonariatus* (ita Panvinius) *magni pretii officia liberaliſſimè donavit. Omnibus Chriſtianorum Principum, in his Reginæ Angliæ, & Rerumpublicarum oratoribus, qui gratulatum, & ad eius venerationem Chriſtiano more Romam venerant, publicis in conſiſtoriis admiſſis, ingenium rurſus ſecutus, ad ea, quæ depravata ſibi videbantur, emendanda converſus, totus ad tollendos abuſus, quos ſuperiorum temporum negligentia pepererat, incubuit, ut hac ſaltem ratione Lutheranorum voces contrà Romanam curiam obloquentium retunderet. Multà igitur ſummæ ſeveritatis edicta propoſuit, quæ ad diſſolutos civitatis mores corrigendos pertinebant. Ob eam cauſam multis invíſus, quanquam pleraquè egregio Principe digna ageret, non tàm ea grata eſſe poterant, quàm contrà odioſa, ſi quà fortaſſe ſecus feciſſet. Principio cogitavit de levãdis vectigalibus, & oneribus à ſuperioribus Pontificibus extrà ordinem impoſitis, ſed ærario inani mentem mutare coactus eſt, nè graviora indicere poſteà cogeretur. Edito decreto prædia, & bona eccleſiarum malè, & ſimoniacè alienata, quæ à multis, aut occupata, aut temerè empta fuerant, magno multorum damno poſſeſſoribus deturbatis reſtitui iuſſit. Iudæos totà eccleſiaſticâ ditione ſparſos, & paſſim Chriſtianis nullis penè diſtinctos ſignis admixtos, certis ſeptis more Veneto oppidatim concluſit, & ad eorum avaritiam (cuius vitii infamiâ gens illa in primis laborat) coercendam eorum uſuris modum impoſuit, fœnus à centeſimâ ad quinquageſimam reduxit, crocei coloris pileum, quo internoſci poſſent ferre coegit, mercaturam cunctarum rerum, quæ victui humano neceſſariæ ſunt, omne cum Chriſtianis commercium, ſtabilia bona poſſidere iis prohibuit: Chriſtianos quoquè quicquam eiſdem miniſtrare: Synagogas, quibus ſuperſtitiones ſuas celebrarent, præter vnam: in ſingulis civitatibus ipſos habere vetuit, manente nihilominus ac ſi plures eſſent catheeumenorum annuo decem aureorum pro ſingulis tributo, gravioribuſquè exactionibus, abrogatis ſemel cunctis privilegiis, quibus à ſuperioribus Pontificibus donati, immanes, & intolerabiles divitias per fas, & nefas congeſſerant, oneravit. Multa Iulii Tertii, quæ nunquàm probaverat decreta induxit, aliquot ex eius familiaribus, quomo-*

modo Idius conſiliis utebatur, in carcerem coniectis. Vrbis præfectum Vrbini ducem, in locum Horatii Farneſii paulò antè interfecti ſuffecit. Cardinales provinciarum legatos minorum ordinum rectoribus ſubrogatis cunctos revocavit, præter unum fratris filium Carolum Caraffam, quem initio Pontificatus *ex Equite Hieroſolymitano, & Neapolis priore, & qui militiæ perpetuò operam dederat, Cardinalem, & Bononiæ legatum dixerat, cuius plurimum operâ utebatur: hic rerum ſummæ præerat. Oſio antiquo familiari Datario declarato, Datariatus reditus ſuſpendit, eumquè ſeverè admonuit, ut nullas pecunias pro impetrandarum quarumlibet rerum, quæ conceſſione parum dignæ viderentur, compoſitionibus acciperet, quouſquè à Cardinalibus quibuſdam, quibus id munus mandavit, corrigerentur, quum ſibi perſuaſiſſet, multas pecuniarum ſummas eo munere contrà ius cogi. Complures ſuper eà re egregiorum hominum Theologorum, iuriſquè Pontificii conſultorum deliberationes habuit, quærens, an hæ pecuniarum ſolutiones, quæ conpoſitiones vocantur, legitimæ eſſent, & à ſponte offerentibus pecuniæ licitò capi poſſent. Dum omnium ſententias audit, graviter aliquando in eos invectus eſt, qui accipiendas probarent; ab omni avaritià alienum animum præſeferens. Regreſſus; & acceſſus ad Cathedrales Eccleſias revocavit. Diſpenſationes matrimoniales, inter ſecũdi gradus affines, aut rarò, aut non conceſſit.* Publicà *ſanctione, cuncta, quæ ſuperiores Pontifices poſt Iulium ſecundum conceſſerant, quæ bona redditusquè Eccleſiarum minuerent, ſuſtulit. Superiorum Pontificum decreta de annatis, & quindeniis confirmavit, ad eorundem ſolutionem, quæ controverſa erant expoſuit, quorum cauſas Cardinalibus Sarraceno, & Menianello, exequutiones vero Hieronymo Saulio Archiepiſcopo Genuenſi quæſtori, & Oſio ſupplicum libellorum magiſtro commiſerat.* Pœnitentiariæ *officium, item Clericatum, tam in veſtitu, quàm victu, emendari, abuſibus ſublatis decrevit; nec ullius nomen recipi voluit inter ſacerdotiorum candidatos, quorum ante acta vita non probata eſſet: ei quæſtioni præfecit viros integros Tranenſem, Rebibam,* Reumanum *Cardinales, &* Franciſcum *Epiſcopum Gebennenſem Datarium. Ambientium ſacerdotia fraudes redarguit, Lenones, & facinoroſos homines urbe exactos, graviſſimis pœnis coercuit. Societates certarum pecuniarum, quibus præſcriptæ menſtruæ uſuræ perſolverentur, præter eas, quæ ex officiis Romanæ curiæ capiuntur, uti fœnebres edicto prohibuit. Eum ſenatus principẽ, quem Decanum vocant, eſſe voluit, qui decedente vetere Decano, principem locum inter agentes Romæ Epiſcopos Cardinales obtineret. Severiſſimum promulgavit edictũ in eos, qui ſanctiſſimam Trinitatem, Ieſu Chriſti Domini Noſtri divinitatem, eius ex ſancto ſpiritu conceptum pro humani generis ſalute mortem, beatiſſimaquè virginis Deiparæ perpetuam virginitatem inficiarentur.*

Oſius depoſitur.

Oſium eundem, quem ſupplicibus libellis (ut dixi) ſubnotandis, ſummæq; conſiliorum omnium præfecerat, & Epiſcopatu demum Reatino exornarat, morum ruſticitate, gravioriquè eius ingenio ſuboffenſus, propinquorũ quoquè Pontificis, quos negligebat relationibus petitum, gratià in odium verſà, poſteà in Hadriani mole præduro carcere habitum, per quadriennium ferè cuſtodiri iuſſit. Triumviralem conſervatorem urbis, & ſenatoriam in Capitolio poteſtatem amplificavit, & populo Romano immunitates omnes, & privilegia à ſuperioribus Pontificibus conceſſa liberaliter auxit, & confirmavit. Tiburquè Cardinali Eſtenſi ab adminiſtratione ſubmoto, eidem cõceſſit. Ad levandam Vrbis annonæ penuriam, triginta millium aureorum cenſũ inſtituit, cuius fideiuſſioni bona domus hoſpitalis ſancti Spiritus ſubiecit, quà pecunià frumentum inopi plebiculæ paſcendæ compararetur. Quadrantarium carnis vectigal in quinquennium à Iulio tertio impoſitum, extrà Vrbem tantum exigi voluit. Quod tamen neceſſitate coactus, in novennium ad omnes etiam regulorum ditionis eccleſiaſticæ Toparchias poſteà produxit, & ex eodem vectigali montem non perpetuum cum centeſimæ ſolutione conſtituit.

Statua

13. *Statua marmorea.* Tot Beneficiis auctus *Populus Romanus* (Panvinius proſequitur) *ad teſtificandum grati animi ſtudium, ſolenni decreto ſtatuam ei in* Capitolio *marmoream, quam ipſe potiùs, quàm æneam optaverat, antiquorum more erexit: & centum amplius è nobilitate lecti, qui ſine ſtipendio Pontificis per vicos perpetui corporis cuſtodes, novo exemplo eſſent, Fidei equites ab eo creati.*

Anglorum legatio.

14. *Anglia.* Diè electionis Pauli 4. cum Romam veniſſent Legati Britanni, ut totius Regni nomine ſigna darent pœnitentiæ; die 7. Iunii, non 30. Maii, nec in publico, ſed in ſecreto Conſiſtorio (ut quidã ſcripſit) humaniſſimè recepti, & in eo Apoſtolicà auctoritate Hybernià Regni titulo decoratà; ut poſteà in publico Conſiſtorio (quod celebratum fuit die 21. Iunii) Legati legitimè appellare poſſent Mariam, & Philippum Angliæ, & Hyberniæ Reges. Dum enim Angli beneficio Sedis Apoſtolicę Hyberniam tenerent, & ſimplici *Dominorum* titulo poſſiderent, Henricus VIII. ſchiſmaticus, & excommunicatus Regium titulum uſurpaverat, atquè ad poſteros iniuſtè tranſmiſerat. Hæc omnia omnibus Paulus in eo Conſiſtorio, non ſilentio pręterita, vel diſſimulata, ſed clarè, & apertè cum recitaſſet coram Senatu, vigore muneris Pontificii (cuius eſt, evellere, & plantare regna) Hyberniam in regnum erexit. Die poſteà 21. Iunii, Legati in publico Conſiſtorio, ad pedes proiecti Pontificis, totius regni nomine, Anglorum errata accuſavere, ſingula quæquè (ita exigente Pontifice) nominatim percenſentes, ingratitudinemquè ſuam ob immenſa ab Eccleſia Romanà accepta beneficia palà deteſtantes, & ſubmiſsè veniam deprecantes. Nos Papa humi levatos complexus, præterita benignè condonavit, cenſuris abſolutos in gratiam recepit. In ſecretiori poſteà cum Legatis indoluit, nondum reſtituta Eccleſiæ bona, quæ ad ultimum uſquè quadrantem eſſent vindicanda; quòd ſemel Deo dicatum, ampliùs ad uſum humanum tranſferri non poſſe. Hoc unum Angli perſuaſum velint, earum rerum poſſeſſionem illicitam eſſe, cui comes adhæreret perpetua divina vindicta, ac regni miſeria. Eà de re continuò ad Principes ſuos reſcriberent; nequè id ſemel monuiſſe contentus, idipſum occaſionibus omnibus iterabat. Præcepit etiam ut primo quoquè tempore exactionem denariorum S. Petri in uſum revocari curarent, cuius gratià exactorem decreverat; quod quidem munus ipſe in Angliam miſſus triennio obierat, maximà cum voluptate, cum non populum tantùm, ſed tenuiores è plebe ad ſolutionem paratos invenerit. Neq; unquàm ſperandum, ipſi apertum iri à B. Petro Cœlorum ianuas, quandiù eius bona in terris uſurparet.

Hæc

Hæc cum Regina accepiſſet, omnia, quæ Fiſco perſoluta, reſtituit. Proceres, qui bona Eccleſiaſtica in familiam peculii titulo traduxerant, nullis legibus adduci potuerunt ad reſtitutionem. Reſtitutæ indè, ac ornatæ paſſim Eccleſiæ, collegia fundata; cœnobia à devotis perſonis reędificata, Catholicis Regibus in hac pietate populo prælucentibus. Ità Religione reſtitutâ, ad ſanctum ſacrificium, Communionem, Confeſſionem, preces, conciones plebs accurrebat. Antiquiſſima traditione cùm tenerentur parẽtes ad eum Epiſcopum, qui primus intra ſeptem milliaria occurriſſet, parvulos deferre confirmandos: & per ſexenniũ, quo Eduardus regnaverat, Cõfirmationis ſacramentũ nõ eſſet legitimè adminiſtratũ; tã innumerabilis parvulorum multitudo deferebatur, vt Epiſcopi variis locis penè opprimerentur: & nominatim Ciceſtrenſis dum in agro Lancanſtrenſi ſubdio, in planitie maxima (quod nulla Eccleſia, nec cæmiterium multitudini capiendæ ſatis eſſet) vix & nonniſi cum magnâ ſupervenientis civilis Magiſtratus diligentiâ, à concuſſione plebis tumultuantis liberatus fuit: ita cultus Catholici ſtudio omnia fervebant. Inſtitutâ poſteà quæſtione adversùs Epiſcopos ſchiſmaticos; reliquis eſt inventus deterior, Thomas Cronmerus Archiepiſc. Cantuarienſis hæreticus, & hæreſiarcha cum errores ſuos coram Legato Apoſtolico abiurare noluiſſet, in Romano Conſiſtorio non ſolùm ſede deiectus, ſed iudicio traditus ſæculari, flammis abſumptus eſt. Eius locum tenuit Polus Cardinalis, tunc temporis à Pontifice inter Cardinales presbyteros adnumeratus, cuius diligentiâ, & Mariæ Religione Britannia Petro devota permanſit uſquè in Annum 1558. quo, die XV. Novembris, Maria Regina ex hydrope obiit. Auditâ Mariæ morte Cardinalis Polus, ex quartanâ febre decumbens, intra ſexdecim horas deceſſit, Anno ætatis 58. cum dimidio, vir pietate, eruditione, prudentiâ nulli ſecundus. Hæredem bonorum omnium ſuorum ſcripſit Aloyſium Priolum veterem amicum ſuum, qui ſtatim omnia in pios uſus effudit, reſervatis ſibi tantummodo Breviario, & diurnali. Sepultus eſt optimus Præſul Cantuariæ in ſacello S. Thomæ, cum hac epigraphe. *Depoſitum Cardinalis Poli*; in omnium animis ſplendidius monumentum conſecutus. Interim Maria Scotiæ Regina, ſe quoquè Angliæ Reginam dixit, & iubente Socero, Henrico Gallorum Rege, vſurpavit inſignia regni. Sed ab Anglis

Cronmerus comburitur.

Mariæ Reginę & Poli Cardin. obitus.

Eliſabetha regnat.

15. *Eliſabetha* mulier ingenioſa, & ſolers hæreſim profeſſa, ne natales eius Eccleſia damnaret: verè nullius religionis, ſed regni tantùm ſollicita unicuiſquè initio ſui principatus liberam religionem permiſit, cum ab Epiſcopo Catholico inaugurata mandavit Oratori Romæ ſtanti, Pontifici ſignificare, quòd ex causâ Religionis nulli fieret iniuria ad credendum. Negavit Paulus licitâ ſubrogationem, & propter defectum natalium, & quia inicio factam Pontifice. Acerbo reſponſo viſus eſt Paulus efferare Eliſabethã; ſed ad ferociam facibus non indigebat: nam hæreſim fovebat in pectore, agnatum crudelitati malum. Sævit itaquè in Catholicos, & Religioſos, novamquè inducit Religionis formam, vt ſe Anglicanę Eccleſiæ caput oſtenderet. Eius nuptias cum multi prænſarent, ſe quoquè pluribus oſtentavit, ſed ad nuptias A inepta ſubditos irriſit, & procos. Tantum vulnus lenivit pax inter Philippum, & Henricum, ſed pernicioſiſſima Gallis, cum per eam centum nonaginta octo vrbes, aut oppida reddiderint vt S. Quintinum, Hamum, & Caſtelletum, hoc eſt vrbem vnam, oppida duo reciperent. Inter conditiones pacis, vt vniti Concilium intercederent vniverſale, & ſeverè inquirerent in hæreſiarchas.

Pax inc tuoſ Gallis.

16 *In Aquilam conduxit Gallos.* In Germaniâ cùm ad concordiam Religionis Proteſtantes excitaret Ferdinandus: Aloyſius Lippomanus Veronenſis Antiſtes, Pro-Legatus Romanus libello oſtendit, quæſtiones Fidei ad tribunal ſpectare Apoſtolicum, ſed fruſtrà: cùm Proteſtantes accuſarent Pontificem auctorem diſſidii, & quòd à capite eſſet incipienda correctio. Volebant Proteſtantes cuivis liberum eſſe ad eorum Religionem tranſire. Catholici contra, Ci-B vitatibus, quæ antè ſeptennium Auguſtanum receptiſſent decretum, ac miniſtris Religionis Romanæ id minimè concedendum volebant. Quòd ſi quis Epiſcopus Abbas ad illos tranſiret, bonis ſpoliatus locum daret alteri eligendo. Hæc diſceptatio diù exagitata, tandem 7. Kal. Octob. An. 1555. concluditur. *Nulla iniuria, vel moleſtia in bonis, & perſonis inferatur Auguſtanam religionem profitentibus. Iura eis omnia Sacra, & civilia inviolata ſtabunt. Si quid controverſum incidat viâ iuris decidatur. Ab hac pace ſecludatur qui neutrius religionis fuerit: Si qui Eccleſiaſticorum à veteri religione decedant, bona Eccleſiæ remaneant; nullâ tamen notentur infamiâ. Occupata antè Paſſavienſem tractationem ab Auguſtanæ confeſſionis hominibus tutò poſſideantur, dummodò immediatè ea non ſpectent ad imperium. Adverſus Auguſtanam reli-C gionem nulla ſit Eccleſiaſtica iuriſdictio; in cæteris ſalvum maneat erga eccleſias ius Antiſtitum. Antiquæ religioni addictis fas ſit, cenſus, decimas ſub quàcumquè ſeculari poteſtate conſtitutas exigere, ſalvis tamen iis, quæ parochiis, ſcholis, hoſpitalibus eius loci olim deſtinata ſunt. Controverſia ab arbitris citra ſemeſtre decidantur. Neutra partium vi, aut fraude religionem mutare ſuadeat: nec quiſquam mutantis patrocinium ſuſcipiat, niſi illud iure, uſuque firmatum ſit. Si quis alterius religionis aliò migrare velit id bonis commodè venditis, liceat: idem, & mancipiis, ſi pretium ſolvant. Hæc pax ſtet, ſivè ſequatur, ſivè non ſequatur religionis concordia. His pactis comprehendantur nobilitas, & liberæ civitates, quæ utramquè religionem admiſerunt.*

Paſſavienſis dicta eſt hæc pax à loco, ubi cœpta, non ubi abſoluta. Ferdinandus Rex illachrymans ſubſcripſit. Carolus nunquàm ſignavit. Subditi do-D mus Auſtriacæ, & Bavari cupidi libertatis dominos rogabant ſuos, ne duriùs haberentur, quàm vicini. Daretur & ipſis immunitas à legibus Eccleſiaſticis. Quibus reſponſum iuxtà concordata Auguſtani receſſus; Teneri vaſſallos quoad Religionem convenire cum Dominis ſuis, vel ſolum mutare. Anno prẽterito Cathechiſmum, auctore Petro Caniſio, Ferdinandus vulgaverat, cęteris interdictis, utili quidẽ Religionis tutelâ. Hæc cum accepiſſet Paulus, graviter queſtus, quòd Rex in meſſẽ alienâ falcẽ poneret; volebat omnia revocari, ut ſibi adimeretur occaſio procedẽdi nõ ſolùm contrà Lutheranos, ſed etiam contrà Catholicos eorum fautores. Excuſanti vero Oratori Cæſareo,

Pax Auguſtana cum damno Catholicæ Religionis. Anno 1555

rem, atquè commemoranti Proteſtantium vires, nuperum contra Cęſarem bellum, in quo parum abſuit, quin Cæſar Oeniponte caperetur, iusiurandum in reconciliatione præſtitum: Pontifex nihilò placatior repoſuit, ſe ab illicito iuramento Cęſarem abſolvere, & Regem, immò non obſervandum. Vbi agitur cauſa Dei, non reſpiciendum ad humana conſilia. Cęſarem divinà permiſſione in diſcrimen adductum, quòd in Germanià pro Religione non fecerit, quod debuit, & potuit. Deum hac veluti ſuę iracundię denuntiatione monitum velle, maiora inſtare ſupplicia niſi documentum indè ſumat; & ſuo periculo ſapiat. Ad extremum non obſcurè innuebat Pontifex, ſi Cęſar, & Ferdinandus Auguſtana non abrogarent decreta; ſibi non deſore vires ad cauſam Dei promovendam, datis ad omnes Principes Chriſtianos, pro ſuo in cunctos Chriſti fideles imperio, ſub pœnà anathematis, mandatis; ut opem illi ferant.

Rigor tumidus Pauli 4.

B Rumor erat, Papam ità ſeverè agere, Cardinale excitante Auguſtano, cui libertas Proteſtantibus diſplicebat indulta. Excelſi animi Paulus, rebus omnibus præſto eſſe cum crederet ſolo gladio ſpirituali; ſepè ſępius Oratoribus Principum inſuſurrabat; ſumus ſuper omnes Principes, nullus eorum conſuetudinem, vel familiaritatem cum nobis uſurpet. Noſtrum eſt, dare, & tollere regna. Succeſſores eius, qui Reges deturbavit ſumus, & Imperatores. Neminem habemus ſocium, ſed omnes nobis ſub hoc pede ſubiectos. Et hęc dicens, terram percutiebat pede, iuxtà ea, quæ docuit qui Eccleſiam ędificavit in Petro. Hęc cum accepiſſet Ferdinandus, reſpondit acriùs, quàm par erat, vel quòd neceſſitas legem non admitteret; vel Pauli contumacia malignantis potiùs, quàm admonentis crederetur correctio.

Carolo ſuſpectus.

Ferdinando namquè Catholico licèt in Hiſpanià Paulus non inviſus plures Annos egiſſet in aulà; ſuſpectus tandem Carolo ſucceſſori propter conſilii libertatem de regno Neapolitano Aragonenſibus reſtituendo, ut ſuprà notavimus, eà diffidentià laboravit, ut difficilimè poſſeſſionem Archiepiſcopatus Neapolitani obtinuere valuerit. Eius aſumptio in Pontificem adeò Cęſarem exarcebaverat, ut vices repoſuiſſet doloris adversùs Cardinales Cæſareos, ni more Principum, diſſimulatione graviorem ſperaſſet vindictam. Cardinalis S. Floræ miſſo Franciſco Lotinio à ſecretis, ut Cæſarem certiorem faceret, quod coelectoribus acceſſiſſet invitus, nec Cæſari ſatisfecit; & Papam irritavit. Nam inſtructio clàm data Lotinio cum ad manus perveniſſet Pontificis, magis concitavit adversùs Carolum. Non etiam amabat Hiſpanum Paulus, quòd in diebus Clementis VII. urbe ab Hiſpanis direptà, coactus fuiſſet cum ſuis Theatinis ſolum mutare: quòd inter Cardinales adlectus, a cubiculario ſuo Hiſpano venenū ſibi paratū depræhendiſſet. Cæſar pariter non admodùm favebat Paulo, quòd inter prępotentes Neapolitanorum familias, àquibus ſibi formidabat, Princeps magnà prudētià, facundià, auctoritate apud cives haberetur: vndè adverſus Petrum Toletanum Inquiſitionem Religionis more Hiſpano, apud Neapolitanos inſtituere conantem plebe

Cauſà nepotū fuceſſit Hiſpanis.

mutante, & tumultum agente; ipſe Caraffa Paulum III. ad arma Cæſari inferenda, adhortatus fuiſſe diceretur. Inflammabat Paulum nepos eius Caro- *Alus Caraffa*, Iulius *Alphonſi Comitis de Montorio* Cardinalis, qui odio inveterato proſequebatur Hiſpanos. Is ſiquidem cum Cęſari bello Germanico olim eques militaret, ſubortà de captivo quodam controverſià ab Hiſpano iniurià laceſſitus, cum apud Albanum expoſtularet, vt ſibi duello ſatisfieret; non ſolùm auditus non eſt, ſed & ignominioſè repulſus; cumquè ob id in Italiam relicto exercitu ſe reciperet, Tridenti iubente Cæſare detentus, nec priùs dimiſſus, quàm idoneè caviſſet de non provocando adverſarium. Electus poſteà à Paulo III. Prior Neapolitanus equitum Melitenſium, poſſeſſionem negante Cæſare, ab eo tempore inità cum Petro Strozio arctiſſimà amicitià vexilla ſequutus Gallorum, tanquam perduellis extor factus, inſidias declinavit cautè inimicorum; donec à patruo in Pontificem ſubrogato Cardinalis dictus Annorum 38. (in eo Conſiſtorio, in quo Paulus Hyberniam Regni titulo decoravit, ſibi autem nepotis erectione in Cardinalem, ruinam paravit) non deſtitit excitare Pontificem adversùs Hiſpanos, ſperans, quòd in ſpolio Regni Neapolitani portio non minima ſibi contingeret. Inſidias propterea, & ſibi, & patruo vel credebat, vel fingebat paratas; quaſi reprehendi non poſſet, ſi iniurias vlciſceretur acçeptas. Gallorū libido, & ambitus ad regnū Neapolitanū ſpē Caraffæ fovebat: & licèt Paulus ſenio cōfectus arma fugeret; ad ea tamen privatorum diſſidia traxere nolentem. Primum fuit, cum Carolus Sfortia Longobardiæ Prior, qui Regē Galliarum in bello ſequebatur Senēſi, cum fratre Mario à Cæſarianis captus, & in cuſtodià detentus, à Gallorum amicitià ſecretò ad Cæſarem defecerat: vt tamen à Rege, duas quas in portu Maſſilienſi reliquerat triremes redimeret, liber iam factus, ſimulatione plenis datis lite-

C ris. Nicolaum Alemannum exulem Florentinum, qui curam gerebat, excitavit, vt Centumcellas deſcenderet ad jungendas triremes, vt indè in Galliam navigaret. Cum annuiſſet Alemannus; eò venerunt Marius Sfortia, & Alexander Clericus Camerę Apoſtolicæ, fratres eiuſdem Caroli ſtipatus ſatellitibus, & triremes Alemanno tradere recuſanti vi eripuerunt, ſed à Præfecto arcis Petro Capuano violatam credente Pontificis maieſtatem, quo inſcio in ditione ſuà vim intentabant, impediti indè navigare, certiorem fecere ſolliciti fratrem ſuum Cardinalem S. Floræ, qui interprete Io: Franciſco Lotino, à Io: Montorii comite, nepote Pontificis literas impetravit, quibus mandabatur Arcis Præfecto, ut dimiſſis triremibus, Regum negotiis non ſe immiſceret. Marius ergo ſtatim eductas triremes Caietam, indè

D Neapolim deduxit, amicè & munificè exceptus à ProRege Mendocio. Eam rem cum Galli ad contumeliam nationis, & iacturam in Hetrurià ſpectare viderent, coram Pontifice conqueſti, adeò illum permoverunt, vt iam contrà Sfortias incitatus antiquis populorum querelis regnante Paulo 3. & Iulio 3. mandarit illicò Sfortias Marium, & Alexandrum Romam citari, triremes reſtitui: Cardinali quoquè Camerario eorum fratri, quod id non abſquè eius voluntate factum ſuſpicaretur, & quià in electione ſuà contumacem deprehendiſſet, idem mandavit, reiectis excuſationibus, quòd ſe inſcio omnia fratres feciſſent; & triremes nunc occuparent Hiſpani. Pau-

Sfortianos Romam citat.

lo autem non deferveſcenti vt Cardinali timorem incuteret nocte Domum ſuam accitis Cæſareis, inter quos adfuerunt Marchio Sarriæ Orator ordinarius, Comes Cincionus Orator obedientiæ, miſſus à Philippo, Columnenſes, Cæſarini, præter inferiorem turbam iſti. Cœperunt clandeſtino colloquio, Pauli electionem in dubium revocare. Hęc cum omnia palàm, & ab infimę ſortis hominibus etiã in atrio revelavit prolata Cardinalis Burgenſis Pontifici, qui propterea fuit à Cæſare in Hiſpaniam revocatus. Interim Montorii comes epiſtolâ permutatâ, quam dederat Præfecto Centumcellarum, aliâq; ſubmiſsâ, culpam omnem reiiciebat in Lotinum, quaſi iſte Comitem decepiſſet, & Præfectum. Hac de causâ carceri datus, longo tempore iactatus immeritò, donec iniuriâ in auctorem refuſâ, innocens cognitus eſt. Marchio Sarriæ petens audiri à Pontifice, repulſam paſſus, eodem tempore, quo Pontificem poſtulabat de iniuriâ Cæſari illatâ, Mendocium hortabatur P. Regem triremes reſtituere; ſed renitentibus Sfortianis, ni ſibi redderetur Lotinus, & in eos iudiciũ quieſceret. Iratus Pontifex, quòd ſubditi vellent paciſci cum Domino ſuo, Cardinalem iuſſit cuſtodiri. Satellitem egit Cardinalis ipſe Caraffa, nã ſpetie oblectationis evocatum Sfortiam in Hadriani molem coniecit, exeunte Auguſto An. 1555. Carolus, & Marius fratres fugâ ſe ſubduxerunt. Eodem tempore comprehenſus, & Camillus Columna, quòd cum Sarriæ Marchione in domibus Sfortianis ſecreta habens colloquia iniquior cæteris in Paulum deblateraſſet. Iulius Cæſarinus, & Aſcanius Cornæus ob eaſdem ſuſpiciones, vadibus datis vrbe diſcedere prohibiti. Mutius Tuttavilla prætorianorum præfectus, & cum eo quatuor cubicularii remoti ſunt à munere ſuo, & ipſi tanquàm ſuſpecti. Romam vocatus M. Antonius Columna, ſed à Ioannà Aragonià matre monitus, per binos nuntios directos viis diverſis non comparuit, ſed ad muniendum Pallianum appulit. Cardinalis Camerarius Pauli Iordani Vrſini avunculus, ac tutor tædio carceris coactus Bracianam arcem, ac reliqua Vrſinorum oppida Pontifici prodidit. Dum hęc agerentur; Cardinalis Caraffa miſſo ad Regem *Hannibale Rucellaio* nepote Ioannis Archiepiſcopi Beneventani (quà Paulo Romam evocato, & à ſecretis aſſumpto, immò in comitiis die proximà celebrandis Cardinalis deſignatus, ni carmina laſciva aliàs edita à Ioanne, & Pontifici ab hoſtibus immiſſa à propoſito Papam revocaſſent) exule Florentino, ut triremibus etiam reſtitutis Gallum in Cæſarem excitaret. Sfortia namquè Comes S. Floræ, & frater Cardinalis captivi, fidus Cæſari, ad Albanum auditâ fratris captivitate, ſe contulerat, & ad evertendum familiæ diſcrimen, triremium reſtitutionem impetravit. Quâ demulcitus Paulus, rogantibus Cardinalibus, Camerarium, & Camillum Columnam, vadibus acceptis, nè urbe diſcederent, cuſtodiâ dimiſit. Initio autem Anni 1556. Paulus fratris filium Io: Caraffam Montorii Comitem, Eccleſiaſtici Imperatorem creavit exercitus, cuius ſolemni pompæ prætoriani, & levis armaturæ equites Pontificii, de more interfuerunt. Hęc die Ioanna Aragonia irritati Pontificis vim timens, habitu aſſumpto uxoris Roberti Stiotii, deceptis

Sfortia Cardinalis carceri datur.

Columna Cardinalis.

Io: Caraffam nepotẽ Paulus dicit Imperatorem exercitus.

A portæ cuſtodibus Vrbe exceſſit. Eà re, ira aucta Pontificis, quæſtionibus habitis M. Antonium, & ipſius patrem Aſcanium (qui tunc Neapoli in cuſtodiâ detinebatur) anathemate notatos honore, & poſſeſſionibus avitis, quas in ditione Eccleſiaſticâ obtinebât, diplomate publicato, quo privationis cauſas recenſebat, exuit, eorumquè oppida (quod multis durum, & futurorum malorum cauſa viſa eſt) *Ioanni Comiti Montorii* ducatus Paliani addixit quaſi valido, & fideli Romanis Pontificibus poſſeſſori in illis oppidis inſtituto, atquè firmato, poſse gentem Columniam illis perpetuò excludi, ſpe ſublatâ recuperandi. Hinc capto Palliano, de illius everſione primo decretum; mox de oppidorum pro Eccleſiâ retentione fuerat cogitatum. Dux igitur, ut eius dignitatis inſignia caperet, celebri pompâ, ornamentis ducalibus indutus, toto comitante populo Ro-

B mano, Pontificiſquè cuſtodibus Prætorianis, & levis armaturæ equitibus, à Vaticano Palatio in Capitolium proficiſcitur, ubi Sacris interfuit. Eodem tempore Pontifex fratrem Ioannis ducis, *Antonium Caraffam* Marchionem Montisbelli, ac Diomedem Caraffam Ducis filium Marchionem Cavẽſem creavit. Montem Bellum Pontifex Comiti Balnei ob pecuniam à Gallo in Italiam miſſam, uno ex tabellariis occiſo in ditione Eccleſiaſticâ, deprædatam, armis eripuerat. Concitabant magnoperè Pontificem inſidię paratæ adversùs Cardinalem Caraffam (ut idem Cardinalis accuſabat) iubente Imperatore mediis Cæſare Spinâ Calabro, qui Romã dicebatur immiſſus ad cedem Cardinalis; & Abbate Nanio, per quem fuiſſet Cardinali propinatum venenum. Quæſtione habitâ, dixit *Nanius* ſe Neapoli miſſum, ad procu-

C ratorem Albani ducis, *Abbatem Beſſenium*, quem Bononiâ tranſeuntem, & captum Romam evocarunt cum ſiglis, & notis arbitrariis, quibus ad libitum explicatis, & tam contrà Cardinalem, quàm contrà Pontificem confictis inſidiis, quęſtiones habitæ ſunt non ſolùm in aulicos, ſed in ipſum Cæſarẽ, quamvis poſteà ſilentio ſepultæ; ſolis Nanio, & Spinâ ad mortem quæſitis. Fidem augebat inventis Antonius Perenotus, qui aulæ moderator Cæſareæ Nuntium Pontificium territabat, & in vindictam diſcrimina minitabatur graviſſima. Fama erat, ab eodem excitatum fuiſſe Cęſarẽ, Pontificem dominio exarmare civili, quòd cum vicino tam potente, & acerbo nunquàm quieſceret regnum Neapolitanum. Paulus propter ſenium timidus, poſſibile ſuſpicatus impoſſibile (Carolus namquè totus intentus abdicationi ſuæ, & ad ſeceſſum in ſolitudinem, quam menſe

D abſolvit ſequente (qui fuit Octobris An. 1556.) haud poterat ſacrilegum meditari ſpolium Pontificis) in conſilium evocatis Oratore Gallico, Cardinale Farneſio, Silveſtro Aldobrandino celebri I. Conſulto, & patre Clementis VIII., qui Florentiâ extor claſſicum canebat, ut patrię ſuæ libertatem reſtitueret, Paulo Conſiliario uno ex tribus fundatoribus Theatini Inſtituti, quem Paulus 4. Cubiculo præfecerat, poſt recenſitas inſidias ſibi, & nepotibus ab Hiſpano paratas, in argumentum veritatis legi mandavit acta, epiſtolas Nuntii; indè deplorato diſcrimine, quòd à Deo conſtitutus Pater gregis Chriſtiani filios pateretur parricidas. Vnicâ ſibi ſpẽ ſupereſſe

Columnii excommunicati.

Inſidiæ contrà Caraffas

ſe in brachio Regis Chriſtianiſſimi. Cui Gallus reſpondit Orator, *Regem ſuum eſſe paratum pro tutelà Pōtificis, & Apoſtolici Pontificatus filios, regnum, ſeipſum exponere.* Subiecit Paulus, non *diffidere, quod brevi ex Regiis liberis alter coronà redimendus eſſet Neapolitanà; alter ducatu Mediolanenſi.* Ità dimiſsis Conſiliariis à Papa; Cardinalis Caraffa impatiens longioris procraſtinationis, in vicinum ſecedens cubiculum, accerſito etiam duce Octavio Farneſio capita cum Gallo fœderis eſt meditatus ſequentis. *Rex Chriſtianiſſimus fidem obliget, protecturum ſe Paulum 4. & S. Sedem contrà omnes vim inferentes, etiamſi ſupremę ſint conditionis, & hanc præcipuam in belli per Italiam gerendi, aut ſuſcipiendi ratione curam ſibi fore promittat. Cardinalem Caraffam, Io: Montorii Comitem, Antonium Caraffam, ac eorum hæredes in ſuam ſuſcipiat clientelam, & loco bonorum iis ob huius belli cauſam ademptorum, idoneas in Italià, aut Francià attribuat poſſeſſiones. Fœdus perpetuum ſit inter Regem, Pontificē & Romanam Sedem tàm defenſivum, quàm offenſivum per totam Italiam, acceptà Subalpinà regione: Romæ, aut Venetiis quingenta aureorum millia deponantur, à Rege quidem CCCL. à Pontifice verò CL. intrà menſem Februarium in belli ſumptus: in cuius uſum* X. *vel* XII. *millia peditum, in Italiam Gallus ſubmittat, cum quingentis cataphractis, ac totidem levis armaturæ equitibus, quibus aliquis principali dignitate præditus præficiatur* (quibus verbis deſignabatur Guiſius Cardinalis Lotharingi frater) *Viciſſim* Pontifex X. *millia peditum, aut maiorem numerum, & mille equites ſuppeditet, qui ex pecunià alantur depoſità. Comeatum, & liberum tranſitum* Gallis *permittat. Tormenta, & cætera ad bellum neceſſaria, quàm neceſſe erit, & poterit ſubminiſtret. Belli initium à regno Neapolitano, aut Hetrurià fiat; & ſi res exigat, in Galliam etiam Ciſalpinam transferatur. Coſmo bellum inferatur, ut libertas reſtituatur Florentinis. Nemo ex fœderatis cum hoſtibus pacem ineat, altero inſcio, & non conſentiente. Veneti hoc fœdere comprehendantur, & alii Principes, qui pro Italię ſubſcripſerint libertate. Recuperato regno Neapolitano, illud Papa uni ex Regiis liberis attribuat, Delfino excepto, præter Beneventum, eiuſquè territorium quod Pontifici cedet. Limes Pontificius ad Germani Fanum ab unà, ab alterà parte ad Lirim uſquè porrigatur, & trans Apenninum ad Piſcariæ flumen, ita ut omnia loca, quę citrà fines illos in Samnio, & Campanià iacent, & in iis Caſeta civitas ad Pontificem pertineant. Cenſus, qui quotannis horum regnorum ratione penditur, uſquè ad* XX. *millia aureorum augeatur. Is qui regnum beneficiarium à Pontifice accipiet, omnia tributa, angarias ab Hiſpanis impoſitas revocet. Proceres regni, ac cæteros, quod Gallos ſequuti ſint, bonis privatos, & privilegiis reſtituat. In rebus ſacris nullum ſibi ius vendicet, niſi in iis, quæ ad ipſum pertinere tanquàm patronum iudicabuntur. Iuriſdictionem Eccleſiaſticam edictis, appellationibus non interpellet: nec quominùs annona liberè importetur prohibeat. Obediens ſit, & fidem Pontifici ſervet, atquè in uſum belli* CCCC. *cataphractos equites, &* II. *triremes inſtructas ſuppeditet. Exules adinvicem non recipiant, Romà exceptà, quæ omnium eſt mater, & patria. Sedi Romanæ poſſeſſiones* XV. *millia aureorum annua in Sicilià attribuantur. Comiti Montorii uſquè ad* XXV. *millia aureorum annua in regno aſſignentur, quæ pleno iure poſſideat, de quibus ipſe, & hæredes poſſint teſtando, vel contrahendo diſponere. Antonio Caraffę poſſeſſiones* XXV. *millium aureorum annuatim concedantur. Primo tempore Rex Chriſtianiſſ. filium in regnum mittat, ut ibi edoceatur; & donec adoleſcat, in miniſtros à Papà viri deligantur idonei. Rex beneficiarius, eiuſquè hęredes in Cæſarem, vel Regem alibi aſſumi non poſſit; aliàs regno Neapolitano, ipſo iure excidat. Liceat Pontifici ad annonam ſublevandam, ex Sicilià ad X. mille menſuras frumenti omni onere, ac tributo liberas, cum voluerit, emere, & Romam liberè tranſportare.*

Fœdus Papæ cum Gallo.

His per Lotharingum, & Caraffas Romæ actis die XV. Decembris, An. 1555. diſceſſit Lotharingus, quaſi Romanos faſtidiret ſemper nutantes. In procinctu erat cum certior factus à Rege de induciis, quas petebant Hiſpani, epiſtolam per Cardinalē Turnoniū Pontifici tranſmiſit; ſed eam iſte non magni faciens, reſpondit: *Faveret Deus non tam induciis, quàm paci. Veruntamen hæc potiùs deſideranda, quàm ſperanda.* Sed exitus probavit. Prudentis non eſſe, argumentum ab improbabili, ad impoſſibile. Lotharingus Romà cum Ferrariam declinaſſet, facile fœderatum ſubiit Ducem gloriæ cupidum, & imperii. Veneti perſtitere ſequeſtres. Papa luſtratis civibus Romanis, octo mille eorum recenſuit bello aptos gerendo, quos privilegiis auxit, ut obſequentiores ſubiret. Centum etiam ex nobilibus Romanis torque donavit, & Palatinos dixit (quia in Palatio hoſpitio reciperet) ut eorum eſſet, Pontificem cuſtodire. Cum autem maieſtas non minùs milite cuſtodiatur, quam Senatore die 8. Decemb. ſeptem etiam familiares ſuos donavit purpurà, inter quos *Io: Bernardinus Scottus Theatinus* in eodem Conſiſtorio in Archiepiſcopum aſſumptus Tranenſem: *Scipio Rebiba* Epiſcopus Motolanus, & Romæ Gubernator: qui ſplendore virtutis obſcura illuſtravere natalia: *Diomedes Caraffa* Epiſcopus Arianus, qui morum, & doctrinæ clypeo ſolus furorem populi eluſit in morte Pauli. *Io: Antonius Capizuchius* Auditor Rotæ, & in eodem Conſiſtorio Epiſcopus dictus Mirapicenſis: *Io: Siliceus* olim *Guyarro* cognominatus, honeſtis quidem, ſed pauperibus natus parentibus, cuius probitate, atq; doctrinà adductus Carolus V. eum Philippi II. filii ſui præceptorem elegerat, & Archiepiſcopum Toletanum: *Ioannes Gropperus* Eccleſiæ Colonienſis Archidiaconus, I. V. doctor, Theologus egregius, contrà Proteſtantes diſputator acerrimus, qui gratias agens remiſit purpuram, illuſtrior cum depoſuit, quàm cum accepit. Huic promotioni contraire volentibus Cardinalibus vigore iuramenti præſtiti à Pontifice, de non augendo numero Patrum; Papa ut occurreret, Conſiſtorium ingreſſus, ſilentium protinùs impoſuit ab omnibus obſervandum, quòd graviora ipſe expoſiturus eſſet. De creatione propterea Cardinalium cum intelligeretur ſermo futurus; Cardinalis S. Iacobi ad Sedile cum loquuturus acceſſiſſet Pontificium, renuente audire Pontifice, & inſiſtente Cardinali, Paulus manu appoſita, in pectus Cardinalis reiecit, & ſtatim in eos exorſus, qui libertatem & auctoritatē Pontificiam ad creationem ſolummodò quatuor Cardinalium conſtringere conabatur, ſermonem abſolvit, dicens: *eſſe articulum Fidei, Pontificem nec à ſeipſo coſtringi. Abſolvere omnes, qui con-*

In creatione Cardinalium diſſidia.

trà fuiſſent loquuti, quià non pertinaces. Ceterum, qui inpoſterum non deſiſterent, iudicium expectarent Inquiſitionis. Ad *promotionem Cardinalium procedere, quia opus haberet Conſiliariis liberis, qui moribus, & doctrina Concilio incumberent congregando. Quod iam creati implere non poterant, tanquàm factionarii, & Regibus adſcripti.* Hinc Pontifex magis accenſus, dum magnis viribus bellum adornat, inducias quinquennales (quas Cæſar volens in ſolitudinē declinare, & filium Philippum pace ſecurum aſſerere, ut nutantes Britannos in officio poſſet validè continere, cum Gallo inierat, hortantibus Mariâ Reginâ Britanniæ, & Reginaldo Polo, qui mandatis inſiſtens Marcelli II. & Iulii III. a Paulo IV. non revocatis, Reges ad pacem ſemper vrgebat) nihil minus cogitans audit; eam rem, quod ipſe in graviſſimo tractatu neglectus eſſet, admodum ægrè ferens, ſe ſolum in periculis à Rege relictum conquerens, Scipionem Rebibam ad Philippum, & Carolū Caraffam ad Hēricum Reges deſtinavit. Scipionē tamē bello à Cæſarianis in ditionē illato Eccleſiaſticam ex itinere revocavit; Caraffa ad Regem maritimo ſe contulit itinere, cuius mandata fuere, 1., ut pacem inter Reges procuraret, cuius Pōtifex honorificâ cōditione particeps fieret ni impetraret, fœdera objiceret, & auxilia ſollicitaret. Epiſtolam præmiſerat exaratam à . . . . *de Caſa* Cardinalis Caraffa, ut eam Antonius Caraffa, qui ſpirans minarum, & cædis adversùs Hiſpanos, in Galliam præcucurrerat, legeret in faciem Regis; in quâ armata penè eloquentiâ violatæ fidei arguebat Regem, & inſtruebat Italos, quanti facienda eſſent Gallorum promiſſa. Sæpè excitatum ad arma Paulum Pontificem reſpondiſſe, *Si declinem à Cæſare, quid agent Galli tui? Perpende, ne me deſerant in naufragio.* Pontificem tot periculis circumventum, ab unâ nepotis opinione deceptum exiſtimantis fidem Gallorum Regis, non eſſe arundinem vento agitatam. Vtilitatem adiiciebat, quam ſors deſtinabat Gallis, ſi Cæſarem undiquè afflictum novo premerent bello: cui ſi ſpatium daretur quinquennale recolligendi vires; nonniſi ferocior eſſet expectandus, ut Gallico ſanguine præſentem purgaret ignominiam. At iactâ aleâ, epiſtola hæc non ultra valuit, quàm Regem impellere ad verecundiam, & vultus rubore plaudere obiurganti.

Epiſtola Cardinalis Caraffæ increpatoria ad Regem Gallum

Advenere poſteà Legati, quorum inſtructio, *Chriſtianorum Rempublicam, unâ Concilii Oecumenici trabe, cui ipſe adſtaret, fulciri poſſe labantem. Senio impeditus, cum aliò pergere prohiberetur, in Lateranum Orbem evocabat, Eccleſiam toti Orbi venerabilem, & tantis Cōciliis in eâ coactis celebrem,* Romam *annonâ fertilem, aere ſalubrem, amplitudine commodam, habitatoribus civilem, advenis non ingratam, quis reiiciat? non eſt cauſa, In hac ſynodo corrigendos non minùs laicos, quàm Eccleſiaſticos. Hos moribus: illos de uſurpatione Iuriſdictionis ſpiritualis. Quandoquè à Poteſtatibus ſupremis Pontificem petitionibus affici, quas non exaudire, ſed audire grave, & oneroſum. Huic incommodo Concilium occurreret; ut honor, & iura redderētur Eccleſiæ. Hoc unum reſpiciens* Papa *Legatos dirigit, ut ad pacem Principes urgeat, ſinè quâ nihil ſperandum. Bonum æternum præponerent temporali. Si enim unius homicida gravis pœnæ reus erat; quàm graviſſimâ tenerentur tantarum cadiū auctores? Nec legitimè excuſari Principes, autumantes iuſtam habere cauſam. Hæc enim ſoli patet, qui in Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Rempublicam *conſiderarent, cuius gratiâ Gentiles ipſi hoſtibus conſociati, iniurias obliti, bona, vitam obtulerant in holocauſtum. Gratitudinem hanc deberi Deo ab iis præcipuè, qui dignitate ſublimes,* Dii *appellantur terrarum. In hanc ſpem Pontificem erigi; quia* Rex *Chriſtianiſſimus interprete Cardinale Lotharingo eum in publico Conſiſtorio eligere propoſuiſſet arbitrum, & compromiſſarium.* Propterea *in Galliam legaſſe Cardinalem Caraffam nepotem ſuum, cum quo conveniret* Rebiba. *Ingruentibus Barbaris Chriſtianæ cervici: revocari Chriſtianos ad pacem non tam Religione, quàm naturâ. Proptereà cum intolerabilia eſſent noſtra diſſidia: quis Chriſtianorum pacem abhorreret, pœnas expectaret Apoſtolicas, ſpirituales, & temporales; Ipſe namquè neminem timebat, paratus mori prò Chriſto. Hoc ſolo voto,* Rebibam *familiarem ſuum, & ſui conſcium pectoris à ſe dimittere; de eius prudentiâ, & charitate confiſus. Sperabat* Pontifex *Legatum omni honore cultum iri ab iis, qui licèt Principes ſupremi, filii tamen erant illius, cuius vices Legatus gerebat. Salutationem ipſe adhiberet à Chriſto impoſitā,* Pax huic domui. *Quod ſi ibi non fuerit filius pacis; exeat foràs de civitate, excuciat pulverem de pedibus in teſtimonium illis, quòd ſint pacis indigni.*

Non diſſimilis erat inſtructio Caraffæ, qui nondū Romà receſſerat, ut comitē expectaret *Petrum Strozzium* Reginæ conſanguineum, cuius ſtipendia meruerat Cardinalis Caraffa, hoſtem acerrimum Hiſpanorum, proptereà in præſenti, Caraffæ domui opportunum. Implicitus Strocius in reparandis propugnaculis Centumcellarum, atquè Neptuni, morā trahebat præcipuè in erectione arcis Palianæ. Palianum Columniis ablatum Comiti Montorii Papa iure cōceſſerat hæreditario, ſpecie pacis, quià dominium Pontificis aliter non coſiſteret, niſi à Paliani poſſeſſione arcerentur Columnii. Proptereà in eo arcem extrui mandaverat ad propugnandum adversùs Columniorum incurſiones, re verà, ut indè oppugnaret, & aggrederetur regnum Neapolitanum. Hoc cum animadvertiſſet Albanus P. Rex Neapolis fremebat, ſed milite deficiente, atquè pecuniâ impedire non potuit. Nec ſecurior vivebat Paulus, non habens cui fideret milites, Strocio abſentibus atquè Caraffa. Limina tamen præmuniebat operâ eorum, quibus minus diffidebat. Inter quos Velitrarum munitioni præfecit *Aſcanium de Corniâ,* ſibi anteà ſuſpectum, & quia caſtra Cæſaris diù ſequutum, & quia incautè obloquutum contrà Camerales propter angarias prædii impoſitas, quæ ei patruus Iulius III. conceſſerat. Veruntamē propter noviſſima eius egregia facinora Paulo recōciliatus, nobili loco erat. Abſente porrò Caraffa, Pontifex licèt nil ad belli curam omitteret, pace in exigente ſenectâ die XI. Iulii An. 1556. in publico Conſiſtorio admiſſis Oratoribus Principum, poſtquàm Albanum inſimulaſſet turbatorem pacis, & tutorem rebellium, & excommunicatorum S. R. E. deſignaturum ſe promiſit Cardinales, qui pro reintegrandâ pace cogitarent. Cum ecce caſus repentinus conſilia omnia reſlavit. Ab Oratore Cæſareo cum de more ad Albanum Terracina tranſiret tabellio, contigit ut loci gubernator aſpiceret ſine inſignibus tranſeuntem; ortâ propte-

tereà ſuſpicione, ſiſti mandavit, & Romam cautè tranſmitti inter tenebras. Cum appuliſſet, illicò quęſtioni ſubiectus, repertus eſt epiſtolā ferre ſigillatam ad Albanum miſſam à *Garzà Laſſo Vegà*, qui per eos dies à Philippo miſſus Romæ agebat, quà Albanum ſollicitabat, ad bellum Pontifici inferendum. Arcanum epiſtolæ in ſuſpicionem traxit Io: Antonium Taſsum tabellariorũ magiſtrum, propterea carceri traditum. Manè cum hoc reſciviſſet Orator Cæſareus acceſſit ad Papam, petens dimitti Taſſum vt Cæſaris miniſtrum, ignarus adhuc & tabellarium cuſtodiri. Contigit autem, quòd in comitatu Oratoris Cæſarei accederet etiam Garzias Laſſus, cuius rei Pontifex certior factus, verba faciente Oratore, mandavit interim etiam Garziam detineri, & exeunti Oratori ſignificari, cui illa die non amplius ad Pontificem ingreſſus patuit. Die poſteà 27. Iulii, vt Paulus Hiſpanam retunderet audaciam, & clavum clavo refigeret; admiſit ex compoſito in Conſiſtorium Alexandrum Pallanterium procuratorem Fiſcalem, Silveſtrum Aldobrandinum advocatum Fiſcalem, Io: Franeiſcum Binium à ſecretis, & Ioannem de Save Gallum, ambos Collegii clericos, & hunc notarium. Adſtabant Pōtifici Paulus Conſiliarus præfectus cubiculi, & Angelus Maſſarellus à ſecretis Collegii, qui rogati fuere tanquàm teſtes. Aldobrandinus rogavit Papā, audire ſcripturam ſibi oblatam à Pallanterio. Accuſabantur *in eà miniſtri Cæſaris, & Philippi Regis, præcipuè Albanus* ProRex *tanquàm machinatores, & inſidiatores ſtatus Eccleſiaſtici, ipſiuſquè Vrbis Romanæ non ſolùm exules recipiendo, & excommunicatos Columnenſes fovendo, pecuniam, arma, milites ſubminiſtrando, ſed etiam Vrbis ſpolium iterum meditando. Hæc omnia conſciis, & patientibus Dominis, ut conſtabat, ex præſumptionibus violentis puta temporis diuturni, facti notorii, expenſarum in magnà quantitate, ultrà probationes occultas, contrà eoſdem Reges, quæ erant in arcanis ſuo tempore, & loco producenda. Hæc cum ex diametro repugnarent, & ſententiæ latæ à Pontifice in Columnenſes, eorumquè fautores; & promiſſionibus iuratis in Feudo Neapolitano, cuius directum dominium ſpectat ad Eccleſiam: rogare proinde S. S. Cardinales deſignare, qui iudicium inſtruerent: & probatà veritate relatorum tunc, pro nunc declararet Miniſtros, Principes excommunicationi ſubiectos, ceteriſq. pœnis caducitatis, & privationis honoris, & Feudi; ſubditos eorum abſolvendo à iuramento fidelitatis, & cum facultate cuiquè occupandi regna illa, &c.* Reſpondit ipſe Papa ſcripturam admittere, *Sic & in quantum* &c. Cum autem in epiſtolà *Garzię Laſſi* tanquàm amicus Cæſaris recenſitus eſſet *Aſcanius Cornæus*, Romam ad dicendam cauſam citatus, fugà ſalutem quæſivit, à Cęſarianis honorificè ſuſceptus, quòd arcani conſcius Pontificii, ac irarum plenus, quia fratrem eius Cardinalem Peruſinum Papa in carcerem conieciſſet. Albanus cum adhuc belli neceſſaria non collegiſſet, Romam miſit Iulium S. Valentini comitem queſtum adversùs Papam, quòd ab eodem malè habiti clientes, miniſtri carceri dati, Orator ipſe ignominià affectus; in monitorio contrà Aſcanium de Cornià, Pro Regem, Cæſarem, Regem, inimicos declarari Sedis Apoſtolicæ. Hiſce querelis adiiciebat Marchio Sarriæ Orator Cæſareus iniuriam illatam Cæſari per Fiſcalem Collegii, propterea

Querela in Carolũ, & Philippum.

Eius tabellarius carceri datus.

miſſionem petebat. Cuius petitionem cùm duodecim purpuratis ſtudio ad prandium vocatis cum eodem Oratore, exponi mandaſſet; reſponderunt ipſi, minimè poſſe negari receſſum; rogandum tamen Oratorem ſubſiſtere. Quod cum humaniter feciſſet Pontifex; Orator ne officio deficeret, reſpondit: *ſe iterum conſideraturum mandata dominorum ſuorum.* Die autē ſequēti Romà diſceſſit. Pontifex verò ut cauſam ſuam tueretur, *per Dominicum Nigrum* Romanum, Albani occurrens accuſationibus, reſpondit, *Papam Regios non offendiſſe ſubditos puniendo delinquentes pro delictis publicis, & atrocioribus: Regios ſanè offendiſſe Papam, rebelles fovendo. Abbates Berſennium, & Nanium inquiri tanquàm reos læſæ maieſtatis, Berſennium autem tempore captivitatis non fuiſſe miniſtrum Albani ducis. Garziam Laſſum iure Gentium detineri; quia ſpetie legationis, & amicitiæ veniſſet ad inſidiandam alienam libertatem: undè fruſtrà legis implorabat auxilium, qui in legem peccaverat. Marchionem Sarriæ iniuſtè queri, quòd his audiri non ſit permiſſus. Nullibi enim mos, ut Legati acceſſum* Principis *habeant ad libitum. Recordaretur, quàm benignè convulſio portarum civitatis ab eo in tenebris facta, quas vigiles magnà Zelotipià coſtodiebant fuerit indulta. Diceret* Pro Rex *quà de cauſa, ſubditos ſuos prohibuiſſet cum Romanis communicare?* Hęc per legatum: plura ipſe adiecit Papa indecora, & plena furoris cum loqueretur ad Comitem S. Valentini. Albanus iniurià cognità ſibi, & Dominis per Procuratorem illatà Fiſcalem, ut Belli invidiam in Papam refunderet, miſit etiam *Pyrum* Lofredum Hiſpanos cum literis ad Pontificem, quę contrà Regē ſuum à Pontificatus initio mollitus fuerat, ſingillatim aperiēs, cōmemoratiſquè bellorum incōmodis ad pacē enixè hortabatur, addens, quòd ſi brevi, quæ Pontifex ſentiret de pace, belloquè non aperuiſſet, ipſe bellum indictum exiſtimaret. Licèt enim Cæſar, & Rex ad arma traherentur inviti, hoc unum curabunt tanquàm filii obſequentes, patrem exarmare furentem. De eàdem re ſcripſit Collegio Cardinalium, rogans, ut Pontificem hortarentur ad pacem. Mandavit porrò Lofredo, ut expoſità ſuà legatione, ſolo quatriduo Romę degeret, & inde etiā inexpectato reſponſo rediret. Pontifex, qui nepotem ex Gallià redeuntem adoriebatur, ut Lofredum falleret, cœpit placidè demulcere, ac ſpem facere reconciliationis, dummodò præceps nō diſcederet. Lofredus ignarus Albani conſilii, ſuaviter detineri paſſus, ſibi carcerem, Pro Regi iniuriam quæſivit: ad poſteros documento diligenter fines cuſtodire mandati. Die namquè primà Septembris Albanus impetu facto in agrum Eccleſiaſticum, Pontem Corvum in antiquas Fregellarum veſtigiis ſitū vi cœpit. Quare irritatus Papa, Pyrrhum carceri incluſit, Gravibus oppidò prēmebatur anguſtiis, abſēte in Galliis nepote Caraffà. Ad Regem iſte aſcēderat cum gemino mādato, pacis altero, & pro celebratione Concilii & hoc palàm, & ſuppetias implorandi in Hiſpanos; & hoc ita clanculò, ut inter publica monumenta nulla memoria ſupereſſet. Hoc cum reſciviſſet Philippus; Venetos in ſocietatem excitavit. Caraffa verò cum Regem offendiſſet invidum fœlicitatis Hiſpanæ, ſpetie pacis traxit in Bellum. Propoſità namquè pace univerſali, & Concilii celebratione, Rex Papam arbitrum, & ſequeſtrē appel-

Paulus iratus contra Hiſpanos.

pellavit,datâ ei liberâ poteſtate componendi,& iudi-
caodij ſecurus, quòd Cæſar aſſenſurus non eſſet; vel
quòd Papa contrà Cæſarem iudicaret. Concilium
etiam in Laterano celebrandum concedebat, quò
venturos promittebat totius Galliæ paſtores. Caraf-
fa regià humanitate deceptus,quaſi totius Orbis ar-
biter futurus, cœpit tumidus non interpres,
ſed dominus Cæſareis imperare, ut Romam
accederent ad informandum Pontificem, à quo non
minùs accepturi eſſent conſilia, quàm imperia.Om-
nia diſſimulans Hiſpanus reſpondebat; quòd cum
Principatus Mediolanenſis ſola belli videretur oc-
caſio; Cæſar paratus erat ſe expoliare, Gallus
iniuſtè ablata reſtitueret. Venetos etiam Papa
ſollicitabat, miſſo Antonio Caraffâ nepote,
qui hoc unum retulit: *Recordaretur Paulus ſe eſſe*
Patrem communem: Pacem foveret non bella. Cum
itaquè nihil concluderent Galli, & Hiſpani; omiſsâ
celebratione Concilii Caraffa cœpit urgere Regem,
nè Pontificem ob Gallicam amicitiam, in tanto diſ-
crimine poſitum dēſereret. Idem ſuadebat Cardina-
lis Lotharingus grave ſibi ducens, quòd dum ipſe
in Italià bellum adornabat; æmuli in Gallià pacem
iuraſsent. Querimonias ergo Henricus ad Carolum,
& Philippum deferri curavit pro iniuriis illatis Pō-
tifici. Accendebat magis Caraffam,quòd nominatum
à Rege Epiſcopum Coningenſem, cum à Pontifice
Patres accepiſſent in Conſiſtorio;Cardinalis Paceccus,
& Alvarus Toletanus Cardinalis S. Iacobi plura
obiecere Caraffæ, ob quæ indignus videretur Epi-
ſcopatu. Quorum certior factus Caraffâ Legatus
Cardinalis, Antonio fratri reſcripſit epiſtolam plenā
conviciis, contra nationē Hiſpanā. Cum etiam acce-
piſſet ab Albano ſcribi militem,coacervari ſtipendia,
& commeatum congregari, accedens ad Regem vio
latas ab Hiſpanis accuſavit inducias, & in Pontificē
mota caſtra ſolùm quia Regis amicum. Tunc Rex de-
creto auxilio Montlucius cum bis mille Vaſconibus
ex Corſicà Romam navigavit. Partem etiam numera
vit promiſſæ pecuniæ; undè Caraffa exeūte Auguſto
receſſit, revocato Rebibà,ſpetie inſidiarum, quas ei
pararet Philippus. Albanus collecto exercitu duode-
cim mille bellantium, ducibus M. Antonio Colum-
nà,Comite Populi quem Papa licèt conſanguineum
exauctoraverat, Aſcanio Corneo, Bernardino Aldano
poſt occupatum Pontem Corvum, Fruſinum duxit,
quod unà,& Anagnia Marinum, Lavici, Præneſte
Tibur,Oſtia, Neptunū,Aba,Vicus Varonis,Monsfor-
tinus, & totum deniquè Latium patuit irruenti.
Oppida, quæ occupabat Albanus, nomine Sacri
Collegii accipere affirmabat, paratus eidem Col-
legio reſtituere, vel futuro Pontifici,ut diſcordiam
ſereret inter Pontificem, & Cardinales. Qui ob
indignationem Pontificis literas dederunt Albano
expoſtulantes, nè eos Schiſmaticos crederet vel
rebelles, ſi res capiti ablatas membra reciperent.
Reſpondit Albanus. *Dominos ſuos arma arri-*
puiſſe coactos, eo voto; ut omnia reſtituerentur poſt mor-
tem Pauli. Et ne dubitarent Patres, poſſeſſionem ſubiiſſe
Collegii nomine, cui poſt mortem Pontificis, regimen
competit Eccleſiæ. Interim ipſi ad ſaniora conſilia Pau-
lum retraherent. Hæc clauſula in Patribus libertatem
excitavit dormientē;quę ſolū urgente diſcrimine nec
eſt odioſa,nec creditur adulatio,Sermone pacis illato,

Caraffa accuſatur ut indignus Epiſcopatu.

A Cardinales Paceccū, S. Iacobi,Rebibā,Caraffam dele-
git Paulus, ut cum nuntio Albani concordarent; &
ſola obſtitit Columniorum familia, quibus non ſo-
lùm indulgeri, ſed reſtitui urgebat Albanus. Hęc
die 20. Septemb. Colloquio autem prorogato ad
diem 24. inter Caraffam habendo & Albanum: pri-
mus non comparuit, ne ſuſpicionem Gallis iniiceret
reconciliationis cum Hiſpanis. Super omnia autem
vexabant Pontificem Farneſii Cæſari reconciliati,
ut Caraffarum faſtum,& Pauli ingratitudinem,decli-
narent bonis in regno receptis,atq. Placentià;fruſtra
fremente Pōtifice. Solus Ferrarienſis Regulus fidelis
partes ſequebatur Pontificias. A Comendono ſollici-
tati Veneti,Secretarium miſerunt ad Albanū,proteſ-
tantes, *non amplius tolerandam depreſſionem, & oppreſ-*
ſionem Pontificis. Nihil tamen profuit exarmata le-
gatio; undè Veneto ad Pontificem redeunti dixit
B Paulus,*Excommunicationē ſe meditari Caroli,& Philip-*
pi; Vel quòd natura ferox facilè exarderet; vel quòd
fictà iracundià conaretur Venetos concitare. Feſſi
tandem litigantes,die XIX. Novemb. pactas decem
dierum inducias ad 40. prorogarunt, Senas pro loco
cōventus cū exigerent Caraffę finxit Albanus facul-
tatem ſibi deeſse iurandi pacem:legatos mitterent ad
Philippū, & cum eo convenirēt. Interim induciarum
diebus 40. exactis, Caraffæ à pace averſi, duce *Petro*
Strotio Vicum Varronis,ac propugnaculum Oſtienſe
pactione occuparunt. In Flandros etiam violatà pa-
ce, irrepſerant Galli, eà Philippi indignatione, ut
iuraret. quòd cum Galli gladium evaginaſſent, ipſe
non eſſet repoſiturus quam poſt Gallorum pœnitē-
tiam. Deſcendit etiam in Italiam Guiſius adversùs
Albanum, expugnatàquè Valentià, nè victoriam, &
C fortunam urgeret propitiam; Caraffa obſtitit, qui in
regnum Neapolitanum evocavit. Hic Civitellam
eum fruſtra obſediſſet, re infectà recedere coactus,
Romam venit à Pontifice accitus, quia Albanus de
Romà invadendà cogitabat, & eà potitus eſſet, niſi
territus inuſitato Vrbis ſilentio, & inſidias veritus
abſceſſiſſet, magis callidus, quàm fortis Imperator.
Palpabat iterum Paulus populum Romanum, aper-
to tribunali in quo ſemel in menſe Pontifex ipſe (nō
longè ſedentibus Cardinalibus, à quibus poſſet illi-
cò Pontifex certior fieri de querelis) perſonas
audiret etiam infimæ plebis, non ſinè timore
nepotum, & aulæ, in quos futura erant lamenta.
Creavit etiam decem Cardinales inter quos pro-
nepotem *Alphonſum Caraffam* filium Marchio-
nis Montis belli Annorum 17. cui non multo poſt
Archiepiſcopatum contulit Neapolitanum titulo
D Comendæ, donec ad legitimam perveniret ætatem
Annorum 28. Is tertius erat ex Caraffis, quos Pau-
lus Cardinales creavit. Mandavit etiam celebrari
feſtum Cathedræ S. Petri,& hoc adversùs Hæreticos
negantes Petrum Romæ fuiſſe. His & ſimilibus pręſ-
ſabat ſubditos fatigatos. Ærario namquè exhauſto
Paulus magna,& extraordinaria tributa indicere, &
exigere coactus eſt. Montes Quatuor inſtituit,duos
in novennium perpetuę ſolutionis beſſalibus uſuris
alterum Sancti Spiritus Hoſpitali Domo, alte-
rum Thoma Marino Genuenſi ditiſſimo viro ſuc-
ceſſoribus. Totidem item non perpetuos unum
ex vectigalibus Peruſii, & Vmbriæ, alium ex
redditibus aluminum, quæ apud Tolfam coquan-
tur

Guiſius in Italiam deſcendit.

Papa querelas audit populorū.

Pronepotem creat Cardin.

tur ſeſquicenteſimum bonorum æſtimatorum imperavit. Notariatus, & Cancellariæ officia in quæſtionibus capitalibus totius Eccleſiaſticæ ditionis venalia propoſuit, duabus decimis omnium imperii Eccleſiaſtici ſacerdotiùm imperatis, & menſtruâ omniū officiorum ſolutione fiſco addictâ, religionum ordines, in terreis, quæ conſtruebat, propugnaculis, operam ſuam poſuerunt. Poſt creatos autem Cardinales, die *9*. Aprilis, An. 1557. vocato Conſiſtorio (cui adſuit etiam novus Cardinalis Caraffa) Romam, Cardinalem Polum, cæteroſquè evocavit Legatos Apoſtolicos degentes in regnis Caroli V. & Philippi, tanquàm è terrâ inimicorum, quos regnis minabatur exuere. Feriâ 5. poſteà maioris hebdomadę ſolitâ bullâ in *cæna Domini* excommunicavit uſurpatores ſtatus Eccleſiaſtici cum fautoribus, licèt dignitate fulgentes Imperiali. Feriâ *6*. omiſit preces recitari ſolitas pro Imperatore. Ad cauſæ verò cognitionem propoſitam à Fiſcali contrà Cæſarem, in iudices delegerat Cardinalem Rebibam, Annibalem Bozutum Archiep. Avenionenſem, Beroaldum Epiſcopum Teleſiacum, Gulielmum Sirletum Protonotarium cum miniſtris; ut indè cognoſcerent Galli nullam ſpem eſſe reconciliationis cum Hiſpanis, qui quotidiè gravi præiudicio Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, belli ſpetie, Annatas, ſolutiones ærario debitas Romano ſolvere recuſabant. Pendens etiam quanti facienda eſset Coſmi Hetruriæ Ducis amicitia in bello præſenti, oblatis nuptiis cum filiâ Henrici Gallorum Regis, ab Hiſpanâ ſocietate conabatur retrahere. Coſmus actis gratiis, nec recuſavit, nec recepit, volens maturè deliberare, ut cari venderet tàm Gallis, quàm Hiſpanis amicitiam. Et ſanè emerunt iſti, Senis Hetruſco ditis in feudum. Ita diſſidium Pontificis Senis atquè Placentiâ ſpoliavit Hiſpanos, induit tamē inimicos ſuos, non ſeipſos. Exercitus interim claudicabat Pontificis ob diſcordiam Marchionis Montis Belli cum Guiſio, ſubditis etiam reclamantibus, onera ſuſtinere Decimarum. Hinc feſſus Paulus, & timidus, die XIV. Iunii ad pacis conſilia excitavit Patres. In eodem Conſiſtorio, ut Anglorum Reginæ roganti, nè ob Hiſpana diſſidia revocaretur Polus ex Britāniâ, tanto Religionis incōmodo, ſatisfaceret *Gulielmū Petrū* Minoris Obſervantiæ (qui Reginæ à ſacramentis erat) Cardinalem creavit, & ad Britannos Legatum; ut ſic commodè revocaret Polum de hæreſi ſuſpectum, unà cum Cardinali Morono, quem propterea cuſtodiæ dederat. Regina cum minimè contenta ob ſenectutem novi Cardinalis, inſtaret Polum non revocari, & inauditū nō damnari; Polus qui uſquè in hanc diem ignarus fuerat ſuſpicionis, quâ laborabat; arcano cognito Reginâ inſciâ depoſitis illicò Legationis inſignibus, miſſo ad Pontificem *Nicolao Ormanetto* Dattario ſuo, Pontifici obſequium obtulit, & obedientiam. Quâ placatus Papa, negotium remiſit ad Cardinalem Caraffam, Legatum deſignatum ad Philippum. Ita Polus etiam ſinè inſignibus auctoritatem, famā ſervavit innocens uſq; ad mortē. Feſto autē appropinquante Apoſtolorum Petri, & Pauli, Pontifici Albanus obtulit interprete Cardinali Compoſtellano, canonem ſolitum ſolvi pro regno Neapolitano; quē tunc reiectum tāquàm à rebellibus oblatum, recepit poſteà initâ pace.

Suſpicione hæreſis laborat Polus.

In ſpem melioris fortunæ Caraffas excitaverat reditus Guiſii; cum nuntius Sanquitinæ cladis, qui Guiſium in Galliam revocabat, omnia diſrupit. Denunciato inter Philippum, & Henricum bello, Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, præpoſitus Belgio, variis factionibus deluſo Franco, dum Sanquitinū urbem ad Somonam obſidet fluvium; Annæus Mommorantius ſuppetias ſubmittit obſeſſis. Inito prælio, prudentiâ Sabaudi, virtute Comitis Egmondani, flos conciditur Gallicæ nobilitatatis. Tantæ victoriæ Albanus certior factus Pōtifice permittente, & pro iiſdē conditionibus ad pacē provocatus, ſprevit; proteſtatus cum indignatione, ſe nunquàm daturum pacem, niſi Papa iniuſtè geſſiſſe confiteretur. Hoc tempore ſcribit Pallavicinus, Albanum noctu irrepſiſſe ad urbem, in quam ne irrumperet, vel Religio obſtitit aggreſoris, vel obſeſſi cuſtodia. Videns ergo Paulus nihil proficere, ad pacē reſpexit, quæ pręcipuè Venetæ Reip. & Florētię ducis operâ (cuius intererat novū Principatū non turbare diſſidiis) his cōditionibus eſt compoſita. *Quòd Rex Pontifici debita obſequia per privatum Oratorem facturus eſſet. Papa Regem in gratiam reciperet. Gallico diſſoluto fœdere, Papa neutri parti ſe addiceet. Vt cunctis, qui huius belli occaſione in alterutrum principem deliquiſſent venia eſſet, & ad honores ſuos omnes reſtituerentur, exceptis M. Antonio Columnà, & Aſcanio Corneo. Oppida, Caſtella Sedis Apoſtolicæ, quæ à Cæſarianis occupata fuerant, diſiectis muris reſtituerētur. Palianum cuſtodiendum traderetur Io: Bernardino Carbono, qui utriquè parti gratus erat, ſumptu communi præſidium aleretur.* Hæc palam. Pro Pontifice Cardinalis Caraffa; pro Rege dux Albanus ſponſores fuere. In occulto convenere. *Palianum non poſſe readificari à poſſeſſoribus, donec Rex Caraffam præſentem* Paliani *ducem compenſaret communi conſenſu, & hoc intra ſex menſes, aliter Carbonus tradere teneretur eidem Caraffæ, muris diſiectis. Controverſiam, ſi qua oriretur, componerent Veneti. Compenſatione receptà Caraffa oppidum reſtitueret ei, quem Rex deſignaret, non tamen Pontificis inimico.* Quibus verbis licèt excluderetur M. Antonins Columna, cæteri includebantur Columnæ. Eàdem die, quâ pax inita eſt; urbs quaſi tot malis nondum ritè luſtrata, cladem aliam bello parem accepit. Tyber enim egreſſus alueum, biduò ſtagnare, ut urbs tota magnâ ædificiorum iacturâ navigabilis eſſet, & omnes omnium fortunæ, quæ bello reliquæ erāt, omninò perderentur. Pervenit aquarum colluvies uſquè ad plateas Pantheonis, S. Marcelli, S. Marci: ita ut longè maior hæc eluvio exiſtimata fuerit eà, quæ Anno 1530. ſub Clemente VII. contigit, Domus Tyberi impoſitæ multę, ut Cardinalium Sermonetæ, Viſenſis, & hortus corruerint Farneſiani, Pontis Palatini arcus pecora multa deſiderata, homines pauci, undecim molæ ſubmerſę, vineæ à ponte Miluio uſquè ad S. Pauli baſilicam aquis obrutę. Pace factâ, Dux Guiſius receſſit: eodem die Dux Albæ Romam ingreſsus, Pontificis pedibus oſculatis, pœnis abſolutus, honorificè ſuſceptus eſt. Nam Pontifex arctiſſimè complexum, publicè deoſculatus, mille laudibus ornavit, in palatio hoſpitio, con-

Pax Papæ cum Hiſpanis.

Inundat Tyber.

vi-

vivio cum Cardinalibus excepit ſedentem iuxtà decanum, eius uxori miſit roſam auream per Matthæum Aquavivam titulo Nunsii decoratum. Ad Pontificem cum veniſset Albanus, (ut *ex epiſtolà eiuſdem ad uxorem*, teſte *Pallavicino l. 14. c. 4.*) eo eſt terrore perculſus, ut qui toties belli aleam ſubierat, & dietim converſabatur cum Regibus animo defeciſset, & voce, Argumentum quod ſub illa ſpetie Deum veneramur. Bello compoſito, Pontifex animum ad componendas res Eccleſiaſticas convertit, miſsis Carolo Caraffà ad Regem Hiſpaniarum, & Antonio Trivultio ad Regem Francorum. Caraffæ mandavit, ut pacem urgeret inter Reges, cuius gratià Pontifex ipſe Nicæam deſcenderet, vel alió, quò Reges ipſi convenirent. 2. Vt Philippus immunitati conſuleret Eccleſiaſticæ in Hiſpanià. 3. ut Polus Cardinalis Romam regrederetur, cuius quęſtionem Romæ inſtructam in cauſà Fidei ſecum tulit Caraffa, ut Reges Mariã, & Philippum certiores faceret, iuſtitià habitam, non ex vindictà vt fama erat; quod Polum vexaret Paulus, quia competitorem habuiſſet in ambitu Pontificatus. Veritas eſt; quòd cum apologiam à ſe ſcriptam pro tutelà ſuæ innocentię Polus ſedens ad ignem relegeret, & in eà argutias immixtas contrà Pontificem, proiecit in flammas, dicens: *Non diſcooperies verenda patris tui.* Intelligebat Polus Paulum non ex vindictà procedere, nam quæſtionem habendam commiſerat Cardinali *Ghiſlerio* (qui futurus eſt *Pius V.*) ſed malignantibus inimicis, vt obiectionem pręſtruerent in futuro Conclavi. Quæſtio non ſolùm offendebat Polum, ſed Moronum, & cum hoc Ægidium Foſcatarium Dominicanum, cui Moronus Eccleſiam ceſſerat Mutinenſem, & Thomam S. Felicem, Epiſcopum Cavenſem, Cõmiſſarium Pauli III. in Concilio; qui ab altero Epiſcopo exprobratus tanquàm hæreticus, pugno occurrerat, undè in pœnam fuit ſynodo pulſus, & munere expoliatus. In hos Paulus IV. nec cautè, nec prudenter publicam inſtruebat inquiſitionem, & carcere affligebat. 4. Pontifex Caraffæ mandaverat, ut F. Guillelmum Pærum Minoritam Legatum, & Cardinalem deſignatum Romã mitteret, ut ſaltem purpuram aſſumeret; nã Regina Maria epiſtolas Pontificias Pæto miſſas detinebat anxia, nè ex Britãnià Polus diſcederet. 5. mandavit, ut Caraffæ nepoti Paliani Duci aliquem principatum impetraret, ita tamen quòd Philippus ſpontè motu proprio, & non rogatus dono, & liberè offerret, non titulo permutationis, prout erat in pactis; Barenſem præcipuè exigebat Ducatum vacantẽ ob mortem Bonæ filiæ Io: Galeatii Sfortiæ. Palianum etiam eidem Duci permitteretur. Hiſce inſtructus mandatis Caraffa venit in Flandriam obviam exeunte Philippo uſq; ad ianuam portæ Bruxellæ, qui utrem ne inflaret vento ambitionis, obtulit ei latus dexterum, & in die Epiphanię ad ſacrum invitatum Rex ipſe domum acceſſit Legati, ut in eccleſiam comitaretur, eàdemquè die prandio exciperet, inſolito Hiſpanorum more. Verum cum in colloquium deſcendiſſent; reſpondit Philippus, ſe pacem deſiderare utilem, & neceſſariam Orbi Chriſtiano, ſed Gallo reclamante, fruſtrà meditari conventus. Immunitati Eccleſiæ conſulerent aulici in Hiſpanià, quò novum Nuntium mitteret Papa, ut cum eo convenirent. De Cardinali Polo agendum eſſe cum Reginà Marià, ad quam miſſus Caraffa Marchio Montis Belli verba retulit generalia. Circà Ducatum Barenſem, expectandum Albanum; Non ſinè enim indignatione tumidam, & immeritam Caraffæ petitionem acceperant Hiſpani: vt nobiliſſimo, & ditiſſimo principatu ornaretur, qui omnẽ moverat lapidem, ut eos Italià pelleret. Palianum ergò ut redimerent, dominium Roſſani penſione adiectà decem millium aureorum, obtulerunt Caraffæ. Quo abnuente, eamdem oblationem per publicum tabellionem coram teſtibus rogarunt. Reſpondente Caraffà, hoc pertinere ad fratrem ſuum Romę ſtantem: mandarunt Aſcanio Caraciolo Regio procuratori, ut Romæ coram teſtibus, & tabellioni idem faceret, quod fideliter adimplevit præſentibus Cardinalibus Vitellio, & Rebibà, dum Caraffa in lecto decumberet. Cardinalis autem Caraffa indignatus adversùs Hiſpanos, quos excitari credebat à M. Antonio Columnà, & Aſcanio Corneo in aulà degentibus, receſſit. Philippus maieſtate depoſità, & utile præferens honeſto, ne Caraffa iterum turbaret Italiam, invitatum in aulam benignè alloquens excuſavit, *ſi propter aulicorum diſſidia, quibus novus in regimine ſeipſum fidere cogebatur, votis omnibus non poteretur. Romam rediret, & ibi cum Oratore ſuo huius arcani non peregrino ageret, cui mandata erat daturus ampliſſima. Acciperet interim penſionem duodecim mille nũmorum, teſtimonium amoris ergà Caraffas. Enixè autem hortabatur, ut veniam impetrarent M. Antonio Columnæ, qui affinitatibus, clientelis fretus, & animi dotibus pacem aliis daturus non erat, donec in eum bellum perſeveraret. Salus publica eſſet in votis, cuius cauſà etiam ipſe licèt tantis elatus victoriis quaſi victus quieverat. Hoc rogare, quod imperare potuiſſet. Regi ſatisfacerent, qui non ingratus publicè, & privatim valebat rependere beneficium.* Hęc moleſta fuere Pontifici, & propter repulſam; & quià Pontificiæ dignitati Caraffa detraxiſſet, eius nomine commoda perſequendo privata. Zelotypià etiam fatigatus, quòd propter invidiam fratrem ſuum juvare noluiſſet Cardinalis, cum potuiſset. *Pallavicinus, Hiſtor. Concil. Trid. l. 14.*

Poli reverentia ergà Papam.

Poſtulata Pauli IV. ab Hiſpanis.

Philippi Regis Hiſpan. reſponſum.

Nec in Gallià Trivultii fœlicior legatio (teſte Bzovio An. 1557. n. 41.) duo edicta Henricus promulgarat contrà eccleſiaſticam libertatem; alterum de matrimonio filiorum familias: alterum, vt Epiſcopi, & Curiones ſuis eſsent aſſidui ſacerdotiis, ni faciãt; & ſacerdotiorum fructibus mulctẽtur; & extraordinarium pendant vectigal præter decimas ordinarias, exſolvendo quinquè millium peditum ſtipendio. Edicta hæc antiquari poſcebat Papa; ſed cum nihil proficeret, Concilium neceſsariò cogendum dixit, in quo Galli pręſules metu Regis adempto, exponerent gravamina ſua. Offendebat & illud Paulum, quòd Calviniſtæ clam ſerperent, & in domibus coirent. Regem propterea admonebat, vt in Sectarios legibus animadverteret. Nocte quintà Septembris Pariſiis, in ædibus Bertomeenſibus, via Iacobęà ſub veſperam ad ſua execranda ſacra, & cœnam ritu ſuo celebrandam cum conveniſſent Acatholici; quidam ex vicinià ſubolentes ſaxis in proximas domos comportatis; exeuntes profundà iam nocte, obrue-

Trivultius legatus ad Gallos.



R.

obruere lapidibus, tumultuque excitato, accurrens plebs, dum fores ædium effringere conatur: Obſeſſi capto ex neceſſitate conſilio, ſtrictis gladiis erumpunt, & ferè omnes uno excepto, in tutum profugiunt. Fœminæ, ſexusquè imbellis ferè 130. Io: Martinio rerum capitalium Quæſitori ſe tradidere, Quorum ſeptē flamma conſumptis; dum à reliquis eidem ſupplicio deſtinatis de ſociis inquiritur, Helvetiis rogantibus, mandat Rex, iudices moderatè procedere, nè Helvetios offenderet milites, qui ſigna Gallica ſequebantur adverſus Hiſpanum: querente, & obſtrepente Pontifice in Conſiſtorio, res Gallicas malè cedere, quià minus Deum faceret, quàm hæreticos. Reſpondebant Galli; quòd cum tempore belli Rheti, Proteſtantes nō ſinè ſanctarum imaginum, & Eccleſiarum iniurià, caſtra ſequerentur Eccleſiç; Paulus ipſe exprobantibus reſpondiſſet, *Rhetos eſſe Angelos miſſos à Deo ad Vrbis cuſtodiam, & conſtanter ſperare, quòd ad veritatē reſpicerent Evangelii.*

Pax Germaniæ cū damno Catholicorum. Turbç non minores in Germania, ubi Ferdinandus Rex Romanorum neceſſitate adactus religionis pacē ſummo cum præiudicio Catholicorum conceſſerat, donec diſſidia componerentur per Generale aut Nationale Concilium, vel Colloquia diſſidentium, vel Congregationem Ordinum Imperii, ad habendam diſputationem. Concilium Generale licèt omnium utiliſſimum, propter bella quibus tota fervebat Europa, congregari non poterat. Nationale non expediebat. Congregatio Ordinum inutilis. Colloquium ergò Vvormatiç Vangionum ad 19. Kal. Septemb.

Vvormatiæ Colloquium inter Catholicos, & Proteſtantes. Anno 1557. inſtituendum, in quo *Collocutores utriuſquè partis negotium pro neceſſitate latius conſulent, & opinionem ſuam, unà cum delectorum ſententià Ferdinando proponant, qui ad finalem concordiam paterno, & gratioſo animo, & extremà diligentià ſe offert.* Decretum hoc Pōtificē offendit graviter; quòd in eo nulla Sedis Apoſtolicæ mentio fiat Cum etiam huiuſmodi Colloquia nihil proficerent, Cum autem Lutherani interſe diſſiderent, Francofurti convenerunt, ubi de *Colloquio* habendo, ac de *Generali Lutheranorum ſynodo* poſt Colloquium indicendà ad diſciplinam Eccleſiaſticā, & domeſticas controverſias decidendas, conſultatio fuit, Decretum, ut duabus ferè ſeptimanis antè diem inchoando Colloquio deſtinatum, Vvormatiæ adeſſent; ut ſuas domeſticas ſopirent concertationes. Videbant enim, niſi diſſidia, quæ gliſcebant, vel in ſpeciem componerentur, ſe non ſolùm Catholicis, ſed univerſæ Germaniæ ludibrio futuros: & ita contigit, ubi per ipſos *Flaccianos* detecta fuit illorum mutua turpitudo. Convenerunt ergo plerique Vvormatiam maturè ſatis ad Kal. Aug. Melancthon cum ſociis miſsis ab electore Saxone nonniſi integro menſe poſt, ſub initium Septembris. Noverat enim ad Colloquium venturos quoſdam è Flaccianis, futurumquè ut non ipſe modò revocaretur ad cenſurā ſed & fœdiſſima Lutherani corporis carcinomata tā. geretur, quæ ſciebat exaſperari poſſe, non ſanari. Saxo Elector Ludovicum Neogardenſem Legatum miſit, qui Melanctonem tergiverſantem deduxit. Invenit ibi præſentes Erardum Scheneppium, Victorium Strigelium, Ioannem Stoſſellium miſſos à filiis Io: Friderici Ducis Saxoniæ: & his coniunctos Ioachimum Morlinum, & Eraſinum Sarcerium, Flaccianæ familiæ homines: tum Io: Brentium à duce miſſum Vvirtembergico. Et quia tardiùs venit Melancthon; componere non potuerunt altercationes domeſticas. Priuſquàm tamen factum eſſet actionis initium; Legati Principum Lutheranorum convocatunt concionatores ſuos, monentes, ut in Colloquio modeſtè, & elatè ſententiam ſuam explicarent. Deinde Ducum Saxoniæ fratrum legatus Baſilius Monnerus, Flaccii mancipium oratione prolixà de variis erroribus diſſeruit poſt bellum Schmalcaldicū introductis, quibus corrumpebatur Confeſſio Auguſtana. Hos primùm errores damnandos, ac domi concordiam reſtituendam Hæc cum longorum verborum ambitu peroraſſet; ſurrexit Scheppius dicens, in mandatis habere, ut communibus ſuffragiis damnentur Sectarii Zuingliani, Oſiandrini, Maioriſtæ, Adiaphoriſtæ. Melancthon, qui caput Adiaphoriſtarum erat, terrore perculſus reſpondit; *Iniquum eſſe, ut damnentur inauditi.* Cum verò Saxonici Vinarienſes ſuorum Principum mandato inſiſtendum dicerent; reſpondit Melancthon, *Nec ſolum* Zuinglianos damnandos, ſed Papiſtas, Antinomos, alios, quin & Flaccianorum mendacia damnanda. Addidit, ſi per Flaccianos ipſe eiiciatur, ſe libenter ab eorum cōgreſſibus abſuturum. Brentius prorſus aſſentiri nolebat, damnari Oſiandrum: quòd eius ſcripta in alienum ſenſum diceret detorqueri. Legati Politici evitandi diſſidii causà controverſias ad futuram Lutheranorum ſynodum reiiciendas cenſebant. Interim communi ſtudio Pontificiis occurrerent, ne deriderentur. Idem monebat, Elector Palatinus per literas, Flacciani eum omninò negarent, Scheppio ob diſtractionem hanc ubertim lachrymante. Poſt longam, & turbulentam altercationem placuit tandem, ut condemnarentur ſectæ; condemnatio verò non Præſidi, nec Catholicis exhiberentur, ſed Principibus Lutheranis, ludibrii vitandi gratià. Præſidebat colloquio Iulius Pflugius Epiſcopus Naumburgenſis, huic aſſidebant quatuor Principes ex utraquè parte cum facultate ſubſtituendi. Sex collocutores, ſex adiuncti, ſex auditores, duo Notarii terminos Theologiç benè callentes: totidem ex alterà parte. His omnibus ſilentium impoſitum. Acta recluderentur in arcà, cuius unam clavem Præſidens, alteram Aſſeſſores Catholici, tertiam Auguſtani cuſtodirent, donec arca ad futura Imperii comitia deportaretur. Inito

Hæretici victi. Colloquio, obiecerunt Catholici diſſenſiones Proteſtantium de ſummis Fidei dogmatibus, velut certum falſitatis argumentum. Accidit hoc Acatholicis permoleſtum, maximè cum urgerent Catholici, ut qui Auguſtanç Confeſſioni acquieſcerent, ſe in unū colligerent, & ſubreptitios ſectarum auctores anathemate notatos reiicerent, & à conſortio publicà auctoritate removerent. Intellexit tunc Melancthon detectam iri Lutheranorum turpitudinem. Hinc conſternatus demiſsè reſpondit: *Explicandas priùs controverſias, poſteà condemnandas.* Vrgentibus porrò Catholicis, ut quos agnoſcerent errores Auguſtanæ Confeſſioni ſubrepſiſſe, iis anathema dicerent. Tunc Lutherani cum diverſæ factionis eſſent, & ſyncretiſmi larvà fraudolenter obvoluti, in partes diſſilierunt:

Inter ſe diriſi. Flacciani parendum cenſuerunt, & Præſidi offerendas condemnationes hæreſeon domeſticarum, quas an-

Diſſidia inter Hæreticos.

anteà privatim Legatis Principum Lutheranorum exhibuerāt. Tunc Melanchthon ut Zelotas iſtos Flaccianos placaret, ac tempori indulgeret, anathema ſcripſit contrà ſectarios, inter quos, Adiaphoriſtas, quorum primus ipſe auctor fuerat. In hac rerum perturbatione, & voluntatum diſcrepantiâ, *Flacciani* proteſtationem Præſidi obtulere, quâ Zuinglianos, Oſiandrinos, Maioriſtas, Synergiſtas, Adiaphoriſtas velut Auguſtanæ Confeſsioni alienos damnant, cui ſe conſtanter, aiunt, & in ſolidum adhætere. Ita Melanchthon, qui Confeſsionem hanc ante An. XXVII. ipſe conſarcinarat, ab eâ nunc per diſcipulos excluſus, velut è civitate Lutheranâ proſcriptus iacuit. Flacciani verò ſupradicti, numero quinque, ab aliis ſeptē collocutoribus excluſi, reiecti, & damnati, proteſtatione, quam diximus exhibitâ, domum redierunt, diſſoluto colloquio, magnâ Proteſtantium infamiâ. Stetit tamen iis libertas Religionis permiſſa in poſterioribus Comitiis; ob quam Pontifex Ferdinando ſucceſſus; & quòd idem Rex in ſtatibus hæreditariis Auſtriæ edicta non proſequeretur in eos, qui Cōmunionē poſceban t ſub utraquè ſpetie, cominantes quòd ſi non impetrarent à Ferdinando, ſe ſubſidia minimè collaturos in Turcas. Hanc quidem non conceſſerat Ferdinandus, edicta tamen non urgebat pœnalia: undè Paſtoribus liberum erat canones adhibere. Querebatur etiam Papa, Maximilianum Ferdinandi filium inter Lutheranos educari, ut gratus adoleſceret Germanis contrà Philippum Caroli V. filium, quem Carolus voluiſſet Ferdinandi ſucceſſorem. Propterea translationem Imperii factā à Carolo V. (qui tædio rerum humanarum ſeceſſerat in ſolitudinem) tanquàm ſe incoſulto, & præter ſacros Canones factam improbavit, neq. Ferdinandi legatum Martinum Guſmanum, nobilem Hiſpanum, qui ad Vrbem venerat, ut Legatum publicè admittere voluit, quoad vixit, licèt privatim eum humaniter excepiſſet, *ſe excuſans quod propter cauſæ gravitatem, tempus conſilii non ſupererat: ſe quamprimùm ad Imperatorem Carolum (ita eum etiam poſt eieratum imperium vocabat) Nuncium Apoſtolicum, quin & Cardinalem Legatū miſſurum*. Quibus dictis, Guſmanum dimiſit. Is verò proteſtatione interpoſitâ ex Vrbe diſceſſit. Obiit interim Carolus, cui Papa juſta ſolvit, prævia & ipſe proteſtatione, *ne alicui ius quæreret*. In Congregatione etiam Cardinalium, vacās referens Imperiū adjecit, *ob mortem Caroli V. non ob reſignationem factam in manu Electorum, cum facienda eſſet in manu Pontificis*.

Paulus negat recipere in Cæſarē Ferdinādum.

17. *Bellum in ſuos.* Rigor Pauli uſquè modò in extraneos, nunc in ſuos, quorum gratiâ clementiâ peccaverat. Anno ineunte 1559. noviſſimo vitæ ſuæ, poſtquàm Vrbis penuriam, quæ proximo bello invaluerat, magnæ pietatis exemplo levaſſet (Triticum enim octonis aureis pro menſurâ emptum, quinis plebi vendidit: quâ liberalitate quinquaginta millia aureorum abſumpſit) Reliquas curas ab ſe abdicans, ad ſcelera vindicanda totus intentus, magnâ rerum multitudine Inquiſitionis carcere incluſâ, ſex Cardinales eidem Inquiſitionis Concilio præpoſuit, ac Michaele Giſlerio Cardinali Alexandrino ſummum munus commiſit. Incorruptam quantum in ſe erat, Religionem Chriſtianam conſervare volens, cum plurima mala ex hæreticorum librorum lectione promanare cognoſceret, librorum indicem prohibitorum, non ſinè bibliopolarum querimoniâ publicavit, ipſoſquè gravi anathemate vel legi, vel haberi prohibuit. Monachos extrà clauſtra vagantes, in Monaſterium redire iuſſit nullâ admiſsâ excuſatione. Venetię tunc miſeris fuere refugium (ait *Panvinius*) qui ob varias cauſas obtemperare non poterant. Laudem porrò magnam omnium teſtimonio promeruit, quum raro iuſtitiæ exemplo cognitis, quæ ſibi de fratris filiis (hi Eccleſiaſticę ditioni erāt præpoſiti) *delata fuerant, frequenti Patrum Senatu Cardinalē Caraffam à rerum curâ, & Bononiæ legatione ſubmovit, Paliani Ducem Principis totius exercitus Eccleſiaſtici dignitate, & triremium præfecturâ: Marchionem Montisbelli cuſtodiâ Palatii Apoſtolici privavit: in eos adeò vehementi oratione frequenti Senatu invectus, quâ nimiam eorum licentiam arguens, ſeveriſſimè eoſdem accuſabat, ut Cardinales quoſdam animum eius ſedare, atquè illos excuſare conantes, atroci vultu averſatus longè graviora, ni quamprimùm omnes Vrbe excederent minaretur; Cardinalem Vrbe exactum Lavinium, reliquos in ſua caſtella relegavit. Omnibus demum iis, quibus ipſi aliquos magiſtratus mandarunt, loco, & dignitate pulſis, quibuſdam etiam vinctis, novos Provinciarum præſides in eorum locum ſuffecit. Aliquot deinde, quæ imperaverat portoria, & tributa quaſi ſe inſcio indicta cum levaſſet, Palatii, & Vrbis cuſtodiam Camillo Vrſino commendavit. Cui vita functo Ioannem Antonium Vrſinum Gravinæ Ducis fratrem ſublegit. Edicto etiam cavit, ut qui hactenus magiſtratuum iniuriâ ſuarum rerum iacturam feciſſent, ad ſe recurrerent, ius ex æquo iis ſe redditurum pollicitus.* Exordium ruinę Caraffæ domus à *Guiſio*, qui cum accepiſſet Papam de eo obloquutum, ob infelicem expeditionem Civitellæ, ut iniuriâ iniuriâ rependeret, vel ut vindictam eorū exigeret, quos ſuos credebat delatores, iniecto ſermone nepotum, vitiis omnibus notavit, quorū avaritiā, ſuperbiā, violentiam toto Orbe terrarum perfuſam Pontifex ipſe cognoſcere poſſet Domū enim rediens, adhuc irâ exardens, dixit Petro Strotio: *Inſimulent nunc me apud Papam: iam plenè certiorem feci, quòd eius nepotes me prodiderunt, Regem, Sedem Apoſtolicam.* Advenere etiam querelæ Philippi Hiſpaniarum Regis, qui cum plura rogaſſet, & nihil impetraſſet, ſuſpicatus antipathiam hanc dolo foveri Cardinalis Caraffæ, mādavit Oratori, & Cardinali Paceco, apud Pontificē, potentiā enervare nepotis. Contigit ergo, ut die 5. Ianuarii An. 1559. Paulus Cardinales redargueret Inquiſitioni præfectos, quòd quid minus honeſtum Cardinalis Montani non revelaſſent; excuſante Montanum Paceco, & ſuaviter deliniente iratum Pontificem; cœpit iſte exclamare, *Reformatio, Reformatio.* Adiecit Pacecus *Reformatio quidem, quæ à nobis incipiat.* Intellexit Paulus quid ſibi vellet pronomen *nobis*; non oblitus quę, & quanta idem Pacecus, & Compoſtellanus obieciſſent Caraffæ ad Epiſcopatū promovendo. Fidē comprobarunt perſonæ inhoneſtę Cardinali ægrotanti ab eodem Pontifice adſtare repertæ, cum iſte viſitaret decumbentē. Ruinam compulit Orator Coſmi ducis Hetrurię *Bongianus Gianfigliatius*, cui indiſcretè negatâ audientiâ à Cardinale Caraffâ, & quòd iſte conſpiraret cum exulibus Florentinis Petro Strotio, Cardinale

Rigor Pauli contrà nepotes. Annonā curat.

Relegat nepotes

Queſtus in Caraffam Cardinalem.

Querelæ contrà nepotes Pauli IV.

Aldobrandino, accedens ad Papam vindictę cupidus, acerbiſſimè nepotes eius inſectando, nefaria omnia in eos contulit. Tantis teſtibus non credere cum Pōtifex erubeſceret, cœpit abſtinere à nepotibus: Cum in eam diem *de Nepotibus maledicere* crimen fuiſſet, cœpit eſſe remedium iraſcentis. Claudicavit Papa inter amorem, & rigorem uſquè ad diem 27. Ianuarii, quà in Conſiſtorium vocavit *Salvatorem Pacinum* Epiſcopum Cluſinum, Romanę urbis moderatorem; Datarium, *Roncompagnum* Propræfectum cameræ, *Petrum Ioānem Aliotum*, *Aloyſium Lippomanum* Ep. Bergomenſem cum duobus aliis ſecretariis *Floribello*, & *Berengo*; *Pallanterium* etiam Fiſcalem, *Camillum Vrſinum*, cui nupſerat neptis Pontificis. Corā iſtis cum ſcelera declamaſſet nepotum, & lachrymis irrigaſſet, mandavit Lippomano, Floribello, & Berengo ſequens adnotare decretum. *Intra XII. dies Vrbe ſecederent cum familià; Cardinalis Lavinium, cæteri in oppida ſua, indè non diſcederent ſub pœnà perduellionis, omnibus honoribus expoliati, & dignitatibus.* Cardinalis S. Angeli morum innocentià, & charitate in proximos celebris volens Cardinalem excuſare Caraffam, obiurgatus à Paulo (*Si Paulus III. hæc exempla dediſſet: Pater veſter non fuiſſet à furenti plebe interemptus*) Siluit. Procuratoribus verò civitatum, Conſervatoribus Populi Romani eius clementiam implorantibus, ut ab onere gabellarum erigerentur reſpondit; *Sceleratos illos accuſarent, quorum inſidiis occluſus ignorabat, quæ populus patiebatur. Hac enim de causà tribunal ſuſtulerant ab eo inſtitutum, ad quod ſemel in menſe cōfugiebāt oppreſſi. Sperare tamē; quos ipſe relegaverat, Succeſſor deportaret.* Nec vaticinium feſellit. Pius nāquè IV. ad Inſeros tranſmiſit.

Cædes Henrici Gallorum Regis, Anno 1559

18 *Expiravit.* Romæ dum præ lætitià initæ pacis organa concrepant, Pariſiis variis concertationibus, & haſtiludiis nuptiæ celebrantur Eliſabethæ *Henrici II.* filiæ cum *Philippo II.* in quibus Rex fractis lanceis, dum iterum decurrit cum *Mongomerio*, fruſtulū lanceæ Mongomerianæ in buculam apertam galeæ Regiæ per oculum irrumpens ad occiput uſquè penetrat, quo vulnere Rex poſt dies undecim expiravit 6. Idus Iulii An. 1559. cum ingenti Catholicorum dolore, gaudio Heterodoxorum. Inter flammas namquè bacchantis Hæreſis, quæ Germanos, Helvetios, Britannos abſumpſerat, ſcintilla vel minima cùm irrepſiſſet ad Gallos, hæc citò extincta ceciderat reflatu eloquii Apoſtolici, vel ſanguine delinquentium Hæreticorum. Graviſſimam moleſtiam traxit Pontifex ob confractam columnam Fidei Catholicæ, & quòd ei non ſupereſſet, quò confugeret. Hiſpani offenſi, victores, ſinè æmulo: quem timerent non erat: undè lacrymis funera celebravit. Cæſar ob repulſam ſubiratus, & commertio excluſus repudiatà eius legatione, in comitiis Auguſtanis Anni currentis, cum Concilium repudiaſſent Lutherani, pacem firmaverat Paſſavienſem. Anglia, ſæviente Eliſabethà, iterum à Petri obedientià deſecerat. Domi etiam diſſidia non minora. Magnates inobſequentes, quòd ſpoliati, vel abiecti; populus fremens ſub onere vectigalium: Nepotes dehoneſtati, & in nepotibus tota familia ignominià conſperſa ſempiternà, Pontifex ipſe notatus, & tanquàm inimicus ab ipſis nepotibus accuſatus apud Regem Philippum, quòd *ſolùm inſtigante patruo cum ab eius voluntate declinaſſent, nunc officiò ſoluti Pontificio, ſtudium offerre ſingulare, & promptum obſequium ſinè ullà exceptione exequendi regia mandata.* Excuſabant ſe Cardinalis Caraffa, & Dux Paliani, quòd cum permutationi non acquieviſſet iubente Papà, parati erant nunc Palianū tradere, dominio contenti Roſſani. Miſſo propterea Bruxellas *Paulo Filonardo* ad Regem Philippum, etiā M. Antonium Columnam ſollicitabant. Ita mentem obducebat livor; ut mallent palpare inimicos contumelià affectos atroci iniurià in patruum repetità maiori, cuius ſub manu erant perſonæ, & bona delinquentium, quàm eum obſequio demulcire, cuius in corde ſemina adhuc vigebant amoris, coniunctio ſanguinis, & beneficia collata. Eorum impudentiam prudentia redarguit Philippi reſpondentis: *Redimerent clementiam Pontificis, ſecuri tunc de gratià Regis. Initià namquè reconciliatione, quæ ei tanti conſtiterat, nollebat ſimultates renovare.* Tantis moleſtiis afflictus Paulus, gravi morbo decubuit, aquà intercute laborans, XI. Kal. Septēb horà XII. cum ſibi mortem inſtare ſentiret, Cardinales omnes evocare iuſſit, quibus in eius cubiculum convenientibus, admirabili eloquentià, quà præditus erat, orationem præfatus: *Viam univerſæ carnis ingredimur; diutiùs viximus quàm ſperare potuiſſemus, &c.* petiit, ut ſi remiſſior in cogendo Senatu fuiſſet, quàm ſui officii ratio poſtulabat, id ætatis, & incommodæ valetudini tribuerent: conſentirent in optimo Principe deligendo: Sanctiſſimum Inquiſitionis tribunal commendavit, multiſquè præterea dictis, vegeto planè animo Patres dimiſit. Moribundi ſuprema fuere verba. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Panvinius, Pallavicinus.

Mors Pauli IV.

Oratio morientis.

Elogiū Pauli morientis erga Philippum.

19. *Philippo.* Bartholomęus Cueva Hiſpanus Cardinalis vir bonus, & pius, Iacobo Sabello Cardinale adſtante, cum patrio ſermone Pontificem conſolaretur morientem; diceretquè ægrè ferendam eius mortē, eo tempore, quo pace reſtitutà, eius opera maximè videretur neceſſaria: ipſe illicò eodem Hiſpano idiomate reſpondit: *Se ità vitæ ſuæ curſum inſtituiſſe, ut quoties ex hac vità mortali abeundum eſſet, alacris vocationem ſubiret. Proindè alacriter ſe hinc migrare, quod Fidei defenſorem relinqueret Philippum Regem Hiſpaniarum, cuius pietate, & virtute Chriſtianam Rempublicam reſtitui poſſe non deſperabat.*

Seditio populi Romani.

20. *Statuam.* Animam agente Paulo IV. apertæ ſunt vetere inſtituto omnes urbis cuſtodiæ, & à furente populo, cum Tabulariis incenſus novus carcer Inquiſitionis, iis, qui eo tenebantur, emiſſis, præſtito iuramento perſeverandi in Fide Catholicà; cuius ſpecie, ibi detineri clamabant. Intentatum quoquè in ſacram Dominicanorum ædem ad Minervam incendium, à quà vix piorum precibus permoti ſeditioſi abſtinuere manus. Sævitum tandem in ſtatuam Pontificis cui Iudæi pileum impoſuere loco thiarę, ad vindictam, quòd Paulo IV. iubente, eo ſigno notati ſecernantur à Chriſtianis. Caput poſteà amputarunt, & bracchium dexterum, quòd per urbem triduò provolutum, tandem in Tyberim bonorum quorundam virorum miſericordià, quùm iam populi exſaturati rabies langueſcere cępiſſet, proiectum fuit: Cautumquę edicto populi Romani, incerto

auc-

Caraffæ nomen odioſū.

auctore promulgato, ut Caraffarum inſignia ex urbe tollerentur ſub pœnâ perduellionis, adversùs cōtumaces. Itaquè eo die nullum in urbe Caraffarum inſigne reliquum fuit, Oliverii etiam Caraffæ olim Cardinalis deletis inſignibus, qui gloriâ nominis, & magnificentiâ ædificiorum ſupervivebat poſt ſæcula. Nec contenti, poſt imaginum ludibria, ipſa *Caraffarum* abhorrentes nomina, ampullarios, qui more patrio excurrentes per vicos, & plateas altâ voce emptores excitant *Biebiers, Caraffe*, vocabulo ſubſtituto *Guaſtade* exclamarent, prohibuerunt *Caraffe*. Cadaver Canonicis S. Petri ſuccollantibus in baſilicam Vaticanam, tenui pompâ delatum eſt, & præter morem, metu populi, militari manu aliquandiù cuſtoditum, lateritio ad tempus tumulo ſepultum cum ſequenti epitaphio.

Sepultura.

Si tua non pendet paries innixa columnis
Paule, nec eſt titulis Urna ſuperba tuis
Sat tibi pro tumulo Cœlum eſt: nam maxime Virum
Non alio poteras marmore Paule tegi.

In æde poſteà S. Mariæ ad Minervam aliud habuit, quod lege ſupra n. 1.

Species corporis.

Eius vitam variè ſcripſerunt hiſtorici, alii veritati, alii paſſionibus indulgentes. Panvinius ſequentibus abſolvit. *Fuit Paulus* 4. *ſtaturâ magnâ, corpore gracili, ore ſubtriſti, & minaci, vultu macro, oculis introrſus recedentibus, & vehementi obtutu ſcintillantibus naſo parvo, rarâ, & brevi barbâ, Valetudine proſperâ, & qui nunquàm medicorum operâ uſus fuiſſet, quanquàm victu non admodùm diligens; cæterum liberalitate, religionis tuendæ Zelo ſuper omnes retrò Pontifices maximè clarus, & quo Pontifice primùm hominum, & clericorum præſertim moribus depravatis, ſalutaribus legibus remedium eſt adhiberi cœptum: confirmanda enim, ac reſtituenda Eccleſiaſtica diſciplina, in quam mirificè perturbatam eius Pontificatus inciderat auctor, & princeps extitit, ità ut ex illius fonte cogitationum, rationumquè multa ſacri Tridentini Concilii decreta proflu*xiſſe videantur.

Pauli 4. ſcripta.

Scripſit Paulus IIII. *Ceremoniarum commentariolum*, cui in Eccleſiaſticis functionibus conformarêtur, teſte Antonio Caraciolo, & Magio p. 288. *de Eccleſiâ emendandâ* ad Paulum III. quem habes in 2. tomo Conciliorum edit. Germanicæ.

Commentarium pro principatu Baſilicæ Vaticanæ S. Petri, eiuſquè ſacerdotum.

Extat M. S. in bibliothecâ Columnarum. De obſervatione Quadrageſimali. De Symbolo. Orationes, unam præſertim in funere Sadoleti. Regulam Theatinorum. Epiſtolas varias Colon. editas 1612.

Ei ſcripſit Sultanus Solimanus Rex Turcarum.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas 59.

Epiſtola conſolatoria ſub nomine Pauli 3. ad ſuos filios dilectos tanquàm ſpuria prohibetur in Indice Romano, cum quibuſdam aliis.

B *Formulam Profeſſionis Fidei*, quam Epiſcopi recens creari profiterentur, edidit; extatquè in libris Conſiſtorialibus.

Evangelium Græcè ſcriptum auro, gemmiſquè ornatum Bibliothecæ S. Petri dono miſit.

Apud Indos, qui Regi parent Portugalliæ, urbes aliquas in Eccleſias erexit Cathedrales, inter quas *Malaclinenſem, Cochinenſem*: Goanenſem verò ab obedientiâ Epiſcopi Olyſiponenſis eximens Metropolitanam fecit, novoſquè in his Epiſcopos conſtituit, teſte *Bzovio*. In Galliâ Belgicâ, quæ Philippo paret Hiſpaniarum Regi, plures Epiſcopatus, & Archiepiſcopatus erexit.

Arcem à *Iulio III.* Bononiæ extructam, quam milites cuſtodientes externi, rapinis omnia fœdabant, diruit, in cuius reliquiis hæc leges. *Paulus IV.*
C *P. M. furacibus cuſtodibus, arce dirutâ, ſublatis.* Spectat ad laudes Pauli 4. culta ab ipſo, ſingulari pietate, Dei Matre, Lauretanum ædificium non prætermiſſum, teſte *Turſel. l.* 3. *c.* 16.

PIVS

PIVS QVARTVS
PONTIFEX ROMANVS CCXXVI·



COlumba illa, quæ in Iordane oſtendit Chriſtum filium Dei, Canonicam nunc Pii monſtrat electionem, cum ramum portans olivæ, & in capire quieſcens Io: *Medicini*, Cardinales excitavit, ut poſt quadrimeſtre diſſidium eum unanimes Papam dicerent.

Eligitur Anno Sal. 1560. Inter ſeptimam, & octavam horam noctis, quæ inſequitur Diem natalicium Redemptoris Chriſti, Menſis Decembris. Coronatur in feſto Epiphaniæ, Moritur Anno Sal. 1565. Horà ſecundà noctis, quæ inſequitur Diem Dominicum V. Idus Decemb. Ætatis anno 66. Menſ. 8. die 9. Pontificatus Anno 5. Menſ. XI. die XV. Vacat ſedes dies 29.

ELOGIVM·

Anai Sal. IPi. 1560.Ii

COlumba portans olivæ ramum A
Unde veniat, ubi quieſcat? vigilate Patres.
Ianuam pulſat Ioannis [a] Angeli Medicei
Ibi ergo Spiritus Dei,
O quàm bellè conveniunt
Prudentes ſicut ſerpentes; ſimplices, ut columbæ,
In colubre agnoſce In ſubrē; ī colūbà adora Ro
Medicus, miles, Iuris peritus (manū
Farcimina, Arma, Iura ità miſcuit:

Ut pietas, pax, Iuſtitia,
Pauperem non ſecerneret a potente.
Mediceus diſplicere Vaticano non poterat; Anni Sal. IPi. 1560.Ii
Cū quęreretur, qui Mūdū ſanaret energumenū.
Quatuor mēſes certavit ambitus adversùs Deū
Donec ſub ſpetie colūbę[a] cognitus quē prēſaret;
In Angelo convenere, quem dixere *Pium*.
Pietas cum augeat, non minuat Iuſtitiam,
In gentiles [a] pędeceſſoris inſtituto iudicio,
Tres

Anni Sal. I Pi. 1562.12

Tres capite, alios gazà mulctavit.
Sic Pius IV. Pauli IV. inchoatam ſeveritatem
Abſolvit iuſtus: probavit Pius.
Cæſorum capita pro roſtris expoſuit
Ad terrorem, & documentum familię [4] ſuæ;
Quam tamē ad ſe vocavit, nec ſinè labe ditavit.
Stat pro veniâ unus prò cunctis
Carolus Boromæus, [5] ex ſorore nepos:
Plus ſaeco, quàm purpurà illuſtrior.
Eius reverita ſanctitatem glandes plumbea
Pectus fodere non audens, ad pedes concidit.
Non indigent Satellite Iuſti,
Qui ſemper in conſpectu Dei.
Lue populante Inſubriam;
Purpurā dorſo, charitatem in pectore geſtans,
Ut Chriſtum operiret, & cooperiret in paupere
Aulæis parietes, ſe tandem ſpoliavit lectulo
Satis molliter cubare credens, ſi in ſinu Chriſti.
Cētū aureorū millibus Vritanovēdito principatu
Vnà die cum ea diſtribuiſſet egenis,
Ipſi etiam increduli ſanctū credidere mortalē.
Huic ſi ſimiles ſubſtrares Eccleſię Cardines
Nō hæreticos, nec īprobos Catholicos formidares
1562.13 Concilium [6] poſteà Tridenti reſtituit,
Curiæ Romanæ reformatione [8] præmiſsà;
Ne redargueretur, *Medice cura teipſum.*
Annos XXVII. duravit Synodus
1564.14 Ut præſentibus, & futuris obviaret hæreticis.
Erroribus, & errandi ſubtractà materià.
Eius decreta adoravere Principes
Venetorum [7] exemplo, qui Deo ſoli ſecundi,
1565.16 Religione omnibus ſemper prævivere Regibus.
Carolus Molinæus [9] illud carpſit conſiliis ſuis,
Qui Pariſiis à Senatu carceri datus
Rege emiſſus iubente
Patriam mutare maluit, quam errores.
Hæreticus an reſipuerit? incertum
Munitus obiit omnibus Eccleſiæ ſacramentis.
Iuratà fide, non eiuratis erroribus,
Obiit etiā *Calvinus* [10] Canonicus Noviodunēſis;

Anni Sal. I Pi. 1565.16

Cuius blaſphemiis mox patriam conflagrantē,
Novus Nero ſiccis oculis ſpectavit.
Cruciatibus tortus abiit Dæmonem invocans,
Cuius mox præda futura.
Et nè liceret inſipientibus ſapere:
Caliphatum Bezę, [11] reliquit.
Dignus magiſtro diſcipulus
Sicariis immiſsis etiam adversùs Reginam
Guiſium ſuſtulit proditoriè,
Qui morte maior, quàm vità
Cecidit Martyrū more, nō pro Rege ſed pro lege,
Pax tandem inita cum [12] Hugonotis,
Turpis quidem, ſed neceſſaria; fremente Pio:
Quà cū Chriſtianiſſimis ſecure viverēt Hæreſiarchæ
Melitę [13] etiā certatū inter *Philippū, & Solymanū*
Quaſi unà in inſulà totus Orbis certaret.
Adfuit Pius auro, Philippus ferro:
Ne equites Hieroſolymi caderent tāquā pyratę
Quà arte ſervatam? ne quæras.
Miraculū virtutis fuit, prodigium fortitudinis;
Octo millibus propugnantiū potuiſſe ſervari
Adversùs millia Turcarum quinquaginta.
Qui ducentis navibus obſidebant.
Romanum tandem converſus ad cultum,
Lapidibus Pius, [14] crudelis populo,
Ut templa redditueret, compita quadraret, quaſſavit ſubditos.
Aquā Virgineā extrà Vrbē vagātē, & penè exulē
Romā revocās; Thermis *Diocletiani* Deiparę ſacrans
Profana balnearia eluit Mariano nomine.
Medius inter [15] virtutes, & vitia
Gravavit cives, ut levaret pauperes
Pandochiis, & Noſocomiis.
Eccleſiam pluris fecit, quàm familiam,
Cum iudicavit extraneos, non cum ſuos. 1565.16
Amicos omnes habuit, quos utiles.
Pecuniæ cupidus [16] etiam cum damno alieno,
Eam tamen liberaliſſimè abſumpſit.
Ad Superos iverit, vel ad Inferos?
Animam [17] efflaſſe in manibus *Caroli Boromæi*:
Satis credo in argumentum Salutis.

ADNOTATIONES IN PIO IV. PONT. ROM. CCXXVI.

Turbæ Sede vacante. 1. COlumba. Mortuo Paulo IV. M. Antonius Columna violenter Palianum cum irrepſiſſet querente Oratore Galli, *Io: Caraffam* ſub Gallicà vivere tutelà; ſe apud Patres excuſavit Columna, non in ſpolium, ſed in clypeum contrà popularem ſeditionem, accurriſſe, paratum legibus ſtare futuri Pontificis, vel Comitii præſentis. Caraffas Populus cum Romà deportaſſet, armis depoſitis die primà Septembris, Pontifice adhuc animā agente, Cardinalem Caraffam Patres revocarunt in Vrbem non tamen ſinè contradictione; quia edictum Pauli extingui haud poſſet antè eius mortem. Populo tamen non ſe exibuit furenti, ſed latuit in Vaticano. *Moronum* etiam in arce detentum ob quæſtionem Fidei, admiſerunt in Conclave: quis enim innocens, ſi accuſare ſufficiat. Coactis comitiis, gradui Apoſtolico proximiores fuere inter Italos *Rudolphus Pius Carpius, Hercules Gonzaga*: inter Germanos *Pacecus, Reomanus*; *Bartholomæus de Quevà*, qui arte Conclaviſtæ ſui *Ferrantes de Torres* vota XVII. retulit, triginta duo habiturus, ni unus rogatorum, caſu votum ſocio aperuiſſet. Duo namquè ſupra triginta Patres clam Concláviſta rogaverat, ut honoris gratià ſuffragarentur domino ſuo. Carpio ætate, ac virtute venerabili Galli reſiſtebant. Reomano in quem conveniebant Galli, & Caraffa Populus obſtitit Romanus, pavidus nè ad Gallos ſuos ſedem traduceret Apoſtolicam. Pacecus conſtantià maiori, quàm fortunà non longè erat, Carpio publicè ſuffragante voto, & voce; cuius exemplum

Nominati ad Pontificatum.

le-


D. O. M.
PIVS IIII. P. M.
MEDICES MEDIOLAN.
SEDIT AN. V. MENS. XI. DIES XV.
VIXIT AN. LXVI. MENS. IX.
OBIIT V. ID. DEC. MDLXV.
IO. ANT. SORBELLONVS EP. PRAENES.
CONSOBRINO
CAROL. BORROMEVS S. PRAX. MEDIOL.
M. SITICVS DE ALTAEMPS GERMANVS
CONSTANT. S. M. TRANSTIB. TIT. PRESB.
AVVNCVLO
S. R. E. CARD. POSVERE.
PIO IIII PONT. MAX. S. P. Q. BON.
I·C·MEDIOL·
PORTA PIA ROMA
VIA PIA ROMA
VIRGINI MATRI
AQVA PIA
Palazzi Sculp.

ſequuti Patres ſeptem ſuprà viginti Conclaviſtis excitarunt ad ſpolium Pacechi, quaſi electi Pontificis. Magnā tamen laudem promeruit Carpius cum certior factus ab amicis, fruſtrà tentatam electionem ſuam; reſpōdit, *Gratiſſima ſibi fuiſſe eorum ſuffragia, quià non quæſita. Quotidiè rogaſſe Deum, nè ei onus imponerent horrendum ſibi, non minus propter annorum numerum, quàm malitiam temporum*. Laude non minori Reomanus licèt excluſus à Pacecho cū inter Gallos huic ſolus ſuffragaretur propitius, propterea obiurgaretur reſpondit, *Pacechus licèt prudēter me excluſerit; ego tanti viri meritū fraudare non ſuſtinui*. In Gonzagā Hiſpani cum convenirēt & Galli, Farneſio tamen reclamantibus atq. Caraffa, ipſe rogavit amicos deſiſtere, ne eius nomine diutiùs capite careret Eccleſia Dei. Noviſſimus fuit *Io: Angelus Medicinus*, ſenex ſeptuagenarius, promovētibus Hiſpanis, faventi- A bus Gallîs in gratiam viduę Regnātis Mediceæ, Caraffa annuente, inter ſeptimum, & octavam horam, quæ inſequitur Redemptoris nativitatem, nomine *Pii* IV. adoratur. Cardinalis Caraffa flexis genubus cœpit illicò veniā intercedere pro populo Romano, ob iniuriā Caraffis illatam, ac deiectū tribunal S. Inquiſitionis, cui ægrè annuens *Pius*, adiecit; dummodò damna reſarcirent.

Io: Angelus Medicinus Papa creatur nomine Pii IV.

Fuit Pius IV. antè *Io: Angelus Mediquinus patriā Mediolanenſis, humili loco natus* (ſi fides Belcario l. 28. rerum Gallicarum n. 39.) *Mediquinus Marchionis Melegnanenſis frater, qui ob nominis ſimilitudinem ſe Medicem appellari voluit, & à Florentinis Mediceis oriundum iactavit*. Vndè non proavi ſint ſuſpiciendi, ſed nepotes inſpiciendi, ut ex arbore genealogicà hic poſità.

Eius natalia.

B

Io: Iacobus Mediquinus

Bernardinus redemptor publicorum Vectigalium ex Cecilià Sorbellonià quatuordecim filios ſuſcepit, quorum decem ad maturam ætatem pervenerunt, quinque mares, totidem fœminæ.

Margarita ex Giberto Borrom. C.	Io: Iacobus Marchio Meleniani.	Pius IV. Papa.	Iō: Bap. ſtrenuus miles.	Auguſtus.	Gabriel	Maria	Lucretia	Anna	Clara ex Vulcano Altempſio

Children of Margarita:

S. Carol.	Camilla. nupſit Carolo Gonzagæ.	Federicus eius uxor Virginia Ruverea filia Guidonis Vbaldi Vrbinatium Ducis.

Children of Clara:

Gabriel Comes.	Annibal C.	M. Seiticus Card.

Studia Pii IV.

Naſcitur Pius IV. (ut ſcribit Panvinius) Sal. An. 1499. prid. Kal. April. die ſacro Paſchatis, quum mater è ſacris myſteriis rediens, doloribus partus tentata domum rediiſſet, Mediolani in regione Portæ Novæ, in vico, qui Moronum dicitur, parœciæ S. Martini ad Nuſigiam, ab eius aviæ paternæ *Concordia* maioribus, qui *Nuſigii* dicebantur conditę, & proventibus auctæ, Mediolanum propterea patriam ſuam privilegiis ornavit Pontifex factus, præcipuè ut ex I. C. Mediolanenſium Collegio Auditor Rotæ Romanæ, & Conſiſtorialis aulæ Advocatus perpetuò deligeretur ad cuius memoriam Iure Conſulti ipſius imaginem è, collo pendentem deferunt. Parentum curà liberalibus diſciplinis ab ineunte ætate imbutus cum adoleviſſet, Papiæ, Bononiæ, Philoſophiæ, Medicinæ primùm, deinde Iuri operam dedit, *Ruino* uſus præceptore inſignia accepit doctoratus. In patriam reverſus, induſtriæ ſe dedit forenſi, Hieronymo Morono familiæ ſuæ patrono ei maximè ſuffragante: demùm cum frequentibus bellorum procellis patrià agitatà in civili otio degere nō permitteretur, Romā venit, 8. Kal. Ianuarii 1527. eàdem die, & horà, quibus trigeſimo tertio Anno poſt, Romanum Pontificatum ibidem obtinuit. In patriam reverſus, bello quod cum fratre ſuo Marchione Meleniani in expugnatione Leuci Franciſcus Sfortia Dux Mediolanenſis gerebat, obſes datus, mortem vix evaſit, quùm Marchio inita cum Duce pacta violaſſe videretur. Tandem liber dimiſſus Romam rediit, ubi fratris Marchionis, cuius tunc bellicæ laudes celebrabantur, ſtudio, & ope à Clemente VII. Romano Pont. Protonotarius dictus Alexandrum Farneſium ſtudioſus colere cœpit. Ille Pontifex factus nomine Pauli III. quum Medicini in agendis negotiis dex- C teritatem non mediocrem noviſſet, Sal. Anno 1534. Anſculanis Picentibus, Anno poſt Tifernatibus in Vmbrià, tertiò Parmenſibus præfecit: ille autē integritate, & prudentià, adminiſtravit. Niceā, in Pauli III. comitatu profectus, ita cum eo, & Cæſare egit, ut duobus fratribus Marchioni Meleniani, & Io: Baptiſtæ ex arce Mediolanenſi, ubi hoſtium ſuorum conſpiratione detinebantur, liberè abire Cæſare permittente licuerit. Annis deinde 1539. Fano Fortunæ, 1540 Parmenſibus iterum iuri dicundo laudabiliter præfuit. Ter Eccleſiaſtici exercitus quæſtor, bis in Pannonià contrà Turcas, ſemel in Germanià contra ſocios fœderis Smalcaldici: quo bello bombardæ ſonitus propè eius caput volantis, dexteræ auris auditum labefactavit. Auctis familiæ honoribus, à Rege Ferdinando, regiis donatus muneribus in gratiam fratris, qui Danubianę claſſi prępectus erat. In Italiam reverſus An. 1543. cum de limiti- D bus inter Ferrarienſem ducē, & Rempublicam Bononienſem contentio eſſet, arbiter à Pontifice conſtitutus controverſiam compoſuit. Ruſus cum Turcica arma in Pannonià perſtreperent, Viennaquè Auſtrię ab iis acriter premeretur, & quatuor millia hominum Italici peditatus Paulus Papa Regi Romanorū Ferdinando auxiliaria miſiſſet, quæſtor iterum Pontificius illis adiunctus eſt; ex quà provincià rediens, nobili Anconitanis gubernatione pręfuit An. 1544. Affinitate poſtea ab eodem Pontifice cum eius fratre Marchione Meleniani Anno ſequente contractà (ipſe enim *Martiam Vrſinam* filiam Comitis Pitiliani, ſororem nurus Pontificis, uxorem duxit) Archiepiſcopus Epidaurenſis in Dalmatià (Raguſinus hodiè dicitur) creatus eſt. An. 1546. Pontificias cohortes ducente Farneſio in Germaniæ Proteſtantes, ille

Patriā ornat privilegiis.

Officia.

tertiò quæſtor ſupremus miſſus, bello confecto, in Italiam reverſus Anno 1547. Bononiæ P. Legatus, *Petro Luiſio* Principe interfecto, & Placentiâ à Cæſarianis ducibus occupatâ, Parmam profectus, & amicorum opibus,quos ibi habebat,adiutus,militum manu collectâ,Vrbem valido firmatam præſidio,ſuâ vigilantiâ,in Eccleſię fide confirmavit. Anno 1548. Pæruſiæ, Vmbriæ Prætor, dum munus integrè exercet,à Paulo III.An. 1549. die 6. Idus April. presbyter creatus Cardinalis S. Pudentianæ à Iulio contra Farneſios copiis præfectus Eccleſiaſticis conſilio, & ſolertiâ bello compoſito, Romam venit à Cæſare Epiſcopatu ornatus Caſſanenſi in Brutiis, Pontificibus Iulio III. & Paulo IV. Signaturæ Gratiæ perpetuo, aliquandò verò in locum Cardinalis abſentis vel mortui,iuſtitiæ præfuit, mutato dignitatis ſuę titulo in S.Stephani in monte Cęlio,moxS.Anaſtaſiæ, Paulo IV. minus gratus, & ab eo publicè in Cõſiſtorio redargutus, quaſi non bonis artibus Archiepiſcopatum procuraſſet Mediolanenſem, ſpetie valetudinis ad balnea profectus Lucenſia, poſteà Mediolanum, ibidem ædibus à fratre Marchione Io: Iacobo cœptis perficiendis deditus, honeſtiſsimè vixit, ſtudiis incumbens literariis, vitis egregiis utebatur in menſâ,quam Platonis dicebat convivium. Prono ad Miſericordiam ingenio, præter occultas largitiones, publicè etiam, quotidiè omnibus inopiâ laborantibus, & oſtiatim victum quærentibus tantùm ad ſublevandas eorum miſerias diſtribuebat, quantum pro diuturno victu ſatis iis eſſe poſſet, ex quo *pater pauperum* vulgò vocari cępit, ſed præcipuè quùm urbe Tyberis inundatione Paulo IV. fame vexatâ, quidquid in horreis ad familiæ ſuę annuum uſum condiderat, liberaliter ad egenę plebis ſuſtentationem primis menſibus deprompſit. Fraternam cum adiiſſet hæreditatem lucroſam ſanè ſed bello congeſtam, reditum annuum aureorum mille pauperum aſſignavit hoſpitali. In amicos liberalis, omnibus comis,& perhumanus,iuſtitiæ cultor, nefariorum hominum hoſtis acerrimus in eâ civitate,quæ mores hominum diligenter examinat, omnium conſenſu exiſtimatus eſt. Quarum opinione virtutum gradum ſibi ad maximum Sacerdotium fecit. Mortuo Paulo IV., quùm Cardinales in conclavi eſſent;

Mores eius.

Largitio in paupe-res.

2. *Columba* caſu ſacellum Xyſtinum per feneſtras ingreſſa,diù circumvolitavit, donec feſſa cum admiratione omnium avis quietem expectantium, eius cellæ inſedit, quę res tunc luſui habita,ipſo Pontifice renuntiato,in prodigium verſa eſt. *Panvinius*.Pontificatum eius Malachias proluſit verbis illis, *Æſculapii pharmacum*. Quia Angelus *de Medicinis* vocaretur, & pillulas teneret in ſtemmate. Coronatus eſt Pontifex in feſto Epiphaniæ, magnâ hominum frequentiâ, & ſtrage pecuniam avidè arripere cupientium. Eâ namquè turbâ XIIX. homines necati, ſupra 40. luxati, & eliſi. Poſtea V. Kal. Feb. in Baſilicâ Lateranenſi, auditis Oratoribus Principum, animum ad curam Eccleſiæ, & Reipublicæ diuturnâ vacatione labefactatæ convertit. Et qui hactenus, humanus,patiẽs,beneficus, gratus, mitis,pecunię minimè cupidus exiſtimatus fuerat,naturâ repentè mutatâ; antè omnia,quæcumquè Paulus 4. præter Curiæ Romanæ mores, & iam receptam à ſuperioribus Pontificibus conſuetudinem, publicis edictis,vel diplomatibus novaverat, diſquirens, ob multorum querimonias, qui ſe Pauli ſanctionibus malè habitos lamentabantur mutavit cauſarum cognitionem, more reſtituto vetuſto, ad formam iuris communis. Primum facinus adversùs Cardinalem *Montanum*, quem in Æliam arcem coniecit 27. Maii, 1560. ob contumeliam receptam.Cuiuſdam Cauponis, eiuſq. filii (iuvenili ille furori temperare non ſuſtinens) ſanguine manus, ac fœdiùs purpuram cruentaverat. Quamobrem Papa dùm Amulio rationem pro more amicitiæ redderet ſeveritatis ſuæ, &in reo ferociam deteſtaretur,illud Virgilii cecinit:

Papa prædicitur.

Cardinalis Montanus in carcerẽ coniectus.

Natum ante ora patris, patremquè obtruncat ad aras.

Plures alias indigni purpurati corruptelas adiiciens. Ille tamen in quæſtionibus cædem filii culpâ quidem non caruiſſe, *non tamen excogitatam*, *nec doloſam* excuſabat: quòd ab eo laceſcitus cum lato enſe iniuriãtem percutere meditaretur, caſu vulneraverit. Parentem pariter, qui accurrerat in tutelam filii, caſu occidiſſe ob involuntariam ſclopeti diſploſionem,quẽ ad latus geſtabat Moutanus. Quocircà poſt ſexdecim menſes in cuſtodiâ tranſactos, multis mulctatus proventibus, ad ſolitudinem Montis Caſſini eſt relegatus. *Pallavicinus l.* 14. *c.* 15.

Alterum ſeveritatis exemplum à Pio in Caraffas exiit,quorum operâ ſolium conſcendetat. Excitatus initiò recentis beneficii memoriâ Cardin. Caraffæ familiarem legaverat in Hiſpaniam,ut eorum Familiam Regi commendaret. Querimonias adderet contra *M. Antonium Columnam*, qui poſtridiè electionis Pontificiæ Palianum ingreſſus, iura Eccleſiæ temeraverat; licet iniuſtâ indignatione prohibitâ noluerit Pius primum iudicium in Philippi clientem exercere:poſcebat tamen Nuntius pacta obſervari de Paliano cum Paulo conventa, redditâ Duci compenſatione, oppidoq; penes virum ex pactorum ſententiâ collocato. Vbi Rex mallet à pactione recedere, Palianũ relinqueret in liberâ poteſtate Pontificis,qui tanquàm Dominus arbitratu ſuo de illo diſponeret. Rex Nuncii ſtudio facilè annuens, Caraffæ conceſſit prerogativam natalium Hiſpanorum,ut penſionem obtineret Eccleſiaſticam octo millium ſcutorum annuam, præter alteram duodecim millium, ipſi à Rege Bruxellis deſtinatam. Gravior porrò comperta eſt indignatio in Paliani Ducem,quod adhuc ſtudioſus Gallici nominis,torquem retineret S. Michaelis. Verumtamen Nuntius utilitatem prætendens Sedis Apoſtolicæ, remotis obſtaculis,propitia omnia retulit *Vargas* coadiuvante Oratore Philippi.Subrogato dautẽ in legationem Tendiliæ Comite,ab eo Pontifex certior factus Regem minimè iniuriarũ oblitum,cœpit & ipſe iratum in Caraffas animum patefacere: inſcio tamen Nuncio *Raverta* ut minùs fido.In hunc rigorẽ Pium impuliſſe nova dicuntur Caraffarum facinora poſt eius aſsumptionem commiſsa. Vivente Paulo, à Duce Paliani confoſsus fuerat *Marcellus Capeccius* eius conſanguineus, ac familiaris, convictus, confeſsusq; prout ferebatur, ſuo tum ore, tum ſcripto, herum ſuum à ſe fuiſse proditum, habito cum eius vxore concubitu, dum hic in exilio aberat. Eâ de cæde Paulus IV. à Cardinali Neapolitano edoctus, nihil crimen vindicavit, ſolùm percontatus eſt,

Caraffarũ excides.

Legatio Pontificia ad Hiſpanum.

Caraffarum ſcelera.

Caraffarum defiſcta.

eſt, quid de uxore Ducis actum eſſet? repertum, quod mater vnà cum fœtu ſeptimeſtri interfecta eſſet. Quam cædem Ducis iuſſu, conſpirante imò impellente Cardinali peregerat, Sede vacante, Comes Aliffenſis mulieris interfectæ frater, & Leonardus de Cardine ipſorum conſanguineus: quamquàm maritus illud ſibi dedecoris promeruiſſet, introductis vſq; ad coniugalem thorum meretricibus. Fiſci Procurator vt homicidiorum noxam in Duce prægravaret, adulterii crimen occulebat quaſi non probatum. Dux verò poſt Pii creationem confictis quibuſdam actibus in oppido ſuo Galleſio M. Antonium Columnam inſimulabat ipſi Duci ferro, & veneno inſidiatum. Quęſtio etiam habità eſt in quemdam M. Antonii clientem; quod ubi Romæ innotuit, eò confeſtim miſſus eſt iudex, qui homines in carcere detentos unà cum Actis in Vrbem detulit: adversùs Caraffas Pontificem excitante Alexandro Pallantero Procuratore Fiſci. Die propterea 7. Iunii An. 1560. Cardinalis Caraffa, cæterique cædis participes vinculis traditi, inter quos Cardinalis Neapolitanus nepos fratris Pontificii, ob ſpolium ſuppellectilis Pontificiæ, & diplomata in rem ſuam extorta ab eo, qui Pontifici à ſecretis erat. Captivitatem cùm magno fletu Senatui retuliſſet Pius, quæſtionem commiſit Hyeronimo Federico Sagonenſi in Corſicà Epiſcopo, Romæ Gubernatori, adiectis prò Cardinalium quæſtione, octo graviſſimis eorum collegis. Interim ex Hiſpaniâ 19. Iunii Canobius Romam miſſus à Nuncio *Ravertà* cataſtrophem ignorante, renuntiavit Pontifici, Philippi munera Caraffis conceſſa. Excanduit Pius negans ſe talia commiſiſſe Legato: immò Regi duplicis quæſtionis Actibus tranſmiſſis, quæ vivente Paulo IV. operà Cardinalis Caraffæ confecta fuerant, in quibus apparebat *Nanius* Romam veniſſe iuſſus ab Hiſpanis, veneno Cardinalem Caraffam tollere. In alteris, quorum erat inſcriptio, *Contra Philippum Regem*, apparebat *Cæſar Spina* Calaber ab eiſdem miſſus ad interficiendum Cardinalem, propterea laqueo nècatus. Quæ turpiſſimæ calumniæ, quaſi arte Caraffæ Principibus illis inuſtæ ad inflammandum in eos Paulum IV. incredibiliter Regem ſuccenſerunt. Miſſa etiam fœdera cum Turcis, ac Proteſtantibus inita ad Auſtriacorum perniciem, præcipuè cum Alberto Marchione Brandeburgico: defraudatos Gallię Regem, & Papam militari copiarum ſtipendio: apponebantur alię cædes vel ſua, vel alienà manu patratæ antè, & poſt ſuſceptam purpuram. Flagitia cum Dux negaret in mitiori quæſtione, ad ſeveram adductus, tormenta nec libare paſſus, fraude Cardinalis fratris deceptus, ſe omnia patraſſe excuſavit. Cardinalis conſtanter omnia negavit, neq; aſperiori quæſtioni ſubiectus: nè fortè toleratis tormentis, fiſci iura confringeret, & ſupplicio ſe ſubduceret. Seu quòd purpurati obiicerent, huiuſmodi quęſtionis genus ab illius Ordinis dignitate nimium abhorrere; cauſa ad diem uſq. 3. Martii agitata eſt, quo Papa exponi iuſſit in Senatu, Actorum ſummam, abſumptis in eo triſti opere horis octo uſquè ad ſecundam noctis. Cardinales cuncti pro collegà deprecati ſunt, ſed nullo fructu, latà ſententià per Pontificem, & annulo obſignatà contrà ambos fratres reos læſæ

Supplicia Caraffarum.

Maieſtatis. Poſtridiè noctu, Paliani Dux in carcere *Turris Novę* unà cum uxoris fratre, Comite Aliffenſi, & Leonardo de Cardine capite mulctatus eſt; eorumquè cadavera ad Pontem Ælium expoſita ſunt, accenſis circà facibus: Ducis cadaver in feretro quod nigrante holoſerico villoſo erat obtectum, ac paternis, materniſquè inſignibus ornatum; reliquorum cadavera humi in ſubſtratis tapetibus iacebant. Eadem nocte ſtrangulatus Cardinalis. Ducis exitus ob Chriſtianam pietatem, & conſtantiam memorabilis fuit. Statim ille Chriſtum è Cruce pendentem manu ſuſtollens, ingreſſus vicina cubicula duorum nobilium, qui ſecum correi erant, eos animo tam præſenti conſolatus eſt, perinde ac ſi moriturus non eſſet. Extat epiſtola moralibus documentis referta ab ipſo inter anguſtias ad unicum filium ſcripta. Cardinalis ad inopinatum ſupplicii nuncium exclamavit: *Mihi nè moriendum? O Pontifex Pie, ò Rex Philippe, id à vobis neutiquàm ſperabam*. Nec ultrà queſtus, Fiſci Procuratori, & Gubernatori pepercit, quos in causà ſibi inimicos declaraverat. Sacram peccatorum confeſſionem petiit, & peregit magno dolore. B. Virginis pſalmodiam recitavit. Cum veſtes indueret, petiit pallium, pileumquè ſolemne purpureum, ſed utrumquè negatum: tanquàm gradu deiecto. Poſtremò piè, fortiterquè ſe offerens, vix gemino laqueo ſtrangulatus eſt. In ſequenti Pôtificatu Pii V. (cui Paulus IV. purpuram dederat,) appellatio permiſſa eſt petenti *Veſtrio Balbiano*, Marchionis Montebelli illorum fratris, ac Diomedis Caraffę, qui Ducis filius erat, procuratori. Causà cognità per *Baldum Ferratinum*, ac in Senatum perlatà, pronuntiavit Papa; etiam primis actis ſpectatis Cardinalem iniuſtè, atquè iniquè fuiſſe damnatum: reſtituenda proindè ipſius memoriæ, eiuſquè heredibus omnia, quæ redimi potuerunt. Gubernator pariter declaravit Ducem malè damnatum crimine perduellionis, reliquis ſilentio pręteritis: adeoquè quod ad priora ſpectabat, eius memoriam, eiuſquè hæredes integravit. *Alexandro Palantero* caput amputatum Fiſci procuratori, quòd Pium decepiſſet, & miſeros prægravaſſet in actis contexendis, & causà referendà. *Pallavicinus l. 14. c. 15.* Aliquanto mitiùs cum *Alphonſo Cardinale* manſuetioris naturæ viro actum. Ipſe namquè qui die obitus Pauli, quædam è cubiculo ſurripuiſſe accuſatus fuerat, ſolutis cêtum millibus aureorum (Vitellii Cardinalis ſtudio comparatis, portionem contribuentibus Cardinalibus) ac Camerę Apoſtolicæ præfecturà mulctatus, cum reliquis omnibus liberè eà eſt conditione dimiſſus, nè vrbè egrederetur.

Famæ reſtituti à Pio V.

Palanteri ſupplicium

Alphonſus Card. Caraffa.

4. *Familiæ ſuæ, &c.* Aliorum Pontificum iam more recepto (ait Onuphrius) ſororum filios, & filias ad ſe evocatos, variis, & nobiliſſimis matrimoniis, & dignitatibus auctos, ad ſublimes honores evexit. In his *Marcum Sitticum Altemſium* ſororis filium in Patrum collegium adſcivit. *Fridericum* Aronæ Comitem, qui *Virginiam Rovaream* Guidonis Vbaldi Vrbinatiû Ducis filiam uxorem duxerat, ſororis filium regià Caraffarum compenſatione donatum, totius militiæ Eccleſiaſticæ gubernatorem, mox ducem Generalem cum menſtruo mille aureorum ſalario, tradito baculo, ritu ſolemni creavit, & (ut fa-

Ditat nepotes

famâ fuit) Camercinum Principatum ei tradere conſtituens litem Farneſiis intentavit, qui eam Toparchiam Sedi Apoſtolicæ reſtituere promiſerant, obtentu Parmæ, & Placentiæ Ducatu. Tres Cardinalis Borromæi ex patre tantùm ſorores nobiliſſimis matrimoniis iunxit: unam *Fabritio Columnæ* puerulo M. Antonii filio deſpondit; alteram *Fabritio Geſualdo* Luiſii Conſani Comitis ditiſſimi filio; tertiam alterius ſororis ſuæ filio Hannibali Comiti *Altempſio*. Et quoniam fraternæ vanitatis æmulatione nomen, & inſignia Mediceæ gentis uſurpaverat, ut Coſmum Hetruriæ Ducem ſibi conciliaret, ac beneficiis illi ſe conſanguineum oſtentaret, Ioannem ejus ſecundum filium vix 14. annos egreſſum in Cardinalium Collegium Romam vocavit, dato ei pueritiæ moderatore *Alexādro Strozzio*, ad cętera amoris teſtimonia pro cumulo addita Piſani Archiep. reſtitutione, qui a Paulo 4. ei iniuriosè adēptus *Scipioni Rebiba* Cardinali donatus fuerat; cui quòd de iniuriâ conteſtaretur, Troiæ Epiſcopatus in Apuliâ datus. Exigua porrò hæc beneficia, reſpectu eorum quæ Pontifex poſteà in gratiam Coſmi molitus eſt, quamvis irrito ſucceſſu. Cum enim *Franciſcus* grandior natu filius uxorem quæreret; magnumquè momentum ad firmandum novum imperium Papa allaturam illuſtrem aliquam affinitatem iudicaret, per Terracinæ Epiſcopum oratorem ſuum apud Philippum Hiſpaniæ Regem egit, ut ſororem olim cum Luſitaniæ Principe matrimonio iunctam, & ſuſcepto ex eo *Sebaſtiano* filio, qui regnum tenuit, viduam relictam *Franciſco* uxorem concedere dignaretur: & quia verebatur Philippū his nuptiis longè diſparibus minimè aſſentiri: quippe Cæſaris filiā, & potentiſſimi toto Orbe Regis ſororem, & in regiâ familiâ educatam, novo Principi, qui Ducis tantum gerebat titulum, deſponderi, parum conveniens Auſtriacæ familiæ videbatur; ut maiorem Mediceis dignitatem conciliaret, de Coſmo Hetruriæ Rege creando, apud Philippum mentionem fieri curavit. Verùm ut id Coſmo honorificum, ita apud reliquos Italiæ Principes invidioſum, *Philippum* ipſum concitavit adversùs *Coſmum*; quòd eodem tempore, per totam Italiam rumor diſſeminatus de arcano fœdere ad expellendos Hiſpanos imperio Inſubrum, ut olim ſub *Clemente VIII.* Quod ſivè artificiosè confictum ab æmulis, ſivè ex vero aliquid trahens, & à ſuſpicacibus Hiſpanis creditum, in causâ fuit, ut ſpes illa à Pontifice, & *Coſmo* temerè concepta, nuptias averſante *Philippo*, mox evanuerit. *Thuanus lib. 26.* Venientem poſteà Romam *Coſmum* cū uxore *Eleonorâ*, magnifico apparatu Palatinis ædibus Pius per integrum menſem, hoſpitio ſuſcepit. Hoſpitalitatis ſtudio maximè tenebatur Pontifex. Nam præter Florentinum Ducem, ejus filium Principem, qui Anno inſequenti Romam venit, Vrbini, & Mantuæ Duces, Tendiliæ Comitem, & Luiſium Abulenſem Philippi Regis Oratores extraordinarios lautiſſimè, regio more, ſuſcepit. *Onuphrius.* Hæc omnia caro vocavit, & ſanguis (ait *Henricus Spondanus*) De uno tantùm Pater revelavit Cæleſtis, qui fuit

Pręnſat amicitiā Mediceorum

Quærit Regum affinitatem.

Hoſpitalis.

5. *Carolus Borromæus* ſororis *Margaritæ* ex *Giberto Borromæo* Mediolanenſi, Aronę comite, Friderici frater, annum tunc agens XXI. menſem quartum. Hunc Cardinalem creavit Diaconum tit. S. S. Viti & Modeſti, iuris ſcientiâ tunc clarum, & modeſtiâ, ac pietate inſignem: qui in ſuſceptis honoribus (contrà morem hominum, qui cum in dignitate ſunt, non intelligunt, ſed comparantur iumentis inſipientibus) dè virtute in virtutem aſcendens, factus eſt virtutum omnium, ac pręſertim paſtoralis ſollicitudinis, & Eccleſiaſticæ dignitatis exemplum perfectiſſimum, quod admirari facilius ſit, quàm imitari; lumenquè lucidiſſimum; cuius univerſa Eccleſia ſplendore illuſtrata eſt: meruitquè tandem in numerum referri Sanctorum. Eum mox Pius avunculus negotiis omnibus Eccleſiaſticis tractandis pręfecit, & Archiepiſcopatu Mediolanenſi donavit, abdicante ſe in gratiam Pontificis *Hippolyto* Cardinali Ferrarienſi. Creatus etiam *Ioannes Antonius Serbellonus* Cardinalis, Spoleti Præſul, & Novarienſi mox ornatus Epiſcopatu, abdicante ſe pariter *Io: Morono* Cardinali.

S. Carolus Borromæus creat Cardin.

6. *Concilium.* Ferdinandi Cæſaris Imperatoriam dignitatem, in eum à fratre CaroloV. tranſlatam, quā PaulusIV. improbaverat, cū ratā habuiſſet Pius IV. eiuſq; legatos perhonorificè ſuſcepiſſet: ortâ de loco contentione inter *Franc. Turrianum* Oratorem Cæſareum, & Senatorē Romanum, adiudicatâ illi pręcedentia, cui tamen Senator immediatè ſubſequeretur antè cæteros Regum Oratores; Ferdinandus non ſolùm per literas gratias egit, ſed miſſo *Scipione Arcoenſi* ad præſtandam obedientiam more maiorum; volenti Oratori nomine Cæſaris Concilium petere œcumenicè congregandum Veſontione, vel Conſtātiæ ad purgandam Germanorum, Gallorum, Belgarumq; causâ, quo error irrepſerat Lutheranus; præveniens Papa cœpit primus urgere Concilii neceſſitatem. Antè obitum enim Pauli IV. Reges initâ pace Cameracenſi, Henrici filiâ in coniugem Philippo datâ, eiuſdemq. Henrici ſorore nuptâ Sabaudiæ Duci, concordes convenerant, vt Papa Concilium congregaret in eos, qui ſpetie Religionis laſciviebant adversùs Deum, & Reges. Carolus namquè V. cum Paulo IV. permittente, civitatibus Belgii novos erexiſſet Epiſcopatus, per quos Belgæ novum ſibi iugum imponi ſtolidè exiſtimantes, in apertam rebellionem conſpirabant; quamvis ſuprà quingenta millia hominum in Flandriâ iam cecidiſſent ferro, flammâquè conſumpta. In Gallias etiam *Calvinus* repſerat, ſuffragantibus Germaniæ literatis, qui à *Franciſco* I. literarum Mecenate evocati, literas politiores ſed peſtilentiores traduxerant in ſarcinis; & licèt Rege iubēte ab Epiſcopis Hugonoti (ſic dicūt, à portâ Regis Hugonis in vrbe Turonenſi, propè quam conveniebant) pœnarum diſtrictione corrigerentur, magis tamen invaleſcebant. Mercuriali propterea indicto Senatu (Ita appellatur, quòd huic Mercurii dies eſt conſtituta, in quo de ſingulorum Senatorum moribus inquiritur) cum in eo, coram Rege *Claudius Violla*, vt Concilium procuraretur Generale, ne ſēper in incerto viverent, perſuaderet; *Anneus Burgus*, ac *Ludovicus Faurus* idem de Concilio, ſed vt reorum ſupplicia interim differrentur, ſuaſerunt, propterea vinculis dati; cum ad omnia tribunalia *Burgus* appellaſſet, & ab omnibus damnatus eſſet, minimè habitâ

Adprobat electionem Ferdin. Imper.

Contentio de loco cum Senatore Romano.

Galli à Calvino corrupti.

Calviniſtæ combuſti.

Fri-

Friderici Palatini interceſſione, eliſis priùs faucibus, comburitur, ab hæreticis martyr habitus, vir conſtantiſſimus, & cui ad martyrium non pœna, ſed cauſa defuit. Hæc quamvis gravia in Calvinianos repeterentur: ii tamen Lutetiæ in Germani ſuburbio clã convenientes, V. kal. Iunii, An. 1559. ſynodum habuere, præſidente *Franciſco Merello* contrà imperiũ Eccleſię Romanæ in cauſà matrimoniorum, rituum, Miniſtrorum; & ut Principes Proteſtantium Germaniæ ad Regem legatos mitterent ſuaſuros, ut à Calviniſtarum ſuppliciis abſtineret: quos *Henricus* more ſuo excepit humaniter, & ſe viciſſim per legatos reſponſurum promittens dimiſit; rigore interim minimè laxato, contrà novarum Religionum profeſſores. Severitatem non minorem exercebat *Philippus* in Hiſpaniâ, quo ex naufragio ſalvus appulerat, credens opimam victimam immolare Deo, ſi novatores puniret. A *Ioanne Pontio* Comite Baileni, unà cum cõcionatore, aliiſquè collegiatis S. Iſidori, tredecimq; matronis ad quos irrepſerat ſuperſtitio Proteſtantiũ initium ſumpſit. Flammis etiam datâ ſtatuâ *Conſtantini Pontii* concionatoris Caroli V. quem cum *Carolus* Hiſpali captum cognoviſſet, dixiſſe fertur. *Si hereticus eſt, calidus hereticus eſt*. Valliſoletum poſteà cum veniſſet Philippus, undetriginta magnates cremavit; *Bartholomæum Caranzam* Archiepiſcopum Toletanum, cuius mentio ſæpè recurrit in Tridentino Concilio, eiuſquè in manibus expiraverat *Carolus V.* carceri tradidit, quamvis ſub *Pio V.* & *Gregorio* XIII. è carcere dimiſſus, Catholicus deceſſerit, & devotus. Hac de cauſà Hiſpani, Galli ſeriò Concilium poſcebant. Mortuo namquè *Henrico* Gallorum Rege ex vulnere oculi, *in pœnam* (Hugonoti dicebãt) *inflicto, quod Burgium inſpecturus inter flammas Rex gloriatus fuiſſet*; turbas foventes Regii ſanguinis Palatini (quibus, maſculâ prole deficiente, conveniebat diadema) indignati, quòd *Guiſii* Reginę conſanguinei, ex ſtirpe Lotharinga advenę, & peregrini, excluſis indigenis, regni occuparent habenas. Hæretici ergo cum ſuæ factioni ducem quęrerent, ſpetie in Guiſios; nec *Antonius Rex Navarræ* propter mollitiem, huic negotio ſatis aptus videretur: ſubſtitutus eſt ei *Ludovicus Cõdæus* frater, miles bonus, & fortis, ſed inops, & ad omnia paratus, Guiſiis infeoſiſſimus, qui Hugonotos numero, viribus, externoquè fœdere fortes conſpiciens, tutorem ſe Calvinianis præbuit. Datus ex Calvinianis Legatus *Godefredus Barrius Renaudius*, qui ut meliùs lateret *ſe Sylvanum*, ſeu *Foreſtum* vocabat: vir acer, eloquens, ingenioſus, ac multis notus. Hic obitis provinciis, ſuorum comitia Nannetas convocat, in quibus ſtatutum, adeundum Regem Bleſis degentem, exauctorandos Guiſios, & ſi reſiſterent, cędendos: tum *Condæum* latentem ſub nomine *capitis muti* locuturum. Coniurationem tamen per *Avenellum* quendam cauſidicum pateſactã ut eluderent *Guiſii*, Regem Ambaciam deduxerunt, ſuppliciis remiſſis hæreticorum, accitiſq; vndequàq; nobilibus Catholicis, iuſſiſq; cædi, & diſſipari, qui ſinè Regia auctoritate conglobati venirent. Quarè plures iugulati, ſuſpenſi à pręfectis provinciarum; ipſe *Renaudius* Ambaciæ interfectus pependit ex patibulo, eiuſq; capto ſecretario, tota concidit pateſacta coniuratio magnâ rebellium cæde, *Franciſci*

Legatio Germanorum prò Calviniſtis.

Novatores à Philippo puniti. Pontius

Cariza.

Turbę in Gallia ob Guiſios.

Condæus coniuratorum caput.

Guiſii gloriâ, quem Senatus Pariſienſis titulo *Patriæ Conſervatoris* cohoneſtavit. Vt autem antiquorum diſciplina inſtauretur, Concilium indixere Nationale intrà ſextum menſem: Papa verò vt Regem à ſynodo Nationali retraheret, interprete Cardinali *Turnonio*, & *Erdeſi*, Concilium obtulit ęcumenicum illicò congregandum. Rex Romam miſſo Abbate *Manna*, gratias egit, quòd Concilium ſeriò meditaretur congregandum, non in ſpetiem, more prędeceſſorum eius, qui vix congregatum diſſolverunt. De loco *Philippus* convenirent, & *Ferdinãdus*; adverteret tamen Papa Tridentum non minùs ingratum hæreticis, quàm Catholicis ob aerem inſalubrem. Modum etiam non præteriret; *Suſpenſionem namquè removere Concilii* non exiſtimari vtilem, quia hæc valida decreta interpretaretur præterita, in quibus auditi non fuerant Proteſtantes. Hæc ab ipſo proponi non in gratiam Proteſtantium, ſed quià eorum neglecto conſenſu, Concilium ſuſpicaretur inutile. Reſpondit Papa; de præteritis non eſſe Conſilium. Quòd ſeriò & citò ipſe Concilium deſideraret, ex actibus vota iudicanda. Circà locum cum iam Principes omnes etiam Proteſtantes conveniſſent, eſſe Tridentum; non mutandum, vt faciliùs habeatur conventus. Legatos ad Reges delegaſſe, vt quamprimum coirent. Ad Philippum miſit *Hannibalem Altempſium* nepotem ſuum Ad Ferdinandum *Hannibalis fratrem*; ad Franciſcum *Gabrielem Sorbelonium* nepotem ſuum. Nuntium etiã miſit ad eundem Philippum, *Revertam* Epiſcopum Terracinę, ita inſtigante Caraffâ in gratiam familiæ ſuę. Mandavit *Revertę* immunitatem curare Eccleſiaſticam ſub *Paulo IV.* apud Hiſpanos graviter imminutam: Tridentinum promovere Concilium; ac Regi Caraffis reconciliare. Die primâ Aprilis, An. 1560. Riverta arcana ſuæ legationis Philippo expoſuit. *Magnâ Pontificis ſollicitudine rumores increſcere, quòd adverſùs Fidem Catholicam Heretici etiam Turcas ſollicitarent non tam in Oriente, quàm in Affricâ, ſeditionibus non contenti, quibus Angliam, Sabaudiam, Scotiam, Helvetios conturbaverant. Vnicam in Philippo ſpem ſupereſſe, quẽ Deus tot Regnorum dominum conſtituerat, & novi Orbis, ut morbo occurreret imminenti. Mirari tamen omnes, quòd Rex tàm pius, & Catholicus nec literis, nec legationibus adhuc Sedi Apoſtolicæ obtuliſſet obedientiam. Imò coarctatam apud Hiſpanos Nuntii Apoſtolici iuriſdictionem novo* Aſſeſſoris *officio, alio nomine* Superioris. *Aulicos fructus Eccleſiarum occupaſſe vacantium; variis Sanctionibus vim immunitati intuliſſe Eccleſiaſticæ magno Hæreticorum plauſu, quaſi Hiſpania meditaretur ab Eccleſiâ recedere. Hæc cum Pontifex inſcio Rege patrata crederet, rogare ut quantociùs tollerentur abuſus, nè in proximo futuro Concilio, eorum ſermo recurreret: quo voto Papa ipſe Romæ Cardinales delegaverat prò Eccleſiaſticorum reformatione. Ærarium inſuper Eccleſiaſticum cum ære gravaretur alieno, nec ſatis eſſet ad expenſas neceſſarias ad futurum Concilium, gratus Rex Collectorem foveret Eccleſiaſticum; Pontificem amulando, qui benignus ei facultatem indulgebat* Cruciatæ, *eiuſquè patruum Imperatorem dixerat, ſolà Philippi contemplatione*. Excuſavit Rex legationem adhuc non inchoatam ob morbum Legati *Comitis Tendilis*. Summoperè gaudere de *Pii* electione in

Concilium de ſignatur.

Papæ querelæ in Philippum.

Ro-

Romanum Pontificem, cui parere non ſolum profitebatur ex officio communi, ſed obſequio ſingulari ergà merita tanti Pontificis; Et ſanè paucos poſt dies datis literis ſuâ manu exaratis, plenè ſatisfecit. Collectori dedit liberam facultatem exercendi officium ſuum: Adſeſſorem ſuſtulit; pro indulto Cruciatæ profeſſus bis mille ſuaviari pedes Pontificis promittebat, ſe eâ non uſurum, quàm contra infideles, & ad Dei gloriam. Iniuriis illatis Eccleſiaſticæ immunitati, quæſtione præmiſsâ ſe conſulturum. Concilium ſuſpenſione remotâ convocaretur.

In Galliam delegaverat Pius *Marcum Siticum Altempſium* nepotem ſuum, & cum eo *Cornelium Muſſum Epiſcopum Bituntinum*, qui arcana Religionis curaret, & Regem Bohemię *Maximilianum* de veritate inſtrueret Fidei Catholicæ. Rumor namq; erat, *Maximilianum* coire cum Proteſtantibus, quaſi ſinè eorum votis imperium ambire non valeret. *Muſſo* autem peroranti, præpollere Catholicos, nec tantum timeret *Maximilianus* de viribus Proteſtantiũ, reſpondit Rex: *animæ conſcientię præferendam eſſe ſalutem.* Nec longè poſt venit ad Cæſarem *Stanislaus Oſius* natione Sarmata, Epiſcopus Varmienſis cuius Relatio legitur apud Bzoviũ. *Conciliũ cõgregandũ laudabat Imperator, tãquàm extremis morbis extremũ remediũ. Conſilia licèt Põtifex non indigeret; ipſe autẽ Imperator mallet parere, quàm conſulere, tamen ad Dei gloriam adnotabat: Serotinam medicinam eſſe, non propterea prætermittendam; nè cura diceretur ægroti neglecta. Arduum opus, & nonniſi poſt Anni moram ſperandum; licet Principes coirent concordes. Interim curaret Pontifex Anglos Gallis reconciliari. Britannia namquè cum corporis Eccleſiaſtici membrum eſſet non contemnendum, ſi neglecta poſſet totum corpus inficere. Bis Tridenti congregatum, & bis diſſolutum ob Principum infrequentiam, non eſſe tertiò congregandum niſi interrogatis Gallis, Anglis, Polonis, Venetis, quorum ipſe nullam cautionem præſtabat. Germani Catholici non diſſenſuri; Proteſtantes conditionibus quidem graviſſimis. Papa ipſe adeſſet Concilio, ut præſentiâ ſuâ confirmaret nutantes. Concilio cum inutilis urbs eſſet Tridentina, Colonia Agrippina ſubſtitueretur, Conſtantia, vel Ratiſpona. Proteſtantibus duritiem obiicientibus præteritam ob negatam Fidem publicam, qualem Bohemis dedere Patres Baſileenſes; provideret, ut hæretici liberè diſſererent, & audirentur patienter. Decreta præterita cum Hæretici non reciperent; & Galli aliqua non probarent, quia ipſis abſentibus publicata; novum meditaretur Concilium, cuius laus tota ad modernum ſpectaret Pontificem. Convocatio ergo Concilii cum eſſet plena diſcriminę; & omnis cura corrupta à iuſtitiâ declinaverit; occurrendum eſſe Eccleſiarum ſolitudini contra Paſtorum abſentiam, eorumquè ſcandala, quibus corrupti laici licitè peccare credebant, ſi æmularentur vitia paſtorum. Lex cum ſola legiſlatoris firmetur exemplo, in hoc unum incumberet Pontifex, ut reparatâ diſciplinâ antiquâ, clerici agerent quod docerent. Non habitu milites, luxu clerici, nec milites, nec clerici non minùs caſtra abhorrerent, quàm altaria. Veruntamèn cum priſcum Eccleſiæ rigorem grex infirmatus ſubire non poſſet: laicis provideretur per communionem ſub utràquè ſpecie; clericis per coniugia. Hæc ſibi nec probata, nec conſulta Sedi tranſmittere Apoſtolicæ tanquàm filium obſequentem, & Catholicum Imperatorem, ut ipſe afflante* A *Spiritu Sancto probanda probaret, improbanda reiiceret.*

Adiecit Oſius aliam ſcripturam ei oblatam à Cardinali Auguſtano, ſignificans Concilium non eſſe tam feſtinè congregandum, ni prius Germani Proteſtantes in comitiis Imperialibus allicerentur; Catholici verò in fœdus coirent, nè ſynodus infrequens, & indecora ludibrio exponeretur hæreticorum. Cognovit tunc Pius calcaribus totius Orbis incitari ad Concilium; in arenam autem exeuntem freno detineri non gemino, & præcautionem requiri ſemper iniuſtam, quâ allicerentur hæretici, & damnarentur Catholici, quorum decretis ad trutinam revocatis præteritis, de futuris etiam dubitaretur; & ita nil ſolidi in Eccleſiâ, & in Fide ſupereſſet. Hinc Pontifex, quòd in Scotiâ rem Catholicam fortiter tuerentur Franci; iis tamen ex Galliâ nihil ſubſidii veniret bello diſtractâ civili, turpem pacem B iniiſſent Scotiæ, & Franciæ, ſed Eccleſiæ multo magis pernicioſam; libertatem namquè conſcientiæ omnibus indulſerant uſquè ad futurum Concilium. Tum quòd in Galliâ Avenionenſes à Calvinianis corrupti, Pontifici rebelles ſub tutelâ *Caroli Mombrani*, qui in Delphinatu vexillum circumferebat Hugonotorum, ſtrepebant Pontificem illius Comitatus dominum non eſſe legitimum, nec iuridicè eo *Raimundum Tholoſæ Comitem* fuiſſe ſpoliatum; præterquàm quòd ex Chriſti præcepto Clericos incapaces eſſe dominii temporalis; gladio armati, atquè perfidiâ Avenionem expugnaturi accedebant; niſi fortè Pariſios miſſus à Pontifice Cardinalis *Turnonius*, cuius neptem in uxorem duxerat *Mombranius*, promiſsâ bonorum reſtitutione, quibus ob cauſam Religionis à Rege fuerat expoliatus, *Mõbranium* divertiſset. Accedebat nova conſpiratio in C Galliâ contrà Guiſios, in quàm Bellaquenſis indictus conventus, ut malis prę̨ſentibus aliquod daretur remedium. In eo *Caſtilio Amyralius* duos libellos *nomine Fidelium Chriſtianorum, qui in eius regno devisi vivebãt* Regi obtulit. In primo *Ambaſianã conſpirationẽ in Atheiſtas reiiciẽtes, in perduelles miſſùs egiſſe* Regẽ *accuſabãt. Propterea ſi onus impoſitũ occaſione huius conſpirationis haud ſatis eſſet, ſe ad graviora paratos.* In ſecundo libello profitebantur *ſe edoctos iuxtà veritatẽ & verbum Dei, cuius gratiâ convenire debebant; publicè cum prohiberentur, coirę clam, nec ſinè diſcrimine. Templum propterea ſibi dari poſtulabant, ubi palam poſſent cõcionari, & ſacramenta adminiſtrare. Iudices & Commiſſarios Rex delegaret, ad inquirendum de eorum vitâ.* Interroganti Amyralio, cur non ſubſcriberent? reſponderunt: *non ſubſcribere impediente multitu-* D *dine: paratos tamen nonnullos ſubſcribere cæterorum nomine, vel omnes venturos coram Rege numero quinquaginta millium.* Cardinalis Lotharingus cum verba fecit, reſpondit, *ſpetie obſequii accuſari Regem Calvinianum eſſe, vel fieri. Alter ſinè notâ perpetua ignominię non poſſe ſupplicantibus concedere templum: quibus, ſi quinquaginta mille eſſent ſectarii, Rex validè ſupra duos milliones obiiceret Catholicos.* Adiecit tamen vel ut tempori indulgeret, vel nè odioſus fieret: *Seditioſos armis eſſe compellendos; quos verò pſalmodiæ tantùm incumbentes timor pœnarum non corripuerat, permitterentur illæſi, donec per Epiſcopos certior haberetur cognitio.* Primus, qui ſenten-

tiam

Maximil. Imperat. conſilia ad Papam.

Turbæ in Galliâ.

tiam dixit, fuit *Epiſcopus Valentinus*, qui in Epiſcoporum, curionum, cæterorumquè virorum ſacratorum impuros mores, negligentiam, ignorantiam invectus; Calvinianorum modeſtiam, diligentiam, eruditionem oppoſuit, ut non mirum ſit, ſi horum doctrina plures ad ſe pellexerit. Laudavit etiam Reginas, matronas, & aulicas puellas, pſalmos Davidis tam in templo, quàm extra templum idiomate permittendum canere materno. Ad hoc Concilium haberetur univerſale; quo deficiente Epiſcopi Gallicani ſuum celebrent, qualia ſub Carolo Magno, Ludovico Pio celebrata ſunt: ad quod Calviniani etiam admitterentur, ut ſi quà vià cum Catholicis conſentirent, periculum fieret. Nec illam recipiendam eſſe obiectionem, quæ dogmata antiquis Conciliis vel adprobata, vel damnata aſſerit. Theodoſius enim Imperator Arianorum, Macedonianorumq; dogmata Cõcilio expendi juſsit Conſtantinopolitano, quamvis Nicæno damnata fuiſſent. In hanc ſententiam cùm declinarent comitia, decretum, ut die XIII. Ianuarii, An. 1561. convocarentur Epiſcopi Gallicani ad Nationale Concilium, ſi tamen Generale eſſet deſperatum. Hiſce de cauſis Papa, *Ferdinando* conſentiente Imperatore, vocatis ad ſe Principum Oratoribus, Concilium proſequendum Tridenti ſignificavit. Orta autem controverſia; *Continuatio* nè diceretur Cõcilii, an *nova indictio*? titulum præfixit Pius, *Bulla celebrationis Concilii Tridentini*. In Bullà tamen non omiſit: quòd bis congregatum Tridenti, poſteà ſuſpenſum, nunc *ſuſpenſione remotà* celebrandum foret; argumentum erat actionis jam inchoatæ cuius decreta firma ſubſiſterent. In hac promulgatione divina Providentia refulſit. Poſt enim dies 20. Franciſci II. Gallorum Regis obitus nuntiatur, & mutatio regiminis; quibus ſtantibus difficillimè de modo, & loco congregandi Concilii conveniſſent, Galliarum moderatore in hæreſim declinante. Indictione publicata Concilii ad proximum Paſcha; Orator *Obedientiæ* ad Sedem venit Apoſtolicam miſſus ab *Antonio* Navarræ Rege, Hiſpano tamen fremente. Erat *Antonius* in Gallià Regii ſanguinis proximior in gradu, atquè Calviniſtarum tutor, in hanc raptus à fratre *Condæo* Principe, & uxore ſuà *Ioannà* filià *Margheritæ* (quæ fuit ſoror *Franciſci I.* Gallorum Regis, & Calvini advocata) atquè *Arrigi Albreti Navarræ Regis*; Regis tamen titulo, non imperio. Arrigi namquè patrem *Ioannem* cum Iulius II. P. R. excommunicaſſet, eiuſquè regnum occupantibus obtuliſſet; *Ferdinandus Catholicus* Rex Hiſpaniarum maiorem ditioremq; Navarrei regni portionem occupaverat, quæ ultrà Pyrrencos montes, intra limites includitur Hiſpanos. Propterea *Margheritę* ob iura connubialia, & *Ioannæ* ob iura hæreditaria odioſi erant Romani Pontificis, Hiſpaniq. Reges, quorum gladiis ſpirituali Põtificis, & materiali Regis, diademate fuerãt expoliatę: hinc ſemper feroces cũ iis conſpirabant, qui Eccleſię iuriſdictionem, & Hiſpanam potentiam perſequebantur. *Antonius* tamen naturà mitis, & tanto impar incendio, carcerequè *Condæi* fratris territus, quem tanquàm perduellem morti deſtinaverat Rex *Franciſcus*, hunc palpabat, & Papam, vt ipſis ſequeſtribus regnum redimeret. Cum eccè *Franciſci* Regis obitus cuncta ſubvertit. *Carolus* namquè frater annorum decem cum dimidio ſucceſſor datus tutricem

Franciſci II. Regis Gallorũ mors Anno 1560

Legatio Regis Navarræ ad Piũ IV.

habuit *Catherinam* matrem, & *Antonium Navarræ*. Cui reconciliata Regina *Condæum* in comitiis abſolvendum curavit, inter Navarreos, & Guiſios media, vt ſola regnaret. Cœperunt tunc apertè ſperare, & conſpirare Calviniani. *Philippus* autem Rex Hiſpaniarum, vt *Antonium* ludificaret, ſpem iniecit de iure Navarræ permutando cum regno Sardiniæ Hiſpanis minùs neceſſario, *Antonio* verò per vtili, atq. peramplo; dummodò *Ioannam Labretanam* vxorem, quia labe infectam Calvinianà, repudiaret; quà repudiatà, nihilominùs iura omnia retineret, quibus illa vt indigna ſpoliaretur, *Mariam Scotorum Reginam* in eius locum duceret: Sardiniæ regnum Navarræ loco à *Philippo* titulo compenſationis acciperet. Oſtentabatur Scotæ coniugium à Guiſianis, cuius doti, & Angliæ regnum acceſſurum dicebant, quod matrimonio inter eos contracto, Pontifex ipſis adiudicaturus eſſet, eoquè *Elizabetham* tanquàm indignam ſpoliaturus, ad quę omnia exequenda, & Pontificis auctoritatem, & Philippi opes ſpondebant. Sed hæc de repudio vxoris aut vanè credita (ait contra *Thuanum Famianus Strada l. 3.*) aut invidioſè conficta. Non enim vero ſimile eſt Sanctæcrucium Nuntium Apoſtolicum, qui iubente Pontifice in Gallis hęc arcana curabat, ignoraſſe, non ſatis hæreſim eſſe, cur uxore reiectà, altera legitimè ducatur: aut *Philippũ* obtuliſſe Scotiæ regnũ homini, a quo timere Belgicis rebus, ob veteres inimicitias meritò debuiſſet, ſi præſertim is universà inſulà bello potitus eſſet. Adiicit *Strada* in epiſtolis Oratoris Hiſpani ad Cardinalem *Granvellanum*, cum quo ſingula huius compenſationis Navarræ, & Sardiniæ communicabat, de hoc coniugio nihil reperiri. Sed quidquid hoc fuerit; illud profectò conſtat, *Labretam* marito indignatam, quod is ab hæreticis in dies alienior, uxoris poſtulata pro illorum patrocinio non audiret, aula furioſè relictà in vrbes ſe proripuiſſe ſuas. Hęc nondum contigerant; cum exordio Navarræi regiminis, die XVII. Decemb. venit in Gallias *Nichetus Abbas S. Gildaſii*, cum bullà Concilii congregandi. Magnà primo aſpectu Galli occurrerunt lætitià; poſteà obſervantes particulam, *ſuſpenſione remotà*, terga vertentes, obiiciebant fruſtraneum fore Concilium, cui Proteſtantes non eſſent adfuturi tanquàm inchoato, & in eo ipſi inauditi. Querebantur etiam Regem ſuum gregatim nominatum in bullà ſub titulo *Regum Chriſtianorum*, nè poſt Cæſarem immediatè cæteris præcederet Regibus. Cum tamen primum Cæſaris arbitrio cõmitterent; ſecundo eſt placide per verba ſatisfactum, communicatis conſiliis cum Legatis, qui apud Cæſarem arcana curabant. Erant hi *Stanislaus Hoſius*, & *Zacharias Delphinus* miſſus cum bullà ad Cæſarem, & ad Regulos, qui Rhenum accolunt; atq; *Io: Franciſcus Commendonus*, qui trans Viſurgim, & Albim interiora Germaniæ peragraret. Quoad Particulã *ſuſpenſione remotà*, quę Gallis odioſa fuerat, quia Concilium proſequeretur inceptum; Hiſpanis ſuſpecta, quia diminutè, nec ſatis explicaret Concilium novum non eſſe; etiam poſt reſtitutum Concilium, ampliorem declarationem huius continuationis poſtularunt. In Germanià licèt Nuntii à Põtifice prohibiti ex ſcripto alia verba proferre, quàm *Bullam*, & *Epiſtolam*, ab Imperatore quaſi coacti vota expoſuere Pontificis. Quibus *Ferdinandus* col-

Comitia Proteſtantium.

collaudatis, ſeq; in auctoritate eius futurum ſemper pollicitus, monuit Nuntios, Proteſtantes diem ſtatuiſse 9. Kal. Feb. Nauburgi conveniendi ibiq; deliberandi, *an Concilio eſſent adfuturi, & quibus conditionibus?* Nil commodius contingere poſse, quàm vniverſos in vnum coactos adloqui, vt quid ſpei in ſingulis cognoſcerent: Leniter agendo, animoſq; mulcendo, pluſquàm caſtigando apud contumaces profectuti. Se quoq; viros idoneos eòdem legaturum, mandaturumquè iis, vt pro loco, & tempore Nuncios adiuvent. Profectio hæc licèt *Commendono* non probaretur, quód in tali conventu prævideret ius ſingulis non eſſe à ſociis recedendi, ſed vnam omnium fore ſententiam, tamen quòd collegæ cum Cæſare conſpirarent, ſequenti die Viennà diſcedunt, & Pragam die ſeptimà, atq; indè per Bohemiæ ſaltus ſæviente hyeme, die quintà Nauburgium veniunt. Advenientibus nec obuiam miſſum, nec ullum honoris, aut amicitiæ officium, nec hoſpitale quidquam tributum. Biduo cognoſcendis rebus dato, tertià die *Delphinus* ad Palatinum Rheni,

Legati Apoſtolici ad Germanos.

Commendonus ad Ducem Saxoniæ mittunt, qui tempus poſtulent adeundi. Ab vtroq; idem reſponſum: *In communi conventu nihil, niſi de communi cauſà, & ſententià agi poſſe, relaturos ad ſocios, & voluntatem omnium ſignificaturos Romanis.* Die V. Februarii miſerunt cum militum cohorte, quam Saxo ad corporis cuſtodiam habere circà ſe conſuevit, primos amicorũ, qui Nuncios deducant in curiam. Curru vectos Germani, qui ad eos deducendum venerãte pedites, quod honoris eſt, anteceſſerunt; & Principes ad ſe ingredientibus aſſurrexere omnes; non tamen eis dexteras ex more gentis porrexerunt, qui mos vt ſervatus amicitiæ pignus eſt, ita prætermiſſus averſi animi eſt argumentum. Nuncii literas Pontificis, edictiq; exempla ſingulis cum reddidiſsent; dictum eis. *Sedeant Dominationes veſtræ.* Quibus repoſuere Legati: Sedeant *Celſitudines veſtræ*, eodemq; inſtanti cum ſediſsent omnes, facto ſilentio, *Delphinus* omnia, quæ edicto continebantur de voluntate Pontificis, ac de ſtudio medendi tot morbis, quibus Chriſtiana Reſpublica, ex morà ſemel Religionis fide laboraret proſequutus, eos coadiutores invitavit ad Concilium plenum pacis, charitatis, manſuetudinis, in quo nonſolùm ipſi audirentur, ſed exaudirentur ſalvà iuſtitià. Securi vt accederent: Fides publica promittebatur omni meliori modo, quo ſperari poſset; vt vnitas tandem reſtitueretur Eccleſiæ, ſublato ſchiſmate, in quo tot erant Evangelia quot doctores. *Delphini* orationem *Commendonus* excepit, Germanos admonens temporis ad Concilium celebrandum peropportuni, pace inter Reges conſtitutà, & Pontifice dato, qui cogitationes ſuas huc omnes contulerit, vt cultus Dei purus, ſanctus, inuiolatuſq; habeatur. Nunciis orantibus multi è Germanis Principibus, qui in conſilio ex more aderant, ſingula verba excipientes, vtriuſq; orationem perſcripſerunt Ac tum quidem non alio reſponſo accepto, quàm deliberaturos de poſtulatis eorum, domum iiſdem comitantibus Germanis, à quibus anteà deducti fuerant, redierunt. Vix quadrans horæ interceſſit, cum miſſi à Principibus tres viri eorum, quos ipſi Conſiliarios vocant, advenere, literas, quas Nuncii à Pontifice ſingulis Principibus reddiderant, ad

Aéos referentes, his verbis. *Principes, cum has literas eis redderetis, appellatos ſe filios à Romano Pontifice non adverterunt, quem quia ipſi parentis loco non habent, nec literas cum tali appellatione accipere ab eo voluerunt.* Reſponſum à Commendono. *Non aliter appellatos à Pontifice Maximo Germanos Principes filios, quàm quomodò Cæſar ipſe, cæteriquè Chriſtiani Reges, & Principes nuncupari ab eo conſueverant.* Illi poſitis literis abiere. Nunciis quamquam reiecta legatio videretur; biduò poſt, decem ad eos Cõſiliarii primarii, magna comitũ frequẽtià Principũ venere, inter quos dignitate præſtans *Gregorius Cracovius* intimus Saxonis, pluriũ linguarum peritus, & dicẽdi nõ ignarus, ita Latinè dixit: *Magnoperè mirantur Germaniæ Principes, quà tandem de ſe opinione, aut ſpe fretus* Romanus *Pontifex eorum tentare conſtantiam, & ſe compellare legationibus ſit auſus: cùm incredibile ſit, ignorare eum, quã ſint ſacrorum*

B *ſancta Germanis, quam de divinis rebus infixam animis fidem habeant ab eo tempore, quo eam ſcriptã, firmatamquè, & comprobatam illuſtribus ſacrarum litterarum teſtimoniis Carolo V. Cæſari triginta ab hinc annis Auguſtæ tradidere. Sed nequè tum temerè, aut levibus de cauſis fecere, ut à Pontificum ditione, ac poteſtate, cui parere anteà aſsueverant, deſciſcerent, quando non Ieſu Chriſti nomen, aut gloriam propagari, curarive ab iis, ſed propria potentia, atquè amplitudini ſtuderi didicerant. Nequè nunc ſibi ſtatuunt Pio IV. ad Concilium vocanti obtemperandum, penes quem nec eſſe quidem ullum eius rei arbitrium ſciunt. Etenim auditu etiam indignum eſt, eum diſceptatorem aliorum controverſiæ, ac diſcriminum ſtatui, qui ipſe diſcordiarum, ac diſſenſionum omniũ fons, & origo ſit, & in Iudiciis ſedere loco eum, quem maximè ſiſti ad iudicium, inter reoſquè haberi convenit,*

C *& à quo uno veritas ipſa tàm diù tàm immaniter oppugnatur. Cui enim obſcura ſunt Pontificum* Romanorum *ſtudia committendi aſsiduè armis inter ſe nationes, diſſidiaquè ſerendi, quò ex alienà pernicie ſuas ipſi opes, & potentiam augeant? Cui non nota inſectatio, ac ſævitia adverſus eos, qui à cultu ipſorum, atquè inanium idolorũ ad veram pietatem animam traduxerunt? Quis verò neſcit quantum contaminata ſuperſtitionis, ac falſarum opinionum diſperſum per gentes ſit à* Romanis *Pontificibus; quantum tenebrarum Evangelii luci offuſum, & nunc maximè offundaturè ut tetriores, ac fœdiores errores ferat, foveatquè veſter iſte* Pontificatus, *quam olim antè cognitum Chriſtum gentes habuere; & quod deteſtabilius eſt, res impias, & execrabiles honeſtis nominibus tegitis, & morum, & ſacrorum corruptores, uni ſacratarum legum auctores, & cuſtodes haberi vultis. Nos verò cùm ipſi cupimus, tum in omnibus eſſe populis non*

D *dubitamus probos, & Reipublicæ amantes viros, qui vanas iſtas fraudes, & impuras corruptelas, quibus deformatam Eccleſiam cernimus, aboleri, auferriquè cupiant, & veram, & cum cœleſtibus iuſſis conſentientem diſciplinam reſtitui. Quod ſanè in primis curæ eſſe debuiſſet Romanis* Pontificibus, *qui ſibi tot ſæculis ſuperbum in Chriſtianà Republicà titulum, ſummumquè ſacrorum ius arrogarunt. Sed nimirum conſtat eos id quidem minimè velle, qui unà dominandi libidine occupati, cumulandis ſuperſtitionibus, quàm divinis rebus ordinandis magnis intendunt. Falsò prætereà, & iniquè Germani levitatis à vobis inſimulantur, & ſibi non conſtare, pluresquè in ſectas diviſi contrariis, & repugnantibus opinionibus iactari dicuntur, cùm una noſtrorum omnium*

voluntas, & conſenſio ſit in eam doctrinæ formulam, quam ſcripto comprehenſam Auguſtæ ex auctoritate Cæſaris edidimus: ab eâ noſtri Principes neque ſe diſceſſuros unquam profitentur, & minimè verò leges imponi ſibi à Romano Pontifice paſſuros. Nullius enim mortalium, niſi Cæſaris imperio Germani continentur, quippe hic arbiter, ac princeps, & caput verum eſt in Chriſtianâ Republicâ, huic, non Pontificibus veſtris, juſtè, & legitimè Concilia cogere, atquè habere ius eſt. A quo cum Legati ad Conventum hunc venerint, iis ſuam de convocando hoc tempore Concilio rationem, ac ſententiam Principes exprooment, cum Romano Pontifice omni rerum communicatione in perpetuum ſibi abſtinendum eſſe ſtatuunt. Vos verò iidem Principes, quia claris Venetorum familiis ortos, & egregiis virtutis, ac ſapientiæ laudibus excellentes eſſe viros acceperunt, omni quoque honore, & obſervantiâ dignos iudicant, præſtitiſſentquè ea vobis, ſi privati huc, non Pontificis Romani iuſſu ad eos veniſſetis.

His acceptis, Nuntii pauca inter ſe collocuti, communi nomine Commendonus reſpondit. *Fecere prudenter veſtri Principes, qui quãdo talia reſponſuri erant, abſentibus ipſis ea, quàm coram dici à vobis maluerunt. Quò enim acerbitas iſta, ac licentia verborum adversùs eos, qui ad ſuum teſtandum ſtudium Reipublicæ, veſtrumquè in ultimam uſquè Germaniam venire nos iuſſerunt? Scilicet hunc quoquè morem à Doctoribus, ac Magiſtris veſtris didiciſtis inceſſendi contumeliis, invidiâquè onerandi eos, quorum redargui rationibus, ac veritate revinci vos ſentitis, cuius tamen ea vis eſt, ut maledictis illuſtretur, non obruatur. Cæterum ego dicta criminosè à vobis in Pontifices Maximos refellam, non imitabor, ut vos modeſtiâ quoquè, & temperamento linguæ, non ſolùm causâ vinci à nobis intelligatis. Quo animo, & quo conſilio Pius Pontifex Maximus vocatum Germanos ad Concilium miſerit, dictum abundè à Collegâ, meque eſt nuper apud ipſos Principes; optimo ſcilicet, & cùm publico, tum in primis Germaniæ ſalutis cupido; licèt id vobis, ut cætera, ſuſpicioſè, criminoſèquè libeat interpretari. In ſanandis enim Eccleſiæ morbis, nec ſcitis aliud, nec (uſu compertum eſt) ſalubrius ullum remedium, maiores noſtri adhibuerant, quàm auctoritatem publici Concilii, cuius tanta maieſtas, ſanctitaſquè apud omnes Chriſtianos omnibus temporibus fuit, ut eius iuſſis haud ſecus, quàm cœleſtibus monitis paruerint homines, ii etiam, qui aut proprio mentis errore, aut alterius impulſu lapſi, ab aliis diſcreparent. Quoties enim accidit, ut ægrè, ac gravi, ac peſtilenti hæreſi laborantes provinciæ, Concilii auctoritate acceptâ ad ſanitatem, officiumquè redierint? Et quis adeò projectæ pudoris eſt, qui plus ſapientiæ, plus conſilii vindicet uni ſibi, quàm tribuat univerſis? Et adverſari conſenſui eorum audeat, quos Deus nobis interpretes religionum, & ſacrorum magiſtros dedit, & quibus ipſe præſentiam ſui in perpetuum eſt pollicitus, & ſæpè manifeſto numine declaravit? At vos etiam de exemplo, ac de iure Concilia convocandi, habendiquè dubitare, & cavillari vultis? Vndè verò vobis venit in mentem hanc poteſtatem à Pontificibus Maximis, penès quos ab Eccleſia orta, Dei, hominumquè conceſſu fuit, perpetuòquè manſit, ad Cæſares transferre, qui nec uſurparunt unquàm ut ſuum, & Ferdinandus ipſe ad quem vos ſcilicet eam defertis, non recipit? Quippe diſcrimina ſui, & Pontificii muneris, & novit ille, & qui vir eſt antiquæ ſanctitatis etiam ſervat; ea autem quæ ſint, non eſt huius loci diſſerere, neque omnino res ullum ſermonem*

A *d·ſiderat, cum obſcurum nemini ſit, quâ fide, & obſervantiâ, & optimus quiſquè Cæſarum Pontifices Maximos coluerit, & Ferdinandus colat, & quàm ipſe paterno animo, atquè amore à Pio Pontifice habeatur. At ne illud quidem eſt ignotum, quàm propenſa Pontificum Maximorum ſtudia in Germanos ſemper fuerint, quantaquè ornamenta in hanc gentem contulerint. Vndè enim vobis Cæſarei? Vnde Imperii hoc decus, & ius Imperatoris eligendi, quo cæteris nationibus præfulgetis? An igitur Pius IV. Pontificum aliorum veſtigia ſecutus, & officii, ac perſonæ memor, quæ illi divinitùs eſt impoſita Parentis, & Rectoris humani generis, ſi errantis Germaniæ curam habet, ſi monitum vos, ſi patriâ charitate revocatum à praviſſimis erroribus, invitatumquè ad concilium nos miſit, quorum tamen dignitati tribuere vos aliquid videmus, id ei audaciæ vertetis? mirari vos dicetis? Videre vel hinc licet, quàm à recto maiorum veſtrorum more,* B *ac voluntate deſciveritis. Illi in dubiis, aut incommodis eorum rebus nuſquàm alio fidentiùs, quàm ad Pontifices Maximos refugerunt. Vos Pontificem ultrò admoventem vulneribus veſtris manus, iniquâ cum exprobratione repellitis. Revocandi autem veterem diſciplinam, ad eamquè corruptos hominum mores emendandi curam ad Pontificem Maximum pertinere, quod obiicitis, & nos fatemur. Atquè id quidem Pius IV. ſtatim ac eſt Pontifex renunciatus, enixè, ac ſtudioſè facere eſt aggreſſus, & nunc impenſiùs in idem opus incumbit; & quià magni negotii res eſt, quo abſolutiùs, perfectiùſquè conficiatur, omniaquè, quæ ubiquè ſunt, incommoda comprehendat, univerſoſquè ad omnes permaneat, de Concilii ipſius ſententiâ, & ex conſulto Patrum ſanciri, conſtituiquè voluit, id què vobis ignotum eſſe non debuit, cùm & edicto contineatur, quod legiſtis, & quæ Romæ aguntur, perferri ad vos quoquè potuerint, niſi capere cuncta in deterius, & honeſta, rectaquè* C *neſcire, & tantùm ſecus facta reprehendere, atq. inſectari liberet. Et quid ergo nunc illam orationis veſtræ partem refellam, quâ nobis ſuperſtitionis crimẽ, ſi Deo placet, & obſcurati Evangelii invidiam, maculamquè infligere, odio veri, ac libidine maledicendi obcæcati, non eſtis veriti? Quibus gloriari liceret nullâ re æquè Romanam Eccleſiam cæteris Chriſtianis populis, quàm Evangelii propagatione, cuſtodiâquè præſtitiſſe, niſi à conſuetudine noſtrâ abhorreret, aliter, quàm in eo gloriari, cuius cœleſti numine hæc orbi terrarum ſalutis, & beatitudinis lux effulſit. Sed profectò conſtat omnibus antiquitatis monumentis veteres illos Patres, qui maximè ſanctitatis, & doctrinæ laude floruerant, Chriſtianamquè pietatem pariter moribus, atquè ingeniis illuſtrarant, ab uſquè Apoſtolorum memoriâ, ut quaquè res dubia, aut difficilis explicatu incidiſſet, Romanam Eccleſiam conſulere, eiuſquè* D *reſponſis haud ſecùs, quàm divinis oraculis ſtare conſueviſſe. Poſſem ego, ad quamcumquè terræ plagam me verterem percenſere Reges ultimarum quoquè gentium, nationeſquè, quæ ſacrorum iura petitum Romam miſere. Poſſem, & innumerabiles hominum multitudines, Pontificum Romanorum curâ, atquè illius Eccleſiæ ſtudio à impiis falſarum religionum ludibriis, quibus captas mentes habebant, ad Chriſti veri Dei cultum traductas commemorare, cùm nulla Chriſtiana Provincia ſit, quæ aut accepta, ut conſervata Catholicæ religionis gratiam Romanę Eccleſiæ non debeat. Sed ut alios mittam, (nequè enim mihi apud vos agenti aliena exempla conquirenda ſunt) quæro à vobis, undè Chriſtianæ religionis, fideiquè primum nomen Germani audiveritis? Vndè magiſtri ve-*

tatis, unde Evangelii ipſius lumen, diſciplinaquè ad vos perveneris? An inficiari poteſtis, quòd Chriſtiani ſitis, quòd barbaras ſuperſtitiones exueritis, id ſecundùm Deũ beneficium eſſe Romanæ Eccleſiæ? Ab hac prima Chriſtianæ pietatis ſemina iacta in vobis ſunt, ab hac ſacrorum ius, & Dei ritè colendi, ac de divinis rebus verè, rectèquè ſentiendi tradita ratio eſt, à qua ſummo iſto imperii, & maieſtatis honore præ cæteris gentibus aucti, atquè decorati eſtis. Ab hac vos Eccleſià, quæ beneficiis meruit, ut parentis maieſtatem apud vos obtineret, poſtquam gratiæ obliti deſciviſtis ab hac veritatis, ac fidei regulà, ad quam omnes, quæ ritè Chriſtum Deum venerantur, gentes, ſuas de divinis rebus rationes ſemper direxerunt, poſtquàm declinaſtis, & quod unum rectum eſt ad Cælum iter reliquiſtis, in quos, Deus bone! & quàm devios amfractus deflexiſtis? quibus vos erroribus implicuiſtis? quibus mentes veſtras tenebris merſiſtis? At etiam iniquo animo ferri à Principibus veſtris nuper dicebatis, quòd nos varià, ac multiplici religione agitari, impelliq. Germanos vobis adiecimus, idquè inficias ire verecundia non fuit. An poteſt clarius, an evidentius eſſe quidquam veſtris inter vos de tota cæleſtium rerum, ac divinarum ceremoniarum ratione diſſidiis, & concertationibus? Una eſt veſtrum omnium conſenſio, & conſpiratio adverſus nos, Eccleſiamquè à qua defeciſtis; cætera nihil diſſimilius, nihil disiunctius, nihil diſcrepantius. An verò id non teſtatum omnibus? An non omnis referta libris Germania eſt, contraria, & pugnantia docentibus; An adeò hebetes nos, ac rudes Germanicarum rerum eſſe putatis, iſta ut ignoremus? At Lutherus quidem ipſe, Paulus alter, ut vos vultis, qui præceps ſe ex Eccleſiæ navi in mare deiecit, à quo iactata à vobis Auguſtana formula conflata eſt, quando ſibi, aut in quo ſatis conſtitit? An iſtam ipſam formulam non quotannis quamdiù vixit, commutatam, diverſaſquè in ſententias contortam edidit? An qui poſteà ipſum ſecuti ſunt, non æquè licenter trahendo eam, quò cuiuſquè libido rapuit, totam aliam fecerunt? Sed quot iam rixæ inter vos de dictis, ſententiiſquè Lutheri? Et quotus quiſquè eſt, quiquæ placita illi ſunt probet? Quot Melancthon? Quot Oecolampadius? Quot Zuinglius? Quot deniquè Calvinus trahit? Quot alii ſexcenti, qui omnes de ſummis rebus à Luthero, atquè inter ſe diſſentiunt? Non modò civitas, aut municipium; ſed nè domus quidem in Germanià eſt ulla horum certaminum expers. Cum viro uxor, cum parentibus liberi de fide ſacrorum, de divinarum litterarum intelligentià altercantur. Fæminæ, pueri in circulis, in cauponis, inter pocula, ludoſquè, quod miſerandum eſt, de religione conſtituunt. A vobis deniq; ipſis hoc ipſo in Conventu, quanto laboratum eſt opere, ut aliquam uniuſmodi mentis ſpeciem præferre poſſetis? Quod aſſequi tamen nequiviſtis: ſcilicet, ut diſcrepare inter ſe verà, ita coniungi, & convenire falſa non poſſunt. Et quantò quis ab Eccleſiæ portu magis recedit, quantò longiùs à verà, ſtabiliquè fide in errorum veluti pelagus provehitur, tantò cæcioribus fluctibus iactatur, fallacioribuſquè opinionibus involvitur. Quin vos ipſa varietas, inconſtantiaquè Doctorum veſtrorum revocat aliquandò ad cogitationem veritatis, quæ ſimplex, neque plus una eſt? Quin imitamini Pauli Apoſtoli exemplum, ad noſtram eruditionem memoriæ proditum? qui cùm nihil, niſi divino ſpiritu afflatus ageret, divinituſquè traditam ſapientiam haberet, ut labi, atq. errare nullo modo poſſet, tamen divinitùs item admonitus de re, quæ iuſtam dubitandi cauſam habere aliis videri poterat, ad Apoſtolorum Concilium retulit, ne fortè, ut Lucas inquit, in vanum curreret, aut cucurriſſet. Sed hæc vos videritis. Pontifex quidem Maximus pio, piiquè parentis officio adverſus vos functus, omniquè nixus ſtudio, ut devíis quoquè, & contumacibus filiis ſalutem redderet, iure vobis, ac omni Germaniæ exprobrabit illud Evangelii, Quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodùm gallina convocat pullos ſuos ſub alas; & noluiſti! *Quæ autem poſtremò honorificè de nobis ipſis dixiſtis, pro privato Principum erga nos ſtudio, privatas quoquè gratias iis à nobis referre vos iubemus. Ceterum ea, nos non alià re deberi nobis, quàm eius à quo miſſi ſumus nomine, profitemur.* Hac à Cõmendono habità oratione, Germani nullo dato reſponſo diſceſſerunt, variè dicta Nuncii accipientes: pars veritate perculſi taciti ingemiſcere, fremere alii, ac indignari, eam dicere tam celebri loco auſum. Mox conventus diſſolvitur, renovatis fœderibus, & conſtituto, vt neque ipſi mitterent ad Concilium, & metum iniicerent Epiſcopis Germaniæ, ne à cuſtodià rerum ſuarum abſcederent. Actum inter eos magnis certaminibus eſt de conciliandis opinionibus, quibus diſſidebant. Palatinus, qui totum Calvinum amplectebatur, Lutheriq; explodendi locum quærebat, vt ad Auguſtanam formulam Melancthonis quoq; apologia adderetur, contendit: eo enim libro Melancthon paulatim à Luthero, cui in docendi munere ſucceſſerat, deflectens, viam ad Calvini diſciplinam aperuerat. Alii item alia adſcribi demiſsè Auguſtanæ formulæ, vt cuiuſq; rationibus conducere aut ingeniis aptiora eſſe videbantur, poſtularunt. Id cùm alii indignè ferrent, res in magnam eſt altercationem adducta. Et Ioannes Federicus Veniarienſium Dux, Friderici illius filius, qui à Carolo V. armis victus, ſeptemvirali dignitate privatus fuerat ſuſceptum familiæ ſuæ indè ab initio Lutheri patrocinium tuendum ſibi exiſtimans, quamquàm Palatini filiam in matrimonio haberet, tamen adeò ſoceri auctoritatem non eſt reveritus, vt palàm eum Calvinianum, & Auguſtanæ formulæ deſertorem appellarit, protinuſq; ſe concilio proripiens in ſuum regnum abierit. Quæ res actionem illam, & conſultationem omnem abrupit. Auguſtanæ Confeſſionis cum inter eos quæreretur exemplar, non eſt inventum nec typis datum, nec M. S. Argumentum, quòd Athei nihil crederent. Nunciis Naumburgio profectis; *Commendonus* Saxoniam ingreſſus, vidit non ſolum Lipſiæ, ſed Vittembergæ (vbi prima ſubiit natalia hæreſis) licèt ibi publicè, & manu carnificis Lutherus Decretales Canonicas cremaſſet, adhuc tamen quatuor Profeſſores ſtipendio publico donatos eas ex cathedrà explicare, indè Berlinum venit ad *Ioachinum Electorem Brandeburgicum,* qui curà *Alberti patris,* diù in fide Romanà ſervatus, patre mortuo, ab hæreticis abreptus, multa tamen retinebat de priſtinis ſacrorum ritibus. Advenientem *Commendonum* hoſpitio accepit perhonorificè, coluitq; omnibus humanitatis officiis. Invitatus exponere legationem ſuam, poſteà ad prandium ſubſiſtere; procraſtinando *Commendonus* in aulam venit ſolummodo ad horam prandii, vt inter dapes, animum erudiret cibo veritatis. Nec defuit occaſio; colloquio illectus plures hoſpiti deſignaverat dies: ſed aliò evocatus *Commẽdonus,* oblatà

epiſ-

epiſtolà Pontiſicià, acceptoq; reſponſo, quo magnum A pacis ſtudium declarabatur; ac de Pontifice, Eccleſiàq; Romanà Elector nunquam ſinè honore mentionem vſurpaſſet: ſolà excuſatione propoſità, quòd Cõcilium non eum ſolum reſpiceret, ſed omnes Auguſtanæ confeſſionis ſocios, quàm ipſe Zelo ductus Religionis ſuſceperat; propterea reliquos conveniret. Cui *Commendonus* reſpondit: Concilium non tàm omnes reſpicere, quàm ſingulos. Et ſicuti ſolus, & Zelo ductus religionis declinaverat in Confeſſionem Auguſtanam; ità ſolus quæreret veritatem, quam ei Põtifex Romanus non ſolùm precabatur ex alto; ſed illius Petri ſucceſſor, cui aliquando dixerat Chriſtus, *Tu autem converſus confirma fratres tuos*; ac prò eodem rogaverat, *Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua)* etiam procurabat. Hæc tanquàm perſona privata; prout namquè Pontifex, ad Concilium provocabat, in quo omnia potuiſſet liberè profari. B Conditionem ſuffragii ab eo exactam Proteſtantibus concedi non minùs iniuſtum, quàm incongruum. Datà namquè Augaſtanis, cæteris haud poterat negari ſectariis, qui cum ſint innumeri, unionis Concilium non componerent, ſed Babylon confuſionis. Obiïcienti Ioachimo: *non deberi reliquis ſectariis ſuffragium, quia non haberent verbum Dei*: reſpondit: *Non habent quidem, ſed habere præſumunt. Opus ergo quòd Deus iudicem in terrà reliquerit, qui Chriſtianos ad veritatem infallibiliter conducat; uti erat apud Hebræos*. Victus *Ioachimus* ſermonem abſolvit, dicens: *Certiſſimè Reverendiſſima ſua dominatio excitavit in animo meo cogitationes multas, atquè profundas*. Eodem tempore epiſtolas ſimiles obtulit *Archiepiſcopo Magdeburgenſi* Electoris Brandeburgici filio, qui magno obſequio ſuſcepit, ſpatium poſtulans conſulendi patrem C ſuum. Reponenti autem *Commendono* optimum conſiliarium eſſe munus Archiepiſcopatus, & Primatis, quod in eà gerebat provincià, cujus gratià Tridenti convocabatur Concilium: ſuiquè eſſe non tam mittere ſuffraganeos, quàm eis præire: reſpondit, *quòd ipſe non ſolùm Tridentum; ſed Romam veniret*. Ad Marchionem Ioannem Ioachimi fratrem ſe indè cõtulit Commendonus, humaniter acceptus, ſed reſponſo per Cancellarium dato dimiſſus ſuperbo, & pertinaci. *Quod cum fœderatis eſſet concinnandum reſponſum contrà veritatis inſidias. Eos invitare ad Concilium, idem eſſe, ac oves mittere inter lupos. Papam prædicari benignum, clementem; & ita deceret eum, qui paſtoris uſurpabat officium: cum tamen eo mandante quotidiè per Italiam fieret hominum carnificina, ſolùm quià veritatem quærerent* Evangelicam, *& Idololatriam abhorrerent, quæ vigebat ſub tyrannide Pontificià*. Nuncius D animo quidem ſubirato, ſed vultu tranquillo ad Marchionem converſus, Cancellarii accuſavit contumaciam. A conviciis cum ipſi ſoleant abſtinere Reges, maximè ſi honorati, & domi ſuæ conventi, quantò magis à miniſtris immunis foret Legati perſona ſacroſancta. Ad Concilium eos invitare, tanquàm oves ad paſtorem, non ad lupos. Fides publica eſſet argumentum, quam ad eorum ſecuritatem gerebat in ſinu. Marchio ipſe remedium meditaretur prò Eccleſiæ pace non minus ſpirituali, quam civili: utraquè namquè defecerat ſectariorum malitià, eòquè ſe receperant, ubi ipſi non erant. Eorum multitudo, ac repugnantia mendaces redarguit profeſſores. Ad reformationem congregari Concilium, quòd Germania tantoperè concupierat. Iuſtitiam, quam Papa in Italià exercebat in contumaces non repugnare clementię, quam pœnitentibus paternè offerebat, ſed sãctionibus fulciri Regum, & Imperatorũ, qui ab exordio naſcentis Eccleſiæ ferro, flammàquè ſuſtulerant Novatores. Idololatriã quã Romanæ improperabant Eccleſiæ; eamdem eſſe, quà tota ipſa Germania à die ſuſcepti baptiſmatis Sanctos coluerat. Auctoritatem Pontificis non armis introductam, ſed verbo firmatã Dei tantà concordià niti, & frui ſubditorum, quantã diſcordià ipſi conciderentur ſectarii. Et ſurgens, vale dixit. Secedentem detinuit Marchio, prandio excipiens oblatà dexterà, & in menſà capite ſedens diſcooperto. Berlinum poſteà *Commendonus* rediit die ultimà Februarii, vbi ab Archiep. Magdeburgenſi literas accepit proprià manu exaratas ad Pontificem, in quibus gratiis actis de Bullà convocandi Concilii, profitebatur ſe in poſterùm cum majori fiducià acceſſurum ad thronum Apoſtolicum pro conſilio, & auxilio regiminis Eccleſiaſtici. Erat Archiepiſcopus Annorum viginti duo, circundatus ab aulicis hæreticis, & ſub curà patris proteſtantis. Epiſtolam etiam Nuncius vxori obtulit Marchionis, quæ cum Catholica eſſet ſummà veneratione ſuſcepit. Marchio Fidei ſemper miſcebat colloquia, oſtentans lypſana martyrum, quæ thecis incluſerat pretioſis, vnà & Roſam auream avo ſuo tranſmiſſam à Nicolao V. rogans, vt fruſtulum ſacri ligni ei à Pontifice impetraret reponendum in vaſe pretioſo, quod iam præparaverat; quaſi pretium Sanctarum Reliquiarum nõ in veneratione, ſed ornamẽtis conſiſteret. Obtulit tandẽ Nuncio pretioſa munera, quę iſte modeſtè reiecit, loco quorum poſtulavit, vt Cathechiſmum vxori oblatum & ipſe legeret. Secundò ut prædia Ciſtercienſibus ablata reſtitueret. Vtrumquè promiſit Marchio. Indè *Commendonus* profectus Brunſvigiis, Lunemburgiis, cæteriſquè eius regionis Regulis conventis, per Rhenum Coloniam venit, & Treviri m. Poſteà ſecundo flumine ad Oceanum provectus Clivenſem Regulum, Belgas, Eburones inviſit. Sveci ſupererant, & Dani; ad quos per Balticum homines miſit, vt eorum voluntates præcognoſceret, antequàm Barbaris ſe committeret. Danus iuvenis ferox, vino deditus, & intemperantię, inter pocula reſpondit: Non *eſſe, cur eũ Rom. Epiſcopus legationibus ſollicitaret*. Svecus, qui Calvinũ profitebatur, cũ claſsẽ pararet, ut in Angliã traiiceret, magnificũ exiſtimãs, ſe in ultimis poſitũ terris, tam longinquis legationibus adiri benignè reſcripſit, *ſivè in regnum ſuum, ſivè in Britanniam, quo propediem tranſmiſſurus erat, ad ſe veniret, verba eius libenter auditurum*. Commendono nequè Sveciam petere, vndè profecturus Rex erat; nequè eum in alieno adire Regno, decorum credens, Romam rediit. Tridentum interim more à maioribus accepto legatos *Herculem Gonzagam, Mantuanum, Hieronymum Seripandum* Neapolitanum, *Staniſlaum Hoſium* Polonum S.R.E. Cardinales, quibus non multò poſt, *Iacobum Simonetam* Mediolan., & *Marcum Siticũ Altempſium* germanum ſororis filium adiunxit, Pius ire iuſſit. In eà Cardinalium creatione, quam Concilio præmiſit, duos Venetos aſſumpſit *Bernardum Navagerium*, & *M. Antonium Amulium* legatum Venetæ Reipublicæ tunc agentem apud eundem Creatio Cardinalium.

Queſtio S. Inquiſitionis contrà Grimanum.

Pium. Cõmẽdaverãt Senatus *Io: Grimanum Patriarchã Aquileienſem*, filiũ Antonii Grimani Venetorũ Principis, nepotẽ Dominici, & fratrẽ Marini amborũ Cardinaliũ S.R.E. Videbatur annuere Põtifex ob Grimani probitatẽ, & ſacrã eruditionẽ, dũmodò quæſtio nõ obſtaret ſacræ Inquiſitionis, cuius causà Iulius III. *Grimanum* non promoverat, ſed eius loco *Aloyſium Cornelium* Priorem Cypri. Cum eccè meditante Pio Grimani promotionem, literæ Venetiis superveniunt ad tribunal Inquiſitionis olim exaratæ ab eodem Grimano, quibus mandabat Vicario, vt quemdã Monachum officio expoliatum Apoſtolicæ prædicationis (quia ex publico ſuggeſtu docuiſſet, violentià Prędeſtinationis, & Reprobationis hominem libertate privari vitæ, vel mortis) reſtitueret; cui doctrinæ videbatur Grimanus ſubſcribere. Hæc cum accepiſſet Pius, *Amulio* Veneto Oratori ſignificavit, prò hac vice incapacem promotionis *Grimanum* fore, donec obiectis ſatisfaceret. Efferveſcẽti *Amulio*, & fidem datam obiicienti, tum notam Reipublicæ, quaſi Hæreticum commendaſset. Pius quæſtionis exemplaria obtulit, ut ea Decemviris communicaret. Immò in gratiam Amulii, Grimanus admiſſus primò in cõſpectu Pontificis, ubi cum lachrymis, & ſcripturis ſe expurgaſset; ſecundò coràm S. Inquiſitionis Cardinalibus apologiam legiſset; & hæc non ſatis crederetur; Pius Amulium præmonuit; Eccleſiæ Cardines cum non ſolùm ab erroribus requirantur immunes, ſed etiam à ſuſpicionibus; Grimanum eſse incapacem donec cauſa cognoſceretur, & brevi ſinè ſuo, & Grimani diſcrimine, Cardinales S. Inquiſitionis excitaret ad contradicendum. Die ergo Conſiſtorii, vocatum ad ſe Oratorem *Amulium*, includi mandavit in cubiculo Cardinalis Borromæi, & unà cum *Navagerio* Cardinalem creavit, verbis illis appellando, *Vas iſte electionis*. De Grimano etiam verba fecit, ſuffragia exigens à Cardinalibus, vt Fidei quæſtione abſolutà, eum reciperent inter Patres. Negavit *Amulius* primà fronte recipere, donec obedientiæ præcepto conſtrictus quievit; Senatu tamen reclamante, & quaſi ipſe *Amulius* dignitatem prenſaſſet, iuſsus eſt legationem deponere. Pius nè ipſis beneficiis nocere velle crederetur, literas dedit ad Senatum ſuà manu exaratas, in quibus iurabat *Amulium* non ſolùm ab ambitu immunem, ſed inſcium ad purpuram ex ſolà Pontificis liberalitate fuiſſe promotum; propterea rogabat, ne innocentem punirent. Senatus obſequio non defuit, ſalvo tamen iure patrio: undè gratias egit Romano Pontifici, cuius in contumeliam nè videretur revocaſſe Amulium, in patriam redeuntem iuſſit, Romam reverti, & legationem proſequi. Venetiis tamen nè quis aſſinium, propinquorumvè Amulii causà purpuram induerent, vel alia ederent ſigna lætitiæ, Senatus ſtatuit. *Petrus Maurocenus l.* 14.

Amulius Orator Venetorum dicitur Cardin. reclamante Senatu.

Principes omnes ad Concilium vocati.

Vrgebant interim Legati Apoſtolici Principes, Dominationes, vt ad Concilium deſcenderent. Angliæ etiam Reginam *Elizabetham* Lutheranà labe pollutam ſollicitare placuit per Abbatem *Hyeronimũ Martinengum*, quem fœmina nec audire ſuſtinuit. In Germania ſuperiori à Delphino excitati Dux Pruſſiæ, Norinbergenſes, Argentinates reſponderunt, quòd cum iuraſſent Auguſtanam Confeſſionem, Concilio non per Cæſarem, ſed per Papam congregato, adeſſe non debebant, quem ipſi ſuperiorem negabant. Infeſtum eis cum Concilium agnoviſſent præteritũ, nec de futuro meliora ſperanda, Quaſi iura Cæſaris ſoli cognoſcerent; quæ ipſe ignoraret, nec arrogaret. Francofurtenſes, & Auguſtani modeſtiùs agentes, dixerunt magnoperè optari à ſe religionis concordiam; Verùm cum ſynodus aliàs tentata minimè profecerit, nec profutura ſperaretur, niſi vetera tollerentur impedimenta. Helvetii, quorum ſeptem pagi Catholici, & vnus mixtus præſentiam, & obedientiam Concilio obtulere futuro: quinq; pagi Heretici variis excuſationibus ſubterſugere. Ita multum ſeminis iactum, ſed modicà ſegete: Cognovere tamen homines vitium nõ ſatoris eſſe, ſed ſoli. Arcani etiam non deſuere congreſſus cum privatis doctoribus, qui ab Eccleſià transfugæ, vrgente conſcientià, Deum quandoq; recogitabant, & patriã. Fuere iſti *Hieronymus Zanchius* Bergomenſis apoſtata ex familià Canonicorum Regularium, in ſcholaſticis exercitatus, adeoq; in pretio apud Sectarios huius artis ignaros: & *Sturmius* fraternà cum Zanchio benevolentià coniunctus, qui artem dicendi Argentorati tradebant, ſplendidà literaturà non obſcurus, carus Principibus Proteſtantium, Calvini amicus, & Navarræ Regi non ignotus. *Zanchius* apud Theologos pollebat plurimùm, quòd eo non niſi interprete Principes miniſtros aſsumerent. Hi duò vnà cum aliis, qui Venetiis transfugerant Delphinum Argentorati ſtantem, aut inſtigante naturà, vt patritium ſuũ inviſerent; vel ab infamià ſe purgarent; vel ad oſtentationem, quaſi eorum tutelà Nuncius indigeret. Nulla cum eis monita Delphinus omiſit, immixtà tamen cum benevolentià gravitate. quare *Zanchius* cum reliquis digrediens, ſubmiſsà voce ſignificavit, optare colloquium; quod *Delphinus* nutu capitis admiſit. Redit *Zanchius* primà vice ſolus; ſecundà cum Sturmio, concordiam offerens *ſi auctoritas Papæ uſu conſtringeretur Eccleſiæ primitivæ Decreta Concilii alligarentur verbo Dei, & antiquorum Patrum, Epiſcopi ſolverentur à iureiurando, quo Pontifici obſtricti, in poſterùm loquerentur liberè. Colloquia haberentur privata doctiorum Præſulum, cum quibus Proteſtantes ſermonem conferrent, nè à turbà Epiſcoporum ignorantium ſententia conſurgeret*. Reſpondit Delphinus, non ultra deſiderari, quàm eam tribui Pontifici auctoritatem, quam tribuebant antiqui. Teſte namquè Theodoreto in *ep. ad Leonem*; *Eccleſiam Romanã eſſe maximam, ac præclariſſimam ſuprà cæteras omnes & Orbi præſidere terrarum*. A Concilio Chalcedonenſi Leonem appellatum fuiſſe *Pontificem ſanctiſſimum, Apoſtolicum, univerſalem*. A Hieronymo ep. ad Luciter. *Eccleſiæ ſalus pendet à dignitate ſupremi ſacerdotis, cui niſi concedatur poteſtas quædam pluſquàm ordinaria, & ſuprà omnes eminens, tot erunt in Eccleſiâ ſchiſmata, quot ſacerdotes*. Tantam adiecit Delphinus teſtimoniorum copiam, tàm ex Græcis, quàm ex Latinis vt Zanchius, & Sturmius conſenſum in hoc primo articulo negare non auſerint. Ad alterum progreſſus articulum Delphinus, *ut controverſiæ iudicarentur ex ſolo verbo Dei*, interrogavit, *Num hoc novum Concilium per Papam confirmatum foret fallibile, vel infallibile? Si fallibile fruſtrà convocari tanto Chriſtianorum incommodo. Si infallibile; quomodò ergò fallibilia Concilia dicebantur antiqua, & Pontifices In*

re.

reliquum, uti Concilia præterita nihil decreverant, quod adverſaretur verbo Dei; perindè à Tridentino actum iri. De tertio palàm fecit, *Epiſcopos ſolvere iuramentum, non niſi vanum, & ſcandaloſum. Vanum, quia neminem Epiſcoporum latebat, non obligari contrà Deum. Scandaloſum, quia populo daretur anſa exiſtimãdi, ſacrilegè, & tyrannicè uſquè modo Epiſcopos fuiſſe cõſtrictos.* Ad quartum reſpondit, *etiam in Concilio Niceno, Calcedonenſi, alijſq; tantæ venerationis Epiſcopos fuiſſe tenui literatura. Cuſtodiam veritatis aligari dignitati Epiſcoporum ſpecificè ſumptæ, non doctrinæ.* Victi erant Sturmius, & Zanchius, ſed vt ſectariis oſtenderent, ſe honorificè pactos eſſe, ſinè quo deditionem deſperabant: primo *Delphinum* rogarunt, colloquium obvolvere arcano ſilentio; ſecundò ut nonnullas opiniones tanquàm adiaphoras, & ad ſalutem nõ neceſsarias Concilium præteriret. Votum B huius petitionis erat; nè qui ſe iactaverant correctores Orbis terrarum, & redemptores antiquitatis, Romæ vt hæretici notarentur. *Delphinus* vt eos ſuaviter flecteret, promiſit ea tantùm definita iri à Concilio, quæ neceſſaria forent ad ſalutem. Exemplo eſſet Conceptio Immaculata Deiparæ inter Scotiſtas, & Thomiſtas controverſa, & in eodem Concilio adhuc indeciſa. De cætero, nemini erubeſcendum eſſe, quòd opinando falſus fuerit; aliàs erubeſcendum eſſet, quòd ſimus homines. Si Hieronymum legamus, ibi Origenis errores recenſitos legimus. Si Auguſtinum, Cypriani. Quin Auguſtinus ipſe cum tot Annos vixiſſet ſub caligine Manichæorum etiam converſus, nonnè adhuc cecutiit, inter opiniones falſas, quarum palinodiam canere non erubuit, immò errorum ſuorum ſyllabum poſteritati relinquere. Adfuit etiam Vergerius, qui Duci ſerviebat Vuirtembergico, & Italicè vertendo volumina hæreticorum, grave inferebat damnum gregi Catholico, arcana miſcens colloquia, & ſuum excuſans regreſſum. Horum reconciliationẽ propterea cum magni crederet *Delphinus*, omnem movebat lapidem, vt Romam reduceret. Verum cum ex huiuſmodi colloquiis nundinari comperti eſſent hæretici, vt ſe cariori pretio ſectariis venderẽt; iuſſus eſt à Põtifice *Delphinus* omnem præcipuè cum *Vergerio* abrumpere conſuetudinem. Certum namq. erat, à Concilio nihil ampliùs eſſe ſperandum, quàm Catholicorum confirmationem, & nutantium conciliationẽ. Inter eos, qui Cõcilio cupiebant adeſſe non tamen diſceptaturi, fuit *Ludovicus Caſtelvetrus*, qui ſe ad Proteſtantes receperat. Sed cum eius quæſtio Romæ fuiſſet inſtructa; non alibi permiſit Pontifex reſponderi, omni tamen oblatâ clementiâ, & privatâ Ludovici retractatione contentus. Venit ſanè, & primum examen ſubiit An. 1560. die 11. Octob. ſecundum 14. tertium 17. ubi cum teſtimonio cujuſdam impii libri à Melancthone conſcripti, ab eo Italicè converſi premeretur, timore agitatus, iterum ſe fugâ proripiens, Baſileæ inter hæreticos vitam poſuit.

Vergerius.

Caſtelvetrus.

Concilium porrò promoturi, Tridentum advenere Legati, die 16. Aprilis, magno finitimorũ populorum occurſu, licèt Præſules novem tantùm adeſſent. Poſt triduum illac iter habẽti *Eleonoræ Auſtriacæ* occurrerunt Legati extrà portam, minimè tamen præcedente Cruce, & mediam deduxerunt in hoſpitium. Accedebant ſubindè Epiſcopi, inter quos *Bartholomæus de Martyribus*, Archiep. Bracarenſis, Primas in Luſi-A taniâ dicens, profectionem ſuam ſignificaſſe Regi, non veniam petens, ſed notitiam indicans; idquè à Rege maximè commendatum. Adfuit etiam *Thomas Godvellus* Epiſcopus S. Aſaſi in Angliâ, Reginâ contradicente quaſi deſpectâ, & non agnitâ tanquàm Eccleſiæ Anglicanæ caput. Pontifex nil omittebat vel ad ſtimulum honoris, vel ad Epiſcoporum commodum, datâ Cardinali Mantuano facultate impertiendi pecuniam neceſſariam prò eorum alimoniâ. Viginti quinquè aurei menſtrui dabantur Epiſcopis pauperibus, idq. clam nè beneficium ruborem excitaret in accipientibus: licèt diſpendium quod Papa incommodo toleravit ingenti, nè charitati deeſſet, & honeſtati, fomitem dederit calumniandi, quaſi ſtipendio conducti Præſules ibi tanquàm mancipia viverent aulæ Romanæ: cum tamen maiores moleſtias, atquè labores perpetuos ab iis Papa, atquè Legati ſubierint, quos ſuâ alebat pecuniâ, vt patet de *Antonio Ciurelia* Epiſcopo Budüenſi. In Galliâ Regina imperii cupida, & Guiſiorum potentiâ agitata, ut adverſæ factionis homines ſibi cõciliaret, *Petro Martyri*, ac *Theodoro Bezæ* hæreticorum anteſignanis, nimiâ familiaritate coniuncta malè de fide audiebat. Vociferantibus Calviniſtis, cogendam eſse ſynodum nationalem, per quam Religio decerneretur vinculis ſoluta Romanis: Pontifex tanquàm Legatum magni conſilii, miſit eò *Hippolitum Cardinalem* Ferrarienſem, cuius fratria, Herculis ducis uxor, genita fuerat à Rege Ludovico XII. & cuius fratris filia Duci nupſerat *Franciſco Guiſio*: ipſe verò non Romæ ſolùm, ſed per Italiam curam geſſerat regii conſilii; Omnium enim negligentiſſimi ad Concilium adeundum videbantur Galli, qui omnium egentiſſimi, ſinè eo incolumes ſerC vari non poterant. Creſcebat inter eos Religionis mõſtruoſa deformitas; ita ut *Odeclus Cardinalis Caſtilioneus*, Epiſcopus Bellovacenſis, frater Præfecti maritimi Chriſto familiam præferens, Hugonottus iam palàm evaſiſſet. Pontiſaræ propterea indicuntur celebranda Regni comitia Anno 1561. in quibus ortâ controverſiâ de loco inter Cardinales, & Principes regii ſanguinis, his adiudicata eſt cauſa, reclamantibus *Turnonio*, *Lotharingo*, *Guiſio*, qui intereſſe noluerunt, & collegas Caſtillioneum, & Arminiacum aſsentientes ut molliores increparunt. Borbonius antehabitâ dignitati familiâ, declaraverat, ſe præcedere Condæo Principi fratri iam hæretico, & in cuius gratiam hæc Apoſtolico Senatui inferebantur incommoda, ætatis non dignitatis causâ. Secutum eſt colloquium Piſciacenſe, cui Principes, Senatores, Cardinales, Epiſcopi 40. cum Theologis delectis *Clau-D dio Eſpenſæo*, & *Sanctleſio* canonico regulari interfuerunt. Ab Heterodoxis ſtetere *Marloratus* Auguſtinianus apoſtata, *Theodorus Beza*, *Io: Malo* presbyter deſertor, *Petrus Martyr*. Inchoatum colloquium 5. Non. Sept. in quo eloquentes ſe, ac imprudentes hæretici præbuere. Confutarunt ſe ſe invicem Lutherani, & Calviniani: utroſquè retudere fortiter *Cardinalis Lotharingus*, & *Laynius* Societatis Ieſu Generalis, quem Cardinalis Ferrarienſis comitem adduxerat, qui & Reginę ſapienter oſtendit, quàm pernicioſa eſsent iſta colloquia; ut etiam exitus docuit; pluſquàm enim quadraginta millia abducta à fide Catholicâ. Leniter tamen incedebat Cardinalis Ferrarienſis cum Reginâ, & Navarræ Rege, credens inutiliùs hæreticos exaſ-

Stipendia ſubminiſtrata Epiſcopis pauperibus venientibus ad Concilium.

Comitia Pontiſaræ.

Colloquium Piſciacenſe.

Continuatur Concilium.

exaſperate, qui palàm Religionem profitebatur Catholicam. Occulta namquè hereſis ipſius duntaxat animæ Navarręi nocebat: profeſſio verò eiuſdem ſivè Catholici, ſivè hæretici cunctis provinciis incolumitatem, aut exitium allatura. Idcircò nitebatur Legatus eum ſibi amicum reddere, eius cauſam promovendo apud *Philippum* Hiſpaniarum Regem, ut *Antonio* regnum recompenſaret dotale: quod tamē à *Philippo*, eiuſquè miniſtris recuſabatur aientibus, à Navarræo religionem mercimonio haberi, dum ſe catholicum pollicebatur, ſi regnum ei rependeretur terrenum. Iiſdem artibus utebatur cum *Ioannà* Navarræi uxore, cuius ſerox ingenium in virum dominabatur fœmineum. Accidit autem, ut cum Legatus cum Galliæ, Navarræquè Reginis colloqueretur: Navarræa diceret, ſe interfuiſſe concionibus cuiuſdam Calviniſtæ, quo non mediocriter oblectata ob modeſtiam præcipuè aculeis vacuam; Legato pariter placiturum adiecit, ſi audiretur. Vehementiſſimas adiecit preces, ſimulq; Galliæ Regina idipſum poſtulabat affirmans; publicam audiri querimoniam, quòd ob nimiam auſteritatem Pontificiorum obdureſcerent Calviniſtæ: quod nam artis genus eſſe, ſibi homines conciliare, fugiendo? Anceps admodum hæſit Legatus, prævidens complures facinus deteſtaturos tanquàm profanum. Timebat ex adverſo muliebrem conditionem, atq; regalem, quarum altera in cupiditatibus ardentiſſima, altera in repulſis iracundiſſima: ſimulq; intelligebat, quanti eſſet emolumenti, vtriuſq; Reginæ gratia, quarum potentiæ id temporis, Gallia nitebatur. Maluit propterea id, quod ſalutem putabat, tumori præferre, ſeq; concionem auditurum ſpopondit, pactus; ut vtraq: Regina alteri intereſſet, quam ipſius Theologus habiturus erat. Adfuit itaquè concioni in quàdam aulà privatà; cavitq: ne vllo exteriori teſtimonio communicaret præcedentibus concionatoris precibus, quò ab illius ſuperſtitione abhorrere videretur. Pontifex, qui ad eum uſquè diem Legatum defenderat, etiam in Purpuratorum Senatu multis accuſationibus reiectis; tunc palam factum illud damnavit, dicens; *Negotia Religionis non eſſe tractanda eàdem normà, quà politica.* Tentavit Legatus per literas ſe purgare apud Pontificem, & oſtendere quantum Fidei Catholicæ profuiſſet benevolentia Legati, quà ei facultatem conciliaverat exercendi Apoſtolicam legationē, tum Regio, tum communi, adprobante Conſilio, tametſi turbatum motus oppoſita quæquè ſuaderent. *Catherinam* imperii tenacē nō poſſe per vim impelli, quippe cui omnem opem offerebant Germaniæ Proteſtantes; adeoquè periculoſum, nè ſollicitationibus ſuccumberet, ubi ſentiret ſe nimium premi à Pontifice. Epiſcopos nondùm veniſſe ad Concilium (argumentum hoc Italis erat Galliæ iam corruptæ, & deſperatæ) ex nimià Antiſtitum deſidià naſci non ex modicà religione Regnantium. Quamvis enim ſex Epiſcopis profectionem Regina indixiſſet, nunquàm eos paſſos eſſe à patriæ commoditatibus ſe divelli. Arcana hæc non improbavit Papa, neq; Philippus; ſed iſte mitigatà ſuperiore ſeveritate, cognitoq; apparatu novi conventus proximo Ianuario habendi, in quo Hugonoti templa poſtulaturi erant, magni pretii compenſationem Antonio Navarręo promiſit, ſi Catholicam Religionem Aſervaſſet incolumen. Antonius ſuavitate verborum illectus, quæ ab Hiſpanià ſonabant, mirificè iuvit, nè Hugonoti in conventu poſteà coacto poſtulata impetrarent. Licèt enim pleriq; ex publicis conſiliariis ad ea propenderent, fuere tamen reiecta, quoniam arcanum Conſilium, cui *Antonius* præerat, templa iam extructa Hugonotis denegavit, & nè ſibi propria extruerent, prohibuit. Legatus etiam ad Pontificem deſtinatus Lanſaci dominus An. 1562. ut Roma cognoſceret nec Reginam depravatam, nec Galliam perditam.

Cardinal. Ferrarienſis auſcultabat Calviniſtam concionantem

Tridentini die 18. Ianuarii An. 1562. aperto Concilio, primam habuere ſeſſionem ſub Pio, quæ fuit XVII. ab incohatà ſub Paulo III. ſynodo. Perſeverarunt uſq; prid. Id. Decemb. A. 1563. habitis ſeſſionibus XXV. ab inchoato Concilio, novem ſub Pio. Finis impoſitus eſt, præcipuè vrgentibus Cardinali Lotharingo, & Oratoribus Cæſareis. Illo, quòd Concilium non poſſet dici Generale, ſi antè eius abſolutionem Galli recederent, qui tamen Rege mandante erant in procinctu, haud ſinè diſcrimine, quòd concilia excitarent Nationalia. Iſtis, quòd cum menſe Decembri futura eſſent Germanorum comitia; *Maximilianus* crederet, Religionis negotium in Germania faciliùs, & rectiùs proceſſurum, Cōcilio clauſo. Maior pars Patrū etiā aſſensū præbebāt, & Oratores Principū, uno excepto Lunēſi Hiſpano, qui per Oratorē Vargas Romæ, apud Pōtificē cōtinuari urgebat conciliū, quoniā id Mundus poſtularet vniverſus. Percontanti Pontifici *quiſnam eſſet totus ille Mundus, qui id tam enixè peteret?* cum reſponderet Vargas, *Hiſpaniam eſſe*: repoſuit Papa. *Scriberet in Hiſpaniam, ut emerent Ptolomeum, in quo perlegerent Hiſpaniam non eſſe totum Mundum.* Subſcripſerunt Concilio ducenti, quinquaginta quinquè: videlicet quatuor Legati, duo alii Cardinales, tres Patriarchæ, 25. Archiepiſcopi, 168. Epiſcopi, 7. Abbates, 39. Procuratores abſentium cum legitimo mandato, & Generales Ordinum, qui ſubſcriptioni particulam adiecerunt *definiendo*; exceptis procuratoribus, qui vti Procuratores ſuffragium non habuere deciſivum. Hinc doctores, Canoniſtæ, Theologi, ſingularum nationum, qui Concilio interfuerunt, non ſubſcripſerūt; vti nec Officiales Concilii. Sic finem accepit Concilium quod poſt multas poſtulationes, excuſationes, protelationes, primùm à Paulo 3. Anno 1536. Mantuæ indictum, deindè Vincentiam translatum, poſteà Tridenti Anno 1542. celebrari iuſſum; iterum Bononiam translatum An. 1547. quadriennio ſiluit: rurſum ſub Iulio III. An. 1551. Tridenti reſumptum, ac ſequenti ſuſpenſum, quievit vſquè ad 1562. quo ſub Pio IV. iterum celebrari cœpit, ac demum Anno 1563. conſumatum eſt. Hiſtoriam huius Concilii perutilem, & neceſſariam magno labore, nec laude minori contexuit *Sfortia Pallavicinus* ad monumentum veritatis, & religionis præſidium. Pius Pontifex acceptà ſupplicatione Synodi confirmationem poſcentis decretorum, nonnihil animo ſuſpenſus ob querimonias miniſtrorum Curiæ, quòd in officiis ſuis eſſent accepturi, ſi reformationes in Concilio ſtatutę obſervarentur, poſt matura conſilia, vt oblocutionibus præcideretur occaſio, Conſilium abſolutè confirmavit. Ad vitandam autem perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi vnicuiquè liceret prolibito

Concilium Tridēt. clauditur.

Confirmatur à Pio IV. Anno 1563

to decreta illa interpretari, ſeverè inhibuit, nè quis ſinè Pontificis auctoritate auderet ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia ſuper eiſdem edere decretis. Congregationem etiam octo Cardinalium inſtituit ſuper executione, & obſervatione eiuſdem Concilii. *Pallavicinus. Spondanus.*

Maximiliani Anno anteriore in Regem Romanorum, electi cum nutare videretur electio, quòd à tribus Electoribus non Catholicis; defectum electionis ſupplere offerebat Pius; ſi Maximilianus Fidem iuraret Catholicam, & *obedientiam* Sedi Apoſtolicæ, exemplo Patris Ferdinandi, aliorumquè Regum. Maximilianus autem negaret à moribus maiorum recedere, quaſi iſti nec fidem iuraſſent, nec obedientiã; in eo tandem conventum eſt (teſte *Pallavicino l. 22. c. 6.*) quòd Romam mitteretur exemplar iuramenti Francofurti ſoluti, ubi Moguntino interroganti Archiepiſcopo, & coronam imponenti; *Vis Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Romano Pontifici, ac S. Romanæ Eccleſiæ reverenter exibere debitam ſubiectionem, & fidem?* reſpondit coronandus, *Volo.* Item quòd per epiſtolam *proteſtaretur Maximilianus omnia ſolvere Romano Pontifici, ac S. Sedi Apoſtolicæ omnia quæ fuiſſent exhibita à Maxil. 1. Carolo V. & Ferdinando I.* Pius defectum ſuppleret electionis, & confirmaret, ut confirmavit exibito prius per Maximilianum, *Amore, Reverentià, Obſervantià, & Obſequio.* Verbum *obedientiæ* miſcere non voluit. Hæc fuſiùs apud Pallavicinum *loco cit.*

Concilium ſuſcipitur à Venetis

7. *Venetorum exemplo*, qui omnium primi, cum cæteri nutarent Principatus, & poteſtates, lege latà in ſupremis comitiis An. 1564. abſquè ulla exceptione, à Eccleſiæ Rom. ſemper fideles, omni veneratione, & religionis exemplo, ſuſcipiendum decreverunt; ac mox in Baſilicà D. Marci, inter Miſſarum ſolemnia, Principe adſtante cum Senatu, poſt cantatum Evangelium, è ſugeſtu ab Antonio Milledonio ſcribà decretum Senatus de promulgandà, ac recipienda ſinodo recitatum eſt. Papa ut egregià aliqua ſignificatione præſentibus, ac poſteris eximiam in Venetos voluntatem teſtatum relinqueret, ſpontè, ac motu proprio, Reipublicæ ampliſſimas, ingentibuſquè ſubſtructionibus inſignes D. Marci ædes olim a Paulo II. excitatas dono dedit, literis adiectis, quibus Venetorum pietatem, religionem, ac præclara in Apoſtolicã Sedẽ merita extulit. *Andreas Maurocenus* l. 8.

Veneti à Pio IV. palatio donati.

In eorumdem gratiam, cum Patriarcha *Grimanus* negaret ſe iudicibus Romanæ Inquiſitionis confidere, poſt longas altercationes annuit *Pius*, ut quæſtio Concilio remitteretur, quod tamen in cauſà Carranzæ Archiepiſcopi Toletani abſtinuerát nè iniuriam faceret tribunali Hiſpano. Quarè Patriarcha Tridentum receptus viginti Præſulũ comitatu Præſides inviſit, cum quibus nè verbum quidem de ſuà cauſà fecit, quod inutile creditum, & inurbanum. Veneti tamen Oratores Reipublicæ nomine verba fecerunt, *ut ipſa eiuſmodi notà liberaretur, quaſi hæreticum ad purpuram promoveret. Eapropter ſæpè poſtulatum, ut pro iure reus abſolveretur, vel damnaretur, ut poſt diuturnam moram Pontifex Romę, duobus Legatis ſignificaverat, ſcripturaſquè Morono tradiderat. Rogare, ut res celeriter abſolveretur pro bono Reipublicæ nomine; ac ut populi, qui Patriarchæ ſubiecti per centenna millia paſſuum, uſquè in Germaniam penetrabant, & decem iam Annos caligine vixerant circumfuſi, certo ſcirent, hæreticum, an Catholicum Patriarcham haberent.*

Grimanus inquiſitus in cauſà Fidei.

Reſpondentibus legatis abſquè ſpeciali mandato Pontificis, fas ſibi non eſſe huic cauſę manum admovere, apud quem ſæpè eadem cauſa agitata fuerat: hoc enim pacto indicaretur Concilium præeſſe Pontifici, & cauſas ad ſe avocare, coram Papa inchoatas. Veneti ſe deluſos putantes, ad inſperatum reſponſum incredibiliter commoti, & non minùs commotum iri Senatum prænunciantes, quòd inani verborum fuco decepti fuiſſent, ut eò Patriarcham deducerent, cum tamen hæreſis ſi damnaretur, parati eſsent Senatores ipſi, ligna, flammas ad eum comburendum ſubſtruere. Diſſidium hoc permoleſtè accepit Pius, undè reſcribens graviter redarguit Legatos, quòd cum duo eorum mentem eius ex oreproprio excepiſsent, tam acerbè reſpondiſſent Venetis, qui ſoli in eo Concilio Italię decus, & libertatem propugnabant. Cauſam expenderent Legati (ut aliàs mandaverat) ſivè cum ſynodo, ſivè cum Theologis. Nondum ſignatum diploma, quia nemo ad id Pontificem ſollicitaverat. Eius loco ſtaret pręſens epiſtola. Suum eſse votum, ut integrè morem gererent Venetæ Reipublicę, amotà omni querimonię cauſâ. His acceptis, Præſides conſentiente Patriarchà, vigintitres ex Patribus deſtinarunt, Italos, Belgas, Gallos, Hiſpanos, Germanos, qui in Venetà ditione Eccleſiam non haberent, Theologos omnes; nam Iuriſperitos recuſavit Grimanus) quòd controverſia eſſet merè Thologica. A quibus cauſà cognità, Grimanus eſt abſolutus. Vim tamen abſolutio non habuit, ut Grimanus unquàm Patriarchæ pallium, nedum purpuram obtineret. Expenſa namq; in Concilio fuerat ſola quæſtio theorica, relictà Romanæ Inquiſitioni quæſtione facti de quibuſdam criminationibus, ob commercium cum hæreticis. Immò Sixtus V. qui antè Pontificatum Frater Felix Perettus è Monte alto, qui in eà causà adverſus Grimano fuerat, propter quam fuit poſteà Tridenti abſolutus, Anno 1585. publicè pallium eidem ſolemniter denegavit, ac ſilentium perpetuum impoſuit. Quod ſi ex falsà ſuſpicione proveuir, non modicam comiſerationem Patriarcha promeruit, egregiis quippè dotibus non animi minùs, quàm ſanguinis prædictus, à Principibus amatus, literatorum amator erat. *Pallavicinus l. 22. c. 11.* Ad Concilii confirmationem redeamus.

Regina Galliæ reſpondebat, quòd ſi illud nondum Pontifex confirmaverat, longius ſpatium ad deliberandum, aliis eſſet neceſſarium. Acceptà dein confirmatione Pontificis, repoſuit: *nondum ſciri, an Hiſpanus* eſſet *ſynodum accepturus.* Quo etiam confirmante; cępit iterum cauſari, *robuſtiorem cibum meliùs concoqui à ſtomacho benè valente, cuiuſmodi erat Hiſpania, quàm ab infirma, qualis erat Gallia.* Sed contrà Nuncius: *quin potiùs indigere medicamento ægrum, quàm ſanum,* cępit alias ingerere difficultates, pręcipuè quòd Pius ſuſpenſam adhuc litem tenebat de prærogativà inter Oratores Hiſpanum, & Gallum. Sperabat Pius Hiſpanum flexum iri, quòd literas accepiſſet Philippi manu exaratas, ubi dixerat, *nolle ſe ad hæc inania, & fumoſa oculos flectere:* quamvis poſteà mentem mutaſſet ab aulicis ſeductus. Ad arma declinabat diſſidium, & quod magis timebatur, ad Catholicæ Religio-

gionis iniuriam; undè *Pius* vigore conſuetudinis moribus receptæ ipſius Caroli V. Hiſpaniarum Regis, loci prærogativam Gallo decrevit. *Philippus* accepto rei nuncio, hoc unum commoti animi edidit argumentum, quòd Romà Oratorem evocavit. Pontifex ex adverſo Oratorem non ex indignatione interpretatus revocatum, ſed ex gratificatione ſibi debitâ) Indignatus namquè contrà Requeſenium Philippi legatum, quià iſte *Schivelam* propriâ auctoritate capi iuſſiſſet, & in carcerem detrudi; non ſolum acceſſum oratori negaverat, ſed per Cardinalem *Pacetum*, ut ille revocaretur à Rege ſollicitaverat) diſſimulabat. Gnarus tamen ſimulationem quandoquè gratam accidere, quaſi reverentiam: quandoq; moleſtam, quaſi deſpectum; non deſtitit ſe obliq; purgare accuſando *incongruum Philippi dignitati, Regem puerum, ac divexatum ſpoliare iure maiorum*.

Hæc Philippi pietas, coniuncta cum Luſitanię Regis, ac Italorum Principum obſequio, Occidentales Regiones vriuſq; Orbis, & partem Septentrionis, & Indias ad Orientem, & plures Affricæ regiones Concilio ſubiecit, quantum climata, & qualitates ſoli permittunt. Imperator *Ferdinandus* videns à Concilio non eſſe permiſſum uſum Calicis, & ſacerdotum coniugium, inſtavit iterum ſuo, & Bavari nomine, prò indulgentiâ. Idem Maximilianus, poſt mortem Ferdinandi, irrito tamen conatu, nè ex his privilegiis univerſæ Eccleſiæ periret œconomia ſicuti conſtabat, conceſſionem Calicis à Paulo III. factam plus damni attuliſſe, quàm commodi. Tanta erat etiam in Catholicis, calicis ſitis (teſte *Reſcio Polono de Sect.* verbo *Calixt.*) quòd verba Chriſti, *Bibite ex hoc omnes*, aureis literis exprimerent in Bibliis ſuis, & Cathechiſmis, dietim in templo, foro, convivio, curia lepidas detonantes cãtiunculas *contrà fures* (ut vocabant) *calices*, domibuſquè, foribus, crateris, poculis imprimerent, Annos numerando à Calice reſtituto. Seditionẽ ut cõprimeret Pius quibuſdã Germanię Epiſcopis, prò quibuſdã locis, ac cõditionibus uſũ Calicis indulſit, eâ Germanię lætitiâ ut teſte Nuncio *Delphino* Viẽnæ maior hæreticorũ pars ad frugem redierit. Brevi tamen compertũ, id eſſe inſtar breviſſimi levamenti, quod interdum ex nocentis poculi delectatione experitur ęgrotus. Vndè ſedente Greg. XIII. & Sixto V. obeuntibus nonnullis Epiſcopis, quibus fuerat impertita poteſtas, dubitatum fuit; an dignitati, vel perſonæ data fuiſſet? *& perſonæ* creditum eſt; vndè vltrà non proceſſit.

Vſum Calicis p:tunt Germani.

Papa non parum anxius, vt & Poloni hæreſi iam polluti Conciliũ ſuſciperent; Commendono Nuntiũ agenti apud Regem *Sigiſmundum* trãſmiſit; qui illicò communicatis per literas cum Rege comitia agente Varſaviæ, conſiliis, in cubiculis ſuis a Rege detentus, donec Rex ipſe comitia ingreſſus, expoſito Nuntii poſtulato, vt publicè audiretur, duos Senatores miſit eum deducturos. Hic *Commendonus* eâ eloquentiâ peroravit, vt lachrymas à Senatoribus exciverit. Rex cognitâ eorũ propenſione, egredi Commendonũ vetuit; quòd Senatores Polonicè eſſent dicturi ſentẽtias, adeoquè arcanas. *Vcangius Archiep. Gesnenſis*, & Regni primas homo ambitioſus, & clàm hæreticis iunctus, licèt ex obitu Sigiſmundi in pleno conventu orationem contrà hæreticos habuiſſet, nè fœdus ab eis reciperetur propoſitum, reſpondebat *Expendenda prius Concilii decreta, ac poſteà ſtatuendum*. Sed hæc ſententia à maiori parte cum fremitu excepta, indignata quod Senatus ſe Concilii iudicem conſtitueret, adiecit Rex, *maiori deliberatione opus non eſſe. Imperati Legati ad orandum verba divinitùs immiſſa cognoſcerẽt, proptereà ſacrum volumen obſervarent*. Sic factum. *Pallavicinus*.

8. *Curia Reformatione præmiſſa*. Orbis reformationem dum agerent Tridentini Patres: Pius P. R. vt anſam præriperet curiam reformandi Romanam; officia ipſe Pœnitentiariæ, Correctoris Cancellariæ, Cameræ Apoſtolicæ, Auditoris Cameræ, aliorumquè tribunalium ordinariorum, Iudicum Romanæ Curię; Advocati, & Procuratoris Pauperum, Fiſci Cameræ; Referendariorum, Signaturæ Iuſtitiæ reformavit, ad priſtinam revocans integritatem. Rotæ Auditores, Loca pia, Confraternitates, vi privilegiorum à iuriſdictione Ordinarii exemptas reſtituit, iterumquè ſubiecit. Indulgentias, peccatorum remiſſiones, gratias, privilegia fabricæ S. Petri, aliiſquè piis locis conceſſa cum facultate diſpenſandi ab impedimentis matrimonii, omninò revocavit. *Spondanus*. *Panvinius*.

Curiam Pius reformat Anno 1562

9. *Carolus Molinæus* magni nominis I. C. cum adversùs Tridentinum Concilium edidiſſet conſultationem, ideòquè Pariſienſi iubente Senatu in carcerem datus, vndè poſteà iuſſu Regis emiſſus, iudicii ſui adeò tenax fuit, vt patriam potius, quàm ſententiam mutare maluerit. Hæreticum fuiſſe probat epiſtola ab eo ſcripta ad Ioannam Navarræam. Verùm reſipuerit?' incertum. Mortuus Anno 1566. ut quidam volunt, munitus à Parocho ſuo omnibus Eccleſiæ ſacramentis, & paulò antè obitum evocatis tribus magni nominis Theologis, qui officio ſuo meliùs functi eſſent, atquè ſapientius, ſi eum ad revocanda ſcripta ſua, & eiuranda inſtrumento publico compuliſſent *Spõdanus*. Scripſerunt alii contra Tridentinum Concilium, ſed prę pudore calami adulterini, ſumptâ larvâ nomen prodere formidarunt. Genuinam hiſtoriam habes apud Sfortiam Pallavicinum.

Carolus Molinæus.

10. *Calvinus* Anno Sal. 1554. moritur 5. Kal. Ian. ætatis An. 55. horrendis cruciatibus tortus, deiectans, ac dęmonem invocans. Fuit vitâ ſuâ moroſus, & aſper, adeò vt hunc Bucerus amicus rabidum appellaret canem, alii viperam, alii ſcorpionem, verò omnes loquerentur. Caliphatum

Calvini mors.

11 *Beza* reliquit amenioris ingenii. Quarè Genevenſes vulgò iactabant male ſe cum Bezâ in infernis vivere, quàm in Cœlo cum Calvino. Fuit *Theodorus Bezâ* patriâ *Vezelius* vetuſto Heduorum oppido natus A. 1519. die 14 Iunii, genere, literis nõ ignobilis, ſed moribus infamis, in iudicium vocatus apud Pariſienſem Senatum, de præpoſterâ libidine, ſibi timens, venditis beneficiis, inditoquè ſibi nomine Theobaldi de Maio, Genevam fugit cum adulterâ *Claudiâ*, ſartoris Pariſiẽſis adhuc viventis vxore, ad Calvinum, quo magiſtro Atheus factus, mente Lucianus, manu Nero, Epicurus nec Deo pepercit, nec homini. Poſt proſtitutas Sanctorum imagines., ac Sacratiſſimam Euchariſtiam, factâ conſpiratione cum Condæo Principe in Triumviros (ſic vocabat *Franc. Guiſium*, *Mommorantium*, *Santandreanum*, Chriſtianæ Fidei propugnatores) clamitans Regem ignominiosè detineri, obiicienti Navarro Calvinianos in ſuis conventibus ar-

Beza hæreſiarcha.

arma geſtare, reſpondit: *arma in virorum prudentum manibus pacem ſecum gerere*. Inde expanſis vexillis, Aurelias occupant, templa diſſipant, cadavera effodiunt, Portum Gratiç Elizabethæ produnt, idem de Deppà facturi, ni eam cum exercitu regio *Antonius Navarraus* oppugnaſſet, quam tamen baud ſubiit, niſi lethaliter vulneratus, nam & paulò poſt obiit, ſibi mortem pro religione obitam gratulatus. Pugnarum inter eoſdem Anno 1562. 14. Kal. Ian. cumquè Hæretici ſe victores putarent, Helvetiorum invicta virtus, & induſtria Franciſci Guiſii eis victoriam eripuit, Condæo capto donec Anno 1563. Guiſius dum Aurelias obſidet, à Io: Poltrorio Mereo proditoriè cęditur, ſclopo minori. Captus percuſsor faſſus eſt, ſe incitatum fuiſſe ab architalaſſo, & *Theodoro Beza*, monuitquè Reginam ſibi cavere ab huiuſmodi ſicariis, quos depinxit. Obiit religioſiſſimè Guiſius 6. Kal. Mar. vir ſinè dubio, ætatis ſuæ maximus, & adhuc morte, quàm vità maior, quam non prò vanà, Regiſquè glorià, ſed pro æternà profudit, ac Dei. Pax exindè inita cum

Pax turpis cum Hugonotis.

12. *Hugonotis*, turpis quidem, fremente Pio R. P. quòd ſectatis libertas permiſſa Religionis per omnes Galliarum provincias. Ad ignominioſæ, ſed neceſſariæ pacis nuncium *Pius* commotus *Odetum Caſtilianeum* ex gente Colinià Epiſcopum Belovacenſem Hugonotorum præcipuum Romam citatum purpurà ſpoliavit, & ſacerdotiis. Hunc puerum, qui nondum ætatis annum vndecimum attigerat, rogante Franciſco I. Gallorum Rege, Cardinalem creaverat Clemens VII. Serpente autem Calvino, & ab eo corruptis Coliniis, cum Rex Franciſcum Colinium fratrem Odeti Cardinalis interrogaſſet, *Quid de miſſa ſentiret?* ille autem non minus audax, quàm blaſphemus reſpondiſſet *impiam*; excandens Rex vix ab eius nece temperavit manum. *Odetus* autem alter frater depoſità purpurà, palàm abiuratà fide, Anno 1561. in Paſchate, Eccleſia desertà matrice, in privato palatii ſacello; cum nonnullis civibus, atq. domeſticis cœnam primò ſub utràquè ſpetie celebravit Dominicam: mox depoſito Epiſcopi nomine, Comitem ſe Bellovacenſem nuncupavit. Mandavit tunc Pius Romam citari, & cum eo *Sanromanum* Archiep. Aquenſem; *Io: Monlucium* Epiſcopum Valentinum; *Io: Antonium Caracciolum* Neapolitanum Epiſcopum Trecenſem; *Io: Barbanſonum* Epiſcopum Appamienſem; & *Carolum Gillartũ* Epiſcopum Carnotenſem; (teſte Thuano *lib.* 35.) Quibus addit ex Homero Tortora *l.* 3. *Hiſtor. Franc.* Spondanus *Claudium Reginum* Epiſcopum Olorenſem: *Ludovicum Alebretium* Ep. Laſcurenſem; *Io: de Sangelaſio* Epiſcop. Vticenſem; citatum tanquàm Hugonotum, ſchiſmaticum, hæreticum, excommunicatum apoſtatã damnavit, ac purpurà ſpoliavit, omniquè clericatus honore. His auditis *Odetus*, qui priùs habitu depoſito clericali, ſe Comitem nuncupabat Bellovacenſem, iterum in contumeliam Pontificis purpurà reſumptà Cardinalitià, eàq. indutus uxorem duxit *Iſabellam de Altavillà*, *Dominam de Lorè*. Die poſteà 17. Auguſti, An. 1563. in celebri Principum Rotomagenſi conventu, in quo Rex maior declaratus regni adminiſtrationem ſuſcepit; cũ eodem habitu inter cæteros comparuiſſet magno Catholicorum ſcandalo, & ad Pontificis contemptum, & Ordinis Eccleſiaſtici; commotior Pontifex eius depoſitionem factam in ſecreto Conſiſtorio, die 11. Septemb. typis datam per Galliam ſparſit. Odetus autem ad Elizabetham in Angliam cum ſuà pellice traiecit. *Thuanus. Spondanus. Onuphrius.* Reginam etiam Navarræi viduam causà Religionis Romam evocaverat Pius; ſed Rex Carolus ſignificavit ſe ad Reginam defendendam multis rationibus obligari; videlicet, quòd eius cauſa communis eſſet omnium Regum: quod vidua eſſet Regis, qui paulò antè in bello cõtrà hæreticos occubuerat: & ſibi vtroquè latere iuncta. Quòd ſua intereſſet, ne quis ſpetie Religionis, vicinis ſuis bellũ inferret; nec pietatis eſſet Galliam, & Hiſpaniam recens amicitià iunctas in bellum coniicere: quòd cum Ioannæ Reginæ plura eſſent in Gallià Feuda; non poterat extrà regnum iudicari. Deniq; quòd ab annis 40. tot regna, vrbes ab Eccleſià defeciſſent, & nemo fuiſſet Romam vocatus. De Epiſcopis etiam, antiquorum exemplis oſtendit, eos priùs in Gallià debuiſse cognoſci. Quibus motus Pontifex permiſit acta ceſsare: Reginam tamen excommunicatam voluit. *Spondanus.*

Regina Romam vocatur

13. *Melita*. Solymanum cum puderet à paucis (vt aiebat) piratis illudi, expeditionem nullam in Turcas ſuſcipi, cuius Equites Melitæ aut fautores, aut auctores non eſsent, quadraginta immiſſis millibus armatorum, & navibus ducentis, ducibus *Muſtaphà*, & *Piali*, prçter eos, qui cum *Dragute* Proſultano Tripolitano, & *Chaſſane* Algerii Rege ex Affricà adfuerunt, adiectà tormentorum copià, quibus tota inſula concuti poterat. *Io: Valeta Pariſotus* Ordinis Magiſter cum octo armatorum millibus Inſulam propugnavit; *Garſià* Toletano Siciliæ ProRege ſuppetias per ſex menſes flagitioſè protrahente, quas menſe Iunio ſanctè promiſerat. XXX. hominum millia amiſerunt Barbari, 78. millibus globorum fruſtrà eiaculatis. Garſias ob præpoſteram cunctationem exauctoratus, domi conſenuit. Pontifex præter ſolemnes ſupplicationes, & ſigna lætitiæ, Pariſoto per literas gratulatus eſt. *Thuan. Onuphrius. Spondanus.*

Pii IV. ædificia

14. *Lapidibus Pius, crudelis populo.* Ædificandi etiam nobili, & generoſo ſtudio incenſus Pius IV. (vt ſcribit Onuphrius) *vrbem purgare, augere, & pulcherrimis ædibus, viiſq; ornare conſtituit. Multa vetera, & publica ædificia, tam in Palatio, & hortis Vaticanis, quàm in reliquà Vrbe, vel vetuſtate collabentia vel imperfecta, vel quæ omnino eſſe deſierant, reparare, & perficere aggreſſus eſt. Leonianam Vrbem (quam Burgum vocant) craſſiſſimo muro laxavit. Arcem ſancti Angeli novis muris, & propugnaculis cinxit, Palatio, & villà Vaticanà, aulis, cameris, tricliniis, cænaculis, teſtudine, & porticibus vel reſtitutis, vel novis factis, laquearibus aureis, & variis egregiorũ artificũ picturis exornatis. Hortos verò Pontificios, ędicula, portieu, atrio, lymphęo, cubiculis, & turri ædificatis, corrivato fonte, nobiliſſimis ſignis, emblematibus, & opere teſſellato condecoratos, pulcherrimos reddidit. Inter Salariam, & Nomentanam portam, & viam Piam publicæ commoditati, ac dignitati in Quirinalis dorſo aperuit, & munivit. Portam, & viam Flaminiam meliùs, & lautiùs refecit. Viam Aureliam penitus abſtructam, & ignotam priſtino uſui reſtituere curavit. Viam Campanam portà Cælimontanà, in editiorem locum tranſlata reficere cœpit. Aquam Salentiam,*

Ædificia Pii IV.

quam Antiqui Virginem appellarunt, ante annos mille ademptam, purgato fonte, & renovatis formis Vrbi reſtituere voluit. Oſtiã bello Neapolitano, Anconam verò, Centumcellas (quæ nunc civitas vetus dicitur) vetuſtate diſiectas, mœnibus, portubus, arcibus ſepuit, ac munivit. Ravennam Vrbem civium numero, & virtute inſtructam firmis propugnaculis tutã reddidit. Palatiũ Pontificium Capitolinum à Paulo IV. deformatum, refecit. Prætorium Capitolinum Triumvirorum Vrbis conſervatorum à fũdamentis mirabili opere inchoavit. Turrim Palatii ſancti Marci renovavit. Scholas, quibus ſapientiæ profeſſores Bononiæ docent, magnificentiſſimè refecit, Romæ verò inchoauit. Papiæ collegium inſtituit. Villam Iuliam miræ amœnitatis, ædificiorumquè elegantià conſpicuam cameræ Apoſtolicæ aſsignatam, Pontificum ſeceſſui, excipiendiſquè Cardinalibus, vel Oratoribus, & Principibus Romam venientibus, perpetuo uſui eſſe voluit, quam etiã inſtaurare, & perficere aggreſſus eſt, Lavacrum ad Velabrum, & Turres Campanarias Baſilicæ Lateranenſis refecit, eiuſdẽ laquearia aureis emblematibus exornata extruxit. Thermas Diocletianas vetuſtate corruptas S. Mariæ Virgini Dei matri dedicavis, magnificentiſſimo templo in ſacram ædem, & Chartuſianorum Cœnobium menſtrua quingentorum aureorum ſolutione convertit. Templum ſancti Petri Vaticanum toto terrarum orbe celebre, additis menſtruis ſalariis perficiendum curavit: Titulos, & Diaconias Cardinalium, & reliquas Vrbis ſacras ædes vetuſtati collabentes, vel deformes, præfectis tanto negocio Iacobo Sabello Cardinale eius in Vrbe Vicario, Marco Antonio Maffeo Archiepiſcopo Theatino, & Aſcanio Cæſarino Epiſcopo reparari juſsit. Cardinales ſancti Angeli, Politianum, Sabellum, Amulium, & Camerarium proviſioni ad coercendas Tiberis inundationes præfecit. Officinam libris ſanctorum Patrum accuratè, & integrè imprimendis inſtituit accito Paulo Manutio Aldi filio, viro tum in eà facultate, tum vario litterarum genere claro, qui ei muneri præeſſet.

Typographiã inſtituit interprete Aldo.

Quibus rebus peragendis, & magno ære alieno, quo Sedes Apoſtolica obſtricta erat tollendo, cum ingens pecuniæ vis requireretur, quum alia non pauca, tum verò Montes aliquot perpetuos, & equites Pios inſtituit, variiſquè tributis, vectigalibus, & pecuniarum indictionibus Vrbem, & ditionem omnem ecclaſiaſticam oneravit. Montes enim Pium perpetuum, & S. Spiritus non vacabilem condidit, illum quidem quadrigentorum decem millium aureorum, undè ſeptenni aurei cum dimidio pro centennis aureis capiuntur, hunc verò centum aureorum millium, ex aliquot redditibus monaſterii ſanctæ Sabbæ, quod Cardinali Montano ereptum, magnæ Hoſpitali domui S. Spiritus adiunxit, ex quibus octoni aurei perpetuo pro centennis aureis habentur. Equites quoquè Pios DXXXV. multis, & ampliſsimis privilegiis ornatos, duabus lectionibus induxit, quibus, & Monti Pio macelli ſuperadditum vectigal carnis quadrantarium, quod perpetuum eſſe voluit, in omni ditione Eccleſiaſticà, præter Vrbem, & Bononiam aſsignavit. Cui ob equites Pios Camertium redditus fiſco applicatos, Ripæ, Ripettę, Vrbanarum mercium, & directi Triremium vectigalium partem adiunxit, pro ducentis ſexaginta ſeptem millibus, & quingentis aureis ab eiſdem equitibus Apoſtolicæ Sedis ſubſidio perſolutis, quorum annuus reditus eſt, XXVI. millium CDLXV. coronatûm. Ad hæc alterum carnis quadrantem, frumento molendo, & vino peregrino, quod Tiberi ad Vrbem vehitur vectigalia graviora impoſuit, vel auxit populo Romano reclamante, & nullà ratione conſentiente, quorum tamen redditus Vrbis Leonianæ munitioni aſſignavit. Proxenetas vendendi vini interpreses XL. Ripæ conſtituit, quos venales eſſe voluit, quum anteà titulo gratioſo id munus concederetur. Veniere ſinguli quingentis aureis. Ad hæc Bononiæ, in Æmilià, Piceno, Etrurià, & Latio extraordinaria tributa cunctis populis per Legatos Romam propterea miſſos repugnantibus, imperavit, ubiq; clamantibus ſibi ſuperiorum temporum iniurià expilatis non eſſe undè ſoluerent, & hæc non Apoſtolicæ Sedis ſubſidio indici, ſed inſanis ſubſtructionum fabricis abſumi. Pontifex enim congregandis pecuniÿs intentus, à nullius vexatione, modò quæſtionem legitimam nactus eſſet, temperari videbatur. Hinc varii in urbe rumores orti, & libelli contumeliarum referti, in Pontificis miniſtros per urbem noctu affixi, ſuſpiciones auctæ, aliquot noti homines in carcerem coniecti, quæſtiones ſerio habitæ, odium Pontifici conflatum. Qui per id tempus publicis muneribus vacans, præteritas debitorum tabulas Cameræ reviſorio titulo repetiit, Abbatias quaſdam, quæ commendari ſolebant monachorum congregationibus non ſinè aliquà compoſitione adiunxit. Aliquot oppidorum publicas pecunias ſibi addixit: Epiſcopatum Mantuanum ad gentis Gonzagæ ius patronatus XXV. millium aureorum ſponſione tranſtulit: Aſcanium Corneum ſtrenuum copiarum ducem in Hadriani molem coniectum non longè poſt mulctatum dimiſit. Ferunt eo Pontifice certorum Eccleſiæ Romanæ reddituum XXC. millia aureorum annuorum, incertorum verò LXXV. millia veniſſe. Quorum tamen redditum maiorem partem ipſe Pontificatus ſui tempore acquiſierat.

Montes ab eo inſtituti.

Gabellæ.

Vexat ſubditos.

15. *Medius inter virtutes, & vitia*, Pius IV. nam teſte Onuphrio, Thuano, Spondano, eo Pontifice Italiæ pax, Vrbi, & provinciis eccleſiaſticis à bello quies, rerum, quæ victui humano neceſſariæ ſunt copia, publica incommoda, vel pauca, vel nulla fuere. Statura fuit iuſta, fronte latà, oculis cœruleis, aſpectu obliquo, naſo eminenti, & rubido, barba mediocri, habitudine corporis pinguiore, proſperà valetudine, manibus, pedibuſquè articulari morbo debilitatis: ſed non in facie, aut in inceſſu dignitas, in riſum magis, quàm tanti magiſtratus gradus expoſceret aliquando pronus. Morum ei diverſa tempora. Egregius vità, famàq; fuit, quoad privatus, vel in magiſtratibus prioribus ſub pontificibus vixit. Pontifex creatus dum Tridentinum Concilium viguit, multa optimi, pręclariq; Pontificis documenta dedit. Concilio abſoluto ſuo ingenio liberè vtens in multa, quæ non ita ab omnibus probabantur, prorupit. Inerat ei docilitas maxima ad omnes tũ pacis, tum belli artes: litterarum ſciẽtià, ac negociorũ magnà experiẽtià, mirà animi patiẽtià, atq; in laboribus perſeverãtià, eloquentià non mediocri, memorià ſingularis, qui veterum iure conſultorũ, poetarum, & hiſtoricorum accuratè de improviſo integras paginas memoriter recitaret. ingenio fuit vivaciſſimus, ac mente firmiſſimus, ſagax & aſtutus, ſed ſimplex, & hebetior haberi volebat: in iocis dulcis, in conviviis, & domeſticorum privatà familiaritate comis, verbis, & ſcommatibus acutus, cibi, viniq; avidus, ſed in prandio profuſus, in cœnà parcus, in voluptates pronus. Erat palàm iracundus, occultè invidus, ad audiendum impatiens, & difficilis, in reſponſis ali-

Statura

Dotes. Vitia.

quan-

Pii IV. vitia, virtutes.

quando acerbus, dominandi cupidus, vafer, cuiuslibet rei, quæ ignorari ſua intereſſet ſimulator, ac diſſimulator, timidus, audax tamen ad occultandam audaciæ ſpecie formidinem, parum gratus eſt habitus. Patres, & eos præſertim, quorum operâ Pontificatum, & alios honores obtinuerat, neglexit.

16. *Pecuniæ cupidus*, ac ad aurum (ita proſequitur Panvinius) excipiendum etiam cum alieno detrimento attentus, ad ſervandum verò parum cautus. Nam quæ exeepit, cuncta pœnè liberaliſſimè abſumpſit. Ferunt autem eo Pontifice HS bis millies hauſtum. Amicitias non ex re, ſed ex commodo æſtimabat. In propinquorum amore varius, nam ſororum filiis nimis indulſit: fratrem verò Auguſtum Marchionem Meleniani, cui ex privatis odiis infenſus erat, nunquàm dilexit, ita vt eximias eius virtutes non mediocres defectus obſcurare viderentur. Cuius Pontificatum perpetuà pace, & abundantia inſignem, nullis publicis cladibus afflictum fœlicem quis eſſe inficiabitur? qui præter hæc hominem tot animi, corporiſquè ornamentis præditum attenderit, qui publicis fabricis, quibus infinitos pœnè pauperes, hoſpitalitati, literarum, & amicorum Principum ſubſidio, tot Vrbis Romæ in rebus ſacris, prophaniſq. reformationibus, multis demùm aliis præclaris rebus ab ſe geſtis. Concilii generalis perfectionem tanto ſtudio adornatam adiunxit; contrà miſerum fuiſſe, ſi aviditatem, iracundiam, in Republicâ adminiſtrandà impatientiam æſtimabimus; ità ut difficilè admodùm ſit, perfectum illum Principem invenire, qui illuſtri virtutum temperamento vitæ ſuæ curſum inſtituens eum uſquè ad extremum integrũ, illæſumquè perducat. *Panvinius.*

Conſpiratio in Pium IV.

17. *Cum animam efflaverit.* Conſpirãtes cum *Benedicto Accoltio* nõnulli inſani ut Pium legentẽ libellos ab eis oblatos interimerent, unus eorũ maieſtate exterritus ſacerdotali, cum omnia revelaſſet; quæſtioni admoti, Angeli revelationem obiiciebant, quòd mortuo Pio IV. alius futurus erat Papa, moribus Angelus; Accoltius ridendo obiit, ſuam tum etiam magis profeſſus inſaniam. Anno ſequenti, catharro, febre accedenti, ex victus intemperantià laborans, Cardinaliũ aliquot rogatu centum aureorum millia ſororis filio Hannibali Comiti Altempſio, ſi tamen ſe mori contigiſſet, donavit, cuncta verò Eccleſiæ ſacramenta Chriſtiano ritu piëtiſſimè à ſororis filio Carolo Borromæo (quod nemini Pontificum contigit) ſuſcepit. Paleottus, & Syrletus Cardinales lectulo adſtantes, extremas preces, recitarunt. Ipſe attentè integris adhuc ſenſibus, cuncta audivit; eis noviſſimi pro ſe ſuſcepti laboris grates egit mirũ dictu, antè menſem cum Syrletum ſacrà purpurà ornaret. Hunc (inquit) *in Senatum adlegimus, ut quemadmodùm Paulo IV. morienti officiosè adfuit, ita etiam ſuis precibus noſtram ex hac vità migrationem apud Deum adiuvet.* Octavo ægritudinis die, horà noctis ſecundà quæ diem Dominicum V. Idus Decemb. An. 1465. ſecuta eſt, hæc verba proferens. *Nunc dimittis ſervũ tuum Domine &c.* Rebus eximitur humanis. Corpus Baſilicæ Vaticanæ illatum, lateritio ad tempus extructo ſolio conditum eſt. Poſt multos Annos tranſlatum ad S. Mariæ Angelorum in Thermis apud Carthuſianos, quos maximis beneficiis auxerat, & antè aram maximàm in pavimento ſub marmore collocatum.

Pii IV. obitus.

Pii IV. ſcripta.

Scripſit Pius IV. *epiſtolam ad Coſmum Medicem*, quæ legitur inter epiſtolas Principum. *Conſtitutiones Eccleſiaſticas*, & *literas Apoſtolicas*, vt in Bullariis *Bullam* de Confirmatione Concilii.

Creavit Cardinales 46. Et ſi fides F. Ludovico Iacobo à S. Carolo eius fuit

Epitaphium

Pius IV. P. M. Medices Mediolanenſis ſedit An. V. Mens. II. dies 15. Vixit Annos 66. Mens. 9. Obiit Idus Decemb. 1565. Io: Anton. Serbellonus Ep. Praeneſtin. conſobrino Carolus Borromaus S. Praxedis Mediolan. Marcus Scythicus de Altemps, Germanus, Conſtantienſis S. Maria trans Tyberim titulorum Presbiteri avunculo S. R. E. Cardinales poſuere.

Orationem, quà cum in funere laudavit Antonianus habes apud Bzovium.

Signum Pii IV. R. P.

Si mei nõ fuerint dominati, tunc immaculatus ero.

Sedente Pio, *Abdiſu* ideſt ſervus Ieſu Chriſtianorum Orientalium trãs Euphratem commorantium maximus Patriarcha, vir doctus Chaldaicis, Arabicis, & Aſſyriis literis ornatus, cuius iuriſdictio interiores uſquè ad Indos penetrat, Romam ad Apoſtolorum limina, vt à Pontifice confirmaretur, & pallium de corpore S. Petri ſuſciperet, Pontifici oblatus, ei perpetuam promiſit obedientiam, & per interpretem S. R. E. fidem profeſſus, cuius ſyngrapha legitur in ſeſs. 22. Concili Tridentini.

PIVS QVINTVS
PONTIFEX ROMANVS CCXXVII



MOyſes iuſſus à Deo ſolvere calceamenta, priuſquàm ſcanderet montem *Horeb*; quia terra Sancta eſſet *Exod.* 3. Pium V. explicat, cum rogatus ab Oratore Polono, Martyrum reliquias tradere inclinans ſe deorsùm, pulverẽ è loco collectum in quo erat, tradidit cruore manantem; ut ipſum doceret; *Solum omne Romanum ſatum eſſe ſanguine Martyrum.*

Eligitur VII. Idus Ian. An. 1566. *Obiit An.* 1572. *Kalendis Maii. Cum ſediſſet Annos VI. Menſes* 3. *dies* 24. *Vacat ſedes uſquè ad diem* 13. *Maii.*

ELOGIVM.

Anni S. 1506 Pii V. ætat. 1. DAte *Pio* manum Hæreſiatchæ
Si *Beatiſſimum* negatis adorate *Beatum*.
Quod ſatis ad fidem,
Titulum non uſurpaſſe ſacrilegum.
Pii ortus. 1519.14 *Ghislerio* [1] natus patre aratore nobili.
(*Et Quĩctiũ dictatorẽ lictor ſuo ĩnixũ invenit aratro*)
Inſtitutio Monaſtica Dominici [a] amplexus eſt inſtitutum;
Ut aptiùs bellum gereret in ſchiſmaticos.
In nemore natus ſolo dignus, & ſolio meliore
Dominicanis adſcribitur

A Ut tantum proficeret in Pontificem.
Nullibi melius poſuiſſet rudimenta virtutis Anni Sal. Pi. 1519.14
Nullum ſterile virtutis eſt ſolum.
Heroes ubiquè & naſci poſſunt, & fieri.
Homines cum viverent more pecudum
Evangelico opus erat agricolâ,
Qui ſub iugum gregem mitteret laſcivientem.
Huius canis primi latratus,
Theſes fuere Parmę, expoſitę in tutelã Põtificis.
Hæreticæ pravitatis per Inſubriam Inquiſitor 1519.

Eò

Anni Sal. IPi.

Eò hæreſim adegit A
Ut nec tuta conſiſteret inter hæreticos.
Magnates, Prǽſules, Epiſcopi, Reges, 5 Cardinales
Hoc cane latrante,
Lupi detecti in veſtimentis ovium,
Poſuere vittam, & vitam.
Infulā respuit. Laboris pretium, & præmium infula Nepēſis,
Quā generoſo ſupercilio pedibus ipſe ſubdidit. 1556.1
Satis ei, ſi ſuo eſset æqualis *Dominico*,
In cellā rediiſset 5 ni *Paulus IV.* purpurâ revocaſſet:
Se ipſo maiorem facere volens, nec potens,
1557.1 Penè fecit æqualem
Inquiſitor totius Mundi. *Inquiſitorem 5 Urbis, & Orbis.*
Undè Zelotypi ſucceſsores, remoto Vicario
Ipſi voluerint *Inquiſitioni* præeſse. B
Tantos honores pauperū uſibus admiſit, nō ſuis,
Amat paupertatem. Quibus omnia cum erogaſset,
Vix lectulum reſervavit, in quo mori poſset;
Et libros, quibus diſceret, benè mori.
Amator paupertatis, ſed mundæ
Nō tā animā, quàm tunicam voluit impollutā.
Neminem cum timeret, præter Deum:
Libertas dicēdi. *Alter Paulus reſtitit in faciem Petri,*
Quia reprehenſibilis erat.
Probavit tamē amorē Romæ, dū ſervivit iratæ,
Pietati *Pii Quarti* 7 hoc ſolum defuit:
Quintum non audiſse Pium.
Cum pueros Cardines creavit Eccleſiæ.
Coſmus M. Dux Hetruriæ C
Libertatem Pii eo laudavit elogio:
Huic verè nititur Eccleſia cardini.
Licèt altercatio eſset de filio ſuo.
In procinctu erat, cum nè Roma ſecederet:
Obiit *Pius* IV. ut Michael foret *Pius* V. 8
Fit Papa. Plurium cum recurrerent nomina:
Et Morono, vel Sirleto ipſi adhærerent Sancti
Sal. IP. 1566.I Nullum Borromæus potuit ſortiri Pontificem,
Donec Sanctus promovit Sanctum.
Cǽpit illicò immundum componere Mundum,
Lege, & exemplo.
Et aulam ornare moribus, non aulæis.
Pius omnibus exceptis ſuis
Nepotē 10 punire maluit, cui parcere potuitſset D
Ut Rempublicam præmio, & pǽnâ fulciret.
Vindictæ cupidus ſi publicæ
Eius animū nūquā curvavit iniuria 11 privata.
Prophanatores 12 Eccleſiaſticæ libertatis
Similis Petro correxit morte, ſed abſquè ferro.
Bellum ei in Iudæos 13 Turcas, 14 & Hæreticos;
Gheuſios 16 Belgii, *Hugonotos* 10 Galliæ, *Scotos* 17 Angliæ
Ferro, auro percuſſit, & anathemate.
Hos omnes ſi non ſanavit, curavit.
1570.I Moncōturii, duodeviginti cecidere Hugonoti:
Ferro Italo, ſed manu Cælitum,

Quos *Pius* oratione conduxerat Anni Sal. IPi.
Nunquàm fædior ſectariis inflicta clades.
Corona *Coſmo* 15 *Mediceo* obtigit in parte ſpolii,
Quam ei Pius impoſuit,
Teſtimonium Fidei, ac virtutis, non Regni.
In Angliā Maria Stuarta
Patientiam cum didiciſset carcere vicennali,
Cognato *Elizabethæ* ferro, martyrio coronatur.
Crimen? de libertate cogitaſſe Ortodoxà. Elizabetham excommunicat.
Libratum in hanc furiam à Pio anathema
Catholici neglexere Principes,
Pluris facientes fœminam, quàm Deum.
Ruinam inſtauravit Hiſpana Virgo
Thereſa. 18 S. Thereſa.
Quę à patriæ exilio auſpicata martyrium,
Trans mare abiit, ut obiret pro Chriſto;
Lachrymis, ſi cruore non poſſet.
Caſtrorum mater, atq. caſtorum,
Duo ſupra triginta extruxit Cœnobia,
Architecto Numine:
Ut repararet inops, quæ Regina proſtrabat.
Carmelitarū ordinem ad eam aſperitatē evexit,
Quæ licèt in carne haud carnem tangeret.
Primum Monaſterium Durnelbi erectum,
In quo *Antonius à Ieſu, Io: à Cruce* accepere nomē
Ut teſsera Religionis futura
Solus eſset in Cruce Ieſus.
Noviſsimum *Pio* Bellum adversùs Aſiam, Victoriæ in Turcas
Quæ Cyprum 18 Venetis eripuerat,
Bragadeni ſupplicio.
Cuius laus plus eſt, quàm Cyprus perdita.
Urbi Turca incubabat, & Orbi;
Ni *Pio* auſpice,
Eruditis in claſſem Europæ ſylvis,
Occuriſſent Veneti, Hiſpani, Romani,
Parati vincere, aut mori.
Plures adfuere Crucesignati
Ut fortiùs pugnarēt, aut cōſtantiùs morerētur.
In ſinu Naupacti, per XXV. millia paſſuum
Quatuor horis decertatum:
Donec auram inſufflante Deiparâ: Eādem horā conflictus victoriam nuntiat Pius. 1571.16
Vento, fumo, obruti Turcæ,
Proiecere Lunam ſub pedibus eius.
Eàdem horâ,
Cœlites cruore conſperſi victoriā retulere *Pio* 5
Cuius precibus victus *Selimus*,
Ob mortem Pontificis quaſi metu ſolutus,
Triduò ignes excitavit feſtivos.
Captę Turcarū naves 117. triremes 15. biremes 13
50. tantum evaſere, cæteris alliſis, vel incenſis.
Hoſtium cæſa. 30. millia: quatuor millia capta.
Duces ferè omnes periere.
XV. mille Chiſtiani remo ſubducti,
Victoriā retulere uſq; ad terminos Orbis terrarū.

Gra-

Anni Sal. | Pi. 1571. | 6

Gratias *Pius* uno *Victoriæ* reſtituit vocabulo,
Et nè minus daret Pontifex, quàm Deipara,
Eandem ſolvit numero, pondere, & menſura.
Quæ annuo Roſarum recolitur triumpho:
Ut gratiarum actio foret diuturnior.
Selimus de relinquendo Byzantio cogitabat,
Sed Chriſtiani maluerũt perdere, quã redimere,
Et invidià mordaci victoriam conſumere.
Indignatum tunc Cœlum, *Pium* rapuit,
Ne ab eo cogeretur iterum fruſtrà pugnare.
Obiit [20] tamen claſſicum canendo,
Nec adhuc ſilet adverſus hæreticos, & Infideles.

A Decedere noluit, ni priùs operto corpore,
Quod & medicorum oculis virgo ſubtraxerat.
Ipſum probavere Hæreſiarchæ,
Eius nomine cõteti frigidè ludere in Eccleſiã.
Papa Pius V. moritur; Res mira tot inter
Pontifices tantùm quinque fuiſſes Pios.
Meretrices [21] cum veniſſent ad tumulum
Illo in cinere flammas extinxere libidinis.
Hodiernis miraculis [22] excitatus Clemens X.
Beatum [23] dixit, ut ſucceſſores dicerẽt *Sanctum*.
Vivens ſtatuam [24] reſpuit,
In arà prævidens, quam erexerant in Capitolio.

Anni Sal. | Pi. 1572. | 7

ADNOTATIONES IN PIO V. PONT. ROM. CCXXVII.

Pii V. natalia.

1. G*Hiſlerio*. Ghiſileriorum, vel *Ghisleriorum* familia olim apud Bononienſes nobilis, & Senatoria, patrià bello pulſa civili, eà premebatur egeſtate, ut *Boſchi* in Liguriã oppido agri Alexãdrini, diœceſis Dertonenſis, anguſti agri culturà vitam duceret. Ex hac naſcitur *Pius* die 17. Ian. 1504. D. Antonio Abbati ſacrà. Patrem habuit *Paulum Ghiſlerium*, & matrem *Dominicam Angeriam*. Antonius dictus in Baptiſmate, vel Michael nomen inter Monachos etiam retinuit. Domeſticà inſtitutione à teneris annis ad omnem pietatem inſtructus, ad literas *Studia.* incubuit humanas, in quibus ſupra ætatem profecit quamvis ad curas revocatus domeſticas, panem quę rere cogeretur in ſudore gregem paſcendo, vineam *Paupertas domeſtica.* potando; Hæ erant inopis, & errantis familiæ divitię. Vexatio hæc forsàn juvenem nobilem ad vitam excitavit monaſticam relictis patre, & matre, duabuſq; ſororibus *Iſabellà*, & *Gardinà*, ut mare fugeret infidũ, C ac in portu religionis quieſceret.

2. *Dominici* aggreditur inſtitutum Annos natus quatuordecim Vogheriæ, ad Iriam in Inſubribus op-*Profitetur inſtitutũ S. Dominici.* pido, in conventu S. Mariæ Pietatis, 20. milliaribus longè à domo paternà. Ibi cùm domus non eſſet Profeſſa, Viglevanum tranſmiſſus poſt expletum tirociniũ ſolemni ſe voto religionis obſtrinxit, tantà obſervantià, ut tiro veteranis exẽplũ eſſet monaſticę diſci-*Studia.* plinę. Bononiã indè venit ubi Philoſophicas, Theologicaſq. diſciplinas edoctũ, ac graviorũ Patrũ iudicio, ad docendum idoneũ habitum, Finarii, Caſali, Viglevani, Ravennæ, Ticini, atquè Patavii, aliis erudiendis admovere, Anno Sal. 1528. ætatis 24. Genuæ, *Sacerdotium.* charactere initiatus ſacerdotali, Boſchum redit, ut ubi primitùs vitæ ſpiritum hauſerat, illi primùm Deo, hoſtiã litaret, Gallico furore Patriam reperiens D devaſtatam, caſtrum *Sezzaium* venit, quatuor milliaribus à patrià diſtans, ubi poſt devotè primitiarum *Magiſteria.* oblatum ſacrificium, ad cœnobium, quod incolebat reverſus, ad docendi munerus (quod ſexdecim annis glorioſè ſuſtinuit) ſedulò incubuit, maximo diſcipulorum profectu, quorum nonnulli ad Epiſcopatum evehi meruerunt.

Theſes propugnat in Pōtificiã [illegible] dignitatis.

3. *Parmæ*, in comitiis Provincialibus Anno 1443. (in quibus Definitor dictus) typo excuſſis, ac publicè diſputatis Theologicis theſibus, nõ minùs fidei zelum, animique ſui erga Sedem Apoſtolicam (in quà Deo diſponente collocandus erat) obſervantiam, quàm ingenii acumina, doctrinæquè profunditatem, monſtravit. Ferè namq; omnes auctoritatem Chriſti Domini in terris Vicarii, Romani ſcilicet Pontificis reſpiciebant, contrà evocatas ab allophylis eo tempore ab Orco hæreſes, quas eò ſolidiùs confutabat, quò vehemẽtiùs execrabatur. Vbi enim agebatur cauſa fidei, licèt naturà mitiſſimus, protinùs ex agno in ferocem mutabatur leonem, diros martyrum paratus ſubire cruciatus (ut graviſſimi depoſuere teſtes, nec ſemel res ipſa docuit) pro fidei tutelà. Hinc eà famà doctrinæ prævaluit, ut non ſolùm apud doctos eruditi viri famam ſit conſecutus, ſed ab ipſis Cardinalibus, immò à Sixto V. Pontif. M. etiam poſt mortem eximii Theologi elogio fuerit inſignitus. Reliquo vitæ ſpatio vacabat aut piorum lectioni, ut viva ſanctorum Patrum imitaretur exempla, aut precibus; ſeduloquè Sancti Dominici pervolvebat hiſtorias. Humilitatem adeò dilexit, ut S. *Bernardinus* diceretur redivivus. Fama ſanctitatis cum per Inſubriam evolaſſet; *Alphonſus Davalus* Marchio Vaſtii, *Confeſſor Davali.* eiuſq; filii habere eum voluerunt à ſecretis pœnitentialibus, & eleemoſinarium; licèt Viglevanum viginti millibus paſſuum à Mediolano diſtaret, ubi Gubernatoris titulo Marchio regebat. Hæc omnia citrà paupertatis diſcrimen cum ſemper pedes iter perageret, ſarcinas ferens humeris, eleemoſinas ſibi oblatas in totum pauperibus, vel alendis monacis diſtribueret, nec ſibi tunicà reſervatà, quamvis eà *Paupertatis ſtudioſus.* multum indigeret adverſus temporis iniurias, dicens; *non poſſe monacum ſinè tolerantià conſiſtere*. Sordidas porrò cum abhorrèret veſtes, adagium uſurpabat S. Bernardi, *Paupertas mihi ſemper placuit, ſorditas nunquàm*. Romę degens graviſſimis etiam cũ implicaretur curis nunquàm ultrà decem nummos aureos, nec penes ſe, ſed apud P. Mag. Vincentium Iuſtinianum depoſitos aſſervavit, quibus ſi quid ex ſtipendio, vel eleemoſinis acceſſiſſet, id totum in pauperes erogabat. Obedientiæ lege compulſus Cœnobiorum curà *Conventibus præeſt.* ſuſceptà bis Viglevani, ſemel Ioncini, & Albæ Pompeię (ubi & ſacrarum virginium curam accepit) præfuit, eà charitate, prudentià, & auctoritate, quà & exactam regulam ſervari; & quæ ad eius obſervantiam neceſſaria ſubſidia (etſi in difficillima eius Prælatura incidiſſet tempora) facilè obtineret: priſcorum Religioſorum mores in ſeipſo mirificè exprimens, *Militũ ferociã comprimit.* ferocium etiam militum turmis ob id verendus, ac venerandus. Albæ Pompeiæ Priorem agens, tercenti milites prædæ cupidi, cum expilandi Domum causà acceſſiſſent, inermis occurrens, non ſolùm gravi oratione cohibuit, ſed depoſità audacià Cœnobitarũ

mo-

more, aliquot diebus vivere docuit. Qui hęc à mili-A ribus obtinuit, quid à ſe, vel à Cœnobitis ſuæ curæ ſubiectis, non exegiſſe putas, & conſecutum fuiſſe? Nihilominùs plenum periculis reputans, aliis eſſe Prælatum; in extirpandis hæreſibus malens operam collocare, quam Prælati partes obire; valetudinem cauſatus, quodquè ad parentis ſui D. Dominici Quæſitorum primi ſimilitudinem promoveret, cum peſtilens hæreſeos malum vicinos Italiæ finibus Rhætos corriperet;.

In hæreticos Inquiſitor creatur.

4\. *Inquiſitor* adverſus hæreticam pravitatē, civitate Novocomenſi, à comitiis ſui Ordinis, *Pauli III.* auctoritate præpoſitus, munus mirà animi conſtantià, in Ciſalpinæ Galliæ partibus exequi cœpit. Miſerant Novatores duodecim damnatorum librorum faſces cuidam mercatori Comenſi, ut hoc ſuo per diverſa loca propinato veneno, univerſam contaminarent Italiam. Quo cognito cum Inquiſitor libros ſequeſtro B attineri: Vicarius verò Cathedralis Comenſis (quæ paſtore vidua erat) eos reddi iuberet; gravi excitato tumultu, Vicarium, atquè Canonicos Inquiſitor anathemate feriit. Quorum omnium certius factum Tribunal Romanum, Vicarium cum Canonicis ad ſe advocavit, uti inſidiatores vitæ Inquiſitoris. Provocatione cognità, affines Canonicorum pueros concitatunt adverſùs eum, & lapidibus obruiſſent, niſi in ędes *Bernardi Odeſcalchi* equitis Comenſis aufugiſſet. Non his contenti apud Gubernatorem Mediolani accuſarunt ut ſubvertentem populos, & publicæ quietis perturbatorem; Propterea cum ei Gubernator prohibuiſſet, ultrà in cauſà procedere: minimè obſequentem ad ſe pro die proximè ſequente evocavit, horà matutinà (breve tempus pro uno, & viginti milliaribus) Auditâ citatione adverſarii, inſidias C ſtruxere in vià *Barlaſinà*, quà de more pedes iter habebat (Hic pari ex cauſa S. *Petrus Veronenſis*, annis ab indè tercētis, martyrii palmam adeptus fuerat) ut in tēpore adeſſet, Michael, quē Deus ad meliora ſervabat, aliâ longiore vià, & tam properè Mediolanum contendit, ut antè horam adfuerit præfixam. Indignè tamen à Gubernatore habitus, cū nihil in contumaces proficeret medià rigente brumà Romam pedes ſe contulit: Vrbemquè (exeunte Anno Sal. 1550.) pridiè Natalis Domini, primà vice ſubiit incognitus P. Priori S. Sabinę, à quo interrogatus, cur Romam veniſſet? cum reſponderet, ob arcana graviſſima cum Cardinalibus peragenda; ſubridendo, & ſubſannando Prior prophetavit, dicens. *Oppido Cardinales te Papam dicent*. A purpuratis admiſſus, tanto fervore rem expoſuit, ut magnam prudentiæ, ac zeli laudem reportarit. Dicenti cuidam, non imprudenter eum ac-D turum, fuiſſe, ſi ob debitam Ordini eccleſiaſtico reverentiam, cum Reverendiſſ. illo Capitulo benigniùs egiſſet, hanc inter Sapiētum apophtegmata connumerandam fertur protuliſſe ſententiam: *Inquiſitor qui in S. Officii negotiis ex perſonarum qualitate, & conditione rem penſat, ei muneri impar eſt*. Sub idem tempus lis agebatur de Curienſis in Ręthià Eccleſię Pręſulatu inter ſuſpectum de hęreſi, & Catholicum eiuſdem eccleſię Canonicos, ad quem ille maiore eligentium numero, hic ſanioribus votis electus erat. Idoneus viſus Michael, qui cauſæ diiudicandæ illuc deſtinaretur, non detrectavit periculum. Suadentibus

Diſſidiū cum Gubernatore Mediolan.

Vita tentatur.

Romā venit.

Subſannatur à Priore.

Rhetiā mittitur.

amicis, ut habitu alieno (cum Prædicatorum familiæ hæretici infenſiſſimi eſſent) eò ſe conferret: *Veſtem* (inquit) *non mutabo, ſed in eà prò Fide, & Religione mortem oppetam, ſi divino id beneficio mihi conceſſum fuerit*. Eo igitur animo Curiam profectus, quæſtionē habuit, literis conſignavit, hæreticos ita ſanctitatis, ac virtutis ſuæ admiratione defixit, ut nec ſententiæ intercedere, nec mali quidquam in ipſum moliri auſi fuerint.

Eius conſtantia ab Hęreticis laudata.

Eundem Catholicæ fidei zelum oſtendit Bergomi, & contrà *Gregorium Medolacum*, virum nobilem, ac potentem, ſed labe infectum hæreſeos, & contra eiuſdem urbis Epiſcopum *Victorē Saperantium*, quæſtionem habere iuſſus ad formam iuris, præſentiſſimum iterum incurrit vitæ diſcrimen. Vbi enim compertum, Inquiſitorem adeſſe animo in Epiſcopum inquirendi, & per teſtium depoſitionem procedendi; Epiſcopus armatà manu in Cœnobium irrumpit, cunctis in id unum intentis, ut Dei miniſtrum unà cum libellis tollerent. *Michael* auditâ turbà, ad inexpugnabilem primò orationis arcem confugiens, mox fide plenus irruentem cohortē imperterritâ voce ità repreſſit, ut in fugam omnes converſi, nil ei intulerint nocumenti. Nè tamen Deum tentare videretur, iuxtà Salvatoris præceptum, *Cum vos perſecuti fuerint in unà civitate, fugite in aliam*: Bergomo noctu ſecedēs, ruſtico duce aviis itineribus, paratas denuò evitavit inſidias. Quæſtionem verò præſcriptam, quam cum iis, quæ teſtes depoſuerant, F. *Aurelio Griano* Ordinis S. Franciſci commiſerat magnà fide ſervatam, ubi in tuto extrà diœceſim conſtitutus receptis, Romam detulit ad S. Inquiſitionis Præſides: qui eximiam eius prudentiam, animi fortitudinem, Religioniſquè tuendæ ſtudium collaudantes, Epiſcopum Romam venire iuſſum, ac de crimine convictum, Epiſcopatu privarunt. Tanti laboris ſocium habuit Comitem *Ioannem Hieronymum Albanum*, quem Papa dictus Cardinalem creavit. Anno M. DLI. vità functo *Theophilo Tropeienſi* Ordinis Prędicatorum, primo in Vrbe Proinquiſitore, quem Generalem S. Inquiſitionis Commiſſarium appellant; cum Generalis Ordinis Dominicani tres nominaſſet viros ſpectatæ virtutis, ad implendum locum vacantem; Cardinalis *Io: Petrus Caraffa* primarius S. Inquiſitionis præſes, ſponte ſuà *Michaelem* propoſuit, Pontifex verò Iulius III. poſuit. Vndè F. Michaeli iure adaptari poſſet, quod de Michaele Archangelo canebat Gregorius, *Quoties mira virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur*. Quanto plauſu munus adminiſtraret? mitra, purpura ſint monimenta virtutis. Eius vigilantiæ datur converſio *Sixti Senēſis* volumine ſuæ *Bibliothecæ* ſatis noti. Is Hebræo natus patre Frāciſcanæ adſcriptus familiæ, in gentilitiam impietatem ſemel, iterumquè relapſus, errorem flammis expiaturus erat, niſi Deus pertinacem reſpexiſſet, & *Michaelis* tunc Proinquiſitoris operà ad veritatem revocaſſet, apoſtaſiæ veniā, & mutandi ordinis indulto ſuis ipſe manibus, ac proprià veſte illum induit, ad æternum Eccleſiæ, Reipublicæ literariæ, Ordiniſquè Dominicani ornamentum, ut ipſe *Sixtus* initio ſuæ Bibliothecæ Pio in ipſo Pontificatus exordio dicatæ, præfatur. *Tu me olim ab inferis revocatum, & errorum tenebris exutum, ſinceræ veritatis lumine illuſtraſti, & ad ſublimis diſciplinæ obſer-*

Epiſcopus Bergomenſis de hæreſi convictus.

Novum ſubit vitæ periculū.

Bergomo fugit.

Commiſſarius dicitur S. Inquiſitionis.

Sixtum Senenſem ad fidem trahit.

ſervantiam perductum habitu S. profeſsionis tuæ, tuis ipſe veſtibus, tuis ipſe manibus induiſti, & in filium tuo renatum ſpiritu adoptaſti: meque in hoc ſacro Prædicatorum Ordine, ità benignitate, ac liberalitate tuà ſemper in hanc uſquè diem foviſti, ut nulli magis debeam in terris, quàm tibi. Mortuo interim *Iulio III.* An. 1551. *Marcellus II.* ſucceſſit, & dies 22. Pontificatum tenuit, cui ſucceſſit *Paulus IV.* Gemino regnante Conclavi, Patres *Michaelem* Inquiſitioni præfecere, adprobante *Paulo IV.* & ad Nepeſinam Eccleſiam, quæ in diſtrictu Vrbis cum Sutrinà coniuncta eſt, invitum, maximèq; reluctantem eveheute. Cumquè multis argumentis, nè onus ſubire cogeretur, inſtantiùs ageret, Pontifex nonniſi poſt triennium exaudivit rogãtem. Immò ad Regularem quietem redire enixè flagitanti *Paulus* apertè negãs reſpondit: *His te compedibus illigabimus, at ad cœnobiticam vitam amplius redire non poſſis*. Anno namquè 1557. diè 15. Martii Cardinalem appellavit Alexandrinũ ex Comitatu Alexãdriæ, in quo natus erat. Eccleſiam etiam Minervę, eius contemplatione *Titularem* fecit, quæ anteà non erat. Dictus Cardinalis, vitæ non mutavit inſtitutũ, nec divitias quæſivit. Redditibus contentus quinquè mille ducatorum non pro voluptate, ſed adversùs neceſſitatem, viginti homines in familiam adſcripſit, qui monachi potiùs crederentur, quàm aulici, eorumquè curã pater gereret, quàm dominus, domus parte ſegregatà in valetudinarium, ubi ipſe non ſolum ſacramenta adminiſtrabat, ſed alimenta.

Inquiſitionem moderatur Interregno Pótifiće.

Antiſtes fit Nepeſinus.

Tentat redire ad Clauſtrum.

Eligitur Cardinalis.

5. *Inquiſitorem* etiam idem *Paulus IV.* dixit Vrbis, & Orbis; munus quod in eodem *Pio V.* ut ſurrexit, deceſſit. Illud enim ad ſe Pontifices evocantes, perſonaliter voluere præeſſe ei tribunali, quod Põtificis appellatur. Hoc in munere, inter plura, quæ memoratu digna geſſit, meritò recenſentur, quæ contrà nonnullos Gallicanos Præſules hæreſi infectos ſub finem Tridentini Concilii, acta ſunt, *Odertum Diaconum Cardinalem Caſtilioneum*, *Epiſcopum Bellovacenſem*, qui depoſità purpurà, atquè Epiſcopi abdicato nomine, *Iſabellam Altavillam* ſacrilego ſibi copularat coniugio. Romæ publicè excommunicavit, ac ſententia typis excuſſa per Galliam diſſeminata fuit. Quo telo perfidus ille perculſus, Epiſcopatu relicto, cum pellice in Angliam tranſmiſit, ubi apud tyrannam peſſimorum conſiliorum conſors cauſam agens Hugonotorum, miſerè (ut ſolent Apoſtatæ) periit. Quoad alios Gallicanos Epiſcopos, ut & *Ioannam Reginam Navarræ* de hæreſi acculatos, Rege Chriſtianiſſimo ſententiæ intercedente, acta tantiſper ceſſarunt iudicialia, quouſquè ad ſummum Pontificatum ipſe evectus eſt Pius.

Inquiſitor Vrbis, & Orbis.

In Cardinalem inquirit hæreticum.

In Reginam.

Chriſtianam pariter purgavit Bibliothecam, impiis hæreticorum voluminibus ſtigmate notatis. *Cum enim inter decem ampliſſimos Cardinales, apud quos ſacroſancta Romanæ Inquiſitionis ſuprema authoritas erat, principem locum teneres* (Pium alloquitur Sixtus Senenſis) *te auctore prodiit decretum illud Sanctiſſimum de reparandà totius* Chriſtianæ Eccleſiæ *Bibliothecà, quam perditiſſimi noſtrorum temporum hæretici ſuis moribus, ac peſtibus ita corruperant, ut nihil aliud, quàm certiſſimum eius exitium eſſet expectandum, niſi tu repentè opem attuliſſes. Primum enim toto Chriſtianorum Orbe conquiri nefariæ doctrinæ libros, & publicè exuri iuſſiſti. Deindè expurgari, & emaculari curaſti, omnium Catholicorum Scriptorum, ac præcipuè veterum Patrum ſcripta, hæreticorum ætatis noſtræ facibus contaminata, & veneno infecta. Poſtremò catalogum, vel indicem edi mandaſti auctorum, & librorum omnium hæretici nominis, qui eſſent ab Eccleſiaſticà bibliothecà arcendi, & ab omnibus Chriſtianis abiiciendi*. Librorum porrò Iudaicæ ſuperſtitionis tanta fuit ſarrago, ut ex unà Bibliothecà Iudæorum Cremonenſium, An. 1559. duodecim Thalmudicorum codicum millia exuſta ſint. Pontifex factus omnia doctoris Angelici D. Thomæ, nec non Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ opera, multorum millium nummorum impenſis, accuratioribus typis imprimi fecit. D. Thomam, *Quintum Doctorem* appellavit Eccleſiæ, eiuſq; diem natalitium, feſtum voluit in Regno Neapolitano. Tantos honores non niſi in

Libros purgat.

S. Thomam dicit V. Doctorem Eccleſiæ.

6. *Pauperum* uſus convertit, eximiæ Charitatis argumentum in Deum, & proximos, ut largæ teſtãtur eleemoſinę, ſollicita infirmorum cura, afflictorum conſolatio, quam verbis abſolvebat, & auro. Die inaugurationis ſuę, pecuniam, quæ in ſignum lætitiæ in vulgus ſpargi ſolebat, ne quis à conſertà, ut aliàs contigerat, multitudine opprimeretur, pauperibus in ſtipem erogari iuſſit. Sumptus, qui quot annis die inaugurationis ampliſſimo, quo Cardinales, & Principum Legati excipiebantur, convivio impendi ſolebant, mille videlicet nummos aureos Religioſis Cœnobiis annuatim diſpertitus eſt. Per eos dies cùm Comes de Altamurà longam navem expugnaſſet inſignis piratæ, in quà 80. captivi Chriſtiani reperti, qui ſuprà decem annos duram pertulerant ſervitutem, Romæ Pontifex humaniſſimè accepit, veſtibus, pecunià iuvit additis ſacris munuſculis, ut ad ſuos redirent. Auguſto menſe, cum ex naumachià Domitiani putridi halitus vicinos corriperent habitatores, Pontifex immiſſis Medicis, aliiſquè, qui curam gererent infirmorũ, largè providit ſumptibus ſuis. Pauperum etiam, quot quot in Vrbe eſſent, exemplo S. Gregorii M. habito abecedario, per fideles miniſtros, ſingulos inviſebat, providebat, fœminis præſertim, ut honeſtatem matrimonio ſervarent ſubveniebat liberaliſſimè. Nõ rarò ipſemet Vrbis noſocomia viſitans, & diſponens ei uni, quod S. Spiritus vocant, 25. millium aureorũ dono conſuluit. Miſerabilium omnium per Orbem Chriſtianum oppreſſorum quãtum poſſet literis, pecunià ſublevare curans miſeriã; cum inauſpicato prælio contrà perduelles *Naſſovianos* fratres in Friſià pugnans, generosà morte occubuiſſet *Io: de Ligny*, Comes *Arembergius*, non alienum à ſuo exiſtimavit munere, ægrã mœrore viduam literis conſolari; quarum exemplar cũ Cornelio Muſio, Poetices, & Martyrii laureà poſtmodum claro prælectum fuiſſet, piã iſte Pontificis admiratus ſollicitudinẽ, *Hoc vere* (ſubiecit) *pium Pii Pontificis officium, tam piè piam viduã conſolari*. Pietate non minori *Mariæ Scotorum Reginæ* ex animo condolens, precibus iuvit, atquè pecunià, ut infrà habes *n. 16*.

Charitas in pauperes.

Curam gerit infirmorũ Pauperum.

Noſocomia viſitat.

Literis Viduas conſolatur.

Mariã Reginã Scotiæ pecuniã juvat.

Iam Pontifici cum magnus Princeps annuum triginta millium aureorum proventum obtuliſſet, ille magno animo recuſavit. Marchione etiam de *Marmo* ad pedum oſcula veniente, & Boſchum, ſuæ potesta-

Oblata à Principibus reſpuit.

teſtatis(quod Pii patria erat)offerente;neutiquam acceptavit,dicens; *æquum non eſſe, ſi acceptet, quin maius aliquid retribuat;nihil autẽ ſuam,ſed omnia ſibi credita Eccleſiæ eſſe,ex quibus nihil donare poſſet.* Hiſpani quidam Principes coniugii causâ, cum ſolvi poſtularent legibus Eccleſiaſticis, ſexdecim aureorum nummorũ millia gazophilacio illaturi Pontificis. Pius poſtulata diligentiùs expenſa, ubi legitima coguovit, nullà receptâ pecuniâ,quod petebatur,indulſit. Obiicienti Datario pecuniam ſalvis legibus accipi poſſe,& in pios uſus converti; ſubiecit Pontifex verba Concilii Tridentini: *Rarò,ex causâ,& gratis.* Piè,ſanè,ac rectè.

Pro diſpẽſatio ne matrimonii pecuniam reſpuit

Gravius accipe ex prælio ad Monconrurium B. Pii precibus,auxiliaribuſquè copiis fœliciſſimo. Comiti Montis Floris exercitus Põtificii Imperatori ſe Princeps Hugonotorum dediderat Vticcuſis,eâ conditione,ut ſolutis decies millibus aureorum reſtitueretur dedititius. Ægrè tulit Pius parcitum hæretico fuiſſe. Sed cum æquitas non pateretur pactum reſcindi,& detineri captivum; iuſſit nè Zoagriæ causâ quidquàm acciperetur; ut indè intelligerent, unam Dei gloriam Pium nedùm illo bello, ſed toto ſpectaſſe Pontificatu.

Captivos ſolvit ſine lytro.

Rei frumentariæ inopiâ fatigatis Romanis, ut habes in IV. nummiſmate ex Siciliâ triticum advehi, & minori quo conſtitiſſet pretio vendi iubens. Quæſtori expoſtulanti reponebat Pius; *magis præſtare,populum neceſſariis abundare alimentis,quàm arcus otioſa plenos intacti pecunia.* Bello in Turcas argentum, cum deficeret;neutiquam adduci potuit,ut vel tributa exigeret amplìora,vel leges ſolveret eccleſiaſticas. Aulicos *Beneficiorum regreſſus*, aliaſquè artes ad colligẽdam pecuniam proponentes audiebat patienter,quaſi conſilio inclinaret propoſito, ſed mox, *Avertat* (inquit) *à me Deus, ut pietatis causâ quidquam permittam quod minus pium, vel avaritiam præſeferat*: & inter hæc libellos illos omnes in ignem proiecit. Pari zelo conſiliarium,qui exigendæ pecuniæ modos abſquè populorum damno pollicebatur, nõ modò audire negavit,ſed Roma excedere iuſſit,ratus; impoſſibile eſſe, pecuniam exigi à populo ſinè populi detrimento. Propterea ſummam quingentorum millium aureorum ex vectigalibus colligendam non admiſit, quàm voluntariâ divitum largitione erogandam. Hæc cum præſtandis ſumptibus non ſufficerent, nè populum exactione gravaret,à Cardinale pronepote ſuo,officium Camerarii S. R. E. in Aulà præcipuum Pontificiâ,quod annum geſſerat cum dimidio, repetiit, ut illud alteri pecuniam ſubminiſtrãri conferre poſſet. Quod is tàm prõptè dimiſit,quàm invitus ſuſceperat. Sicut enim eiuſdem ſanguinis, ita & genii nepos cum patruo,etiam in Hiſpaniâ, Galliâ, Luſitaniâ Legationis munere functus (uti Pontifex præſcripſerat)nil munerum, quantumvis Reges urgerent, recipere voluit.

Inopiã annonæ levat re frumentariâ.

Nova vectigalia damnat.

Suadentem exactio mulctat.

Pronepotem ſpoliat officio Camerarii, ne populũ gravaret.

Gravis inopia cum munificentiæ nihil detraheret, Cardinales pauperes ſuis iuvabat redditibus, de Chriſtianâ Republicâ meritos donabat præmiis, Epiſcopos penſionibus non gravabat, potius eis gratis relaxabat Bullas,ſatis ei pro auro, atquè natalium ſplendore,virtus. Hinc cum Cardinales unum ſuprà viginti creaſſet,omnes moribus, ac ſcientiâ claros, inter eos unicum eſt paſſus pronepotem, ex Cardinà ſorore *Michaelem Bonellum* Ordinis Prædicatorum, *Religionis, prudentiæ, integritatis, eximiæquè virtutis laude præſtantiſſimum*, cui Principibus intercedentibus titulum contulit *Alexandrini S.* Mariæ, ſuper Minervam, ſuumq; dixit Coadiutorem moderato reddituu, XV. millium ducatorum. Hac munificentiâ devicti Principes ſæculares, non ſolùm erubeſcebant indoctis inſulas quærere, immò dedecere Pontifici Epiſcopatus implere vacantes numero 354. qui titulo Commendæ, aliis Epiſcopatibus iacebant connexi, gravi populorum damno.

Creat Cardinales.

7. *Pietati Pii IV. hoc ſolum defuit. Quantum non audiſſe Pium.* Pius IV. *Mediceus*,cum fratrem Mantuani Ducis,*ac filium Ducis Hetruriæ* teneræ adhuc ætatis pueros Cardinales curare decreviſſet anniverſario ſuæ electionis die, poſt grande convivium, quo Eccleſiæ Principes, ac Regum Legati annuatim excipiuntur, occaſionem ratus opportunam, Cardinalium, qui eo convenerant, ſententiam rogavit. Annuere omnes, Cardinali excepto *Alexandrino*, qui humano timore ſeppoſito, reſpondit: *gratificandum quidem Principibus, qui inſtar clypei, & teli ſunt Eccleſiæ, non tamen ſerviendum more mancipii, quaſi eorum, quæ rogant, vel ambiunt, etiam minus iuſta, vel honeſta non ſit ius, aut locus recuſandi. Puerorum hanc Electionem, nec ipſis quorum causa petitur, nec eorum parentibus, nec Eccleſiæ, nec temporis, nec Collegio convenire graviſſimo: Immò hæreticis ludibrio, Piis ſcandalo, & maximè Tridentinæ ſynodi Patribus adhuc congregatis dedecori, & offenſioni fore graviſſima,quod decreta de diſciplinâ eccleſiaſticâ,de Paſtorum eligendorum ætate,& moribus ſancita, ipſis ſpectantibus, ſubſannantibus hæreticis, convellantur tam propriâ, & intempeſtivâ electione.* His & aliis ab Alexandrino invictâ dictis conſtantiâ, cùm paucorum indignatione, tùm cæterorum admiratione auditis;ſolutâ concione,vox hæc excidit Ranucio Cardinali S. Angeli:*pudendum planè inter tot proceres ſummo loco natos auſum neminem verbum hiſcere, præter novum hominem,quem Deus certè brevi largè remunerabit,& ad ſupremam ſedem provehet, quâ ſe anus dignum probavit.* Idem cum reſciviſſet *Coſmus* dux Hetruriæ, licèt ageretur de filio ſuo, pronuntiaſſe dicitur,*hic verè Cardinalis Dei*.

Reſiſtit Pio IV. pueros in Cardinales eligenti.

Laudatur à Coſmo Duce Hetruriæ.

Pari conſtantiâ, ac libertate Pontifici refragatus, cum Avenionenſe legatione meditanti ſpoliare Cardinalem *Farneſium*,ut ornaret *Borbonium* eo pretextu, quòd Rex in gratiã Borbonii cõtrà hæreticos crederetur arma laturus. Si (aiebat *Ghiſlerius*) *Regi vires fuiſſent,Hugonotos ſuo priùs expuliſſet regno,quàm alieno.* Propterea cum à plurimis moneretur, ſibi cavere, quia nimiâ dicendi libertate Pontificem offendiſſet? reſpondit: *Non eſt ex me, ut ad Ordinem, quem profeſſus ſum,non revertar. Cur eo in ſtatu maneam, ubi veritatem audire recuſant.* Nec longè offenſus Papa, ex ædibus Vaticanis *Michaelem* dimiſit,qui non procul à S. Mariâ ſuper Minervam Domum conduxit, ubi cum calculi doloribus excruciaretur graviſſimis, ad mortem,in ſolo eiuſdem templi ſepulchrum ſibi fieri curavit,cum inſcriptione ſequenti.

Parat ſibi tumulum.

Ad laudem D. O. M.

F. Michael Ghiſlerius ex oppido Boſchi agri Alexandrini Ordinis Predicatorum D. *Mis. II. S. Sabinæ S. R.E. Pres.* Cardin. *Noſcens terram terra ſe redditurum, ob certam reſurrectionis ſpem in* Virginis *Dei Genitri-*

cis templo, Cœtus & ſanctorum, ac piorum viventium expiens adiuvari ſuffragiis, locum hunc vivens ſibi ſtatuit, in quo cadaver, cum ſuum obiret diem, poni curavit. An. agens ætatis ſuæ LX. Et humanæ ſalutis An. 1564.

Bona eius diripiuntur à piratis.

Recuperatà valetudine ad Montis Regalis, cuius curam gerebat, Eccleſiam ſibi ab eodem Pio IV. commiſſam cogitans, varia ad divini cultus ſplendorem augendum ornamenta cymbæ impoſita Genuam præmiſit. Quæ cum piratis in prædam ceſſiſſent, ingenti animi dolore affectus præcipuè propter iacturam M. Scriptorum, in propoſito tamen abeundi perſiſteret; Cardinales, ac S. Inquiſitionis Præſides abſentiam eius ægrè ferentes, à Pontifice impetrarunt, ut eum Romę iuberet ſubſiſtere, ubi brevi poſt tempore, loco parvulæ cymbæ, Petri navis ei committitur gubernanda. Nam mortuo

Papa eligitur.

8. *Pio* IV. duo ſuprà quinquaginta S. R. E. Cardinales locum electionis ſubeuntes repentinà, & in- B ſperatà electione *Alexandrinum* dixere Pontificem. Principio quidem diù, multumquè laboratum eſt, ut vel *Io: Card. Moronus*, vel *Guillelmus Sirletus*, uterquè ſummà ſede dignisſimus, Pontifex eligeretur. Carolus autem Borromæus (cui maior pars videbatur adhærere ſacri Senatus) cum difficilem fore eorum conſpiceret legationem, unà cum *Marco Scitico Card. Altempſis* pro *Alexandrini* creatione meditari cęperunt. Eorum propoſitum ubi Cardin. *Farneſius* S. R. E. Cancellarius intellexiſſet, conſeſtim ſuo roboravit ſuffragio. *Moronus* ipſe vir prudens, cognità *Alexandrini* virtute, laudavit. Ita cum XXIX. interregni die, in perpetuà illà ſui animi æquitate, ac moderatione quieſcentem, nihilquè tale cogitantem, præter omnium expectationem, repentè divinitùs conflato Patrum conſenſu, cum privatim ſinguli reiecturi viderentur, communiter univerſi Pontificem Max. renunciaruot, VII. Idus Ian. An. 1566. & *Borromæo* duce traxere nollentem.

Tempus electionis.

Quo facto, cum poſt conſuetam adorationem à Cardinale Vico Cancellario urgeretur, ut electionem voce ſolemni *Acceptamus*, ratã haberet, diu cogitabundus hæſit, inter ſpem, & metum incertus: tandem cum neq; honorem illum ambierit, neq; deſiderarit, ne vim faceret Providentiæ supernæ, graviter ſuſpirans, delatum ſuſcepit Pontificatum.

Cur Pius dictus.

Precibus autem S. Caroli Boromæi, & Cardinalis Columnæ id conceſsit, ut *Pii* V. nomen aſſumpſerit, tum ad renovandam memoriam *Pii* IV. tum ut timorem mitigaret Populi Romani, qui cum ſeverioris ingenii conceperant. Vndè cuidam familiari priſcæ ſeveritatis metum à Populo conceptum referenti, repoſuit: *Confidimus Deo, eius ope nos ita facturos, ut maiorem, ac longiorem ex obitu noſtro, quàm ex hac à nobis ſuſceptà dignitate metum, ac mœrorem homines ſint percepturi*. Cuius voto Davidicum illud aſ- D ſumpſit in ſymbolum,

Symbolũ eius.

Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Pſal. 118. Die XVII. Ian. D. Antonio ſacrà, atq; anniverſarià natalis ſui Annum agens 62. antè Vaticanam Baſilicam ab Vrbinate Cardinale coronatus eſt, præludente Cœlo pluribus revelationibus factis primò S. Philippo Nerio, dum Cardinalibus iam in Conclavi congregatis pro fęlici electione novi Pontificis Deũ ferventiùs ſupplicaret, hanc in ipſo noctis ſilentio vocem audivit: *Fr. Michael Cardin. Alexan. Pontificatum obtinebit*. Franciſcus Cardinalis Gonzaga in concla-

Cęlitùs prædicitur eius Papatus.

vi, ex infirmitate decumbens, paucis diebus antequàm è vità diſcederet; nocte quàdam è ſomno excitatus domeſticos increpavit, cur eum ad adorandum Alexandrinum non excitaſſent iam Papam electum? & paulò poſt expiravit. Sic F. Geneſio Lucenſi, qui Conventu S. Mariæ præerat ſuper Minervam, priusquàm de eo eligendo quidquam innoteſceret, ornatu apparuit decoratus Pontificio. Momentanea cum viſio fuiſſet; perbrevis creditus eſt futurus Pontificatus. Quod cum Pius reſciviſſet, reſpondit hilaris, *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: In Domum Domini ibimus*. Ex antiquis S. Malachias Primas Hiberniæ, futurum Pii V. Pontificatum prædixit ſub ſymbolo *Angeli Nemoroſi*, quia nomine *Michael*, ideò *Angelus* diceretur; *Nemoroſus*, quòd *Boſchi* natus. Miro quoquè modo iam facta electio Boſchi innotuit illius patriæ, teſte *Guillelmo Baſtono* (qui ibi aderat, & poſteà Papienſis eſt factus Epiſcopus) Veredarius nuntium deferens electi Pontificis in Galliam, equo aberrante, Boſchum venit, vbi in medio viæ regiæ adeò fixus hæſit, ut neque calcaribus, neque verberibus ut pergeret, adigi poſſet. Stupet ſeſſor, ſtupent incolæ, qui ad inſolitum ſpectaculum convenerant: Interrogantibus quis, undè, quò tenderet? Reſpondit, Romà venio, ubi Cardinalis Alexandrinus electus eſt Papa, eiuſquè nuntium in Gallias defero. Vix hæc dixerat, quòd equus velut ruptis repagulis ſolitum rediit ad curſum, Veredario ignorante eam eſſe patriam Pontificis. Ex his habes, quòd *non fumoſa maiorum imagines, nec invidioſa divitiarum magnitudo, nec eblandita Principum commendationes viam ei ad Pontificatum munierunt, ſed eadem illa virtus, quæ ipſum ab incunabulis ſuſceptum comitata eſt, in illo ſummo dignitatis ſolio ſuis ipſumet mani-* C *bus eum collocavit*. Expavens animo, cum tanto ſub pondere penè linqueretur, cauſam rogatus, reſpondit ingenuè: *Cum eſſem Religioſus Ordinis S. Dominici,* (ita diſertiſſimus ſeculi ſui Orator de eo ſcriptũ reliquit) *optimè ſperabã de meà ſalute; creatus Epiſcopus timere cœpi, Electus Pōtifex penè deſpero. Quomodò enim Deo rationem tot millionum animarũ, quot ſunt in Orbe reddam, qui vix unius animæ meę rationem reddere valeo*.

De eius pietate teſtes.

De eius pietate audi S. Carolum Borromæum *ep. ad Regem Portugaliæ. Quià Cardinalis Alexandrini pietas ſingularis, integritas, ſolertia, ſenſuſquè omnes pleniſſimi ſanctitatis, mihi iampridem erant cogniti, & probati, putavi ab eodem percommodè, & divinitus Chriſtianam Rempublicam poſſe adminiſtrari, ſi ad Pontificatum eſſet provectus. Quarè omnem meam mentem eò contuli, ut is Pontifex crearetur; nec ità multo poſt univerſi noſtri Ordinis incredibili conſenſu, & lętitià Pontifex M. eſt declaratus. Itaquè hoc nomine tibi* D *etiam valdè gratulor, quòd ſanctiſſimum, prudentiſſimum, & etiam omni virtutum genere prętantiſſimum habemus Pontificem*. Ita Sanctus de Sancto, quos moribus, ac pietate pares vocare ſolebat *Leo* XI. teſtibus Coſmo Gherardeſco Epiſcopo Collenſi, & Petro Strozza Canonico S. Petri. Dictus itaq; Pontifex *Pius*, vt Orbem reformaret corruptum, ab aulà incœpit.

Pii religio, pietas, oratio.

9. *Exemplo* ſui. Mane ſurgens Horas recitabat canonicas, indè intrà penitiora Oratorii, orationem ſubibat mentalem, quà immotus veluti alienatis à corpore ſenſibus per horas perſiſtens, non audie-

bat

bat loquentes. Orationem cum diceret *præſidium eſſe Pontificum*, ab hoc intenſo pietatis ſtudio, non ætate, vel morbo ingraveſcente, neq; negotiorum pondere, etiam cum ei univerſa Chriſtianæ Reipublicę cura incumberet, quidquam remiſit, ſed uſq; ad extremum vitæ ſpiritum frequentavit. Immò quò graviora imminerent pericula, tanto ferventiùs ſupplicationibus publicis, & privatis avertere, vel antevertere conabatur, corporis afflictationes geminando. Nullo unquàm die, à quo meminiſſe poterat, (vt ipſemet affirmare auditus eſt) Miſſæ non adſuit ſacrificio: & nè aliquando non adeſſe contingeret, Vaticano Palatio ſacellum adiecit ita diſpoſitum, vt Presbiterum ſacta facientem Pontifex morbo impeditus, & videre poſſet, & audire. Ipſe etiam à die ſuſcepti Sacerdotii, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium nunquàm celebrare neglexit, niſi morbo, aut gravi neceſſitate prohibitus, quod maximo devotionis ſenſu id peragebat, ubertim fluentibus lachrymis, lætà tamen facie, vt teſtes depoſuere graviſſimi. Antequàm ad aram accederet, integræ, aut ſaltem dimidiæ horæ ſpatio, in genua provolutus, devotiſſimè orationi inſiſtebat, idem faciebat peracto ſacrificio. Petri Baſilicam cum frequens adiret, fixis genibus, aperto capite, ad aram Euchariſtiæ, integris horis in extaſim raptus continuabat. Subindè ſeptem ejuſdem Baſilicæ altaria obeundo, integram in precibus horam inſumebat. Septèm Vrbis Eccleſias (quod ei uſquè ad obitum ſolemne fuit maximè in diebus Bacchanaliũ) toto ferè itinere pedes inviſebat. Longior mora in S. Marià M., ubi flexis genibus, cũctis manibus uberes ex oculis lachrymarum fundebat rivulos, pro eis rogãs, qui inſaniebant, vanitate decepti mundanà, ſingulis noctibus (ita referentibus cubiculariis) ad precandum ſtrato ſurgebat, ac maiorem quandoquè noctis partem in oratione perſeverabat. Maximo devotionis affectu ergà Deiparam Roſarianas preces, nullo unquàm die, licèt publicis oppreſſus curis, nec Litanias, quas ſerò cum aulicis recitabat intermiſit. In publicis ſupplicationibus, quas ad placandum Deum, & frequentes inſtituit, maiore viæ parte pedes ibat, etiam cum plueret: quandoq; etiam nudis pedibus, tantà devotione, ut etiam hæreticos intuentes commoveret. Nobilis quidam Anglus cum Pontificem pedibus euntem in ſupplicatione, ac in ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, fixis oculis, magnà veneratione geſtantem videret, corde compunctus, abiuratà hæreſi ad Eccleſiam rediit. Eodem exemplo *Dux Olica Polonus*, Romæ, pietatem, ac ſanctitatem Pii demiratus, hęreſes execratus, datiſq; ex Polonià ad Pontificem literis, ſe ab ipſo verę Fidei lumen percepiſſe palàm teſtatus, etiam coniugem ad veritatem inducturum promiſit. Anno 2. electionis ſuæ Natalia Salvatoris eà devotione coluit, vt in ipſà nati Redemptoris ſolemnitate, nocturnis precibus, & Miſsæ ſub mediam noctem interfuiſſet; in ſacello domeſtico bina ſacra devotiſſimè peregerit, cunctis familiæ ſuę hominibus ſuà manu Euchariſtiam præbuerit, & tandem in Baſilicà D. Petri tertiam Miſſam ſolemni ritu celebrarit, ac concionẽ audierit pomeridianã. In ſolemnitate S. S. Corporis I. C. licèt valetudinarius operà uteretur medicorum, ſacrã Hoſtiã verè *Pius* nõ ſellà pro more geſtans, nec thiarà redimitus, ſed pedes incedens, maximà populi ædificatione diviniſſimum ſacramentum in ſupplicatione deferre voluit. Eius preces tanti fecit Rex *Luſitanus*, vt ſequentia ſcripſiſſe legatur. *Omnipotenti Deo grates humillimè ſolvimus, quia B. V. pias lachrymas ſuſcipere dignatus ſit, preces, ieiunia, ſuſpiria, quæ licèt ſenilia vim intulere Cęlo.* Ipſi infideles *Solimanus*, *Selimus* arma quamvis irriderent Chriſtianorum; preces tamen formidabant Pontificis, huic Napactinà clade, illi in obſidione Zigheti, morte graviſſimi.

Sacra facit quotidie.

Roſarianas preces frequentat

Suà devotione convertit Hæreticum

Eius orationem timent Infideles.

Ieiunium tam ſanctè ſervavit, vt Monachus carnẽ nunquàm comederit. Epiſcopus factus, Cardinalis, Papa ætate, ac valetudine feſſus iuxtà morem vitę Monaſticę, ter in hebdomadà non manducabat carnes: Reliquis diebus neq; in articulo mortis ſacris ſe legibus ſolutum voluit. Quare cum ſub mortem graviter ęgrotanti contuſas carnes contritis amigdalis commixtas, die quodam quo ab illis abſtinebat adminiſtri clam ei ſumendas præbuiſſent; nec pietatem neceſſitas vincere, nec palatum fallere potuit aſtutia: nam expoſtulans adversùs miniſtrorum fraudem coarguit, quòd vellent ob duos breviſſimos dies vitę, ipſum à cuſtodità per annos ſexaginta vivendi lege revocare. Tempus, quod *Adventum Domini* vocamus etiam Pontifex, æquè, ac Quadrageſimę, quotidianis ieiuniis, crebrioribus precibus, largiori eleemoſinà tranſigens, ut id commodiùs pręſtare poſſet abſquè ſubditorum detrimento, prandio frequentiùs abſtinebat, cænà contentus. Quam ſobriè diebus etiam cęnaret feſtis, teſtem habes occulatum, *Martinum Navarrum*. Tractat. *De Redditib. Eccleſ. Monito 45.* qui frequenter datà operà menſæ adſtabat, pręcipuè die D. Antonio ſacrà, quæ eius Natalis, ac Pontificiæ inaugurationis anniverſaria erat: duobus tantum ovis in ſartagine frixis, & offis, *neſcio* (ait) *quarum herbarum iure in lancem infuſo, atquè unico potu vini aquà temperati, vix ſex unciarum hauſtu, cænatum fuiſſe.* Immo potus ſępè oblitus, ab eo qui à poculis, admonendus erat, ut biberet. Medicorum arti parcè tribuens (teſte *Ant. Maria Gratiano*) unam medicinam aiebat eſſe, *temperare à noxiis, & victu uti modico, ac ſalubri*: undè etiam in infirmitate extremà, uno excepto medico, cui multò antè aſſueverat, neminem adhibuit. Corpore licèt imbecillis, ſolà ſobrietatis ope ſe ad labores vitæ Monaſticæ perpetuò ſervavit ſupparem. Morem convivii die Pontificiæ coronationis anniverſarià Cardinalibus exhibendi, in eleemoſinas mutavit. Cùm ieiunabat, herbidis ſolùm paſcebatur alimentis ſale, & oleo commixtis. Pro aromatibus lectione utebatur S. Patrum in menſà, cuius exemplo excitati Cardinales morem repararunt extinctum audiendi lectiones in menſà. Continentiam, ac ſobrietatem non minorem habitu ſervans laneà ſubuculà ſuper nudum corpus, ac linteaminibus uſus uſquè ad mortem rudioribus, ſubuculas, quas ex byſſo œconomus paraverat, ac ſindones, reiecit.

Ieiunat etiã in morte

Sobrietas.

Modeſtia veſtium.

Quanto fervore neglectum Eccleſiaſtici ritus cultũ reparare contenderit; oſtendunt Miſſale Romanum, Breviarium ex Tridentini decreto Concilii operà doctiſſimorum virorum ad exemplar Codicis antiquiſſimi emendata. Cathechiſmus ad inſtruendos Chriſtianos latinè editus, poſteà Gallicè, Hiſpanicè, Ger-

Cultum reparat ſacrum

minicè tranſlatus. Reſidentia Epiſcopis omnibus A imperata ſub pœnà privationis Epiſcopatus. Indulgentiæ prohibitæ, quas ſolutione pecuniæ conſequebantur fideles. Moniales ad clauſuram revocatæ. Alienationes Feudorume cclesiaſticorum Interdictæ; cui ipſi iurarunt Cardinales, vel futuri Pontifices ſtare decreto. Sactamentorum uſus, quibus neglectis medici poſt triduum prohiberētur viſitare infirmos. Obſequia Eccleſiis reſtituta, in eis ambulatione damnatà, dū ſacra peraguntur myſteria. Emendatio celebrandi tēpore veſpertino, Græci Miſſas nō celebrarēt more Latino, vel Latini ritu Græco. Correctio *Humiliatorum* S. Carolo Borromæo delegata, qui ab iis veneno primùm tentatus, demū ab eorum uno *Donato Farinà* apoſtatà, ſcloppo appetitus, ſed innocuè.

Pii iuſtitia.

10. *Nepotem punire maluit &c.* Petra angularis virtutum omnium cum ſit iuſtitia, ſinè quà (teſte Senecà) nec Iupiter in Cœlo conſiſteret; Pius Cardi- B nales ſępè, atquè Rotæ Auditores, cæteroſquè iudices hortabatur, vt nullo perſonarum diſcrimine, æqua omnibus iura dicerent. Idquè vt exactiùs præſtarēt, ipſemet ſingulis menſibus, ſtatutà die, adſtantibus iudicibus ipſis, eos audiebat, qui adversùs iudicem haberent querelas, quem deliquentem vel amovebat officio, vel alià corripiebat pœnà. Reos autem iuſtè damnatos ita evocabat ad pœnam, ut divitibus pœnam ære redimere, vel ſupplicium commutare non permitteret: nè pœnæ pauperibus tantùm non divitibus viderentur à legibus conſtitutæ. Hinc nec

Nepotē fallīgat

conſanguineis parcens, *Paulum Ghiſlerium* ſuum ex fratre pronepotem (quo nullus proximior ei erat in familià) à piratis captum, & triremibus alligatum, (ignaris Turcis, quòd Pontificis conſanguineus eſſet) modicà pecunià redemptum, ac Romam accitum ſo- C lùm eà, quà ad remos ſedens, erat indutus veſte, videre paſſus, graviter primò admonitum, æquo poſteà, & annuo donavit officio centum aureorum. At cum iuvenili ferocià, leges familię violaret præſcriptas, ac culpę excuſandæ mendacium addidiſſet, omni privatum officio iuſtus, ac pius patruus Romanà iuſſit abſcedere ditione. Tres cū eſſent Pio ex ſoror eneptes, *Dominica* uxor *Marci Bonelli*, Paulina coniux *Giberti*

Conſanguineos non ditavit.

Giberti, & *Catherina* uxor *Iacobi Pecorelli*. Ex Dominicà nati ſunt F. Michael, Ordinis Prædicatorum (quem *Pius* Cardinalem dixit) *Hieronymus*, & *Michael*, quibus redditus aſſignavit annuòs 400. Ducatorum, ſed ſinè titulo. Horum ſororem cum neglexiſſet *Pius*, curà fratris Cardinalis nupſit *Pomponio Comiti Torelli*, poſt mortem Pii, *Hieronymo* Principibus offerrentibus filias cum magnà dote; renuit *Pius*, data ei in vxorem nepte *Hieronymi Ruſticucij* D ſibi à ſecretis, quam Romam venire voluit ſine comitatu non curru, nec equo, ſed mulo. *Catherina* filiis maſculis redditus donavit quingentorum ducatorum in capite; filiæ fœminæ bis mille ducatorum, cæteris fœminis mille. Cumq; ei obiicerent dotem incongruam conſanguineis Pontificis, reſpondit: *Etiam de eà valdè dubitare, an æqua, vel iniqua: Quià Chriſtus eum in Pontificem non aſſumpſiſſet in gratiam familiæ, ſed Eccleſiæ.* Rigidus ergà ſuos, liberalis ergà ſororem *Caroli Borromæi* neptem *Pij IV.* quæ nupta *Annibali Comiti Altempſio*, ob mortem præmaturam *Pii IV.* dotem ſibi promiſſam centum mille ducatorum non accepiſſet, caſum miſeratus *Pius* *V.* conſentientibus Cardinalibus, quinquaginta millia ducatorum numeravit, nè ſponſus ſinè dote iacèret; & ſimul oſtenderet Chriſti ſanguinem eſſe dotem Eccleſiæ, non fœminarum. Ad Iuſtitiam redeo.

In Carinthià cum accepiſſet impium hominem, qui mortuo Plebano ſucceſſerat, quo primum die Eccleſiam ingreſſus fuerat, S. S. Euchariſtiam in terram abieciſſe ſacrilegè, & conculcaſſe; *Carolum* Archiducem Auſtriæ (in cuius ditione locus erat) ſub divini iudicii obteſtatione monuit, ut veritate compertà impium teli afficeret ſupplicio, per quod ira Dei averteretur ob pœnam neglectam. Iuſtitiam cum ſynceram diceret, & non doloſam neminem quantumuis reum circumveniri paſſus; cum *Marianum Aſculanum* inſignem latronum principem cędibus, atq; rapinis in ditione graſſantem Eccleſiæ; quidam amicum doloſo convivio fallere exiberet; reſpondit Pius: *Abſit, at amicum ſpecie prodat humanitatis. Innoxia non deerit occaſio, Deo adiuvante, puniendi Marianum.* Quod cum reſciviſſet *Marianus*, ſynceà magnitudine victus, ſponte è ditione abſcedens Pontificià, *Pio* ſuperſtite, hoſtile quidquàm non eſt molitus. Sic ſuos non exceſſit iuſtitia limites, nec ad vindictam declinavit.

Miſericordia Pii.

11. *Eius animum nunquàm curvavit iniuria privata.* Memores quoſdam iniuriarum, quas *Pio* intulerant Cardinali, creato Pontifice, ultionis metu, fugā cogitantes, eà humanitate detinuit, vt vix ſatis ſibi facere poſſet, veritus, ne offenſæ memoriam ſupereſſe ſuſpicarētur. Hinc vulgo ferebatur: *iuvare, aliquando offendiſſe Pium.* In ipſo Pontificatus exordio: cum

Iniuriæ immemor.

nebulo quidam vulgato carmine petulanter inceſſiſſet Pium, comprehenſus, crimenq; confeſſus, mortis pœnam datutus erat, interrogatus à Pio cuius conſilio carmen illud ſcripſiſſet? dicente illo, ſe non niſi mali dæmonis inſtinctu feciſſe. Pontifex vbi agnovit in ſe privatum hominem ſcriptum, æquiſſimam hanc protulit ſententiam. *Si tu mihi uti ſummo Pontifici maledixiſſes, non ferres impunè, at quià in fratrem Michaelem, in Monachum, ſcommata iactaſti, abi liber: Si quid unquàm à me minus rectè factum obſervaris, mone me, & ad emendationem me paratum invenies.*

Minus fortè aliquibus votum eſt, quod ſubiungitur ab *Ambroſio Radingo lib.* cui titulus, *Beatus Pius V.* Comes quidam (Priorem agente Pio Cœnobii Albæ inditione Montisferrati) militum Præfectus demiſsè rogatus, ut effrenem militum inſolentiam coerceret; iracundià motus volebat *Pium* in puteum demergere; Cui placidiſſimè Pius. *Fiat ſicut Deo placuerit*; Miſſus poſteà hic ipſe Comes ad Piū iam Pōtificem Orator à Duce Sabaudię, nil minus cogitans, quàm Monachum illum ad Pontificatum evectum. Pontifex poſtquam benevolè audiſſet; *Comes* (inquit) *Nos ſumus ille Frater, quem aliquando ſinè cauſa, in puteum, te iubente, præcipitandum minabaris. En quomodò Deus innocues protegat contrà Mundi ſuperbiam. Memineris eò fortiores eſſe milites, quò religioſiores.* Hoc dicto *Pius* conſternatum advertens hominem, bono eſſe animo iuſſit, poſtulatis eius ſatisfactum iri, ut factum eſt. Fervido cùm eſſet ingenio, & ad iram prono, naturam tamen ità temperabat, ut iratus nunquā cubitum ſe contuliſſe teſtatus ſit. Manſuetudinem ità gravitate miſcebat, ut nequè de auctoritate facilitas, neq; ſeveritas quidquam de familiaritate de-

tra-

traheret. Supplicantes tamdiù patienter audiebat, quamdiù ipſi finem faceret, ægrè ferens cum aliquid negare cogeretur. Omnibus eum venerationi eſſet amabant boni, timebant mali. Gratus, ac liberalis (iuſtitiæ virtutes affines) in ipsà inaugurationis ſuæ pompà, ruſticum (qui ſexdecim antè annos eum Bergomo fugà ſe ſubducentem tuguriolo exceperat) tenaciſſimę vt erat memorię agnoſcens in turbà, ad ſe accerſito nil ſimile cogitãti, Ego (inquit) *Dominicanus ille, quem* Bergomo *aufugientem excepiſti: præſtitum, æquum eſt, ut penſemus obſequium*. Iuſſitq; ei in ſuos vſus, & duarum filiarum dotem, 1500. nummos aureos numerari. Similiter *F. Aurelium Grianum*, cuius fidei, fugitivus quæſtionem in Epiſcopum Bergomenſem formaram commiſerat, ad Pontificis pedes oſculandos gradu procedentem agnoſcens, impēsè laudatum Lectriẽſis Eccleſiæ creavit Epiſcopum. Singularem gratitudinem etiam erga prędeceſſorem ſuum *Paulum* IV. profeſſus, à quo omnem in collatam agnoſcebat dignitatem, corpus eius ex Vaticanà Baſilicà, vbi humili iacebat loco, in ædem S. Mariæ ſuper Minervam, celebri pompà traſlatum, elogio ornavit, atquè ſepulchro.

Grati-tudo, & liberalitas Pij.

Sepulchro donat Pauli IV.

Ieſu Chriſto ſpei, ac vitæ fidelium Paulo IV. *Caraffæ Pontifici* Max. *Eloquentià, doctrinà, ſapientià ſingulari, Innocentià, Liberalitate, animi magnitudine præſtanti, Scelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori Pius V. Pont.* Max. *grati, & pii animi Monumentum poſuit. Vixit* Annos *LXXXIII. Menſ. 1. dies.* XX. *Obiit* 1559. XV. *Cal. Septemb. Pontif. ſui Anno V.*

Nummum etiam in eius memoriam percuſſit, quem habes in tabulà *n.* 2.

Sacellum etiam D. Thomæ Aquinatl ſacrum annuis ditavit redditibus, pro eius exequiis annuatim celebrandis, S. R. & Vniverſalis Inquiſitionis Cardinalibus, cæteriſquè Officialibus ad eas convenientibus. Pauli nepotes, cæteroſq; coniunctos, abrogatà in Caraffas ſententià, causà cognità ad juris formam, famæ, titulis, honoribus, bonis reſtituit. *Alphonſo Caraffæ* Cardin. Archiep. Neapol. Neapoli in æde maximà magnificum ſtatuir monumentum. *Alphonſum Caraffam Rinaldi* filium Cardinalem creavit Regum omnium feſtivo plauſu. Familiares ejuſdem *Pauli* Romam literis revocatos vel officiis admovendo, vel redditibus augendo, habità etiam liberorum ratione, quorum patres vivis exceſſerant, liberaliter retribuens, dicere ſolebat, *Indecens eſſe ex inopià famulos Pontificis aliorum ſubire ſervitium*.

12. *Prophanatores Eccleſiaſticæ libertatis* morte, ſed ſinè ferro, ut Petrus quum Annaniam, & Saphiram, punivit. *Pii* namq; miniſtris reſiſtentes Neapoli duo aulici Regii, morte cecidere repentinà. Propterea *Philippus II.* Rex Hiſpaniarum mandavit Neapolitano Pro Regi; ne vim faceret decretis Pontificis, Regio etiam aſſensu præterito; ſecurus quòd *Pius* aliena non invaderet. Mediolani excommunicatos Hiſpanos ob armatam curiam Archiepiſcopo negatam, eius circitorem carceri traditum à S. Carolo Borromæo, in occulto abſolvi rogantes negavit *Pius*, ſed publicum ſacrilegium publicà voluit pœnitentià expiari. Tridentinam Eccleſiam, cuius iuribus inhiabat Archidux Auſtrię *Ferdinandus* in poſseſsione civilis Iurisdictionis manutenuit.

Violatores eccleſiaſticæ libertatis punit.

13. *Bellum ei in Iudęos*, quos primus in loco ſemoto amovit, & clauſit. Memorabile eſt, quod *Eliæ Caraffæ* Iudæo prædiviti, & Synagogæ in urbi Pręſidi contigit. Is cum ſæpius à Pio adhuc Cardinali interitum animæ eius dolente admoneretur, ut Chriſtiana ſacra cum fide ſuſciperet; iocando illa ſe ſuſcepturum promiſit, quando *Ghislerius* Pontifex eſſet. Creato itaquè *Pio*, ubi & is de dignitate gratulatum venit; Pontifex promiſsionis illum ſuæ memorem excitante, inſperatà novitate attonitus, paulò poſt, ut ſacrarum literarum non ignarus Baptiſmum petiit, accepitquè magnà populi celebritate, tertià poſt Pentecoſten ab ipſomet Pontifice unà cum tribus filiis, ac nepote, ſumptoq; nomine *Michaelis* cum ſuis in Ghiſletiorũ familiam adlectus eſt. Cuius exẽplo mox plures alii doctrinà, & opibus præſtantes Iudæi ad Catechiſmum acceſſere, eorum gratià extructà domo, ac ditatà redditibus, nè qui in perfidià abundabant, cogerentur mendicare fideles. Cæteros ab omnibus Eccleſiæ locis penitus excedere iuſſit, Vrbe Romà, & Anconà exceptis, ad memoriam Paſſionis Dominicæ in Chriſtianorum animis excitandas.

Iudæo. claud t

14. *Turcas, & Hæreticos*. Creatus Pontifex (teſte *Panvinio*, qui Romæ aderat) *Franciſcum Cardinalem Commendonum* è Polonià revertentem, Auguſtanis comitiis à *Maximil. II.* indictis intereſſe iuſſit; nè quidquam ad dogmata pertinens Chriſtiana mutaretur. Effecit *Commendonus* ut Tridentini Concilii ſuſceptis decretis, Imperator facultatem emigrandi potiùs bonis divenditis ſolùm patrio, quàm Heterodoxæ Confeſsionis exercitium in Auſtrià, Bohemià, Vngarià indulgeret. Cum verò biennio poſt importunis Procerum poſtulatis Cæſar addactus, quod anteà negaverat, conceſsurus diceretur. *Pius* eundem Cardinalem legavit iterum ad Cæſarem, ut vulganda impediret, vel vulgata retractaret ſub pœnà anathematis. Cum veniſſet Legatus, & nihil proficeret: adfuit Pius ipſe in ſomniis armatà flagellis manu, minitans Imperatori; quo territus *Maximilianus* non ſolùm omnia negavit Hereticis, ſed eorum prædicantes è viciniis Viennæ ſuburbiis, ac villis ſecedere iuſsit. Cuius rei certior factus *Pius*, datis non ſolùm ad Cæſarem literis laudavit, cohortatus, Religionem intactam ſervare, quæ ſola Regna protegit, & principatus, ſed & alios Imperii proceres, Germaniæ Præſules, Cathedrales Canonicos, Congregationes Synodales, Vrbes. *Laurentium Sirium* ſuis laudavit literis, & ad honeſtum ſtudiorum laborem excitavit. *Simonis Thadæi Echii* Cancellarii Ducis Bavariæ in tuendà Religione Catholicà ſtudium literis commendavit Apoſtolicis. Maiora utiquè pro reſtituendà Germaniæ Religione moliturus, niſi illinc Hugonotorum ab Occidente perfidià, indè Turcarum in Oriente furor impedimento fuiſſent. Iuvit porrò *Maximiliano* paruiſſe *Pio*: Nam Vngariæ imminente *Solimano* præpotentibus copiis, ſupplicationes indixit triduanas, quibus ipſemet intereſſe voluit, toto viarum tractu pedes incedens, in quarum ſingulis virtute ſanctę Crucis energumenos liberavit. Tentavit Galliarum Reginam, Cęſari copias mittere auxiliares: egit, vt Italiæ Principes ſubſidio venirent: miſit ipſe in belli nervum ſexaginta aureorum millia, promiſſis in annos ſingulos bello flagrante, quinquaginta; ad reſtauranda Vngariæ pro-

Cæſari cum flagello apparet.

Cæſari auxiliatur in Turcas

propugnacula, alia contulit triginta millia: Sigethum fortiſſimum munimentum expugnavere Turcæ: Pii tamen ſupplicationibus datum, ne Turcarum exercitus ob *Solimani* mortem ad maiora procederet. Melitenſis quoquè Inſula *Pio* debet, ne Turcarum obrueretur incurſibus. Cum enim *Io: Valetta* ſummus Hieroſolymitani Ordinis Magiſter lōgiſſima obſidionis pericula anno expertus ſuperiore, metu gravioris (ad quam Turca copiis ſe accingebat majoribus) propugnaculum delerere cogitaret; occurrit opportunè Pius auro, & literis Apoſtolicis; Yndè ſeptimo menſe nova arx, cui à *Valettà* nomen, juſtiùs à *Pio*, cujus auro conſtructa ſtetit inexpugnabilis, ac Turcam à novà obſidione deterruit. Galli equites centum numero accedant teſtes, quum ex Melitēſi obſidione (quò ſpontè venerant ad Chriſti vexillum) redeuntes, decem millibus ducatorum Pii liberalitate donati, in patriam rediere. Trepidanti pariter Anconæ tam ſollicitè, opportunèq; providit, miſſo illuc cum militum manu *Paulo Iordano Vrſino*, vt nihil in eam claſſis Turcica, quę infeſtabat Adriacum, tentare auſa fuerit.

Melitenſes iuvat.

Nummiſmata habes 3. & V. huius fœderis teſtimonia *pag.* 313.

14. *In Galliis* Hugonoti, *Condæo* Duce, atquè *Colinio* archithalaſſo, cum Regem Pariſiis obſediſſent, *Ludovico Condæo* in pſeudoRegem coronato, monetà percuſsà cum epigraphe, *Ludovicus* XIII. *Dei gratià Francorum* Rex *primus Chriſtianus*. Cognito *Pius* Regis, ac Religionis periculo, literis manu ſuà ad Regem exaratis opem in perduelles pollicitus, pecuniā abundè ſubminiſtravit; indictiſquè more ſuo ſupplicationibus, ac Iubilæo, Hiſpaniarum Regem, & *Emanuelem Philibertum* ducem Sabaudiæ, cui decem aureorum millia; alia 25. nummorum millia *Gonzagæ Nivernenſium Duci* numeravit, quibus opportunè in Subalbinis collecto exercitu iſte ſe Mariſconē recepit, & Regias partes adiuvit egregiè, ut hoſtibus fruſtrà Carnutū obſidentibus, ac neceſſitate coactis, pax licèt nō diù duratura conſtituta fuerit. Dimidii namq; Anni elapſo ſpatio, cum Sectarii captas, vt tenebantur, vrbes non reſtituerent, biennale denuò bellum concitatum eſt: in quo nè hæreſis triumpharet, *Pius* proprio ære conſcriptum militem, duce *Sfortià Comite Montis-Floris*, Regi ſubſidio miſit, qui inſignes de Hugonotis victorias reportavit, Anno præcipuè 1569. prælio ad Iarnacum in Santonibus commiſſo, in quo poſt decem horas, præter Magnatum cædes ipſe ſupremus hoſtilis exercitus Princeps *Condæus* magno hæreticorum damno, Regiarum partium commodo, occubuit. Victoriæ certior *Pius* ſublatis in Cœlum manibus Omnipotenti Deo humili corde gratias egit. Rex duodecim hoſtium ſigna miſit ad Pium, vti monimentum æternum, *hanc ſe Deo referre victoriam intercedente Pio*. Fractæ hac clade perduellium vires, ſed non extinctæ, receptis è Germanià decem equitum, & viginti peditum millibus, ſuffultę Pictavium ampliſſimam vrbem obſidione cinxerunt, quam tamen poſt dies 50. cum dedecore, ac iacturà ſolvere coacti, aperto in campo Martem ſubiere. Pridiè Kal. Octob. in Pictonibus, vbi quominùs omninò delerentur, nox tantùm impedivit. At quartò poſt die ad Monconturium pugnā initā decretoriā, cæſis ad internecionem Hugonotis, duodeviginti millia periere, è Regiis quingentis tantùm deſideratis, in quibus *Dux Andium* equo ſuffoſſo, *Guiſius* in pede vulneratus, nonnulli Duces Itali, & Hiſpani, nam præter Italica Pontificis, & *Coſmi Medicei* ſubſidia, aderāt etiam è Belgio Hiſpanica à Pontifice impetrata auxilia, duce *Erneſto Comite Mansfeldio*, qui ſanè non parum victorię contulit. Quantum prælio contulerit *Pius* precibus ſuis, publicavit magni nominis Centurio Heterodoxus, qui ſub ſignis Pontificiis miro fulgore coruſcantibus conſpiciens milites gladium vibrantes contrà Sectarios, portento commotus, voto ſe adſtrinxit, ſi evaderet, perpetuò ſe Pii Pontificis ſigna ſectaturum, teſte *Turſellino*. Triduis ſupplicationibus Deo gratias egit *Pius*, viginti ſeptem militaribus ſignis, hoſti à Comite Montis Floris ereptis, in Baſilicam illatis Lateranenſem, addito elogio.

Victoria in hæreticos.

Nova victoria ex precibus Pii.

Pius V. *Pontif.* M. *ſigna de Caroli IX. Chriſtianiſſ. Galliæ Regis perduellibus, iiſdemquè Eccleſiæ hoſtibus à Sfortià Comite S. Floræ, Pontificii auxiliarii exercitus Duce capta in principe Eccleſiarum Baſilicà ſuſpendit, & Omnipotenti Deo tantę victoriæ auctori dicavit. An.* 1570.

Quantum gaudii *Pius* ex victorià, tantum mæroris non longè poſt ex Regis cum Hugonotis pace percepit inſidiis plenà, atq; dedecoris; vt paulò poſt *Pii* mortem cædes Sanbartholomæana monſtravit. In pace quia nulla eſſet mentio Pontificis, credidit *Colinius* poſſe citrà fœderis iniuriam, Avenionem, Venuſinamquè ditionem occupare, ſibi commodiſſimam, ob opulentiam, & adversùs Regem firmiſſimum propugnaculum. Spem tamen *Pius* non depoſuit. Miſſo *Torquato* militià claro, cum validis copiis, omnem propulſavit iniuriam. Interim vt grati animi affectum monſtraret

15. *Coſmo Mediceo* de Gallià, totàquè Chriſtianà Republicà optimè merito coronā obtulit, *Magnumq;* appellavit *Ducem Hetruriæ*, ſuàq. manu ſceptrum tradidit cum hac inſcriptione. *Pius* V. *Pontif. M. ob eximiam dilectionem, & Catholicæ Religionis zelum, præcipuumquè iuſtitiæ ſtudium donavit.*

Non minori zelo curam gerens Orbis remoti, Borruſſiæ, quò Lutherus irrepſerat præcipuè Gedani inter Europæ emporia celeberrimi, Anno 1567. Fratribus Prædicatoribus templum reſtituit, Cœnobiumq. auſpiciis olim conditū S. *Hyacinti* miſſis concionatoribus, qui Religionem inſtaurarent; Cum autem *Alberto* duci Boruſſiæ, qui defuncto patri ſucceſſerat Anno. 1569, promiſiſſet Sigiſmundus Rex Polonię ſe Gedanum in Auguſtanā Confeſſione conſervaturum; Pontifex non quievit, donec abrogaretur decretum. Immò Rex conſiderans quàm ſincero ſtudio *Pius* in Regis, ac Regni ſalutem intentus eſſet; Sandomirienſem hæreticorum ſibi oblatam Confeſſionem execratus, vt *Pio* teſtaretur, quam ipſe profiteretur fidem, tabulas duorum teſtium fide firmatas, Regioquè ſigillo munitas ad *Pium* miſit, iurans ſe in omni vità Catholicam Religionem ex animo profeſſurum, nec aliam in Regno ſuo permiſſurum. Vulgato poſteà rumore, quòd Rex Reginam legitimam coniugem, ſororem Imperatoris, ob causā ſterilitatis repudiare meditaretur; *Pius* graviſſimis argumentis ab illà quoq. cogitatione curavit. Eiuſdem Pii opus converſio fuit *Alberti Laſchii Siradiæ Palatini*, qui in-

Boruſſiæ Religionē reſtituit.

Polonos in fide confirmat.

Repudium diſſuadet Regi Polono.

intercedente *Pio*, valido cum exercitu ducturus erat in Turcas, niſi mors immatura Pontificis conſilia invertiſſet Chriſtianorum.

16. *Gheuſios &c.* Belgicos pertranſeo tumultus; cum fœdere inito ad S. Gertrudem, *Henricus Branderodius*, *Guillel. Naſſov. Guillem. Arauſicani Principis frater*, aliiq; viri nobiles ad 400. Non. April. ſub exordio Pontificatus *Pii*, Bruxellis ex ædibus Comitis Culemburgii prodeuntes quaterni, aut quini magno ſilentio, quaſi mimum agerent, in veſtibus cinericiis, cum ſcutellis ligneis è Zonâ pendentibus, & nũmiſmate è collo, ad *Margaritam* Belgii Gubernatricem pervenerunt, libertatem conſcientiæ poſtulantes. Huius nũmiſmatis pars antica repreſentabat Philippum cum hac inſcriptione, *Fideles Regi*. Poſtica duas manus coniunctas, & manticæ ſuperpoſitas cum lemmate: *Vſquè ad manticam.* Perterritam *Margaritam* ut firmaret *Carolus Comes Barlamontius*, exclamavit Gallicè, *Quid volunt mendici?* Hinc eis adnatum nomen, ut qui in Franciâ *Hugonoti*, in Belgio *Geuſii* dicerentur. Propoſuere tunc placidè libellos ſuos libertatem expoſcentes Religionis; ſed moras nectente *Philippo*, ad quem remiſſi fuerant, rebellarunt, & iuncti hæreticis Gallis ſacrilegio pares, ſacra omnia, atquè profana miſcuerunt. Ex adverſo *Philippus Corius Dux Areſcoti* ut ſe recenti *Gheuſiorum* opponeret ſectæ, *Virginis matris filium Ieſum complexu foventis* imaginem in ſpiram galeri eleganter compoſuit; quem imitata Bruxelenſis Nobilitas à Pio V. Indulgentiis remunerata occaſionem præbuit Orthodoxis, nummos Cœlitum notatos in igne devotè geſtandi, quem Deus laudavit miraculis. Hęretici autem cum magis furerent; *Pius* per Legatos Regem Catholicum monebat aſsiduè, ut adverſùs novãtium perfidiam præſens ipſe armatus occurreret. *Iulium* etiam *Paveſium* Archiep. Surrentinorũ, quem ad Cæſarem legaverat, iuſſit in Belgium divertere, ac ſuo nomine Gubernatrici militem, pecuniam polliceri ad religionis tutelam, pro quâ ipſe vitam fundere paratus erat. Miſsus interim ex Hiſpaniâ in Belgium Dux Albæ *Ferdinandus Toletanus*, literis, auroquè fortis Pontificio miraculum retulit potiùs, quàm victoriam: reptando namquè, & natando in Geminganis paludibus ad introitum Orientalis Friſię, octo tantum Hiſpanorum deſideratis, ſeptẽ hoſtium millia ferro ſuſtulit, vel aquâ demerſit. Menſe poſteà Octobri *Guillelmus Naſſovius* pluribus ſuffultus Germanorum copiis, ſub vexillo *Pro Lege, Grege, & Rege* cladem vindicaturus fraternam, cum Moſâ tranſmiſsâ in Brabantiam irrupiſſet; providè propugnante Albano, amiſſis quinquè armatorum millibus, eò, undè venerat, eſt redire compulſus. Nuntio accepto *Pius* tertiâ ineuntis Ianuarii, An. 1567. ſummo mane diei ſequentis, duabus horis antè Auroram, *Iul. Anton. Santorio* Cardin. pauciſquè comitantibus familiaribus, peracto Miſſæ ſacrificio, more ſuo pedes ſeptem Vrbis inviſit Eccleſias. Albano Duci pileum, & gladium Pontificiis precibus conſecratos tanquàm Religionis propugnatori dono miſit. *Tom. 8. noſtræ Monarchiæ Occidentalis.*

Motus Belgii.

A Religione deficit

Victoriæ in hæreticos Friſiæ.

17. *Anglia.* Zelum *Pii V.* ergà Anglos vt habeas, Mariæ Scotorum Reginæ ſunt repetenda natalia. Filia hęc Iacobi V. Scotorum Regis II. ſexennis in Galliam venit Anno Salutis 1548. vbi Delphino *Franciſco II.* nupſit, eodem Anno Sal. ſcilicet 1558. quo mortuâ Mariâ Reginâ Angliæ, Maria Scotiæ Regina, ſe Angliæ Reginam dixit, ac ſocero iubente Anglica aſſumpſit inſignia adverſus *Elizabetam* mulierem callidam atquè ſolertem, quæ hæreſim iuravit ſolùm, nè eius natales damnaret Eccleſia. Cum enim per legatos coronationem ſuam *Paulo II.* Romano ſignificaſſet Pontifici, is autem importuno rigore negaſſet agnoſcere, quia eius natales, ceù illegitimi fuiſſent a Romanâ ſede damnati, fœmina regni tantùm ſollicita verè nullius religionis, regni exordio cuiquè liberam religionem permiſit, inito fœdere cum hæreticis ſubditis Mariæ Scotæ, ſpecie religionis, atquè regni defendendi, cuius per *Mariam* uſurpata accuſabat inſignia. Triennium cum ſolummodò ſupervixiſſet *Delphinus*; in Scotiam *Maria* rediit, ubi *Henrico Stuardo Arleio* Coniti nupſit iterum adoleſcenti ex regio ſanguine omnibus animi, corporiſq; dotibus pręſtantiſſimo, annos circiter nato duos & viginti: eiuſdemq. propemodum ætatis *Maria* erat. Hoc ex coniugio natus eſt *Iacobus Sextus* Rex Scotiæ; poſt cuius nativitatem ardor refrixit coniugalis. Regina enim in regni adminiſtratione omnia ſibi vindicante; Rege contra ..... Comitis uxore familiariùs utente enatæ rixæ, odia, quæ utriquè vitam eripuere. IV. namquè Idus Febr. Ann. 1567. Eduniburgi domo, ex quâ Regina ſub veſperam exierat, Rege relicto dormiente, nocte vi pulveris tormentarii diſiectâ; Rex in horto vicino ſemianimis repertus tunicæ interioris involucris traditur ſtrangulatus. Tradunt alii; Operâ *Elizabethæ*, Scotæ reſtitutos hæreticos exules induxiſſe Regem Henricum, ut *Davidem* Reginæ à ſecretis quaſi eius adulterum coram eâ interimeret. Erat iſte *David* cognomento *Riccius* patriâ Taurinenſis, muſicus, religione catholicus, ad dignitatem ingenio evectus, cùm eâ uteretur ſuperbiùs, fideiquè causâ hæreticis eſſet infenſus, calumniâ cæditur, & iniuriâ, in oculis Reginę, quę prægnans ex horrore fœtum perdidit. Cumquè de occidendâ quoquè Reginâ coniurati deliberarẽt: Rex *Henricus* ſceleris magnitudine territus, ad eam quaſi capita nonnulla propoſiturus accedens, revelatâ fabulâ vitam obtinuit: moxquè eluſis cuſtodibus cum eâ ad Dumbarum arcem profugit: ubi collecto exercitu, rebelles fugantur iterum: licèt exulibus poſteà Elizabetha veniam iterum impetraret & reditum in Scotiam cum *Iacobo* notho, qui Dux hæreticis foret ad ſcelera omnia. *Mariam* ſic afflictam cõſolatus eſt *Pius V.* literis ſuis, addiditq; viginti aureorum millia. Filium hæc tunc peperit, quem ægrè ritu baptizavit catholico. Fuit iſte hęres Regni materni, totiuſquè Britanniæ, ſed non religionis. An. ſequenti (Sal. 1567.) *Henricus* Rex Scotiæ *Iacobum* nothum cum perdere deſtinaret, quòd eo vivo, non ipſe nec coniunx tuti eſſent: Regina renuit. Arcanum ſubodoratus *Iacobus*, in necem Henrici *Iacobum excitat Hebarnum, Comitem Bothuelium*, ei cũ Reginâ ſpe iniectâ nuptiarum. Omnia impleta: Rege namquè ſublato vi pulveris tormentarii, *Bothuelius* poſtulatus ad ſupplicium abſolvitur à iudicibus eiuſdẽ ſceleris conſciis, qui per publicum inſtrumentum Reginam ei deſponſarunt. Is moræ impatiens, Regi-

Maria Scotiæ Regina.

Mariæ ſecundę nuptiæ.

David Riccius

Conſpiratio in eam.

ginam rapit, ad nuptias trahens quà vi, quà blanditiis. In utrumquè autem irrumpentibus ſeditioſis, in Dumbarum arcem Regina recepta, evocato milite occurrit rebellibus. Negant hi rem ſibi eſſe cum eà, ſed cum *Bothuelio*; ſi hunc dimittat, atquè arma deponat, incolumis futura. Vtrumquè cum præſtaſſet incauta à perfidis quaſi per otium in arcem Levini trahitur ignominosè. Eius mors decreta, nè executioni daretur, impediit miſſus ab *Elizabethà* Trogmonius, à quo ſuaſa Maria regnum *Iacobo* relinquere cautione prius editâ, ſe omnia per vim facere. Statim ergo *Iacobus* Rex inauguratur. Maria uſquè ad 6. Non. Maii An. 1568. in arce incluſa Levini lacus, fugit operâ Io: Duglaſii, ab *Hamiltoniis* ſuccepta: & protinus à *Moravio* victa fugit in Angliam repugnantibus ſuis, qui huic potiùs Belgium, Franciam, aut Hiſpaniam oſtentabant. In Angliâ carcerem invenit, licèt Eboraci bis innocens declarata coram *Elizabethâ*: quidquid ex adverſo garriat *Moravii* ſcriptor mercenarius, *Buchananus*. Anno poſteà 1570. cæſo Iacobo notho per Iacobum Hamiltonium actum eſt de libertate Mariæ, quam Principes poſtulabant: ſed cum eas conditiones propoſuiſſet *Elizabetha*, quibus *Maria* & catholica, & Regina eſſe deſineret, reiectæ ſunt conſtanter. Hinc acerbiùs cuſtodita ut cruciatibus erudiretur ad martyrium. Quibus auditis *Pius V.* 3. *Kal Mar.* anathemate perculit *Elizabetham*, eiuſq. ſubditos exolvit fidei ſacramento. Anathema ad valvas Epiſcopii Londinenſis fixit *Feltonus* nobilis Catholicus, ſed audaciam luit morte conſtantiſſimâ. Acerbè indè ſævitum in Catholicos. Chriſtiani Principes libratam in hanc furiam excommunicationem neglexere, pluris facientes clavos fœminæ, quam claves Pontificis. *Io: Hamiltonus Archiep. Santandreanus* hac ſolâ causâ, quòd ergà Mariam, & religionem Catholicam affectus eſſet, ſuſpenſus eſt è patibulo. Reliqui eius amici variis diſtracti ſuppliciis. Stragē cruentam crinitus cometes præludebat, igneſquè de Cœlo coloris ſanguinei, grandiſq; manus igneum intentans gladium (quæ Londini ineunte Pontificatum *Pio V.* de Cœlo fulſerant) dirarum indicium, ac mox in *Elizabetham* gladii intorquendi Apoſtolici haud obſcurum prodigium, licèt ſinè fruge, crudeliùs in diē ſęviente fęminâ adversùs Catholicos. Hunc unum ſervavit fœmina honorem *Pio*, vt nonniſi honorificè de Pontifice loqueretur, eiuſq; electionem, ac vitam loco haberet miraculi. Oratorem ſuum, quem in gratiam Condęi Principis ad aulam Hiſpanam legaverat, cum audiſſet minùs reverenter contrà *Pium* loquendo, aures offendiſſe Regis Catholici, protinùs revocavit. Sub idem tempus in Surrià, Angliæ Comitatu, cum *Vvritus* Archidiaconus Oxonienſis auctor illius ſectæ, quæ *Vnctorum* eſt appellata, cum ex ſuggeſtu adversùs Pōtificiam auctoritatē c. 4. allegaret Apoſtoli *ad Epheſios*, ubi in ædificationem Eccleſiæ datos commemorat Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Doctores, Paſtores, nullâ factâ Papæ mentione, ſubitò corruit elinguis, nec longè impietatis pęnas morte ſolvit miſerrimâ, *Radingo* teſte.

Mariæ caſus.

Elizabetha Angliæ excommunicatur.

Honorat Piũ V.

Vvriti mors repentina.

18 *Thereſa.* Caſtrorū, atq; caſtorū Carmelitarū mater Thereſa virgo, quos Año ante Chriſtū natū circa 930. in Carmelo iuxtà Eliæ fontem Eliâ, Eliſeoquè Ducibus primum congregatos credimus, *quia ſeptem ſummi Pontifices ità loquuntur*, teſte Suarez *tom.* 4. *de Relig.* Concordant Genebrardus, Trithemius, Rupertus Abbas *t.* 1. *in Cantic. l.* 13. Ex antiquioribus Io: Patriarcha Hieroſolymit. *de inſtitut.* Monac. Eliæ ſectatores fuere omnes Prophetæ poſteriores uſq; ad Ioannem Baptiſtam teſte Ambroſio *l.* 3. *ep.* 25. *ad Eccleſ. Vercell.* Ioſephus 18. *Antiquit.* teſte Ferdinando Velloſillo *quæſ.* 13. ait: *Antè Chriſti adventum fuiſſe in deſerto Iudææ Collegium Eſſenorum more noſtrorum Religioſorum, & Anachoretarum, qui ſanctiſsimam ducebant vitam, ab uxoribus abſtinentes, quorum inſtitutum ſecutus eſt Io: Baptiſta.* Eſſenorum ad inſtar Chriſtum ipſum vitam compoſuiſſe ſuam, volunt Serarius in *Minervali l.* 5. *c.* 26. Boulducus *de Eccleſiâ*. Quin Zenclerus *in deſcript. Terræ Sanctæ* affirmat tempore ieiunii dierum, noctiumquè 40. Ieſum in collegium conceſſiſſe Eſſenorum. Aliàs ſi ab humano ſeggregatus comertio ſolus ſibi conſcius & ieiunii, & tentationis vixiſſet, nemo rem geſtam evulgaſſet. Poſt Chriſtum, *Perfectiorum* (inquit Ioſeph Antiochenus ſæculo ineunte 2. c. 12. & 72.) *militum Chriſti, ideſt Apoſtolorum coadiutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi viri ſolitarii, contemplationi dediti Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei imitatores, qui de monte Carmelo deſcendentes per Galilæam, Samariam, & Paleſtinam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerant, quiquè in Virginis Mariæ honorem in Carmeli montis declivio fabricantes oratorium Salvatoris Matri ſpecialiſſimè ſervierunt.* Perſeveraſſe rigidum inſtitutum uſq; ad Sozomenum ipſe teſtatur *l.* 1. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 12 Euſebius *l.* 2. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 16. nullâ tamen inſtituti normâ ſcripto receptâ, quam ſolùm Anno 412. Carmelitæ cum ex Eliæ inſtituto variæ prodirent regulæ, quas viri Sanctiſſimi diſcipulis obſervandas traderent: iamq; S. Pachomii ab Anglis accepta per Ægyptum invaleſceret, eamq. Hieronymus in latinum traduxiſſet. M. etiam Baſilii Regulam Græca cęnobia celebri plauſu recepiſsēt Monachi Carmelitę priſco Elię adhærētes inſtituto, nè fortaſſe recentium admixtione ad nova deflecterent, rogavit Capraſius eorum præfectus Ioannem Hieroſolymorum Patriarcham ex Elianâ profeſſione Monachum, vt iuxtà quod obſervari viderat in Carmelo, antiquum Elię inſtitutum literis conſignaret. Quod ipſe fideliter pręſtitit ſub imperio Honorii ad Annum Sal. 412. Huius inſtituti dicuntur profeſſores fuiſſe Theleſphorus, Dionyſius Chriſti Vicarii, Romani Pontifices, quod confirmatum ab Alex. 3. Innoc. 3. teſte Tritemio *de laudibus Carmelitarum* viri Sanctiſſimi toto Orbe diffuſi, doctrinâ, ſanctitate, martyrio coronarunt, priſco retento rigore uſquè in Annum 1430. quo deficiente primo fervore, Ioannes Facius Prior Generalis, cæteriq; Carmelitę ab Eugenio IV. P. M. ſupplices impetrarunt antiquum mitigari rigorem in abſtinētiâ à carnibus, ieiunii, ſilētii, & ſolitudinis; quòd ex humanâ fragilitate priſcū non poſsent ſubire rigorem; donec virilis animi virgo Tereſia in Hiſpaniâ Avilæ nata An. Sal. 1515. non ſinè divini Numinis providentiâ, ceù virum apoſtatam debellatura Lutherum, qui pernicioſiſſimus ſectarum architectus turpiſſimis erroribus Mundum obtenebrabat, Religioſam obedientiam detrectando, Virginum profanando pudorem, obſervantiam relaxan-

Ord. Carmelitarum inſtituitur, reparatur à S. Thereſa.

MONVM. PY. V. IN. QVO. EFFIGIES. EIVS. P. GESTA. IN. BASILICA. LIBERIANA



F. ... Sculp.

xando, clauſtra convellendo, diffractiſquè concupi- A ſcentiæ repagulis locuſtas aſſociavit innumeras, quę carnali blandimento deciperent, & in animas ſemel irretitas inſatiabili feritate ſævirent. In hoc monſtrũ virgo imbecillis non ſolùm intrepida prò Chriſto ſtetit, ſtrenuèq; pugnavit, ſed cœleſti conſilio duas ſuprà triginta arces munitiſſimas conſtruxit fidelibus in refugiũ, hæreticis in terrorem; in quibus exactiſſimus obedientiæ rigor, pudoris virginei, ac flos illibatus caſtitatis inviolabilis clauſtri receſſus, glorioſa ſervitus Chriſti, deliciæ ſpiritus intemeratæ, carnis mortificatio perpetua, avitæ fidei ſimplicitas, Deo donante, regnarent. Sanctiſſimi Ordinis
Papebrochii cenſura in Carmelitas. hæreditariam ab Elià ſucceſſionem, & antiquitatem cenſuris negavit atrocibus P. Daniel Papebrochius Societatis Ieſu, *tom.* 1. *April. pag.* 77. Ibidem ad vitam S. Alberti. Item in *Propiileo antiquario par.* 2. B *tom.* 2. *April.* & veluti rem novam è concavo Lunæ unà ortam nocte deriſit. Quod tamen non ſinè indignatione receptum ab ipsà Societate. Si enim talia proferre licitum contrà unam hiſtoriam, quam duodecim Summi Pontifices, Decreta ſacrarum Congregationum, innumeraquè alia teſtimonia probabilem evidenter evincunt, nil ſolidum in hiſtorià conſiſteret, immò ipſius Religioſiſſimæ Societatis Ieſu fundamenta conciderent. Hinc excitati Carmelitæ diſcalceati ad propulſandam iniuriam, libellum edidere ſupplicem ad Romanum Pontificem, qui ex Apoſtolicà providentià calamum Papebrochii falſum retunderet, & calumnioſum. Ego utriuſquè Religionis ſtudioſus, atquè devotus, quæ Orbem ſanctitate replent, atquè doctrinà, nullius in partes ſecedere audens concordiam opto, & pacem anhelo. Abſquè enim pietatis iacturà, & fidelium ſcan- C dalo venerabilem non permittimur damnare antiquitatem; licèt *Enſchenius*, & *Papebrochius* Martyres qui à temporibus Adriani Romanorum Imperatoris, aras poſſident præcipuè Brixiæ, deturbare non formident. Habet porrò ſuos Brixia propugnatores; undè nè actum agam ad *Paulum Aemilium Maffeum* in reſponſione ad cenſuram Papebrochii remitto.

19 *Cyprum* aggreſſurus Selimus ex ſolà libidine re-
Turca in Cyprũ irrumpit gni, Inſulam per legatũ à Venetis petiit, quaſi ſaxũ peteret, cuius iactura Turcico non eſſet præferenda fœderi. Negavit Reſpublica vniverſali Chriſtianorum damno inſulam prodere nobiliſſimam, quæ ſola eſt ianua ad redimendum Chriſti ſepulchrum. At quoniam inſtantis belli graves procellæ non ſolùm Veneto Imperio, ſed cæteris nationibus ex alto ferebant, nullà morà viſum eſt impendentis ruinæ admonere in primis Pontificem, qui ad certiſſimæ ca- D lamitatis famam excitatus, coactis Cardinalium comitiis, obiurgatoquè Cardinale *Granvellano*, qui fœdus diſſuadebat per Cardinalium ſuffragia decrevit primò 12. mittere triremes auxiliares cẽtum aureorum millia ex Cleri proventibus exigenda, tritici nõ modicam vim ad panem nauticum conficiendum: inde *Philippum* Hiſpaniæ Regem, *Maximilianum* Cęſarẽ *Carolum* Gallorum Regem invitavit ad fędera. His omnibus aut bellum, aut belli metum prætexentibus: vnis Venetis tanti belli moles incubuit, adiuvante *Pio*, à quo ſtatim duodecim immiſſæ triremes ſub imperio *M. Antonii Columnæ*. Claſſis expectabatur Hiſpana, quà ſubſidente, Turca cum navibus CCC. Kalendis Quintilibus An. 1570. Cyprum tenuit, atq; *Nicoſiam* olim *Leucoſiam* Regni caput in vmbilico Inſulæ intrà VL dies expugnavit. Sævitum in omnes ſinè diſcrimine. Prædam tribus impoſuere navibus unà cum ſpecioſis virginibus, atquè matronis ad libidinem: ſed igne immiſſo per matronam Cypriam *Arnaldam Rocaſiam* in pulverem tormentarium, naves illæ ſecum implicitæ inflammatæ cum multis periere Turcis. Nobilis deſperatio, cuius ardor pudicitiam, ac ſuorum cineres novo igne vindicavit. Captà Nicoſià, miſit *Muſtapha* præciſum *Danduli* caput M. *Antonio Bragadeno* Famaguſtæ præfecto. Obſidionem cum adornaret, audito adventu Chriſtianæ claſsis, receſsit Limiſſum, prælio decertaturus navali, ſi aleam Chriſtiani non detrectaſſent. Hi audità Nicoſiæ iacturà, cuius cauſà venerant, orto diſsidio, inglorii patriam repetiere, tantis ſumptibus vanè profuſis. Pontificis tamen vigilantià fœdere inito inter Venetos, & Hiſpanos. (Luſitani, Franci, Cæſarei Indicum, & Hæreticum prætexuere bellum) CC. bellicæ triremes, C. onerariæ, peditum 50. equitum ſuprà quattuor millia decreta. Sola cunctatio regnum perdidit. Dum enim fœderati moram trahunt; Turcà imminente Famaguſtæ, quam ſuprà vires humanas fortiſsimè propugnabat *Bragadenus*, muro ſuffoſso, atquè tormentis æquato, propugnatores ferè omnes ferro defeciſſent, nullaquè ſpes fulgeret auxilii, fœminis indigenis omnia clamore turbantibus, *Bragadeno* repugnante, Vrbs honeſtiſsimis traditur conditionibus, licèt Barbari peieraverint. Bragadenus fruſtrà tentatus de eiurandà religione, vivus excoriatus eſt. Sęvitum deniquè in reliquos duces, & milites ob Turcarum octoginta millia in oppugnatione cæſa. Octingenti duntaxat Gręci in urbe relicti ſunt; reliqui cum prędidiariis in captivitatem abacti. Septuaginta dierum verberatione in muros, centum globorum millia feruntur emiſſa. Occidentem totum iam Turcæ mente vorabant. Chriſtiani de belli expenſis acriter diſputarunt. Põtifici conquerenti exhauſtum ærrarium ſumptibus Anni præteriti, cum Veneti opponerent, *ei non deeſſe pecuniam, quouſquè manus adeſſent, & calamus*: reſpondit Pius. *Si malæ conſcientiæ pretio redempturus eſſẽ totum Orbem Chriſtianum, tametſi minimo, id nunquàm facerem.* Pactum tandem, ut Pontifex duodecim triremes, tria millia peditum, equites 260. prębèret Impenſarum dimidiam partem Rex præſtaret Catholicus: alterius dimidiæ tertiam partem Pontifex, binas Veneti conferrent. *Ioanni Auſtriaco* ſumma imperii defertur, eoquè abſente vel impedito *Columna* eadem auctoritate ſuccederet nomine Pontificio. Sententiæ duorum Præfectorum tertius plauderet. Fœderatorum controverſias arbiter Pontifex componeret. Nulli liceret, invitis ſociis, cum hoſte paciſci. Locus relinqueretur honorificus Cæſari, cæteriſquè Regibus Chriſtianis fœderi ſubſcribendi. Venit igitur Chriſtiana claſſis ad inſulas *Echinadas* parata vincere, aut mori. Dei nomine Pio victoriam promittente. Propterea cum inter duces dubitaretur, an in Selimi ditiones impetum facerent, vel pugnam ſubirent? eorum ſententia prævaluit, quibus pro militati ratione erat ergà Pontificem

obe.

obedientia. Turcæ obſervatâ Chriſtianorum alacritate, de prælio nutabant. Vicit tamen Piali Baſſæ ferocia, decretumquè certamen. CCXXX. triremes habuere Turcæ, biremes LX. Gubernator prætoriæ Io: Auſtrii, cum naviculam paraſſet, quâ in adverſis, Imperator ſe in tutum reciperet; converſus Auſtrius (*Amove* (inquit) *gubernator ſcapham; Marte namquè adverſo non fugere, ſed mori in causâ Dei mihi dulce erit*. Aciem præcedebant ſex Venetorum quinqueremes, ſub præfecturâ *Franciſci Duodi*, qui Nonis Octobris, die Dominico, poſt elevatam ab Auſtrio Imperatore Crucifixi imaginem, atquè Deiparæ, primus in hoſtem detonuit. Pugnatum per duas horas utrinquè acerrimè, donec horâ meridianâ ventus eò uſquè Chriſtianis adverſus, quievit penitùs: ac ſubinde lenis exurgens aura ab occaſu fumum tormentorum impulit in Turcas. Sol etiam mediâ Cęli regione transmiſsâ, cum priùs oculos verberaret Chriſtianorum, radiis ſuis cœpit percutere Turcas; eàdemquè horâ Turcarum expugnatâ Prætoriâ, Tribuni *Hali* Baſſę reciſum caput conto elevatum omnibus ſtatim oſtentus fuit: Quo viſo, ingenti celeuſmate victoriam Chriſtiani cõclamare cęperunt; Turcę verò turpi fugâ ſe ſubducentes, poſt quatuor horarũ ſpatium liberum Chriſtianis permiſere triumphum, omnium maximum, qui in mari contigerit. Duabus integris horis congeſta ſpolia, ob multitudinem hoſtium, quos ſupra centum ac triginta millia exceſsiſſe referunt multi. Vltra 30. millia cęſa nemo dubitat: capta tria millia, & quingenta. (Vel ut in epitaphio Pii V. per Sixtum V. poſito, ad decem millia). Captę ſunt Turcarum naves 117. Triremes XV. Biremes XIII. quinquaginta tantum evaſere; cęteris aut alliſis ad ſcopulos, aut inflammatis. Quindecim millia Chriſtianorum ſubducta ſunt remo. Erecta res Chriſtiana; Turcica, ſi victores uſi eſſent victoriâ ſuâ, penitus afflicta, & labefactata.

An. Sal. 1571

Victoria in Turcas

Inſtar miraculi victoria habita eſt, non ſolùm quòd præter morem loci, venius hoſtibus ſecundus ſubitò fieret in acie contrarius: ſed quòd in conflictu viſi ſint Chriſtus cum Petro, & Paulo, ſtricto gladio Turcis minitari; ut Turcæ affirmavere captivi, undè ita cælata numiſmata, quæ habes n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 17. ac pictura in Vaticano expreſſa cum ſequenti inſcriptione.

Hoſtes perpetui Chriſtianæ Religionis Turcæ diuturno victoriarum ſucceſſu exultantes, ſibiquè temerè prufidentes, militibus, dvcibus, tormentis, omni deniquè bellico apparatu ad terrorem inſtructi, ad Echinadas Inſulas à communi claſſe, prælio poſt hominum memoriam maximo, perſpicuà divini ſpiritus ope profligantur. Ipſo pugnę die, nocteqȝ præcedente P*ius V.* cum iam claſſes certamini vicinas crederet, multo ardentius Dei opẽ ſollicitabat precibus, idq. per collegia, & cęnobia fieri curavit. Ipſo pugnæ die, Nonis Octobris, cum *Bartholomæus Baſſotus* quæſtor ærarii Pontificii Pium conveniſſet pro ſui muneris negotiis, Pontifex ſubito inſtinctu ab eo digreſſus, apertaquè feneſtrâ Cœlum intuens, hæſit aliquantiſper: ac poſt modicum intervallum reverſus, *Abi* (inquit) *non enim tempus negotiis tractandi, ſed Deo gratias agendi: hac enim horâ claſſis noſtra Turcicam debellavit*. Quo dicto, abiens Quæſtor, dum ſe cõvertit, vidit *Pium* proſtratum coram Crucifixo. Rem tamen ſilentio occuluit, nè ſi contrà eveniſſet, vileſceret auctoritas ſancti Pontificis. Ex adverſo Cardinalis *Ceſius*, qui non procul cõſiſtens oraculum quoquè perceperat, de veritate nil dubitans, priuſquàm nuntii advolarent, arcanum revelavit. Nuntio poſteà accepto, gratiis peractis ſolemnibus, vt tantum beneficium Chriſtianus populus perpetuò coleret, ad honorem Dei, eiuſquè Genitricis V. Mariæ, cuius potiſſimum auxilio tantam victoriã partam profitebatur, inſtituit, vt deinceps in perpetuum Nonis Octob. *Commemoratio S. Mariæ de Victoriâ* recoleretur piè. In Litaniis etiam eiuſdem Virginis inſeri voluit, *Auxilium Chriſtianorum ora pro nobis*: atquè vt octavo eiuſdem commemorationis die divinum celebraretur officium pro omnibus illis, qui eſſent in prælio defuncti. Gregorius etiam XIII. Pii ſucceſſor ſanxit, vt in ſingulis ſacellis S.S. Roſarii primâ Dominicâ Octobris annua celebretur feſtivitas *Roſarii* B. *Virginis Mariæ*, Duplici Maiori Officio. Idemquè confirmavit Clemens VIII. Quod ſanctè, ac piè. *Franciſcus Arnoldus* Reienſis in ſuâ *paradiſi ſcalâ* Gallicè ſcriptum reliquit, *eo tempore, quo utraquè acies prælium ad Echinadas committebat, à pluribus conſpectos fuiſſe frequentes hominum cœtus ponè Roſarii labarum, & Iconem Deiparæ in modum noſtrarum ſupplicationum, ordine quodam procedere, quorum ſinguli unâ manu Roſarium, alterâ cereum præferebãt.* Vndè homines deſuere ſanctis, non hominibus Sancti. Summo ſtudio contendens *Pius* ad fędus conducere Principes, Cardinalẽ *Commendonum* legavit ad Cæſarem, & Poloniæ Regem; *Alexandrinum* ſuum pronepotem cum nobili virorum comitatu (quorum ſex poſteà Cardinales futuri, & ex his S. *Franciſcus Borgia, Hippolitus Aldobrandinus*, qui poſtea Papa) ad *Philippum* Regem Hiſpaniæ pro confirmatione initi fęderis; iuribus Regni Siculi; ac controverſiis inter S. Carolum Borromæum Archiep. Mediol. eiuſquè civitatis Regios miniſtros, quæ omnia fęliciter abſolvit ob devotionem Regis Catholici ergà *Pium*. Tria cum Pio accepta referret Philippus beneficia, Navalẽ victoriam, filium unicum regni hæredem, in longâ ſiccitate pluviam, eius etiã colebat imagines. Plures licèt inter eos interceſſiſſent querelę causâ Iuriſdictionis, vel honeſtatis: vt cũ ferarũ certamina (quæ non ſine hominũ cæde exercebat Hiſpania) interdixit Pius nunquã tamẽ amicitiã immutarũt: hinc Pius cognitâ Regis infirmitate, ſublatis in Cœlum manibus, pro diuturniori Regis ſalute divinam imploravit clemẽtiam, quod Philippi vitam magis crederet neceſsariã Reipublicæ Chriſtianæ. Ex Hiſpaniâ in Luſitaniam venit *Alexandrinus*; & licèt *Sebaſtianus* Rex fęderi ſubſcribere recuſaret, auxilia tamen non negavit. In Galliâ tandem cum veniſſet Alexandrinus civili afflictam bello, Regem tamen habuit obſequentem, qui quòd *Margaritam* ſororem *Henrico Navarro* hæretis deſpondiſſet infecto (Hos Pontifex ſolvere nunquam voluerat coniugali impedimento) ſe excuſavit, id Principum conſilio factum fuiſſe, ob ſpem conceptã de Navarri converſione. Et hæc dicens, detractum digito ſuo annulum magni pretii, Legato obtulit in arrhabonẽ fidei, quam Sedi profitebatur Apoſtolicæ. Legatus verò (cui *Pius* munera interdixerat) recuſato annulo, reſpondit, tanti Regis fidem omni pignore eſſe maiorem. *Pio* autem mortuo, Rex Cardinali annulum miſit, in cuius pala hæc erant inciſa verba: *Non*

Victoriam publicat Pius tempore cõflictus.

Feſtum S. Mariæ de Victoriâ.

Reges ſollicitat in Turcas

Philippi Regis devotio in Piũ.

minùs hæc ſolida eſt pietas, nè pietas poſſit mea ſanguine ſolvi.

Sollicitavit etiam *Albertum Laſchium* Palatinum *Siradiæ*, qui cum XXX. millibus equitum Andrianopolin petere decreverat; *Meanam* Æthiopiæ, *Tamaſum* Perſidis, *Seriphum* Arabiæ, alioſquè Principes Orientales; mors tamen præmatura Pontificis conatus fecit inanes. Anno namquè Sal. 1572. Ætatis 68. Pontificatus 6. Menſe. 3. die XXIV. pridiè Kalendas Maii

Tēpus mortis.

20. *Obiit* morbo ſibi familiari, nephrytidę, cum præ honeſtate corpus medicis ipſis nudare erubeſcēs, pandere arcana membra, nec vitæ rigorem remittere, veſcendo carnibus, vitam ponere maluit. Menſe Ianuario, quo natus, & Pontifex ſalutatus, arctiori morbo cœpit decumbere, vitę tamen rigorem non remitiit: quin eodem menſe graviſſimis denuò literis *Carolum* IX. Francorum Regem excitavit in Turcas, & ab affinitate Navarræi deterruit. Menſe Martio, prævalente morbo, cum nonniſi leniendo dolori adhiberetur remedium, potus nimirum aſinini lactis, debilitato ventriculo, malum eo uſquè invaluit, vt remediis omnibus prævaluerit. Cuius extremis cruciatibus quātò magis corpus affligebatur, tantò amplius invicta eius enitebat conſtantia, ſæpè ingeminantis ad Crucifixi imaginem, *Domine adauge dolores, ſed auge patientiam*. Imminentis ſibi mortis præſcius, cœpit à publicis abſtinere negotiis: cumquè Paſtoribus viduas vt provideret eccleſias, excitarent miniſtri: *Aliud nobis* (inquit) *maioris momenti negotium tractandum eſt; cui ſi veſtra, quæ affertis, conferantur, minima ſunt*. Cœpit deindè liberè agere de morte ſuà cum Cardinale Alexandrino, ac ſæpè ſacra exomologeſi expiare conſcientiā, S.S Euchariſtiam in dies ſuſcipere. Hanc cum feria V. maioris hebdomadæ, Cardinalis ei præberet more ſolito dicens, *Corpus D. N. I. C. cuſtodiat animam tuam*, Pius verba intercipiens, *perducat dicito* animam tuam in vitam ęternā. Die Reſurrectionis Dominicę cū præter morem non videretur à populo, ſed mortuus crederetur, habitu indutus Pontificali in podium Vaticani pedes proceſſit, ac læto vultu, ſonorà voce benedixit. Iiſdemquè diebus *Agnus* cereos conſecravit. Demùm totus in Deum verſus, fruſtrà deterrentibus familiaribus, X. Kalen. Maii, XI. antè obitum, ſeptem Vrbis Eccleſias, quas anteà religionis causà frequenter viſere conſueverat, velut Sanctis valedicturus, maiorem partem pedes, propè vnius diei iter, victis patientià doloribus, religioſè luſtravit. Rogantibus adſtantibus, vbi ad Lateranenſem Baſilicam ventum eſt, vt alias alio die viſeret Eccleſias, ille paululùm ſubſiſtens, elevatis in Cœlum oculis, *Qui fecit totum* (ſubiunxit) *ipſe perficiat opus*. Quo dicto, reſtauratis viribus lætiore aſpectu, vbi ad Scalam Sanctam pervenit, ſupremo gradui, ſubortis lachrymis, tertiò velut ſupremum vale dicens, oſculum fixit. Inibi poſteà ſubſiſtens, plures Catholicos ex Anglià ob fidē relegatos, ad pedes admiſit, ſingulorū nomina Alexādrino adnotare iuſſo, ut eorum neceſſitati conſuleret. Hæc dum fierent, in Cœlum verſus dixit: *Domine, ego proprio eos ſanguine adiuvarem*. Sic in reliquis, quas inviſebat, Eccleſiis, plurium afflictorum cauſas benignè audivit: inter quos *Martinum Navarrum* pro *Barthólomæo Caranzà* Archiep. Toletano auſcultavit

Morbo laborat.

Patientia Pii.

Se parat ad mortem

Conſtātia in adverſis

Labores

A perorantem. Sub veſparam ad palatium reverſus, ſtans duodecim adhuc legit ſupplices libellos. Indè ad quietem compoſitus, vocato Cardinali Alexandrino, verbis mandavit graviſſimis, curam habere ſacri fœderis, ac vigilare nè diù vidua iaceret Eccleſia. Tandem quarto antè obitum die, ſumpto ſacro Viatico, Paſſionem Dominicam, ac Pſalmos ſibi prælegi curavit, licèt mors urgeret in labiis, ſurgens tamen ardore ſuccolante charitatis, ac flexis genibus coram Crucifixo ſuam commendavit Eccleſiam. Morte ingraveſcente, decubuit iterum, iubens renovari preces. Expiraturus tandem, cum nudum adverteret brachium, non quievit, donec cooperiret laneà ſubuculà, quà indutus deceſſit, ut omnia videretur oblitus præter honeſtatem. Sic pridiè Kal. Maii. Extremà Vnctione ſuſceptà, ipſis Kalendis, adſtantibus Cardinalibus Alexandrino, Theano, (B) Ruſticuccio, Montalto, Caraffà, Aquavivà, & Seraphino Caballi Magiſtro Generalis Ordinis Prædicatorum, manibus in modum Crucis compoſitis, ſemel, atquè iterum intermortuis verbis, *Quæſumus auctor omnium, In hoc Paſcali gaudio. Ab omni mortis impetu tuum defende populum*: abſquè alio motu, placidiſſimè quievit in Domino. Eius obitum portendere viſa ſunt fulmina, quorum altero arbor arcis S. Angeli, decimo Februarii accenſa per noctem totam arſit: altero ala Angeli effracta marmorei. Alio pariter percuſſa fulmine turris Baſilicæ S. Petri, magnà ex parte concidit. Exenterato corpore, tres plani calculi ſunt in veſicà reperti, quorum ſinguli unciæ dimidiæ. In Baſilicà S. Petri triduo omnium venerationi eſt expoſitum tanta populi frequentia, ut neceſſe fuerit ſacello ferreis mu(C)nito cancellis includere corpus, nè ſacras carpentium reliquias manibus diſcerperetur. S. Philippus Nerius thoracem *B. Pij V.* nactus, magnà habuit veneratione. Plures eius ſandalia inter ſacra pignora aſſervarunt. Laneam interulam, quà indutus ex hac vità deceſſit, Regi Luſitaniæ miſſam Rex ſummo habuit pretio. Lachrymis, ut nemo Chriſtianorum abſtinuit; ex adverſo *Selimus* Turcarum tyrannus, quòd Pii orationibus cladem adſcriberet Lepantinam, atquè plus ſibi ab eis timeret, quàm à fœderatorum armis, triduo Byzantii ignis excitavit feſtivos, ac tormentorum exploſione publicà celebravit ſigna lætitiæ, ut Ais Epiſcopo Gallorum legato ſignificavit Mehemetus ProRex Turcarum. Expletis exequiis, in Sacello S. Andreæ Vaticano tumulo conditum eſt latericio; indè *Boſchum* patriam ſuam transferendum, in templum Dominicanorum, (D) ut ipſe decreverat. Verum cum Annis XV. curatum non fuiſſet; *Sixtus V. P. M.* in memoriam grati animi, quòd ab eo Cardinalis creatus fuiſſet, ſplendidiſſimum monumentum marmoreum in Baſilicà S. Mariæ Maioris, in Monte Exquilino excitavit: ſtructuram habes in pag. 313. Priori tumulo ſequens eſt affixum elogium.

Pii V. mors.

Mortis præiudia.

Sepultura.

Eius veſtes diſcerpię, ut reliquiæ ſacræ.

Turcæ exultāt in morte Pii.

Pius V. *Pontifex Religionis, ac pudicitiæ vindex. Recti, ac iuſti aſſertor. Morum, & diſciplinæ reſtitutor. Chriſtianæ rei defenſor. Salutaribus editis legibus. Gallià conſervatà. Principibus fœdere iunctis. Partà de Turcis victorià. Ingentibus auſis, & factis; Pacis, Belliquè glorià Maximus. Pius, Fælix, Opt. Princ.*

In altero tumulo, ad quod Anno 1588. die 9. Ia-

Ianuarii, corpus illius tranſlatum eſt, cuius ſub ſtatuâ ipſum ornatu gerente Pontificio, itâ legitur.

Pio V. Pont. Max. Ex Ordine Prædicatorum, Sixtus V. Pont. Max. Ex Ordine Minorum, Grati animi monumentum poſuit,

In tranſlatione (prioris ſepulchri loculo in partes conciſo, & pro ſacris reliquiis diſtributo) tantus hominum eſt factus acceſſus, ut ſatellitum manipulo opus fuerit importuniores cohibere, qui globulos precarios loculo admovere conabantur.

Novo in tumulo tria alia extant elogia. In medio legitur,

Pius V. gente Ghiſleriâ, Boſchi in Liguriâ natus, Theologus eximius, à Paulo III. in Inſubriâ hæreticæ pravitatis Inquiſitor, à Iulio III. S. Inquiſitionis Officii Commiſſarius Generalis: à Paulo IV. Epiſcopus Sutrinus, deindè S. R. E. Tit. S. Mariæ ſuper Minervâ Presbyter Cardin., & à Pio IV. Eccleſiæ Montis-Regalis in Subalpinis adminiſtrator factus: eo vitâ functo, ſummo Cardinalium conſenſu Pontif. Max. creatur, qui veteres Sanctos Pontifices æmulatus Catholicā fidem propagavit: Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit: tandem geſtarum rerum gloriâ clarus, dum maiora molitur, totius Reip. Chriſtianæ damno nobis eripitur Kal. Maii M. D. LXXII. Pontif. Anno VII. Ætatis ſuæ LXVIII.

Ad dexteram legitur,

Selimum Turcarum tyrannum multis inſolentem victoriis, ingenti paratâ claſſe, Cyproquè expugnatâ, Chriſtianis extrema minitans Pius V. fœdere cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ac Republicâ Venetâ inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ Claſſi præficiens, ad Echinadas, hoſtibus 30. mill. cæſis. 10. Mill. in poteſtatem redactis. Triremibus 180. captis. 90. demerſis. 15. mill. Chriſtianis à ſervitute liberatis, precibus, & armis devicit.

Ad ſiniſtram tandem.

Galliam Carolo IX. Rege, perduellium, hæreticorumq; nefariis armis vexatam, ut de Regno, dequè Religione actum videretur, Pius V. Sfortia Comitis S. Floræ ductu, miſſis equitum, peditumquè auxiliaribus copiis periculo exemit, hoſtibuſquè deletis victoriam reportavit. Regi Regnum cum Religione reſtituit. Signa de hoſtibus capta ad Lateranenſem Baſilicam ſuſpendit.

Mortuo Pio V. inventa ſunt in ærario Decem Centum millia ducatorum: Centum millia in manu Quæſtoris: Quinque Centum millia brevi exigenda, quæ omnia paraverat contrà Turcas quamvis eleemoſinis, bellis, ædificiis ærarium conſumpſiſſet. Pontificum cum eſſe diceret, *Moribus ædificare, non lapide*, lacunar tamen complevit in templo S. Io: Lateran. Plura obtulit pro erectione Eccleſiæ Principis Apoſtolorum, Vaticanum ampliavit, Monaſterium Monialium S. Dominici in monte Equitio à fundamentis erexit; plura alia monialium cœnobia reſtauravit; Palatium S. Inquiſitionis erexit, redditibus ditavit, & privilegiis; ut ex inſcriptione marmoreâ ſuper portam poſitâ.

Pecuniā relinquit.

Ædificia.

Pius V. P. M.

Congregationis S. Inquiſitionis Domum hanc, quâ hæreticæ pravitatis ſectatores cautiùs coerceantur à fundamentis in augmentum Catholicæ Religionis erexit A. 1559.

Ad maiorem urbis commoditatem propè Trivii fontes lanificium inſtituit cum ædificio ampliſſimo.

Pio V. P. M.

Cuius beneficentiâ Lanificium in Urbe inſtitutum.

Ordinis ſui fratribus Templum Boſchi conſtrui cum incœpiſſet Anno 1. Pontificatus abſolutum 1571. ſub Crucis titulo conſecravit, ut in numiſmate n. 14.

In nummo XV. *lucus* eſt undiquè micans; *Boſcus* ſcilicet Pii patriâ, quia ipſe patriæ ſuæ lumen fuit. Nectè nummum 18. in quo Salvatoris imago ſub lemmate, *Quis ſimilis tibi Domine*, in quò *Michael* includitur Pii nomen, priuſquàm Pontifex eligeretur. Nam Hebràicè Mi-cha-el ſignificat *Quis ſimilis Deo.*

Nummus 16. in quo *Catherina Bonz* creditur non pertinere ad Pium V.

21. *Meretrices* Romæ cum adeò numero creviſſet, & petulantiâ, ut egregias Urbis domos, & vias publicas cum piorum, & advenarum ſcandalo occupaſſent: graviſſimo edicto Pius Pontificatum exorſus; quo cautum ut non ſolum cauponæ, tabernæ in quibus inter aleas prophanum fit ſacratiſſimum Dei nomē clauderētur civibus, ut ſolis paterent advenis; ſed etiam bacchanalia propè eccleſiam forēt illicita, maximè in Via Flaminiâ, quæ tota Martyrum irrigata ſanguine, Urbe etiam excederent meretrices. Reſiſtentes verò Triumviros Urbis Conſervatores lucri gratiâ, arcanoq. politico itâ coercuit; *Ergòne Romani Senatus erit mulierculas haſcè tueri, & impudicitiæ favere? Niſi illæ Româ diſcedant; Nos cum univerſâ Curiâ diſcedemus.* Ita impudentioribus depulſis, plures inhoneſtatem matrimonio luerunt, quò facilè eas impulerunt eleemoſinæ illis effuſæ; ac terror illatus in ſterquilinium ſepultum iri quotquot in ea ſœditate è vivis exceſſiſſent. Reliquæ perditi pudoris, ac nominis, auditâ eius morte, illudendi causâ cum lætabundæ ad feretrum acceſſiſſent, ſolo conſpectu cadaveris ita quarumdam perculſa ſunt corda, ut quod vivus obtinere nequierat, defunctus in feretro excitaret ad lachrymas, & vitam meliorem. Hoc miraculo fortiora facta ſunt teſtimonia medicorum, qui exenteratum corpus dixere virgineum, & libidine impollutum: idem ſuffragantibus Epiſcopis, & Cardinalibus, qui erant à ſecretis pœnitentiæ.

22. *Miraculis* clarus etiam in vitâ mortali. Cuius teſtis eſt Crucifixi imago, cuius pedes à ſicariis veneno illitos (ut per oſculum Pius ex ligno vitæ, mortem hauriret) retraxit Redemptor, ut inſidiarum Pontificem commoneſaceret. Accedant energumenæ immundis vexatæ ſpiritibus, quas in Baſilicâ Petri, Mariæ M. S. Io: Later. Aræ Cœli, vel ſtolæ attractu, vel ſigno Crucis liberavit. In templo S. Mariæ ſuper Minervam, cum prò fœlici fœderis ineundi ſucceſſu, ſupplicationi intereſſet, eiquè energumena adduceretur; in terram expuit, redditoquè ſibi pulvere mixto ſputo per Magiſtrum Cæremoniarum, afflictæ frontem Crucis ſignaculo muniens, eam protinùs expurgavit, ut ſociis comitantibus mox ſupplex ad altare procederet, & preces funderet.

Miracula Pii viventis.

In Hiſpaniâ quidam Franciſcanæ alumnus familiæ, qui nullis adiurationibus à Stygio veteratore liberari potuerat; cœpit exorcizans Dæmoni comminari, quòd niſi abſcederet, ipſum Romam ad Pium V. perducturus eſſet. Et eccè audito Pii nomine, fugiente Dæmone, ſolvitur Religioſus.

Io: Baptiſta Poſterla nobilis Mediolan. Romà diſce-

ſcedens quatuor donatus Roſariis à Pio conſecratis, cum Mediolanum veniſſet in templum S. Pancratii, ubi puer de *Barago* exorcizabatur: interrogatus à presbytero, num quid Romà rei ſacrę ſecum tuliſſet? reſpondit, ſe coronas ex orbiculis à *Pio V.* ſibi datas habere. Quod audiens obſeſſus, torvo ſubiecit aſpectu: *Si tu habes, te pœnitebit*. Spretis minis, coronâ ut ſimul energumeno admovetur continuò à malo genio vacuus, nunquam deinceps fuit infeſtatus.

Fœmina diuturno laborans dolore capitis, Pio in ſupplicatione occurrens impoſitâ illius capiti ſtolâ ſacerdotali, protinùs incolumitati reſtituitur.

Fr. Hieronymus Bergerus Ord. Prędic. per annos 10. tam copioſum è naribus emittebat ſanguinem, vt Medici eius vitam deſperarent. Cum appoſita collo eius cera benedictâ, data ab ipſo Pio, ſtatim frigeſcit ſanguis, & ſtupentibus Medicis brevi convaluit, inſignis concionator futurus. B

Cum ad refrænandam exulum licentiam ſatellites miſiſſet *Pius* in Aſculanam dictionem, quemlibet cōſecrato à ſe cereo Agno-Dei munitum voluit; His cum nobilis quidam ſe adiunxiſſet in itinere ſacro illo deſtitutus munimine; ecce proſcriptorum globus occurrit: fit pugna, nemo ſatellitum cadit, nec lęditur, excepto illo nobili, qui primâ ſclopeti exploſione occubuit.

Hiſpanum militem Orangius arbori alligatum cū à Calvinianis pilis plumbeis occidi iuſſiſſet: innoxiæ cecidere eiaculatę glandes licèt innumeræ, nec aberrantes. Obſtupefacti milites exuerunt hominem, incantamentis rati munitum. Sed nihil in eo repertum pręſidii pręter ſacrum Agnum è collo pendentem, ex iis quos *Pius* V. primo Pontificatus Anno conſecraverat. C

Eiuſdem ſacrę cerę virtute, ac Pii meritis extincta incendia, inundationes repreſſæ, tempeſtates ſedatæ, vt An. 1567. die 28. Decemb. cum Romæ inundans Tyber non ſolùm vicinos agros, ſed magnam Vrbis partem occuparet: tumentibus aquis vt legem poneret Pius, per datarium M. Anton. Florentinum, & eum, qui ei à poculis erat, *Agnum* cereum conſecratum in Tyberim proiici iuſſit: quo facto ſub horam 22. ſtatim fluvius intumeſcere deſiit, ac ſub quintam noctis protinùs detumuit. Similiter correptâ incendio caſulâ quadam plenâ fæno, iniecta flammis effigie cerea, ignis ipſo momento ſacra cera penitus immuni, extinctus eſt.

Febri laborantibus B. *Pii.* V. preces medicamina fuere, vt cum lethaliter decumbentem Cardinalem *Alexandrinum* illius pronepotem ſacro iam munitum Viatico inviſeret, nec mentis ſatis compotem adverteret, detecto capite, manu capiti decumbentis impoſitâ, brevi oratione obtinuit, ut poſterâ nocte à ſomno experrectus ab omni febre ſe curatū ſenſerit.

Oratori Regis Poloniæ ſibi in Vaticano campo obviam venienti, & ſacras aliquas reliquias flagitāti pulveres ex loco ubi convenerant, in ſudariolum manu illius congeſti, ab Oratore domum aportati, cruorem ſtillarunt Martyrum, qui olim circà Vaticanum paſſi fuerant.

Miracula Pii poſt mortem

Poſt mortem quanti apud Deum meriti *Pius* eſſet, celeberrimis monſtravit indiciis. Innocens puella Romæ in ipſo mortis articulo conſtituta vidit illius animam cum gloriâ ab Angelis in Cœlum deportari, matremquè, & adſtantes vocans ad ſpectaculum, placidè expiravit.

Virgini Thereſiæ adhuc mortali agmine circumdatus Beatorum apparuir. *Guillelmo* Raymundi Catalano, viro nobili, eximiæ virtutis extremè decumbenti Valentiæ in Hiſpaniâ, unà cum S. Dominico, Vincentio Ferrerio, Ludovico Bertrando, adfuit Pius.

Ex continuo ſanguini fluxu in vitæ diſcrimen adductus A. R. P. Fr. Vigilius de Piſauro S. Theol. Mag. Ordinis Servorum, ubi ex animo ſe B. Pio commendavit, illicò eſt liberatus. Idem contigit Mutio Biindo. Iannotius de Aurià filius Caroli de Aurià Ducis Ianuenſ. ſex circiter annorum puer cum ſpatio 30. menſium ſanguinis fluxu loboraſſet, B. Pio V. commendatus, ſanitati reſtituitur.

Dolore capitis ſanatur Ranucius oſculando os digiti B. Pii. Gulæ tumore ſanatur *D. Michael Bonellius* Prior Hoſpitalis Conſolationis. An. 1610. B. Pii invocatione. *F. Anton. de Monelià* Ord. Predic. gravi, & inveterato tibiæ dolore ſanari obtinuit. F. *Hieronymus Fachinetus* Ord. Prædic. Prior Conventus S. Sabinæ Pio V. invocato, morbo ſanatur lethali. Sic *Aemilius de Bergomo* repentè ab ęſtu febrili ſaluti reſtituitur: & *F. Irenæus Cacuſtinus* S. Theol. Mag. Ordin. Servorum: ac *Io: Guillelmus* à Turri nobilis Ripaldenſis. *Clementia uxor D. Antonii Fantini* calceo B. Pii V. ſibi à S. Filippo Nerio admoto, à febre curatur. *Tiburtia Florentia Auximana* annorum 72. admotâ ei ſubuculâ Pii, à pluribus ſanatur infirmitatibus, ac pluribus annis læta ſupervixit. Miraculum hoc adprobavit. Congreg. S. Rituum. *Iulia* uxor Tarquinii Capizuchii impoſito ei ſcapulare B. Pii fęliciter prolem enixa, à morte liberatur imminenti. *Maria Anna Martinoſſa* uxor Principis Armandi *Borbonii* de *Conty* acerrimos dolores, tremores capitis, qui opertoria excuterent, vix birethum, quo Pius noctu operiebat caput, fronti ſuæ admovit, ut repentè reſederit dolor, & ad fæliciora puerperia diſpoſita fuerit.

Miram quoquè, & ſupra naturam retinuere virtutem imagines ceręæ ab ipſo conſecratæ non ſolùm adversùs homines, ſed etiam elementa. *Io: Serpa Forolivienſis*, cum *Io. Bapt. Contareno* Veneto patritio, ac *Io: Bapt. Cortonenſi* Forolivienſi comitantibus cœnobium adiret Monialium Forilivii, rogatus capſulā aperire Imaginum B. Pii, quas dono ferebat monialibus, en quòd ab infeſto inimico, ſtricto pugione invaditur: ſed ſublatis in Cœlum manibus cum capſulâ, quâ cereæ illæ particulæ continebantur; *Ieſu* (exclamabat) *adiuva me*. Quo dicto pugio inimici manibus excidit, ipſequè ſupinus in terram corruit, ſed illæſus.

F. Petrus Martyr Locatellus Ord. Pręd. cum propè Caietam coortâ tempeſtate, proximus eſſet naufragio, proiecta in mare cereâ à B. Pio conſecratâ imagine, ſtatim mare quievit. Idem contigit D. Io: Vincentio Perono è Calabriâ Neapolim petenti. Religioſus Ordinis Minimorum ex Agno cereo B. Pii fruſtula procellis iniiciens, fluctus domavit; poſtremam tamen illius particulam è filo pendulam, nè penitùs eo deſtitueretur, aquis immittens, dum eam retrahit, totum Agnum recuperat miraculo reintegratum.

Ignis

Ignis quoquè furorem repreſſit Agnus cereus B. Pii, cum ardente palatio Duciſſæ Hetruriæ medios proiectus in ignes, illiquefactus reſtinxit incendium.

Bulliente aquà, & accenſo foco, aduſto brachio *Artemiſia Laurentia* cereus admotus Agnus B. Pii, nonniſi ſignum rubeum reliquit, quaſi armillam, miraculi teſtimonium.

Imagines autem B. Pontificis immunes à flammis in ſacello *Antonii Cardonæ*, & Cordubæ ducis Sueſſani, lapidibus etiam conſumptis, ſolæ licet ex telà, & papyro illæſæ ſuperfuere.

Farinam adde multiplicatam in Pratenſi Monialiũ cœnobio ad invocationem B. Pii. Centena alia addi poſſent miracula: ſed hæc inſtituto ſufficiant, quæ ex ſummario Proceſſus de ſanctitate vitę B. Pii V. vel ex decreto Beatificationis deſumpſit R*andingus*.

Beatus dicitur.

Vitę inquiſitio inſtituta eſt A. 1616. ex mãdato Pauli V. R. P. Teſtibus ritè examinatis, S. Rituum Congregatio An. 1625. Kal. Feb. cenſuit, die eius Anniverſarià nõ pro defũcti requie, ſed in gratiarũ actionẽ prò receptà eius animà in numerũ Beatorum, ſacrum de S. S. Trinitate celebrandum, decretum confirmante Vrbano VIII. tunc ſedente. Deniquè cunctis examinatis, & probatis ſacra Rituum Congregatio decrevit: *poſſe S.S.D.N. quandocumquè ei libuerit ſervum Dei Pium V. Beatum declarare.* His præhabitis, Anno 1672. Kal. Maii, Clemens *X.* ſolemniter beatificavit, datis Indulgentiis Plenariis, ac peccatorum remiſſione omnibus, qui Eccleſias viſitarent ſcelectas in die Beatificationis; Loco non vno tantam celebratam feſtivitatem, Muſica, panegyri, poeſi, apparatu, vna ego abſolvam periodo, *Deceſſiſſe impollutum labe mortali.* Vide diaria Dominicana Dominici Marię Marcheſi. *p* 12.

Decedit ſine peccato mortali.

Scripſerunt de Pio Ràndingus libellum cui titulus *Beatus Pius* V. Io: *Anton. Gabutius*, *Archangelus Caraccia*, *Hilarion Coſtęus*, *Guillelmus Blancus*, *Guillelmus Rovilius*, *Agatbius de Summà*, *Thomas* Porcacchius, *Antonius Cicarella*, *Hieronymus Catena*, *Petrus Galeſinus*, *Mutius Sfortia*, M. *Ant. Muretus*, *Granc. Bencius*, *Antonius* Buccapadulus, *Franc. Ioannetinus*, *Hieronymus* Manfredus, *Io: Riccadellus*, *Seraphinus Razzius*, *Antonius à Fonte Maiori*, *Anton. Maria Gratianus*, *Vbertus* Folieta, *Guarnerius*.

Qui de Pio V. ſcripſerint.

Honores ei dati.

23. *Statuam.* Acceptis beneficiis illigatus Orbis cum plures erga P*ium* meditaretur honores, Pontifex prohibuit omnes, Statuam præcipuè quam Romani erigere volebant in Capitolio. Bononiæ P*or*-*tam* S. *Iſaia* dictam adhuc P*iam* appellant (quam clauſam ob feralem memoriam, quia ex eà exierint *Ghiſlerij* cum aliis civibus in bello domeſtico, poſt annos centum aperuere in honorem Pii, ut ex epitaphio ibidem poſito. *Portam civilis ſeditionis causà, centum, & amplius annos obſtructam*, P*io V.* P. *M. in ſummà Civium tranquillitate Io: Bapt. Doria commodo, atquè ornamento aperiri, conſtrui, Piamquè nominari voluit. ex S. C. M. D.* LXVIII.

Eius mores brevi colligẽdo, dicas. Fuit Pius in humilitate ſublimis, in ſublimitate humillimus, in inferioribus conſiſtens excelſum gerens animum, in throno collocatus ſupremo nihil de ſe ſentiens ſublime, non ſolum ſibi patiebatur contradici, undè Cardinali S. Severinæ in publico Senatu ſibi refraganti, cunctis audientibus publicè gratias egit: immò eos diligebat, qui iuſtis ex cauſis ei aliquando non obtemperabant. Cardinalem C*ommendonum* ſuum apud Cęſarem legatum laudavit, quia iuſſis ſuis etiam iteratis, ad rigorem non obtemperaſſet, melius ſecutus conſilium. Ex adverſo minimè fidebat eis, qui more aulico Principem ſemper laudant: undè cum de ſuo familiari ſermo recurreret, & apud P*ium* commendaretur, reſpondit Papa: *Bonus ille quidẽ, ſed nunquàm mihi contradicit*. Inter cœtera etiam humilitatis exemplà, illud nè prætereas; quum Ferià V. Paraſceves pauperum lavaret pedes, nec ulcera fugeret, ſed ſuaviter oſcularetur, lachrymantibus præ lætitià adſtantibus, ac Principe dicente Alemanno, *illud ſatis ad emolliendos hæreticos, ſi ipſis ſpectantibus contigiſſet*. Opus planè perfectæ humilitatis fuit, quum Populo Romano ob ingentia accepta beneficia Pio ſtatuam in Capitolio erigère volenti, omnino id fieri prohibuit, nullum ſibi mundanum honorem exhiberi ſuſtinens, ſed omnia in Deum referret. Hinc eſt. quòd profanas Deorum ſtatuas in Viridario poſitas ſuſtulit, ac S P. Q R. in Capitolino palatio collocandas dono dedit: qui in perpetuum monumentum tanti muneris, lato S. C. die XVIII. Feb. argenteum calicem cum patenà, & quatuor funalibus, ſeu cereis Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Minervam, ſolemni oblatione annuatim donanda decrevere.

Mores Pii V.

Statuas profanas aufert.

Innumera alia ſuperſunt, quæ videnda apud hiſtoricos tam ſacros, quàm prophanos. In eius beatificatione toto Orbe recitatæ panegyres præcipuè Alexandriæ in Monaſterio B*oſchi*, quas habes in libro *Orationi panegiriche* Mediolani edito An. 1673. cum ſacro eiuſdem templi apparatu. Ticini etiam in Collegio Ghiſlerio, ſub titulo *Le ſolennità celebrate dall' almo Collegio Ghiſlero* &c. An. 1674. Mediolani.

GRE.

VTINAM DIRIGANTVR VIÆ MEÆ AD CVSTODIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS



GREGORIVS XIII.
PONTIFEX ROMANVS CCXXVIII.



CCXXVIII

ARgumentum non tàm ſalutis promiſſæ per Eſaiam Prophetam Ezechiæ Regi, 4 *Reg.* 20. eſt umbra decem lineis revocata retrorsùm in horologio; quàm Paſchatis nõ aberrantis, et Æquinoctii per Gregorium correcti Decimũtertium cum decem dies revocavit, atq. ſubtraxit Menſi Octobri, quibus revocatis Æquinoctium Vernum ad regulam reſtituit Nicæni Concilii. Vtrobiquè enim Sol revocatur retrorsùm ab Eſaià per lineas; à Gregorio per decem dies.

Eligitur Anno *Sal.* 1572. *die* 13. *Maii. Obiit* An. *Sal.* 1585. *die* X. *Aprilis Cum ſediſſet An. XII. Menſ.* X. *dies* 28. *Vacat ſedes dies* 2.

ELOGIVM.

Anni Sal. Gr. 1572. 1. GRegorius hic iacet XIII. Pont. Rom.
Cuius nomine Ideam habes Pontificis ſancti
Abi viator; & redi,
Si quid minus legere cupis, quàm legiſti.
Gregorii natalia. Patre *Boncompagnus* [1] Matre *Mareſcalcus*
Tot ſenatores familiæ numerat,
Vt ex eis, ſi ſimul viverent,
Integer poſſet conflari Senatus.
Bononiæ alumnus,

A (Quæ Pontificum eſt ſeminarium) Anni Sal. Gr. 1572. 1.
Magiſter, & penè in patrià propheta,
Annos octo, Iuris prudẽtiam docuit cives ſuos.
Romam vocatus à Paulo IV. Studia. Munera
Iuſtitiam ſecum tulit, & leges Iuſtitię,
Quibus ità Romana inſtruxit ſubſellia:
Ut libram, & librum moderante Gregorio,
Iuſtitia nunquàm claudicaret.
Tridentum [2] bis miſſus,

Anni Sal.Gr. (Vbi Deus, & Homo convenerant)
Vices geſſit Auditoris Apoſtolici; & Apoſtoli
Legationes. In Flandriâ, Italiâ, [3] Hiſpaniâ
Ita Romanam procuravit Eccleſiam;
Vt *Pius* IV. ei purpuram obtulerit,
Velut ſanguine partam.
Pontificatus. Pio V. [4] viduata cathedra Petri,
Cum Beato Beatiſsimum quæreret ſucceſſorem;
Dignior inter Sãctos nõ eſt inventus Gregorio.
Bellum in Turcas. Sanctæ infulæ, & mentis hæres,
Chriſtianos movit in [5] Turcas.
Naupactinæ victoriæ ſpem non minorem
Vna perdidit cunctatio Io: Auſtriaci:
Cui non fortuna defuit, ſed ipſe fortunæ,
1573.12 Redeuntibus Byzantium Turcis,
Non eſſe victos, magna victoria fuit.
Studia in Hæreticos. Capulo Calamum Gregorius junxit,
Ut ſtylo gemino vexaret [6] Hæreticos, Infideles,
Collegiis [7] excitatis à Solis ortu uſquè ad occasũ,
Portavit Chriſtum, ubi non erat.
Xaci, Amyda tacere iuſſis,
Quos Iaponia ſollicitabat marmora ſurda prece
Ignotam illis monſtravit ad aſtra viam:
Collegia à Gregorio extructa. *Vngari, Germani, Angli, Neophyti, Maronitæ*
Illyrici, Auſtrii, Stirii, Moravi, Haſſi, Bohemi
Lituani, Pruſsi, Lotharingi, Tranſilvani, Britanni
Græci, Tranſmarini, Itali, Romani
Suas habuere ſedes:
Et adhuc Gregorium linguâ audiunt maternâ, C
Loquentem magnalia Dei.
Hiſce centuriis laceravit Centuriatores,
Suiſquè in ædibus per filios oppugnavit patres,
Excitatâ in Vrbe, Religionis Arce,
In Alpibus, Oceano, Palæſtinâ
Non ſolum ætatis noſtræ demerſa [8] monſtra,
Sed priſci Euthyches, Neſtorius, Dioſcorus;
Quos toto penè perſecutus Oriente,
Græcos, Maronitas ad cultũ evocavit Romanũ.
Hinc Dalmatis reſtitutis, Epirotis correctis,
Subalpinis exculptis, monitis [9] Sveeis
Servatis Ubiis, caſtigatis Truchſeſiis [10]

A Cœlos tandem Iubilæo [11] aperuit. Anni Sal.Gr. 1578.18
Quod nunquam anguſtius.
Peregrinis ſuprà 96348. Xenodochio receptis
Septẽ vel octo millibus eâdem die domus una
Panem, & opſoniũ redundavit ad ſaturitatem.
Sæpè ipſe abluens convivarum pedes,
Eâ in pſycagogiâ rete implevit Hæreticis:
Qui tantâ parœnii charitate,
Parœmiam abiuravere Calvini.
Urbs cum toti Orbi pateret:
Soli clauſa eſt [12] peſtilentiæ,
Quam expulit precibus, et eleemoſynâ.
Emendatiſſimis Gregorius moribus,
Exemplo ſuo Terras regens, Sydera corrigens,
B Æquè Mortalium cenſor, et Planetarum,
Revocato ad cenſuram Sole
Ac veteri errore correcto, et in poſterũ cauto,
Eo kalendario [13] Aſtra ligavit;
Ut Stellæ Errantes ampliùs non errarent.
Cœlũ cũ accepiſſet legẽ, ac ſuas Luna periodos;
Hæretici maluerunt errare ſoli,
Quàm cum Papà benè ſentire.
Inculpatè cum cœpiſsent decurrere Sæcula:
Admiſſo Evãgelio *Iaponia*, [14] Romæ procubuit:
Lõgiſſimę peregrinationis pretiũ nõ vile credẽs
Sacrorum oſcula pedum.
A Solis cunabulis novi adnaſcuntur filii;
Cum veteres Patrem eiurant ingrati.
Auditis Legatis,
Meritiſſimus ſenex prę lętitiâ quievit [15] in Dño.
Eccleſiæ legatâ Pace, Religione, Iuſtitiâ,
Annona populo;
Vltra vicies centenna [4] aureorum millia, 1584.13
Quæ vivens pauperibus diſtribuerat.
Geſta ne oblivio diſſipet, in lapide ſculpta
Vrbs loquitur linguâ [16] marmoreâ
[17] Templis, Horreis, [18] Pontibus, Viis, Porticibus,
Gymnaſiis, Palatiis, Carceribus,
Erectis, ornatis, vel reſtitutis.
Cœlum ipſum ut Eccleſiæ ritibus deſerviret
Nè erret, Gregorium cogitur obſervare.

ADNOTATIONES IN GREGORIO XIII. PONT. ROM. CCXXVIII.

Gregorii natalia. 1. B*oncompagnus*. Hugo Boncompagnus, patriâ Bononiẽſis, filius *Christophori Boncompagni*, & *Angela Mareſcalcha*, utroquè latere nobilis, Anno Sal. naſcitur 1502. die 7. Non. Ian. Corpus habuit Statura erectum (teſte *Papyrio Maſſono*) & procerum, teretibus membris, naſo in aquilinum vergente, oculis ceruleis, barbâ prolixâ ad venerationem, & ad imperium compoſitâ. Moribus inſtitutus honeſtis, Legum ſtudio addictus tantum profecit, ut in patriâ Iura publicè interpretaretur octo Annorum ſpatio; Indè Romam veniens Anno 1539. factus Capitolii iudex, Scriptor Apoſtolicus, Abbreviator Parci maioris; forenſibus, & Gratiæ libellis referendis, præfectus à Paulo III. Abbreviator delectus D in Tridentino Concilio, magno Legatorum plauſu (ut *ex ep. Legatorum ad Farneſium V. Iannar. An.* 1546.) Ad Concilium mittitur Tridentinum. quòd clarus Iuris prudentiâ Concilio haud foret inutilis. Vnde Bononiã tranſlato Tridentino Concilio, ad oſtendendam tranſlationem legitimè factam, Romam cum aliis legatus, utiliter peroravit. Cameræ poſteà Apoſtolicæ Auditoris locum tenens, Secretarius Apoſtolicus, Campaniæ prolegatus, ſub Paulo IV. *Alfonſi Caraffæ Cardinalis* Regentis Cameræ Apoſtolicæ Vicemgerens, eiuſdemquè in Flandriam legati ad Philippum II. ſocius, Romam reverſus, Nuntius Apoſtolicus deſtinatur ad Ferdinandum II. Imperatorem, cuius occaſione declaratus Ep. Veſtanus (ut *ex ep. Cardin. Dandini ad Cardinalem Ferream*,

reum, die XXIII. Iulii, An. 1558.) licèt officium nō obierit, quia loco Boncompagni, ad maiorem Cæſaris honorem *Rebiba* mitteretur Legati titulo. Conſiliarius interim ab eodem datus illi Magiſtratui, qui hodiè *Conſilii* dicitur, Romæ ſubſtitit, donec à *Pio* IV. ſecundò miſſus ad

Grave reſponſum in ipſum Papam.

2. *Tridentinum Concilium*, pro morum reformatione, exorto pręcedentiæ diſſidio inter Gallos, & Hiſpanos (quorum in partes deſcenderat Pontiſex) cum à Cardinali *Simonetà* Concilii præſide provocaretur appellationi ſcriptis occurrere, quam Galli conceperant adversùs ſententiam Pontificis, negavit calamum interponere, ne gladios acueret in Eccleſià Dei. Vrgenti *Simoneta* decretum Pontificis *Hugo* reſpondit, *magis obediendum eſſe Deo, quàm Pontifici; à quo ſibi credebat interdictum, verboſis diſputationibus ſchiſma excitare*. Pallavic. *l.* 21. *Trid. Concil. c.* 9. *n.* 1. Romam regreſſus, cum inter aulicos dubitaretur; an decorum Pontifici Concilium confirmare etiam in iis, quæ poteſtatem arctarent, & redditus Pontificios? ſuadente *Hugone Boncompagno*, omnia Pontiſex rata habuit decreta Synodi Tridentinæ. *Pallav. l.* 24. *c.* 9. *n.* 4. eumq; 4. Non. Martii, Anno 1565. in feſto S. Gregorii M. Presbyterum Cardinalem S. Sixti creavit: eodemquè Anno, die Lunæ, VI. Kal. Septemb. legatum de latere in

Mittitur in Hiſpaniam.

3. *Hiſpaniam* ad cauſam cognoſcendam *Bartholomæi Mirandæ, & Carancia* Archiep. Toletani, Hiſpano S. Inquiſitionis carcere ante ſex Annos detenti. Vbi legatione fœliciter abſolutà, Romam cum veniſſet, ſub *Pio V.* Signaturæ Brevium Prefecturam, quà abſens donatus fuerat exercuit. *Io: Anton. Petramall.*

Papa creatur.

4. *Pio V. tandem vidua cathedra Petri*, alterà die poſt Conclavis ingreſſum, III. Idus Maii 1572. Cardinalium 52. acceſſu, quatuor, aut quinquè horarum ſpatio magnà omnium acclamatione, ſingulari Chriſti providentià, ut ex nummiſmate, 4. regnante Maximil. II. ſeptuagenarius Pontiſ. renuntiatus eſt, licèt Cardinalis *Farneſius, Moronus, Corregius* ætate, meritis non impares ad clavū adſpirarent Eccleſiæ. Ad ſacellum invitatus à *Claudio Gonzagà*, imperturbatus reſpōdit: *Domine mi, ſunt nè vota verè ſufficientia ad hanc electionem?* quo affirmāte, *ſuperabūdare*. Ille quaſi aliud agens, collectis quibuſdam ſcriptis, quę plurimi faciebat, iiſquè ſub veſte ad pectus admotis, *Eamus* (inquit) *in nomine Domini*, eà gravitate, atquè conſtantià, ac ſi nil novi circà eum ageretur. *Gregorii* nomen aſſumpſit, quia S. Gregorium patronum ab ineunte ætate ſibi adoptaverat, & die illi ſacrà, Purpuratis fuerat adſcriptus. VIII. kal. Iunii, die Pentecoſtes à *Hieronymo Simoncello*, ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit, in ſymbolū aſſumpto verſiculo, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Vel Domine adiuva nos*, ut in nūmo 47. Eius electio gratiſſima populo fuit, quòd in audiendis negotiis patiens, in definiēdis ſolers, eloquio gravis, reſponſis opportunus, naturà benignus, & miſericors, in victu, ac potu temperatus, in pauperes beneficus, in omnes mitis, & urbanus, liberalis, magnificus, natus Pontiſex videretur non factus. Eà in omnes charitate erat, ut ſibi tunc fœliciſſimus videretur, quo die quamplurimis beneſeciſſet. Amari gaudens, non metui, & meritò: *etenim amari parentem, & Epiſcopum debere, non timeri antiqua ſententia eſt*.

Cur dictus Gregorius.

Gregorii ſymbolum.

Nummus.

Mores.

Clementia.

Egredienti aliquando Gregorio in ſuburbanum pannoſus ſenex occurrit querens, eadē die producendum ad furcas filium, quem unicum habebat ſuę ſenectutis ſolatium, & duarum virginum, quas perire, eo perempto, neceſſe erat. Quibus permotus Gregorius vitam adoleſcenti, virginibus elocandis aurum dari iuſſit. Sic Mondragonii (pręrorium eſt in agro Tuſculano) pluvio Cœlo è feneſtrà ſubiectos campos proſpectans, videns duos paliolis malè obvolutos, ac pluvià madidos ſub imbricibus, palatii pluviæ vitandæ causà conſiſtere; iubet interrogari quid cauſæ habeant? Agnoſcit homines de ultimà plebe ad Pontificem aſcendere obortà contentione de penſione Domus. Hominum ſimplicitatem complexus Gregorius, aureis ducentis donatos, quibus litem componerent, curru remiſit in Vrbem, patrem ſe magis ferens, quàm Principem.

Mitis in correctione vitiorum.

Vitia cum corrigeret, molli ſemper ſermone, indè ſeveriori vultu, & quæſità verborum gravitate caſtigabat: contumaces tandem diſtricto ſeveritatis fulmine, ſi familiares domo eiiciebat; ſi externos, ad iudicem remittebat: nefas credens, domeſticum quenquam eſſe Romani Pontificis, quem virtus non diſtingueret. Cum beneſaceret, ſemper occultè, & ſub præcepto, nè largitionem palàm facerent. Mendicantibus ſæpè ſuà manu diſtribuebat ſuſpenſis ad cingulum loculis, in quibus nummos membranis obvolutos uſquè ad obulos haberet. Cum donaret, addere conſueverat: *Deus tibi proſperet*. Maſſonius. Antequam *Epiſcopus eſſet, & Cardinalis* (ita Poſſevinus) *quidquid neceſſariis ſumptibus detrahebat, id pauperibus, & ſtudioſis è ſuo patrimonio ſuppeditabat. Ita poſtquàm ex magiſtratibus, quos gerebat in urbe, auctiores aliquot redditus, vel ſtipendia eſt conſecutus, poſteà promotus ad Cardinalatum; quo tempore ut ſapiens œconomus anguſtos pro ratione illius dignitatis redditus virtute compenſabat, tot Chriſtianæ charitatis edidit argumenta, ut materia ſcribendæ copioſa hiſtoria non defuerit*. Infra. Pontiſex creatus, *Romam, ſivè aliò ad ſtudia literarum, adoleſcētibus confluentibus tantum pecunia diverſis temporibus eſt ab eo erogatum, ut præter ipſam, quæ permagna fuit, in Seminaria inſumptam, ſumma pervenerit ad vicena centena millià aureorum, quod & Cæſar Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus teſtatus eſt: Decies item centena millia pauperibus Virginibus, inter quas multæ nobiles collocandis in matrimonium curata ſunt. Quod mihi ſanctè affirmavit Cardinalis Guſtavillanus, Gregorii XIII. ex ſorore nepos, & Eccleſiæ ſummus Quæſtor, antequàm è vità decederet. Nemini verò, qui in aliquas vel paupertatis, vel morbi, vel captivitatis etiam Turcica ærumnas incidiſſet, viſcera illa miſericordiæ unquàm clauſit; cui aptiſſimè illud quadrabat: Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

Eleemoſinæ quantæ, & quàm magnificæ, ſed occultæ.

Priuſquàm prodiret in publicum; arcem in agro Bononienſi olim inchoatam, & à *Pio* V. altiùs erectam; deiici curavit; propter quod grati Bononienſes cudere nūmiſma, in quo Pallas cum turri deiectà in dexterà, & libris cum caſſide in ſiniſtrà: annuens à Sapientià, & libris non à turribus conſurgere fortitudinem Bononienſium. Appoſita eſt epigraphes, *Levata onere patria*. Statuam etiam erexerunt æneā in ædibus publicis, cum inſcriptione.

Gregorio XIII. Ad ſummum, Pontificatum ob Maximas Virtutes evecto, Reipublica bona, & Patria ſplendo-

ri nato, Cini optimè merito S. P. Q. B. ſtatuam hanc erigendam curavit.

Hac die coronationis ſolitum convivium minimè paravit. Pecunias, quæ in Pontificiâ coronatione adſtanti plebi ſpargi conſueverant, piis locis dari præcepit ad ſummam quindecim mille aureorum; quibus viginti millia adiecit pauperibus diſtribuenda, quæ *Conclaviſtis* dati noluit, quod tam brevi electionis tempore parum labori ſubiiſſent, & moleſtiæ. E Vaticanâ baſilicâ ad cubiculum delatus cum Oratoribus Hiſpano, & Veneto, de ſacro fœdere continuando ſermonem habuit. In primo Conſiſtorio Conſtitutionem Pii V. *de non alienandis bonis Eccleſiæ*, legi iuſſit, tactoquè pectore, ſe illam non violaturum iuravit, atquè Cardinales oratione excitavit ſequenti,

Gregorii XIII. oratio ad Cardinales.

Nova perſona hæc, & novum, quod Nobis Pallium impoſuiſtis, Venerabiles Fratres, ac dilecti filii, onera duo ſecum ſinè dubio ferunt; alterum vel ipſorum humeris Angelorum formidandum, cuſtodiendi, atquè paſcendi, his præſertim adeo periculoſis temporibus, gregem Chriſti Domini noſtri univerſum: alterum, quod humanam omnem facundiam ſuperat, debitas agendi vobis gratias, qui tam honorificè de Nobis iudicaſtis.

Status Eccleſiæ miſerrimus.

Eâ enim laborabat Eccleſia calamitate; ut Hæretici non ſolùm Europæ adimere curarent ſplendorem fidei Catholicæ, ſed ut & Novo Orbi, atquè Indiis præcludere: quamobrem multi in Oceano martyres laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Anglia avida ſanguinis unà cum fœderatis Turcis, Holandis, Zelandis Hæreticis Eccleſiæ perniciem intentabat. Galliam univerſam Hæreticorum furia vaſtabat. Livonia ſchiſmate, hæreſi, rapinis iacebat ſqualida. Polonia, Moſcovia mutuis cædibus exhauſta & ipſa oppreſſa amaritudine. Belgium in ſua conversâ viſcera dexterâ nec legem agnoſcebat, nec Regem. Turcæ freti Chriſtianorum ſoccordiâ excurrebant maria. Imperator Maximilianus, & Princeps Tranſylvaniæ Stephanus Batoreus de coronâ Poloniæ contendebant. Inter tot hæreſum, ac bellorum anfractus ad reparandam Eccleſiaſticam diſciplinam, Cardinales *Borromaeum, Palaeotum, Aldobrandinum, Aretium* præfecit;

Vrget Epiſcopos ad reſidentiam.

declarans, ſilentio Pontificis, Cardinales Epiſcopos à decreto Tridentini Concilii, *De Reſidentiâ* non eximi. Mandavit *Io: Grimano Aquileienſi Patriarchæ*, & *Iuſtiniano* eius in paſtorali munere adiutori, qui longè à Diœceſi Venetiis degebant, in ſuâ Eccleſiam redire Venetam tamen amans Rempublicam, beneficiis auxit, *Mocenicum* Principem Roſæ aureæ dono cumulavit: ex *l. 5. Annal.* Andreas Victorellus.

Reformatio aulæ.

Cremam Venetorum civitatem primo donavit Antiſtite, principemquè loci Eccleſiam erexit in Cathedralem, vt ex tabulâ marmoreâ ad dexteram Cathedralis Eccleſiæ. Anno poſteà 1580. Ducali Seminario redditus aſſignavit. Mandavit etiam Epiſcoporum Cæremoniale cōſcribi, cuius gratiâ bis in hebdomadâ inſtitura fuit Congregatio. Quæſtoribus (quos Commiſſarios vocamus) per ditionem miſſis Eccleſiaſticam, Caſtrorum titulos, Vrbium, aliorumuè iuriū exquiri iuſſit, ex quâ unà re annuus fere centum aureorū millium redditus Cameræ acceſſit Apoſtolicæ. Homines imperitos, aut famoſos ſacris miſteriis, imbui prohibuit. Ab Hiſpanis clarorum virorum nomina exegit, quibus non caſu, aut fraude ſacerdotia demandaret, ſed præmio virtutis. Magiſtratus novaluit venales, venditos refuſo pretio redemit. Vini, ac ſuillæ vectigalia ſuſtulit. Provinciarum, urbium, tribunalium clariſſimos præſides, & miniſtros quà conſtituit, quà retinuit Singulis hebdomadis diem unum omnibus ſtatuit audiendis cuiuſq; generis hominibus, ut aulicos metu coerceret; ac minus peccaretur, quo faciliùs peccatà Principum innoteſcerent. *Victorellus. Ciacon.*

Miniſtros eligit fideles.

Miniſtros habuit *Ptolomæum Gallium* Cardinalem Comenſem, qui *Pii V.* pontificatum cum maximâ ex parte tractaſſet fido, & inexhauſto labore, onus idipſum Annos XIII. ſedente Gregorio XIII. tanquàm princeps miniſtrorum continuavit. Acceſſit *Mathæus Contarelus* natione Gallus, iudicio magnus; voluntate rectus, rerum Eccleſiæ peritiſſimus, quem Datarium adhibuit, & Cardinalem creavit. Horum fide, & diligentiâ gregem Chriſti ſanctè curavit. *Anton. Poſſev. in Appar. ſacro.*

B

Vbiquè ergò gentium, vulgatâ Gregorii virtute, *certatum eſt gratulationibus, & reverentiâ.*

Oratores Principum ad Gregorium.

Pro Rege *Luſitano orationem habuit* Achilles Statius *Luſitanus*. Pro *Carolo IX. Francorum* Rege M. Antonius Muretus. Pro *Venetâ Republicâ Nicolaus à Ponte Doctor, Eques, & Procur. Vincentius Maurocenus*, *Andreas Baduarius, & Paulus Theupulus, qui orationem habuit.* Pro Alphōſo Ateſtino Ferrariæ Duce *Baptiſta Guarinus*. Pro Lucenſi Republicâ *Io: Bapt. Bernardus Ep. Andiacenſis.* Prò Helvetiis *Melchior Luſſius*. Prò Ianuenſibus *Lucas Barnavius*. Prò Duce Octavio Farneſio *Petrus Magnus*. Romam venere Principes Octavius Farneſius, Gulielmus Gonzaga, Alphonſus Ateſtinus. Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ per Philippum Ateſtinum generum ſuum impetravit,

C

Ord. S. Michaelis.

ut Ordo S. Michaelis ab eo inſtitutus auctoritate confirmaretur Pontificis, eiquè præficeretur ſerie perenni Dux Sabaudiæ, eo tamen onere, ut duas triremes huius Ordinis militibus inſtructas pro defenſione Sedis Apoſtolicæ contrà piratas, hæreticos, & infideles inſtrueret, ac ſemper haberet paratas. Cui militiæ alia eſt unita nempè S. Lazari, ut deinceps milites S. S. Mauritii, & Lazari diceretur.

Bononienſibus gratus.

Primi omnium, qui Romam venerint, fuère Bononienſes, quorum ornatiſſimam legationem civis benemeritus rependit denuò, inſtituto apud eos concordiæ magiſtratu, ad quem omnes civium controverſiæ ità devoluerentur, ut nemini liceret forum ſubire, hoc magiſtratu inconſulto. Cathedralem Bononiæ Eccleſiam, Metropolitanam dixit Anno 1582. 4. Idus Decembris, Gabriele Palæotto tunc eius Vrbis Antiſtite (ut ex Conſtit. *Univerſi*

D

Orbis.) eiuſquè Iuriſdictioni ſeptem urbes ſubiecit. Cives Bononienſes Eccleſiaſticis beneficiis honeſtavit, inter quos *Alex. Riarium, Albertum Bolognettum, Antonium Facchinettum* (poſtea Innocentium IX. Papam) Cardinales creavit. *Philippum Segam* Piceno præfecit, & mox in Hiſpaniam miſit. *Laurentium Blanchettum* Apoſtolici Palatii iudicē, ſeu Rotæ Auditorem adlegit. Ex propinquis ſuis *Philippum Boncompagnum*, nepotem ex fratre, nec non *Philippum Vaſtavillanum* ſororis filium Cardinales dixit, & amplis ditavit redditibus, teſte *Ciaconio*.

Agnatos erigit. Filium habuit naturalem.

Iacobum Boncompagnum, quem antè ſacros ordines filium ſuſceperat, ut ſcripſit idem *Ciaconius*: ex muliere coniugii nodo non vincta, adiungit *Victorellus* ex lib. 1. Annal. quòd ingenio, probitate,

ac

ac civili politiâ floreret, Leonianæ Vrbis (*Bergum* vocant) & Firmi gubernatorem, utriuſquè cuſtodiæ Ducem, Eliç molis cuſtodem creatum equeſtri, pedeſtriquè militiæ Eccleſiaſticæ Rom. præfecit, ſuoquè favore fecit Vincolę Marchionem, Arpini dominum, Sorę atquè Arzi ducem, militaris Calatravæ Ordinis clavigerum: *Philippus* autem Rex Hiſpaniæ agminum equeſtrium per Lombardiam ſummum magiſtrum. *Ciacon* Hinc Bononienſes ad grati animi monumẽtũ decreverunt, ut annuus equorum curſus die, quo *Gregorius* creatus eſt Pontifex, perpetuò peragеretur.

Donatur ſtatuâ à Bononienſibus.

In Bononienſi Academiâ eius occurrunt inſignia hiſce carminibus adnotata.

Annuarum Revolutionum Feliciſſimo Reſtauratori.

Tempora qui fatos Phœbi referentia gyros
Toto Sancte ſenex, Orbe venire facis,
Scilicet ut videas nunquàm revocabiles Annus,
Atquè ſuum teneant feſta ſacrata diem.
Ne tu calicolis gratum, atquè perutile nobis,
Immortale tibi conficis auctor opus.

Fœdus confirmat in Turcas.

5. *Turcas.* Mortuo *Pio V.* ſucceſſor *Gregorius XIII.* reintegrando in Turcas fœderi intentus, *M. Antonium Columnam* per Cardinales copiis præfectum Eccleſiaſticis, confirmavit; *Ormanetum* in Hiſpaniam legavit; *Antonium M. Salviatum* ad Gallos, ut Reges illos ad fœdus allicerent. Cardinali *Commendono* mandavit, ut *Pii V.* prædeceſſoris ſui inhærens veſtigiis, cauſam fœderis nè deſereret, quamvis Rex ad mortem ægrotaret: quem ſi mori contingeret, ipſe creandi Regis adeſſet comitiis, ut cum Rege futuro fœdus promoveret. Sed omnia in caſſum, Gallo Rege bella præferente civilia. Cæſar calliditate, conſiliiſquè promptior quàm ferro, non ſolum ſe armis abſtinere, ſed ipſe bellum fovere in arcanis haberet; ut ſic Turcarum arma à ſuis averteret regnis. *Selymus* nec ob receptam cladem remiſſa ferociâ, *Vluzzalium* cum centum, & decem triremibus, aliiſq; navibus ſortem immiſit iterum Helleſponto. Veriti Veneti, nè moram trahente Hiſpano, cunctatio cauſam perderet, duce *Iacobo Fuſcareno* cum *M. Antonio Columnâ* per Ionium obviavere Turcis cum 209. triremibus præter naves, & myoparones. Hoſtis tantâ claſſe ſuperior cum ter pugnam declinaſſet, collectâ tandem audaciâ, in pugnam erupit, paratis lunatâ ſpecie puppibus veterem abolituтus ignominiam. Adfuit è veſtigio in dextero cornu *Iacobus Superantius*, iugiquè vi Turcam momento fermè perturbatum ſtrage preſſit obliquâ. In mediâ etiam acie *Vluzzalius* inter fugam, & pugnam medius, an arma expediret, cunctabatur. Hanc properè conficiendi belli occaſionem auſpicatus Foſcarenus, vocabat in deſperatos *Columnam*. Sed is, neſcio quid, cauſatus, dum ſubſidet, hoſti comodans, proh nefas, fugam præbuit, qui cito remige, noſtriſquè magis diffidus vitam ſervavit. *Auſtriacus*, qui expeditionis exordio apertè negaverat fœderatis coniungi, mutato conſilio, cum Hiſpana claſſe Corcyram venit, quò dum in honorem deſcendere Venetos evocat; novus ambitus mare liberum aperit infidelibus. Deſcenſum tamen, nè iterum Hiſpanis nova daretur cauſa receſſus. Ad Pilum, & Methonem morabantur Turcæ ſed claſſe morbo imminutâ peſtiferò, & fuga, prælium detrectabant. Methonem propterea fœderatis oppugnare placuit, Duce *Alexandro Farneſio* cum ſex millibus bellatorum nullo tamen exitu, in naves apertâ ſtrage repreſſo. Quibus difficultatibus preſſi *Auſtriaces*, & *Columna* inopiam cauſantes viatici, oblatumq. à Venetis reſpuentes, reditum adornarũt *Selymus* autem cum CCCC varii generis naves, duce eodem *Vluzzalio*, proximo vere educturus nunciaretur; Fœderati verò ſolùm ſplendida nomina, & leves arrogantiæ titulos meditarentur; Pacem deprecanti Selymo annuere Veneti. Excanduit Gregorius accepto nuncio; *Paulum Thenpalum* publicam cauſam tueri volentem non ſuſtinuit, obductaquè fronte minitabundus repulit à conſpectu. Romæ, in Germaniâ, Hiſpania carpebant Venetos. Iſti ut Papam delinirent iratum, *Nicolaum à Ponte* miſerunt, qui novæ legationis officio cauſam exponeret ſancitæ pacis. Cum veniſſet edocuit, fœderatorum incuriâ, & otio Venetos ad pacem adactos. Primo namquè fœderis Anno cum in mare Pamphilium vela dediſſent, ut labanti Cypro ſuccurrerent, in ipſo armorum diſcrimine deſtituti ab *Andreâ Doriâ* qui cum 49. regiis triremibus venerat, bis Cyprum amiſerunt: nàm paucos poſt dies ad Echinades hoſte deleto, ſi victoria uti voluiſſet, facile erat redimere nobilem inſulam Sed pigreſcentibus ſociis, qui in hyberna voluerunt immaturè ſeccedere, Turcâ reparatâ claſſe Adriaticum vſquè irrumpens populabundus, Antiberi, & Olchinio in Epiro expugnatis magnâ iterum Venètos affecit clade. Vltimo tandem Anno bello cum ad hoſtem reprimẽdum coniunctis armis omnes debuiſſent accurrere, diſiunctis viribus melior pars Anni (iam æſtate inclinante) elabitur. Vndè furentibus Barbaris occurrere Veneti ſoli coacti, Auſtrio non expectato, hoſtilem claſſem circà Cythercam adorti, coegerunt in fugam. Triduò poſt iterum eodem propè loco concurſum maiore hoſtiũ cæde in Peloponeſum confugientium; vbi ad Methonem conſedens Turca facile in poteſtatem Chriſtianorum cecidiſſet, ſi Auſtrius oportunè cum claſſe reliquâ accedens deſcendiſſet in pugnam Sed is non ſolùm à prælio abſtinuit maritimo, ſed à Navarini parvi oppidi oppugnatione caſtra amovit, req; abiit infectâ, panis nautici indigentiam excuſans, ac inopiam commeatuum. Itaquè reclamante Veneto, qui fugitivum hoſtem aggredi cenſebat, barbaris occaſio fugiendi quartò datur, qui Byzantium recepti tantas contraxere copias, vt cum navibus quadrigentis eſſent iterum populaturi. Torpentibus ergo fœderatis, Veneti firmandæ pacis coacti ſubiere conſilia, nè poſt triennale bellum, in quo expenſa fuerũt duodecim centies aureorum millia, exinanitę publicæ, privatæquè opes, duces cæſi, oppida, Inſulæ captæ, momento temporis libertas Reipublicæ tot ſæculis conſervata, periculo obiiceretur manifeſto. Hiſce Pontifex demulcitus, cum non ſinè fæderatorum rubore ſermo recurreret; datâ piis manibus benedictione, Venetos in gratiã admiſit. *Petrus Iuſtin. l. 16.* Litora poſtea præſidio firmavit & propugnaculis, ad eludendas barbarorum eruptiones. Melitenſes in quos Turca meditari aſſerebatur, vnà cum *Philippo* Hiſpaniarum Rege ſex millibus peditũ iuvare promiſit, teſte *Mambrino Roſeo l. 11.* Huc forſan faciunt illa nummiſmata, quorum alterum Romam exhibet, cuius in dextera *Draco* Gregorii gentili-

A Gallo deſturbatur.

Pontifici, & Veneti movent in Turcas.

Veneti ſuccenſet Gregorius ob pacem cũ Turcis.

Reconciliatur.

Litora propugnaculis firmat.

tilitius, ſub titulo, *Tutum regimen*, locum tenet Palladii, ſeu ſtatuæ Palladis, quam in veteribus nummiſmatibus Roma ferre conſuevit. Alterum Romam exhibet dormientem cum igne forſàn æterno, & epigraphe, *Securitas populi Romani*. Quia ſacrificiis paſtor diu, noctuquè vigilaret pro grege. *Tertium* habes, in quo Draco vigilans ad fores templi, ut Draco ille antiquus excubias agebat ad portam templi, in quo vellus aureum ſervabatur, ſummam Gregorii indicat vigilantiam, cum epigraphe *Vigilat*. *Quartum* Draconem exhibet deſinentem in formam navis, quo annuitur Gregorius optimè rexiſſe navem Petri; propterea dicitur, *Optimè regitur*. *Quintus* Draconem gerit medium inter Caducæum, & Cornucopiæ, prudentiam ſcilicet, & liberalitatem, quâ excellebat. Volunt alii hiſce nummis ſingularem annui Gregorii providentiã quâ latrones, & ſicarios publicæ ſecuritati inſenſiſſimos ex Italiâ pellere fruſtrà tentavit. Eo namq. ſuperſtite cum nimia licentia graſſaretur in vrbe (ita Poſſevinus *l. 8. Hiſt. Gonzag.*) ac palatia magnatum ſtarent facinoroſis aſyllus; nebulo quidam exilio mulctatus cum apud Vrſinos freques eſſet, lictores rapuere comprehensũ. Deprecantibus Raimundo Vrſino, Silla Savello, Octavio Ruſticio captivi libertatem, tandem extorquere, conantibus ad arma concurſum, in quibus *Ruſticius* cecidit plumbeâ glande confoſſus. *Vrſinus* etiam & *Savellus* vulneribus confecti poſtridiè mortem appetunt. Irati Romani Patritii coacto milite exulibus affluentibus lictores concidunt, in Magiſtratus ſæviunt. *Ludovicus Raimundus* Vrſini frater *Vincentium Vitellium* præfecti Vrbis vicarium noctu trucidat; Exilio pulſus agros, oppida populabundus peragrat. Lictor, qui rumori cauſam dederat, capite truncatus eſt. *Bulengerus Hiſtor. l. 6.*

Nummiſmata.

Latrones, ſicarii ſedēte Gregorio XIII.

Vigilantiâ non minori reliquos reſpiciens Italiæ Principes, *Scipionem Gonzagam* Gazoli quondàm dominum, & rerum mutatione Cardinalem à *Sixto V.* dicendum, de re graviſſimâ diſceptantem cum *Gulielmo* Mantuę duce, ęquo iure reconciliavit, ſi *Oldoino* fides. Si verò *Antonio Poſſev. l. 7. Hiſtor. Gonz.* cum Romæ ſtanti *Gulielmo* nemo Curſorum diem litis dicere metu offenſionis auderet: repertus eſt tandem viliſſimę conditionis homo, qui pecuniam pro periculo pactus Ducem citavit magnâ eiuſdem Ducis indignatione, quòd cum obſequium pręſtiturus adveniſſet contemptu viliſceret. *Gregorius* iuſtâ indignatione incubans, iuſſit Scipionem in carcerem rapi, & in perpetuas triremes curſorem damnari. Peiora Scipioni ſupererant; ſi Gulielmus toto conatu vindictæ inſtare voluiſſet. Indultum tamen Scipioni errorem fatenti, & veniam oranti.

Pacem procurat inter Magnates.

Alphonſum etiam Ferrariæ Ducem de finibus, aliiſquè rebus diſceptantem cum Apoſtolicæ Cameræ miniſtris, datis arbitris conciliatum voluit. Eidem ulturo gratiſſimi ſibi hominis cædem paratã militum manu præcepit, nè Lucenſibus negocium faceſſeret, qui miſſis *Vincentio Parentio*, ac *Benedicto Bonviſio* rem detulerant ad Gregorium. Populos alios licet ſe in clientelam Pontificis tradere voluiſſent: ſub eorum Principibus remittens, fidelitatem edocuit, & obſequium. *Poſſevin. Petilianum & Nicolaum Vrſinum* hoſtes reconciliavit capitales. *Philibertum* Ducem Sabaudiæ ab edicto, quo forum minuebatur Eccleſiæ, abſterruit. Dolanum Magiſtratum in Burgundia (quem *Parlamentum* vocant) interprete Hiſpano Rege adduxit, ut Catholicis ademptam auctoritatem, & libertatem reſtituerent. Seditionem contra *Guidobaldum* Vrbini Ducem à civibus excitatam coercuit. Certamen Hieroſolymitanos inter ac S. Mauritii Equites tum de Ordinis dignitate, tum ob fructuum utilitatem, quos Hieroſolymitani interceperant, prudenti avertit conſilio, nullius irâ, & damno. Populares Genuenſes quòd iam quindecim Annis nemo plebis in patricios allectus eſſet; cum ex decreto Anni 1528. quotannis decem è plebe in patricios cooptandi eſſent; Patritios urbe expuliſſent, *Henrico III.* Gallorum Rege per Marium Biregum ad libertatem plebem excitante; *Gregorius* interprete Card. *Morono* id maximè operis habuit, ut ira Civium detumeſceret: & ſanè poſt longas diſceptationes, ingratiam rediere eâ conditione, ut in poſterum Reſpublica à ſolis regeretur nobilibus, qui poſt tot Annos adhuc ſinè ſanguinis effuſione perſeverant. *Poſſevin. Bulenger.* Hinc grati *Gregorium Patriæ patrem, & libertatis conſervatorem* appellavere. *Andreas Victorel.* Diſſidio non minori fatigati Melitenſes *Io: Leveſchium* magnum magiſtrum octogenarium; ſpetie ſenectutis ſuo imparem muneri accuſatum, in Arcem S. Angeli traxerant coſtodiendum, eiquè *Romegaſſum* Guaſconem, navalium præliorum famâ clarum ſubſtituerant. Re acceptâ Gregorius miſſo *Gaſpare* Vicecomite Mediolanenſe, Rotæ Auditore, ſenem libertati reſtitutum Romam vocavit. Et quamvis præveniſſet *Romegaſſus*: venientem *Leveſchium* familia Pontificis nobili pompâ, Cardinales, Aula, levis armaturæ Equites, Helvetii obuiam procedentes deduxerunt in ædes Cardinalis Eſtenſis. 28. Octob. 1581. ad Pontificem decem Cardinalibus ſtipatus accedens, poſt pedis oſculum, pauca Gallicè loquutus, Gregorii recreatus benignitate, ſedit poſt ultimum Cardinalem diaconum. *Romegaſſus* die 4. Novemb. obiit ex mærore animi, in Pinciana S. S Trinitatis ſepultus. *Leveſchius* nocte 22. Novemb. pleuritide abſumptus, à M. Antonio Mureto, funebri celebratus elogio, inſigni funeris apparatu, in templo S. Ludovici quievit. *Mucantius Annal. Gregorii XIII. l. 11. Iacob. Boſ. in hiſt. Melit.*

Immunitatē tuetur Eccleſiaſticam.

Melitēſes comprimit.

Ioannes Baſilius magnus Moſchorum Dux bello vexatus à *Stephano* Poloniæ Rege, & quibuſdam oppidis privatus, cum pacem conſequi haud poſſet, *Thomam Severigenum* quatuor comitibus additis, ad *Gregorium* legavit, ſperans ſequeſtre Pontifice rem facilè componi, ut in Turcas arma verterentur Chriſtianorum. Agnovit Gregorius virum depreſſum non religionē reſpicere, ſed Poloniæ vexationem excutere: oblatam tamen occaſionem propagandæ religionis non neglexit. Quare diſcedenti Thomæ mille nummos aureos, pretioſa munera cum Florentinâ Synodo donavit, literiſquè humaniſſimis Magnum Ducem, atquè Anaſtaſiam eius coniugem à Græco ſchiſmate revocare tentavit, miſſo *Antonio Poſſevino*, qui Roſam auream cum accepiſſet Bavaræ Duciſſæ tradendam, cum Moſcho abiit non inutilis. Sublatis namquè diſſidiis, Moſcus Livoniam reſtituit, ubi erecta Collegia Societatis Ieſu, & Epiſcopatus. *Poſſev. in ſacro Appar. Mucantius.*

Componit Moſchos cū Polonis

Ro-

Legationes Iacobitarum ad Gregorium.

Romam venere ex Armeniâ minori Nicolaus Archiep. ex Prædicatorum Ordine, qui Chriſtianis Latinum ritum ſequentibus in tredecim pagos diſtributis præerat, exceptus humaniter, auroquè ad iter neceſſario, cum ornamentis Pontificiis donatus in Armeniam rediit. *Nehemes* etiam Patriarcha Iacobitarum aliquando Catholicus, carcere maceratus à Turcis cum fidem deſerviſſet, pœnitentiâ ductus, Davidi fratri ſuo ſede Patriarchali relictâ, veniam deprecaturus Romam venit, ubi Dioſcori deliramenta deteſtatus, profeſſionem Fidei renovavit. Maronitarũ quoquè Oratores, Epiſcopus unus, Archipresbyter alter, Patriarchæ nomine dignitatis confirmationem poſtulantes venerunt, & impetrarunt, adiunctis *Thoma Radio*, & *Io: Baptiſta Æliano* Societatis Ieſu Profeſſoribus, qui habitatores Montis Libani veritatẽ Evãgelii edocerent. Provinciã optimè cũ luſtraſſet *Ælianus*, ac Romam reverſus retuliſſet meſſem quidem multam, operarios autem paucos: Gregorius *Ælianum* remiſit iterum cum *Io: Bruno*, ad Maronitas, quibus ultra Cathechiſmos Arabicè editos ad refellenda falſa Orientis dogmata, libros alios dono miſit, & copiam ſacræ ſupellectilis cum quadraginta calicibus, ac ſtipe luculentâ Monachis & Patriarchæ remotam illam oram incolentibus. Auditam Cathechiſmi doctrinam Patriarcha ſynodo expoſuit Epiſcoporum, qui non ſinè veneratione ut Apoſtolicam ſuſceperunt. Defuncto Patriarchæ ſubſtitutus ei frater ex more gentis, illicò fidei profeſſionem edidit coram Viſitatoribus, incremento non parvo virtutis, & reverentiæ ergà ſedem Apoſtolicam; nomine namquè audito *Gregorii*, non ſolùm corpora erigebant, ſed caput nudabant. *Victorellus*.

6. *Infideles*. Quantum terrorem intulerit *Carolo* IX. Galliarum Regi Cardinalis Alexandrinus legatus *Pij* V. Rom. Pontificis, cum inexorabilis Regem increparet ob ſororem ſuam Navarræ Regi hæreticâ labe polluto in matrimonium collocatam; ac fœdera cum Batavis Hugonotis inita adversùs Hiſpanos, ſupra ſcripſimus in vitâ *Pii* V. Regiam porrò ſollicitudinem ademit mors Pontificis, ſpretâ namquè irâ Cardinalis legati, Oratoris Hiſpani ab aula profectu, omnia in ſpetiem oſtentabat, armorum etiã apparatu ſe cum Hæreticis ſentire, vt eos ſecuriùs falleret. Indè Lutetiam evocatâ *Ioannâ Navarreâ* ad nuptias filii ſui *Henrici* Regis Navarræ cum *Margaretâ* ſorore *Caroli* IX. mortua eſt hæretica mulier, veneno enecata chirotecis veneno illitis, quas ſubornatus *Seplaſius* Mediolanenſis huic adornarat: licet hoc medici conſtantiſſimè denegaverint. Ad has nuptias vocatus etiam *Colinius* Princeps Hugonotorum cum ſociis, fretus Regiis blandimentis venit veluti in triumphum, neglectis amicorum conſiliis clamantium Reginam ſororem Navarræ deſponſam multis millibus capitum Hugonotorum dotatam iri, pluſquè ſanguinis, quàm vini redundaturam cœnam nuptialẽ. Cõcluſis ergo velut in caveâ cum ſuo Anteſignano perduellium ducibus, & ferociſſimo quoq. Hæreticorum, Galliarum ſcena, quæ hactenus obducta multicolore diſſimulationum ſipario latuerat, cũ ingenti Galliæ motu, & Europæ ſtupore ſe aperuit. Eius præludium fuit *Colinii* architalaſſi vulnus à *Morevellio* quodam, qui diſploſo in eum ſclopo, per poſticum ſtatim equo profugit concitatiſſimo. Rex vulneratum inviſit, multa ei pollicitus, contrà quàm ipſe cogitabat. Nàm die S. Bartholomæo ſacrâ, ex condicto, ad ſonum campanæ S. Germani Antiſſiodorenſis inchoata Hugonotorum cædes in vrbe Pariſienſi decem milliâ Hugonotorum abſumpſit vltra Collinium, ac florem ſectariæ nobilitatis. Hoc tempore Oxyachantes (Vere tantum florere ſolita) in cæmeterio S.S. Innocentium flores emiſit. Per alias indè Galliæ vrbes propagatâ cæde quadraginta hominum millia cecidere. Inſperata Galliæ commutatio *Gregorium* XIII. & Italiam eo maiore gaudio perfudit, quo gravior fuerat metus ex relatione Cardinalis Alexãdrini; nè Galli cum ſuo Rege ab avitâ Religione deſciſcentes Italiam inundarent. Accepto nuncio ſtatim Pontifex ab æde D. Marci ad S. Ludovici templum, ſolemni ſupplicatione ſe contulit; indictoquè Iubilæo, Chriſtiani Orbis populos provocavit ad Galliæ Religionem, & Regem Supremo Numini cõmendandos. *Colinii* & ſociorum cædem in Vaticano deſcribi coloribus iuſſit, religionis vindicatæ monumentum, & de profligatâ Hæreſi trophæum. Sollicitus indè quàm ſalubris ægro Regni corpori tã copioſa depravati ſanguinis miſſio eſſet profutura, *Flaviũ Cardinalem Vrſinum* legatum à latere in Gallias deſtinat, qui *Carolum* Regem *Gregorii* Pontificis nomine dilaudatum admoneat, ut cæptis audacibus inſiſtat fortiter, neque curam aſperis remediis inchoatam proſperè, perdat, leniora miſcendo. Præter hæc in arcanis datum de affinitate cum Hiſpano ineundâ, ut Gallus itâ ſe præmuniret adversùs Britannos, & Germanos. Tam gravibus curis oneratus Legatus in viam ſe dederat, cum ſuperatis Alpibus Camberiaci ſiſtitur, imperante Pontifice, ſuadente Rege, quòd ubiquè ſtrepente milite propter Hugonotorũ cædem, legatio iſta neque Romæ mittenti decora, neq; tuta excipienti Galliæ iudicaretur. Secùs tamen Gregorius iudicavit: eò enim progreſſus Cardinalis legatus erat, ut retrò iter vertere, nec ſalvâ poſſet dignitate, nec ſinè hæreticæ incremento audaciæ. Pontificis itaquè venerationi attributum, ut Lutetiã ſolemni exceptus gratulatione *Vrſinus* intraret. Regem in Turcas excitavit nomine ſaltem, quòd ſatis crederent fœderati, ſi Regem Franciæ in commilitonibus numerarent. Sub inani ſpetie honoris rem ſolidam fœderis procurabat Gregorius: nimirum ut ſecurior Hiſpanus in Turcas arma verteret, ſuſpicione liber Gallici belli. Affinitatem ſecundò propoſuit, *Catherinam* ſcilicet filiam *Philippi II.* (quæ poſteà nupſit Sabaudo) Andegavenſium Duci collocandam. Pro dote, Britanniæ Regnum dicebatur, *Elizabethâ* vti nothâ, & Hæreticâ ſolio deiectâ. Conſociatis Hiſpanis, & Gallis, facile Angliam obtineri poſſe. Quod ſi à novi belli conſiliis abhorrerent; Comitatum Burgundiæ dotem confecturum, cuius provinciæ detractio Hiſpanæ magnitudini permodica ſit: ex alterâ parte ad amplificandum Imperium Regii fratris addente Carolo proximos Sebuſianos, quos Gallo cedere Sabaudus ſit paratus, pro his Salutienſium principatum accepturus. Reſpondit Carolus quoad bellum Turcicum, indignum videri gloriâ gentis inane accomodare nomen. Nuptias non diſplicere inter filiam Regis Catolici, & fratrem Ducem Andegavenſem: modò ſponſam Rex pater, non Rex frater ſponſum dotaret: neque pro do-

Aſtus Regis Galliæ ad Hæreticos decipiẽdos.

Tragœdiæ in Galliâ.

Gregorii Lætitia.

Cædem pingi iubet in Vaticano.

Ad maiora Regem excitat.

Regem excitat in Turcas.

Nuptias procurat inter Gallum & Hiſpanum.

dote deſignaretur bellum. Quod ſi affinitas & fœdus cum Francis Hiſpano cordi eſſent;Regnum Neapolitanum, aut ducatum Mediolanenſem antiquas Gallorum poſſeſſiones pro dote nuncuparet. Neganti *Vrſino* morem eſſe Regalem, regnorum pretio affinitates emereari; plura ſubiecir Carolus, quibus legatione diſcuſſà, *Vrſinus* vacuus in Italiam rediit. Mortuo interim *Sigiſmundo Auguſto* Rege Poloniæ, ſinè liberis, Diadema prenſabant *Carolus IX.* Rex Gallorum prò fratre ſuo *Henrico* Duce Andegavenſi; *Moſcòrum princeps Rex Svecia*, qui ex Auguſti ſorore filios procreaverat. Hunc à paternà defectione corruptum hæretici provehebant,eademquè causà etiam *Duci Pruſſia* ſtudebant adoleſcenti. Alii *Brandeburgiam*; alii *Auguſtum Saxonem* magnæ dignitaris Regulum; Alii *Stephanum Bathoreum*, qui paulò antè mortuo intra adoleſcentiam *Io: Tranſſylvania Regulo*, ad illius Provinciæ dominatum popularium B ſtudiis evectus fuerat. Hic ille *Stephanus*, qui biennio poſt, hoc ipſum regnum adeptus eſt. Hos autem omnes, & generis amplitudine, & Catholicæ pietatis laude anteibant duo adoleſcenres, *Erneſtus* Cæſaris Maximiliani filius; & *Henricus* ſuprà citatus Regis Galliæ frater. In partem Erneſti inclinabat Pōtiſex *Gregorius*, ſed cunctatio Maximiliani vota diſtraxit, & electores irritavit, quaſi ſperneret legatione præteritâ. *Gaſparis Colinii*, Hugonotorumq; in Galliâ cædes ab Henrico electores avertebat hæreticos conantes regnum traducere in Suecum. Cum autem numero ſuperabundarent Catholici, quorum arbitratu ſibi accipiendum Regem hæretici non dubitarent, occultiſſima inter ſe habuere conſilia, prò cautione ſectæ; ut Rex novus volens iuxta patrias leges (quæ Polonos Catholicæ pietatis deſertores C ſeveriſſimè arguunt) corripere non poſſet. Primò itaquè comitia celebrari curarunt in finibus Ruſſiæ; ſed *Commendonis* Legati Pontificii curà (cuius conſilio Catholici cuncta rimabanr) campi delecti fuere Varſaviæ. Secundo, legationes prohibuerunt exterorum, ut hac ſpetie *Commendonum* arcerent à comitiis. III. Prætextu concordiæ, omnes in hoc articulo iurare volebant, ut nulli eſſet poreſtas faciſcendi negotium causâ religionis, ſed cuiquè, de divinis rebus ſentire, ac Deum quibus placeret ritibus, (dum purè, caſtequè) colendi ius eſſet. Impietatem hanc verbis tam accomodis occulerant, ut nonnulli Catholicorum dulci pacis, & concordiæ nomine decepti nomen ſuum decreto adſcripſerint. Sed fraude detectâ, Epiſcopis, qui in concilio erant, reclamantibus, non procul ſeditio abfuit. Ceſſit tandem hæreticorum conſpiratio: undè legatus Pontificis D in hoc ſolū incubens, ut excluſis hęreticis Rex crearetur Catholicus, cum Erneſti cauſam vidit inclinatam, & deſperatam, ad comitia intromiſſus, poſt liretas Senatui redditas Pontificis, orationem exorſus de Rege creando Catholico; & de inirà ab hęreticis ad religionem ſocietare, adeò conſpirationis auctores feriit, vt *Palatinus Sandomirienſis* dicentem interpellaverit, *Legati nè vel Conſiliarii, ac Senatoris partes ageres? Quaſumus te, ut Reſpublica noſtra qua utilia ſint, iudicare nos ſinas, neq. tu curioſiùs in res noſtras, quàm peregrinum decet, intrudas, ſed tantùm ſi qua à Pontifice mandata habes, ea exequare.* Sub eam vocem Catholici conſurrexere vniverſi, ſilere Palatinum iu-

Mors Sigiſmūdi Regis Poloniæ.

Cura Gregorii, Rex eligitur Catholicus.

A bentes: tantaquè circumfuſę nobilitatis indignatio fuit, vt *Cochchevicius*, & *Laſchius* manum iniecerint ad gladii capulum. Sed eo conticente, prętetita *Commendonus* iniuriâ, conquieſcere omnibus iuſſis, converſus ad Sandomirienſem, *Nequè ego* (inquit) ſubridēs, *me ipſum, meiq; muneris officium ignoro, id ipſum agens, quod monet, Pontificis* M. *mandata expono, qui non magis de Rege, quàm de veſtrà Reſpublicà, ut ſalva ſit, vigilat; nequè ego ex hoc loco tecum, aut ſigillatim cum illo, ſed univerſè cum omnibus loquor. Quod ſi ipſe, Senator non ſum, nequè tu ipſe Senatus*. Oratione abſolutâ: Senatus Principes in medium coivere tenrotium, & pauca inter ſe collocuti, ſuum cum rediiſſent ad locum, Archiep. Gneſnenſis Senatus nomine Pontifici M. & Commendono gratias egit, quòd Polonæ gentis tantam curam gereret: daturumquè operam Senatum, vt à Conſiliis paternæ benevolentiæ non diſcederent. Nec vota defuere promiſſis, in Regem vocato Chriſtianiſſimo *Henrico Andium Duce*, qui vix coronationis abſolutâ ſolemnitate, accepto per tabellarios nuntio de morte fratris *Caroli* Francorum Regis, & *Alanſonium* minorem ſratrem Regem Navarræ hęreticis impulſoribus, res novas moliri, illicò eluſis Polonis, clàm abiit, & Pariſios ſe recepit. Mors *Caroli* Gregorio Pontifici curas cumulavit. Quippè anxius, nè quid in Galliâ turbaretur per abſentiam ſucceſſoris, *Fabium Mirtum* Archiep. Nazarenum ſpectatæ probitatis, & prudentiæ præſulem eò miſit, vt Reginam ex filii teſtamēto interregnum moderantem iuvaret adverſus *Alenconium*, qui, Hugonotorum favore ſubnixus ſolio inhiabat. Deſtinavit etiam in occurſum Henrici in Italiam deſcendētis, *Philippum Boncompagnum* filium fratris, Cardin. S. Sixti, legatum à latere, vt Regem Romam invitaret. Quod ſi longiùs digredi grave eſſet, Bononiam *Clementis* VII. & *Caroli V.* congreſſu celebrem viæ modico flexu declinaret, in colloquium Pontificis. In magnam etiam ſpem *Gregorius* venerat, non ſolùm Hæreſim quam privatus ſub alieno auſpicio *Henricus* profligaverat, Regem debellaturum ſuo: verùm etiam inſtrumentum Pontificiis conatibus idoneum fore, quo Chriſtianæ Reipublicæ vires in vnum adversùs Turcas coaleſcerent, & renovata veteri gentis gloriâ, ad Francos Orientis revolveretur imperiū. Prætentati familiares Regis à *Boncompagno* ſpem congreſſus ademère. Obrendebant feſtinatum iter ad colloquium Reginæ matris; metum quoquè, ne conventus tantorum Principum ſuſpiciones magnas Hugonotis conflaret; quamobrem celeriùs, quàm rei Catholicæ expediret, in bellum concitaretur. Verior causa, Ducis Sabaudi auctoritas, quem ſui itineris moderatorem iactantiâ quadam Rex conſtituerat. Opportunitatem autem captabat Sabaudus, vt *Margarita* uxori *Henrici* Regis amitæ blanditiis hoſpitalibus Rex demulcitus, Pinatolii, & Saviliani arces cum valle Peruſiana à Cameracenſi bello, Gallico inſeſſas præſidio, Sabaudiæ Ducibus reſtitueret. Quod in præſentiâ Rex benignè pollicitus, poſtmodū fideliter præſtitit. Regio Gregorius excluſus alloquio, quæ forsàn agendo coràm perviciſſet, ea per Cardinalem legatum, & Nuncios in caſſum ingerere conatus eſt. Suadebat, vt cum Hiſpano Rege iungeret amicitiam: à coniunctione tantorum ſyderum tam Hæreſi in Septentrione, quàm Mehemericæ ſuperſti-

Henricus Rex creatur Poloniæ

Fugit in Galliam.

Romā à Gregorio invitatur.

Gallus declinat congreſſum.

perſtitioni in Oriente ſupremum exitum meditatus. Pro multiplici ſignificatione honoris ſingulares grates peragendas *Henricus* intelligens, Legatum nobilem Romam ſubmiſit, nuntians obortam ſpem pacis in perpetuum cum Hugonotis firmandæ, quos bonâ fide redituros ad obſequium pollicebantur Comes Palatinus Rheni, & Haſſiæ Lantgravius. Sed vacua cecidere vota; nam ob Regis laſciviam, apud bellicoſam gentem reverentiâ Principis antè formidati exoleſcente, Hugonoti, eò audaciæ progreſſi ſunt, vt Regia diriperent impedimenta, cum è Sabaudiâ Lugdunum deportarētur. Quarè ad arma compulſus Rex *Gregorium* Pontificem rogavit ſuppetias mittere opportunas. Offerente Pontifice Italorum phalanges; negavit accipere Rex, pecuniam loco militū poſcens, tanquàm expeditius ad omnes occaſiones inſtrumentum, cum abundare Galliam bellatoribus diceret. Non enim ſeriò, ſed perſunctoriè bellum gerere coſtituerat. Negavit *Gregorius* pecuniam mittere, nè ſinè Galliæ vſu periret Apoſtolicum beneficium. Romam enim iam pervenerant Gallorum queſtus de immoderatis *Henrici* profuſionibus in adoleſcentes, quos publicâ paupertate ditabat. Haud modicam tamen nitrati pulveris vim, impoſitam Pontificiis quinqueremibus Maſſiliam vſquè Regi dono tranſmiſit: eidemquè paulò poſt flagitanti, vt bellum pro religione ſuſceptum Eccleſiæ opibus ſuſtentare liceret, datis duobus diplomatibus vicies cētenna Francorum millia, ex divenditis Eccleſiaſticorum in Galliâ prædiis colligendi ius fecit. Vita deſes, & voluptuoſa Regis primus fuit ſeditionis gradus, Duce *Alenconio* Regis fratre: exercitum in Germaniâ colligēte *Condæo* Principe pecuniis Anglorum Reginæ, atquè opibus Proteſtantium. His tempeſtivè occurrere præmonebat Gregorius iunctis cum *Philippo* armis, *Alenconiū* opibus magis, cōtineret quā Quòd ſi immodica ambitio prævaleret in Principe; cuſtodiâ detineretur, donec orta ſoboles virilis Regi tantum adderet auctoritatis, quantum adimeret fratri. Neutrum amplexus *Henricus*, fratrem præceps cuſtodiæ tradidit: mox ad preces Reginæ matris, pari inconſideratione ſolvit. *Alenconius* enim beneficio minimè placatus, ſuoquè edoctus periculo hoſtilia magis exequi, quàm loqui, fugit ad Hugonotos tribus comitantibus furiis, egeſtate, ambitione, irâ. Imperator ſalutatus Hæreticorum, omnia per contumaciam extorſit, quæ obſequio exorare nequiverat. Tres enim opulentæ provinciæ, Bituriges, Turones, Andes in dominationem attributæ. Centum aureorum millia quotannis in redditum, præter aulicorum nobilium miniſteria, Helvetii ſtipatores præſidio additi, & ornamento. Cum Hugonotis pax quinta convenit præcedentibus omnibus dedecore, ac damno notabilior. Nam vbiquè libertas opinandi, vivendi conceſsa, nullo temporum, locorumq. diſcrimine; ſed per omnia Catholicis Hæretici eſsēt ęquales. Copiis Germanicis, quæ auxilio venerant Hugonotis largè decreta ſtipendia, in prēmium, quòd Galliam devaſtaſſent. Recuperato Regis fratre: *Sanctum Gallorum fœdus* ſpecioſa habuit initia. Tuendæ religionis ardor in Picardiâ huic fœderi prima ſubminiſtravit cunabula, quę indè coaluere Lutetiæ Pariſiorum, in vrbe Regni, ac Religionis principe. Fœderis moderatores, Principes *Guiſii*, quibus ſpetie Religionis, cupiditas, Ametus, ira erant arcana fœderis ſacri, indignè ferentes *Annam Ioyeuſam*, & *Bernardum Nogaretum* (hic *Epernonii*, ille *Ioyeuſæ* Duces poſteà dicti) iuvenes rudes adhuc magnarum rerum, ſibi à Rege præferri, eorumquè gratiâ muneribus ſpoliari ſanguine partis. Occaſionem itaquè cum expectarent, quę tuendæ religionis unà, & familię cauſam iungeret, & ſpetie Reipublicę familiam ulciſcerentur: opportunā ſubmiſit poſtremę pacis invidia, quęRegem *Hēricum*, Reginam matrem, *Alenconium* inſimulabat, quòd fœderi tam probro ſubſcripſiſſent. Solos *Henricum Guiſium* vnà, & Germanos fratres Ludovicum Cardinalem, & *Carolum Maieni Ducem*, tanquàm è Cœlo delapſos, in vindictam religionis populi venerabantur. Fœderis forma, quam iurati affirmabant ſinguli, erat. *Invocatâ primò* Triade S. S. eius caſtiſſimum cultum, & avitam in Galliis religionem ſartam, tectamquè promittebant. Proximè Regis honorem, & ad eum tuendum fortunas, vitam interponebant. Reliquâ vulgus palpabant. Promittebantur enim iura omnia, & privilegia, quibus à RegeClodoveo provinciis indulta fuerant. Clerus, Nobilitas, Populus pro ſua quiſquè conferre iubebatur. Lites omnes vnus dirimeret Dux, vniverſorum conſenſu deligendus, à quo prēmia, & pęnę. Ad firmamentum tanti fœderis, Romanum placuit aſſociare Pontificem, & Regem Hiſpanum. Gregorio cum fędus minimè diſpliceret: non defuere tamen in aulâ Romanâ callidi rerum ęſtimatores, qui ambitionem pietati immixtā internoſcerent. Hiſpanorum tamen patrocinio fulta prævaluit Cardinalium ſententia Fęderi Sancto faventium, tanquàm in tutelam Religionis invento. Nequè gravatè Hiſpanus annuit vt Calviniani Galli bello implicati domeſtico. Belgio adeſſe non poſſent. Mors etiam *Alenconii* fratris Regis ſpem auxit *Guiſiorum*, qui de ſucceſſore Regis *Henrici* ſeriò cogitandum decrevere, prætento metu, nè Rex Navarræ hæreſi pollutus, iure ſanguinis, & vi armorum, ſolium invaderet Chriſtianiſſimum. Navarręo igitur *Carolum Cardinalem Borbonium* Navarræi patruum adſciſcunt, ſacri fœderis caput renuntiant, arces capiunt, eo pretextu, ne Navarræus per Regis ſocordiam eò irrumperet. *Gregorius* Pontifex, cui prima Fœderatorum conſpiratio contrà Hæreſim ingrata non fuerat, nunquàm tamen adduci potuit, ut poſtremos in Regem conatus adprobaret. Quamvis enim Cardinalis *Pellevæus* (ſacri fœderis iſte cauſam Romæ promovebat) armorum cauſam multis argumentis honeſtare niteretur; prætenta deformi bello ſpecioſa Religionis nomina Principem non fallebant. Quapropter eodem *Pellevæo*, cum aliis factionis Hiſpanæ urgentibus purpuratis, ut *Henricum Navarræ* Regem, & *Ludovicum Cōdæi* Principem, ex gente Borboniâ hæreticos, & Hæreticorum capita ſolemni execratione à Fidelium cætu ſeiungeret, & ſceptri Chriſtianiſſimi incapaces pronuntiaret, poſtulato in ſpeciem annuens, executionem de die in diem protrahendo, uſquè ad obitum diſtulit: ſperans Borbonios ad Religionem redituros avitam, ſpe regni. Timidum, & minus fervidū faciebat *Gregorium* infœlix exemplum alienatæ Britanniæ, propter inflictas *Henrico VIII.* Regi diras Pōtificias, ingenti inclytæ nationis damno, & inconſolabili Eccleſiæ luctu. *Dondin. l. 1. de geſtis Alex. Farn.*

Auxilia Pontificis Gallo miſſa in hæreticos.

Seditio in Galliâ contrà Regem.

Gregorii monita ad Regem.

Hugonoti in Galliâ libertati reſtituti

Lega Sancta.

Guiſii.

Gregorius probat ſacrū fœdus.

Fœdus in Regē Papa nō comprobat.

Borbonios excommunicare recuſat.

Hanc ſtragem Hugonotorum per Angelum cœleſtis iræ in inimicos Crucis Chriſti vindicem perpetratam, ut innueret *Gregorius* Angelum in nummo percuſſit forsàn ex 2. *Reg. c.* 24. ſub titulo *Hugonotorum ſtrages*. Mox alterum nummiſma ſubiecit, in quo Romana pingitur Eccleſia cum Evangelio, ab unà; thiarà, & clavibus ab alterà inter palmas, & palmites olivarum, ſub titulo, *Verus Dei cultus*.

Nummi de Hugonotorũ cæde.

Non minori ſtudio, Duci Sabaudiæ viro fortiſſimo, & bellicà glorià claro, Genevam recuperaturo milites obtulit, & pecuniam: Henricum verò Gallorum Regem, tutelæ ſpetie Genevam fulcientem reprehendit. Librum Gennadii Scholarii contrà Græcorum errores, cum facili Cathechiſmo Grecè, & Arabicè edi curavit, & in Orientem miſit *Ioanni Regi Ceilan* in Indià Orientali Chriſtianam fidem cum hominum viginti millibus, Prædicatorum, & Franciſcanorum operà profitenti, hac de causà regno ſpoliato ſuppetias miſit. *And. Victorellus*. Obtinuit etiam, ut Conſtantinopoli viſitatio Apoſtolica, nomine Pontificis haberetur (teſte *Oldoino*.) Ea enim vis iuſtitiæ, & magnificentiæ, ut Barbaris, & hoſtibus non diſpliceat. Cyprii ab eo non ſolùm alimentis, & donis aucti, ſed captivi ipſius argento redempti, virgines in matrimonium collocatæ eam conciliarunt Gregorio famam, ut Theſſaliæ, & Eubææ Præſules nomen cupidi affectarent Latinum. *Victorellus*. Captivos in Affricà, damnatos triremibus in Italià, dato auro cum annuatim ſoleret eximere; Romanus populus in ſubſidium argenti maſſam obtulit; quam recuſavit accipere, dicens; Principis eſſe, dare, non accipere. *Oldoinus*.

Sabaudo auxiliatur.

Alia aliis ſub miſſa auxilia.

Magnanimitas Gregorii.

7 *Collegiis*. Armis cum Turcas debellare minimè poſſet Gregorius XIII. Eccleſiaſticà meditatus proſtrare diſciplinà, curavit primùm in quàlibet Cathedrali Seminarium erigi Clericorum, quo voto Eccleſiæ S. Marci Venetiarum, annuum obtulit mille proventum ad Seminarium erigendũ, teſte *Victorello*.

Collegia, Seminaria ab eo inſtituta.

Vngaricum, & *Germanicum* olim à Iulio III. inceptum, ſed ære obrutum alieno cum iaceret deſertum, reparare agreſſus, viginti primum millium aureorum ære alieno ſoluto, poſteà decem millium nummorum annuo aſſignato proventu reſtituit, Vngaricum, & Germanicum appellari volens, quia unà cum Germanis aluntur & Vngari numero centum, & quinquaginta. Collegio addita eſt Eccleſia Apollinaris propè Circum Agonalem, cum ædibus adiacentibus ampliſſimis. Conſtitutionem habes in Bullario, *Poſtquam Deo*, *&c.* Anno 1573. 8. Idus Aug. quà Collegium privilegiis, & patronis *Io: Morono*, *Alex. Farneſio*, *Marco Altempſio*, *Ptolomeo Comenſe*, *Ludovico Madrutio* Cardinalibus munivit. An. 1574. Id. Iulii, facultates patronorum expreſſit: alumnos, quos nonnumquàm ſingulari inviſit humanitate, liberalibus diſciplinis, ſacris Canonibus, & Theologià volens erudiri. *Orlandinus lib.* 2. *Hiſtor. Soc. Ieſu*. *Theodorus Amydenus de pietate Romanà*. In hoc Collegio olim carmina legebantur ſequentia.

Vngaricum Germanum.

Gregorius Roma florentia germina nutrit,
Doctriniſquè rigat, quæ pietate fovet:
Auctore culta generat poma aurea planta,
Et Germana ſacer pectora fructus alit.
Quid facies verſute tuis Calvine labruſcis?
Quis comedet glandes prave Luthere tuas?
Veſcitur, & miti fœlix Germania fructu,
Quem benè culta ferunt germina Gregorii,
Inclyta Gregorio nimiùm Germania debet,
Syncera fidei, qui tibi germen alit.

I. *Germanici* inſtitutionem Collegii nummiſma teſtatur, cuius in fronte *Draco* ſtemma Gregorianũ, ſub lemmate *Iuventuti Germanicæ*. Vas adeſt, in quo ardet flamma, forsàn ad comburendos Hæreticorum libros; Eo enim voto Collegium erexerat, ut à perverſo Lutheri dogmate Germaniam vindicaret. Typographiam etiam inſtruxit in literatorum ſubſidium, quò faciliùs ferire valerent Hæreſiarchas. *Oldoinus*.

Nummus pro Collegio Germanico.

II. *Angli* etiam ſuum habuere Collegium ab eo erectum, Anno Pontif. unà cum templo S.S. Trinitatis, propè Campum Floræ cum ædibus, & annuo redditu, ut ex inſcriptione ibidem appoſità.

Anglicum.

Gregorius XIII. Pont. Max.
Huius Anglorum Collegii fundator,
Ac parens optimus,
Alumnos ſuos Christo commendat,
Vt, quos in Angliam ad Dei defenſionem mittit
Adversùs hoſtium inſidias, atquè tormenta,
Divinà virtute confirmet, quà freti, iam aliquot
Pro Catholicà Romanà Eccleſià fortiter occubuerunt.
Philippus Boncompagnus S. R. E. Card. Tit. S. Sixti,
Eiuſdem Pontif. Fratris filius,
Collegii Protector, & Benefactor munificentiſſimus
Idem à Deo precatur.

III. *Neophyti*, ideſt illi, qui ex Hebraiſmo, ſeu Atheiſmo ad pietatem convertuntur Evangelicam habuiſſe videntur Collegium iuxtà BaſilicamAgrippæ; licèt *Gregorius* ſtructuram ampliſſimam morte præventus abſolvere non potuerit; Inſcriptio indicat, quæ ibidem viſitur.

Neophytorum.

Gregorius XIII. Pont. Max.
Neophytorum, ac Tranſmarinorum Collegium fundavit
Anno Sal. MDLXXVII.
Pontificatus ſui Anno VI.

IV. *Græci* ſuam habuere ſedem in vià Flaminià, quibus templum D. Athanaſii datum, annuoquè dotatum proventu, ut ibidem Sacrum Græcè haberetur. Primus eiuſdem Collegii Protector fuit Iulius Sanctorius Card. S. Severinæ. Eius inſcriptio fuit.

Græcũ.

Gregorius XIII. Pont. Max.
Catholicę fidei propagandæ ſtudio
Collegium Græcorum attribuit
Pontificatus ſui Anno *VI.*

Suprà fores Eccleſiæ hæc alia inſcriptio.

Ad Honorem Dei,
Et memoriam S. Athanaſii Epiſcopi Alex.
Collegium Græcorum Anno Dom. MDLXXXI.
Gregorius XIII. Pont. Max.
A fundamentis extruxit Pontificatus ſui Anno X.

V. *Romanus* Collegium extructum Societati Ieſu regendum attribuit. Tanti eſt ambitus, quòd etiam fabricà imperfectà, non una domus, ſed oppidum videatur. Aluntur hic omnis linguæ homines, & bonis artibus inſtruuntur, qui deindè univerſis gentibus prædicent Evangelium, & Barbaros ad fidem convertant. Sunt veluti tercenti vernaculi ab Abrahamo miſſi, qui captivorum animas eruant à tyrannide Infernorum. Legitur in eà manè, & veſperè, mira hominum ex Orbe univerſo frequentià ob famam

Romanum.

gymna-

gymnaſii. In aulà regià eiuſdem Collegii, hoc grati A animi monumentum à Patribus ſocietatis poſitū fuit.

Gregorio XIII. Pont. Max.

Huius Collegii fundatori Societas Ieſu ampliſſimis ab eo Privilegiis munita, & ingentibus aucta beneficiis, univerſa in hoc totius ordinis Seminario Parentis Opt. memoriam, ſuiquè grati animi monumentum, P.

Inter pulcherrimas eiuſdem Collegii portas hæc marmorea legitur inſcriptio ſub Pōtificis inſignibus.

Gregorius XIII. Pont Max. Religioni, ac bonis Artibus. MDLXXXIII.

Sex concordant nummiſmata, quorum ab vna ſtat Gregorii imago, cum literis, *Collegium omnium nationum Soc. Ieſu, extruxit Gregorius XIII. An. Pont. X* In alterà ſedet idem Pōtifex ambabus manibus benedicens Religioſos Societatis Ieſu, ac proferens verba illa *Ite operamini in vineà Domini*. In peripheriā alia leguntur, *Seminans in benedictionibus de Benedictionibus & metet.* B

In alio *Gregorius XIII. Pont. Max. Collegium Societ. Ieſu, omnium nationum ſeminarium, pro ſua in Chriſtianam Religionem, & Ordinem illum Pietate à fundamentis extruxit, & dotavit An. Sal. 1583. Pontif. ſui X. Romæ.*

In duobus aliis ſtat Abraham cum armatà familià, *Vt eruat prædam captivorum fratrum. Abraham trecentos vernaculos expeditos numerat.*

In alio. *Sacerdos magnus in vità ſuà ſuffulſit Domum. Et corroboravit templum. In diebus ipſius emanaverunt putei aquarum Eccleſiæ.*

In alio Chriſtiana ſedet Religio, eiuſquè ad pedes Virtutes Theologales ſubſternuntur cum epigraphe. *Gregorius bonas artes alit, & veræ Religioni ſubiicit.* Illæ enim ſunt bonæ Artes. C

VI. *Maronitæ*, hoc eſt, Montis Libani habitatores in hunc diem non ſinè prodigio Maronitarum ſuum habuere Collegium ad radices Montis Quirinalis cum annuo cenſu, vt verà religione imbuti, aliquandò ad ſuos reverſi, quæ rectè didicerunt, reliquis probè monſtrarent. Ad portam Collegii hæc erat inſcriptio, teſte *Victorello*.

Gregorius XIII. Pont. Max. Collegium Maronitarum MDLXXXIV. Pontif. Anno XIII.

Illyricum. VII. *Illyricis* ſeminarium erexit An. VII. Pontif. Laureti primùm, quod poſteà Romam trāslatum eſt; de quo carmina ibidem ſcripta Nicolaus Paſqualinus refert.

Ornaras noſtram præclaro munere gentem
Illyrico ſtarent cum tua tecta ſolo:
Liquiſti priſcas ſedes Virgo inclyta noſtri;
Virgineo tamen in pectore manſit amor.
Gregorio Illyricos commendas, providus ille
In Lauretanà nos iubet eſſe Domo.
Commoda ne deſint, nato nos tradidit Ieſu,
Adiuvet ut nos hinc Filius, inde Parens.
Divinum ingenium propè te nos Virgo locavit;
Complexu ut foveas pignora cara tuo.

Pontific. An. VIII.

Auſtrii VIII. *Auſtrii* ſuum habuere Collegium à Gregorio XIII. extructum Viennę, Anno ſuo Pontif. IX. de quo quidam Poeta cecinit, teſte Alydoſio.

Romani decus Imperii, Latiiquè ſecures
Auxerunt titulos Auſtria clara tuos.
Hæreſis invidit, ſtygioquè inſana furore
Iecit in immeritum tela cruenta caput.
Ne dubita: ut valeas, doctos tibi miſit Alumnos
Gregorius, morbi qui tua damna levent
Auſtria Gregorii cognoſcito dona, Valebis,
Atquè tuum lato creſcet in Orbe decus.
Nam ſi clara dedit Romanum inſignia ſceptrum;
Mox Romana dabit nobiliora fides.

Pontif. An. IX.

IX. *Pragæ* in Bohemià aliud inſtituit Gregorius Collegium, vbi maximo Religionis fructu, veritatem iuvenes edocētur Evangelicam, & literis inſtruuntur. De eo Alydoſius carmina collegit ſequentia. Pragenſe.

Nobilis Imperio flores, & nobilis armis,
Arctoas decoras nobilitate plagas.
Vis firmare tuum generoſa Bohemia ſceptrum
Aeternum, populis & dare iura tuis.
Sis pia, & hæreſeōs tollas monſtra horrida: Regnum
Impietate ruit, ſtat pietate diù.
Hoc cupit inſignis virtute, armiſquè Rodulphus,
Hoc tua qui curat commoda Gregorius.
His munita cades nunquam, armis roborat ille,
Hic pietate facit firmius Imperium.

Pontif. An. IX.

X. *Græcenſe* in Styria Collegium auctorem habet Greg. XIII. vt indicant ibidem ſubſcripta carmina.

Lutheri infælix iacuiſſem merſa lacunis,
Ni tua ſancta, Parens, dextra tuliſſet opem.
Dignum opus eſt Cælo: ſervat tibi præmia Cælum,
Nil tua facta Orbis, quod mereatur, habet.
Ipſo Opifex rerum, quanto eſt mihi nulla poteſtas,
Digna precor, tanto munere dona ferat.
Cum tibi muneribus cæleſtia præmia creſcant:
Augeri ut poſſint præmia, vive diù
Servata agnoſcet ſemper, dilectaquè Patrem,
Et Servatorem, Styria, Gregorium.

Pontif. An. IX.

XI. *Moravis* etiam Olmucii nobile excitavit Collegium, de quo Alydoſius.

Gregorii lætis ſurgebant tecta Moravis,
Hæreſis hoc vidit, flevit, & indoluit.
Ergo, ait, è manibus dilecta Moravia noſtris
Excidet? & tanto parta labore ruent?
Affer opem Calvine, Luthere, perimus; Alumnis
Nos parat ecce ſuis perdere Gregorius.
Artibus extructis toto me pellit ab Orbe
Vobiſcum, & Stygios cogit adire Lares,
Ni ſuccurratis ſpem regni amiſimus, eheu
Totus Gregorio ſubditus Orbis erit.

Pontif. Anno IX.

D XII. *Bruſpergenſe* in Pruſſia ad Lutheri coercendam inſaniam nobile excitavit ſeminarium Gregorius, de quo Alydoſius.

Cur indigna meis tractantur vincula palmis?
Cur premit infeſtum libera colla iugum?
Pruſſia vipereo Lutheri ſervit alumno,
Pruſſia numquid erit tàm malè ſana diù?
Agnoſco infælix Calvini retia ſero,
Vt videam præfert lumina Gregorius.
Providus ille mihi meliores ſervat Alumnos,
Detegit & verà Religione dolos.
Ite procul ſtygiæ minitantia retia fraudes,
Libera nam paret Pruſſia Gregorio.

XIII. *Muſſipontanum* in Lotaringià epigrammate laudatum ſequenti.

Clara Palæſtinis olim Lotaringia bellis,
Contrà hoſtes fidei docta movere manus,
Moviſti ſacra bella tuis victricibus armis,
Dux virtus, finis gloria, palma comes
Quid ceſſas, ſimili virtutem extendere facto,
Nonnè movent animos prælia ſacra tuos?
Hoſtem viciſti, ſuperandus transfuga Chriſti eſt,
Hæc eſt materies viribus apta tuis
En te Gregorius ſacrata invitat ad arma;
Perge novum priſcis laudibus adde decus.

Pontificatus Anno IX.

XIV. *Vilnenſe* in Lituaniâ, de quo ità cecinit eiuſdem Collegii alumnus.

Vilnenſe.

Senſerat illuſtri minus Lithuania pondus,
Lutheri infauſta quod poſuere manus;
Addiderat nova res animos, & colla moleſto
Fecerat excuſſo liberiora iugo,
Rem mirata diù, quis me mihi reddidit? inquit,
Ergo ne libera ſum, quæ modo ſerva fui?
Cum tamen in claram vertit ſua lumina Vilnam,
Atquè domum vidit ſurgere Gregorii,
Agnoſco, agnoſco, quæ ſint hæc robora, dixit,
Hæc eſt invicti dextera Gregorii.

Pontif. An. XI.

XV. *Claudiopolitanum* in Tranſylvaniâ ædificatum, & dotatum à Gregorio XIII. de quo Alydoſius.

Claudiopolitana.

Dum quæreris ſteriles exortis ſenſibus agros
Frigore, & obſcuram nubibus eſſe diem,
Gregorium tua damna movent, tibi commoda quærit,
Firmaquè muneribus gaudia ferre parat,
Parce, inquit lachrymis, ô Tranſylvania, namquè
Poſt obſcura venit nubila clara dies,
Quot tibi nutrimus veræ pietatis Alumnos,
Tot fidei accenſas tradimus igne faces
Lucebunt, ſpinas comburent, frigora pellent,
Et Tranſylvanus lilia gignet ager.

Pontif. An. XI.

Iaponēſe. XVI. In *Iaponiâ* nuper ad Chriſtianam religionem redactâ, quatuor inſtituit Collegia An. Pontif. XI. *Funenſe* primum, de quo Alydoſius.

Ingeniis, armiſquè potens Iaponia tellus,
Tartareo ſervis cur miſeranda Duci?
Quid Xacem colis? & fictæ pietatis Amydam,
Sollicitans multâ marmora ſurda prece:
Erige velatos tetrâ caligine vultus,
Et miſſas Chriſti munere cerne faces,
En clarum fidei præfert tibi lumen Ieſus,
Ignotamquè tuis monſtrat ad aſtra viam:
O te fœlicem, fueras quæ clara triumphis,
Incipies Chriſti clarior eſſe fide.

Pontificatus XI.

XVII. Vaſquienſem Domū Societatis Ieſu extruxit, quę (teſte Alydoſio) carmine celebratur ſequenti.

Perfide iam propera malè partas linquere ſedes,
Et nigra monſtroſum conde ſub aſtra caput.
Debetur Chriſto tellus Iaponia, fures
I, fuge, nam furto debita pœna tuo eſt:
Quid ceſſas? iuſta indicit tibi prælia, Chriſti
Gregorius, toto qui gerit Orbe vices.
Aſpice, nam validam pugnantibus extruit arcem,
Belligeroſquè ſacra mittit ab Vrbe viros,
An nè times? miles pugnat ſub nomine Ieſu,
Fallor? an audito hoc nomine in antra fugis.

Pontif. Anno XI.

A XVIII. XIX. *Arimenſe*, & *Anzuchixamene* in eodem Regno Iapomico, de quo Alydoſius.

Gregorii dum tecta Arimæ fauſto omine ſurgunt
Cumquè ætate bibunt corda tenella fidem,
Exultat victrix pietas, fremit ore cruento,
Qui rapuit ſtygiis Indica Regna dolis:
Dumquè fides ſacro teneros fovet vbere natos,
Tartareus prædo rumpitur invidiâ,
Impiè facta times? longè maiora videbis,
Cum domino fructus ſemina iacta ferent,
O miſera, & nimium infœlicia tartara: fœlix
Si multos habeas India Gregorios.

Pontif. Anno XI.

His omnibus redditus ex Europâ attribuit, teſte Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro.

Dum natas inviſit opes Iaponis in arvis,
Atquè novos fœtus geſtit habere fides,
B *Innumeras vidit iactari ad tartara prędas*
Proh dolor, & tenero paſcua deeſſe gregi,
Ergo fames inquit perdet? prędabitur hoſtis
Quas Deus immiti morte redemit oves?
Tum ſic Gregorio exoritur grex; paſcua poſcit,
Paſtor es, ergo gregi (nam potes) affer opem,
Indè tuum gemino nomen celebrabitur Orbe,
Et mox maioris Paſtor ovilis eris.

Pontif. Anno XI.

XX. *Fuldenſes* in Aſſiâ Seminarium habuere à Gregorio, plurimis inſignitum privilegiis, quorum habes apud auctorem Antiquitatum *Fuldenſium*. Ibidē Fuldenſe.
ſequentia leguntur carmina.

Servatoris honor primum tibi Fulda decorem
Attulit, & clarum nomen habere dedit.
Invidia hinc cœpit, fieret ne gloria maior
C *Hæreſis eſt ſacris inſidiata tuis.*
Fraude fidem ſimulans, Cœlum promiſit, & aſtu
Deceptam ſtygiis te, propè, merſit aquis.
Non tulit hoc, ſed dat primos Servator honores,
Idem perficiat, qui benè cœpit opus.
Gaude Fulda decus, quod perdidit hæreſis, ecce
Religione parat reddere Gregorius.

Pontif. Anno XIII.

XXI. XXII. XXIII. XXIV Aliud *Dilingæ* erexit in Germaniâ, aliud *Auguſtæ*, aliud Rhemis in Britanniâ, aliud Mediolani nationi Helvetiorum, de quibus videndus eſt M. Anton. Ciappius in libello, quem ſcripſit *de virtutibus, ac rebus præclarè geſtis Greg.* 13.

8. *Demerſa monſtra* &c. Pontificatum (ita Poſſevinus in Apparatu ſacro) Gregorius *geſſit labore indefeſſo, ſollicitudine omnium Eccleſiarum, ædificatione omnium Chriſtianorum, & adeò illorum, qui à fide Ca-* Miſſionarii à Gregorio ad gentes.
D *tholicâ diſceſſerant. Charitas interim cum dignitate indies crevit, dum ad eam ſancta, & penè quotidiana Altari, quæ ipſe offerebat ſacrificia, cogitationes, ærarium magnum operariorum Eccleſiæ numerum contulit. Itaquè ut è grano ſpica, ex hac ſpicæ plures, è pluribus ſpicis magni proventus erumpunt: ita ex illo alia, ex aliis plurima continentur beneficia ad plurimos, ad civitates, ad nationes, ad regna ſivè ſchiſmatica, ſivè barbara manabant, ut viri cordati, qui ſub Pontifice tanto clavum regebant Eccleſiæ, eius inſignibus verba illa Pſalmi deſcriberent:* Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Et infrà. *Creatus Pontifex delectum habuit perſpicacium hominum, qui & Reſpublicas geſſiſſent, & apti eſſent inſtaurandæ Eccleſiæ, & expediti*

ad

ad terras, mariaquè obeunda, ut eum illi prædam referrent, de quâ dixit dominus poſt magnam illam lintei demiſſionem è Cœlis: Surge Petre, & manduca. Et infra. *Miſit quoquoverſum operarios, qui in Indias, in Angliam, Conſtatinopolim, Alexandriam Ægypti, Syriam, Paleſtinam, cum Libano Monte, Babyloniam divino verbo, & ipſo ſanguine, ac piis muneribus ad Fidem atquè pietatem allicerent.* Concordat Staniſlaus Hoſius S. R. E. Cardinalis, in ep. nuncupatoriâ operum ſuorum dicens: *Gregorius Pontifex appellaris, & es: cui nomini ſic actiones tuæ reſpondent omnes: ut vigilantiorem Pontificem hoc noſtrum ſæculum tuliſſe nullum videatur. Nec enim unquàm eius obliviſceris quòd non Urbis, verùm Orbis es Pontifex. Itaquè non unius civitatis mœnibus, quamlibet illuſtris ea ſit, & ampla, nec unius aut alterius nationis finibus, ſed quàm latè patet Orbis totus Chriſtianus, eius ambitu Pontificatum tuum eſſe vis circumſcriptum; Ad omnes ex æquo curas, & cogitationes tuas derivas; & Orientales, ac Septemtrionales, ac Indos ex æquo reſpicis, non aliâ de re magis ſollicitus, quàm ut ad ovile Chriſti revocari poſſint, quotquot ab eo Satanæ fraudibus abductos eſſe vides.* Iunge quę de miſſionariis Gregorii ſcripſit M. Antonius Muretus, teſte Cabrerà: licet Stephani Tuccii Societate Ieſu illam Orationem funebrem habitam coram Cardinalibus in funere Gregorii XIII. Oldoinus affirmet, Brietius neget; ipſi concordent. *Quàm illuſtre quaſi ſignum gentibus univerſis ad benè de omni Republicà ſperandum videbatur eſſe ſublatum? Nequè ſpem fefellit Gregorius: cœpit in omnes Eccleſiæ partes excubare, ut quod novo nomine præſeferrebat, id certis rerũ, ac factorũ firmaret ovẽtis.* Animadvertebat *eorum, quorum gerebat curam, alios ab Eccleſiæ legibus, ac diſciplina deſciviſſe: alios eſſe quidem Ortodoxæ fidei cultores, ſed in morum, ac vitæ rationibus claudicare. Has utraſquè ſui gregis partes complexus inſtitit pervigilare providus paſtor, ſua ſingulis vel medicamenta, vel pabula nè deeſſent. Ac primùm quàm intenſis ſemper ſtudiis contendit oves, quæ à veræ Religionis ſeptis, in ovile ſuis ſi potuiſſet humeris reportare. Vidit ab aliis armorum motus ad hæreticorum impietatem profligandam ſæpè tentatos plus cladis retuliſſe, quàm prædæ: & diuturnitate, vel inauſpicato exitu bellorum non magis hoſtiles quũ Chriſtianas opes acciſas. Itaq. pugnandi rationem aliam ſibi putavit ineundam: parcendum armis, ad probitatis, & eruditionis præſidia confugiendum: non telis, ac machinis ſed ſapientiâ decernendum: non externum militem conſcribendum, qui in impiorum caſtra cataphractus invaderet, ſed è transfugarum parentum domibus, ac complexu abſtrahendos adoleſcentes, qui credendi, vivendiquè optimis legibus inſtituti cum ſuis ipſi poſtea civibus, gentilibus, neceſſariis pedem non vulnerando, ſed benè vivendo, diſputandoquè conferrent: ut quos nequè centurio, nequè turma valeret, ſapiens ac pius ſacerdos debellaret & quò gladius non poſſet, penetraret oratio. O admirabilem viri ſapientiam: O inventum ſalutare. Fremat, licet, Lutherus; inſaniat Calvinus; debacchetur Zuinglius; ferruminent Centurias: aliud cudant* Evangelium; *novos invehant Chriſtos: unus vos lacerat, ò nocturni prædones, unus vos cruentat* Gregorius: *& excitatis per Germaniã, Galliã, Sarmatiam, Panoniam iuvenum ſeminariis, tanquàm aggeribus fidei, vias veſtris ſatellitiis intercludit, veſtris vos implicat retibus: & intra fines, ac parietes veſtros veſtris vos liberis, veſtros vos alumnis oppugnat.*

Hæreticos oppugnat moribus ſanctis.

Nequè verò unum ille vel alterum vobis oppoſuit propugnaculum, ſed ſuum ſingulis penè gentibus extruxit: Prutenis, & Suecis Branſbergenſe, Vilnenſe: Lituanis, Bohemis Pragenſe: Moravis *Olomucenſe, Auſtriacis Vienẽſe, Gracenſe Stiriacis, Dilinganum Germanis; Fuldenſe Saxonibus, Muſſipontanum Scotis, &* Hibernis; *Helvetiis Mediolanenſe:* Britannis *Rhemenſe:* Claudiopolitanum *Tranſilvanis. Sed quid ego tam longinqua commemoro? Quod in urbe videtis contubernalium iuvenum Collegia, tanquàm Religionis arces, ad quas externæ gentes quotidiè ex Oceano, ex* Alpibus, *ex Peloponeſo, ex ſynagogâ, ex Paleſtinâ confugiunt? O te felicem Gregorium, quoties vel Urbem, vel Orbem terrarum ſpectabis è Cœlo, toties de alumnorum tuorum domiciliis, toties de caſtris tuis adversùs Madiam, &* Amalech, *toties de ſingulari ſapientiâ tuâ cogitabis: quâ non ſolùm ætatis noſtræ portenta, ſed priſcos etiam Neſtorios, Euthychetes, Dioſcoros, Severos Oriente penè toto perſecutus es, dimiſſis* Alexandriam, *Antiochiam, Hieroſolymam, Conſtantinopolim, & in alias Urbes legationibus: quibus laceſſiti ſunt ad pugnam Monophyſitę; invitati ad renovandum priſcum fœdus Armeni, Græci, ac Maronitæ ad Romani* Cœli *cultum, ac mores evocati: Subalpinę gentes excultæ:* Huc ſpectant gemina ſymbola, quorum alterum Draco eſt currum trahens ſemine plenum, & plantis, ut *deſertis* diffundat *ſemina terris:* In altero ad oſtiũ vineæ Draco ingreſsũ *non prohibens, ſed præbens.* Paganosnamq. Hęreticos, Iudæos ab ultimis terrarum finibus excitavit ad audiendũ Evangelium:

9. *Svetiæ Rex i ſui* (proſequitur idem Tuccius *muneris, ac Religionis admonitus:* Dalmatis, *& Epirotis Chriſtiana pietas, quæ multis iacebat locis, reſtituta.* Eadem ferè ſcripſit Poſſevinus in Apparatu ſacro *Sede & ingens* illa (inquit) *cogitatio eius mentem ſubiit, ut Reges & alios Principes, licet ſchiſmaticos, & adeò prorsùs hæreticos, eorumquè filios ad Catholicham Religionem omni ratione alliceret. Quod dum ille pertentabat, ecce idem ſpiritus, & Ioannem III. Sveciæ Regem, &* Magnum *Moſcoviæ Ducem; & nepotes ipſorum Iaponiorum* Regum *permovit, ut Sveciæ Rex abiuratâ ſecretò hæreſi, ei ſacerdoti, quem* Pontifex *ab illo invitatus ad illius regna bis miſerat, filium Regem Poloniæ reliquerit* Catholicum; *Reginam uxorem ſanctè in Catholicà fide morientem, Catholicis ritibus à Catholicis Sacerdotibus totà Regni nobilitate proſequente, efferri curaverit, ſubditos plures ad Seminaria* Pontificia *miſerit, Patrum libros per ſua regna diſſeminari, & prædicari mandaverit. Templa inſtauraverit. Moſcus autem pace factà cum Rege,* Regnoquè *Poloniæ, eodem Gregorio Pont.* Max. *rogato per ſacerdotum in Moſcoviam miſſum .... eam rem Deo iuvante confecerat, Livonium reſtituit, in quam illicò* Collegia *Societatis Ieſu, & Epiſcopatus fuere introducti; Legati item è* Moſcoviâ *remiſſi Romam, qui agerent gratias Pontifici. Quare & illa pax plures Annos ſtetit inviolatâ ſine cæde, ſinè bello, ſinè rapinâ alicuius, quæ anteà totos* Annos *flagraverat incendiis & incurſionibus, præliis, everſione arcium, & cultus ipſius divini, quemadmodùm in ſæviſſimo ſchiſmaticorum, & Hæreticorum bello cum* Catholicis *fieri neceſſe erat. Præter hæc trienniũ ſummâ curâ eſt impenſum conciliandis rebus Stephani Poloniæ Regis cum Rodulpho Imperatore per ſacerdotem, quem ad eorum ſingulis quinquies miſerit, ut ſapienter ingentis belli occaſio, quam urgebant Hæretici, penitus fuerit averſa.*

Tra-

Truchſeſius Archiepiſc. Colon. apoſtata.

10. *Truchſeſii*. *Gebbardus* iſte *Truchſeſius* Archiep. Colonienſis, qui amoribus irretitus *Agnetis Manſfeldia* (Erat hæc ex eo Veſtalium genere, quas Vulgus nuncupat *Canoniſſas*) eam ſic deperibat, ut ab eius latere nunquàm diſcederet. Cumquè malè audiret, ſororis infamià vehementer accenſi Comites Manſfeldii *Gebbardum* adière minantes, ni virginem tàm illuſtri genere ortam matrimonio cohoneſtaret, ſibi non defuturam rationem vindictæ. Quare *Gebbardus* teſtibus adhibitis,in aulâ maiore Bononiēſis Cancellariæ promittit, repudiato Archiepiſcopatu, *Agnetem* ducturum. Iam in eo erat, ut promiſſa ſervaret, cùm à Calviniſtis circumventus, mutatâ de abdicando Archiepiſcopatu ſententià,ſtatuit inſulam retinere, facto cum Catholicà Religione divortio. Conſilio itaquè cum Proteſtantibus habito, delectum ſcribit, fœdera percutit, ut Vbios à Romanà fide retraheret. Periculi Cæſar admonitus, tentavit literis, legationibus *Gebbardum* à tanto ſacrilegio retrahere. Sed iactâ aleà, publico edicto *Gebbardus* à veteri Religione ad novæ lucis cognitionem cum ſe ſe profiteretur abductum, *Gregorius XIII*. Pont. Rom.,qui manu Cæſaris omnem moverat lapidem,ut paternis admonitionibus Archiepiſcopum ad pœnitentiam revocaret; nè longiore cunctatione Colonienſem Eccleſiam videretur in ſupremum diſcrimen adducere, *Gebbardum* velut Catholicæ fidei diſertorem Archiepiſcopatu deiecit Capitulo imperans, novum eligerent Archiepiſcopum. Paruere Canonici, quorum ſuffragiis electo *Erneſto Bavaro*, huius electione, *Gebbardi* cœpit langueſcere cauſa, fruſtrà in ſuppetias accurrentibus *Palatino*, & *Lantgravio*, quibus vel victis, vel torpeſcentibus,provinciam cum expugnaſſent Cæſariani; coactus *Truchſeſius* ad *Orangium* Principem, Delphos Batavorum auſugere, profugus vitam miſerè ſolvit. *Aquila noſtra Auſtriaca. l.* 47. Tuccius *loco cit.*

Ædificia Gregorii XIII.

11. *Iubilæo*, cui ut faciliùs Orbis adeſſet univerſus, ac homines excitaret: An 1573. vias ditionis Eccleſiaſticæ, præcipuè eam, quæ Lauretum ducit, depreſſis montibus, ſubrectis convallibus, magno pecuniæ impendio reparavit in peregrinorum commodum, pluraquè erexit ædificia, ſacras inſtauravit ædes: Pontem Senatorium, ipſo Iubilæi Anno refectis fornicibus reſtituit. Horrea in thermis Diocletiani ædificavit, cuius habes infrà numinilma: Aquam Virginem in Vrbem duxit: Eugenii IV. porticum reſecit: Vias ad Lateranum patefecit ut ex nummiſmare pag. 313. Romanam Accademiam,quæ *Sapientia* dicitur, reſtauravit: Xenodochium S. Mariæ ampliavit:Conſtantini baptiſterium laquearibus, & marmoribus expolivit: Auratum lacuar in Arà Cœli,cęptum à *Pio V.* abſolvit.Huc ſpectat nummiſma *Porta Specioſa*, in quà Tiara ſub columbà cœleſti,liberalitatem annuit,atquè magnificentiamGregorii XIII.cum epigraphe,*Magnificentia Regni tui*.

Gregorii XIII Iuſtitia. Nummiſma.

Aliud conſonat,in quo Virgo cū *Librà* ideſt iuſtitia; & *Cornucopia* Abundantia ſcilicet,quā invexit in Vrbem. Teſte namquè Folieta *l.* 4. *de ſacris fæderib. acerrimum iuſtitiæ ſtudium in Gregorio nulla unquàm gratia inflexit, aut ſpes præmiorum labefactavit, aut metus offenſionum perfregit*. Hinc ſtatua ei in Capitolio erecta à Populo Romano cum ſequenti inſcriptione.

Gregorio XIII Pontif. Max.&c.
Qui per Romanos Magiſtratus,
Et Eccleſiaſticas dignitates
Iuſtitiam, & Pietatem colens,
Vniverſam Rempublicam Chriſtianam
Summà Providentià, & Charitate Moderatur.

Hoc forsàn annuit aliud nummiſma, in quo ſub perſonà Davidis Gregorius pingitur Deo acceptiſſimus,ita vt de eo Roma repetat, *Inveni hominem ſecundum cor meum*. Verba autem ſuppoſita, *Iubilate Deo omnis terra* illativa ſunt,& excitantia ad lętitiam Orbem vniverſum.

Annonæ nūmiſma *Abundantiam* exhibet cum navi,& ariſtis,quæ dexterà Romam ſuſtinet, cum epigraphe *Annonà Pontificis*.Cum enim maxima annonæ caritas Romam affligeret, ità vt pauperiores,qui ſolo pane nutriebantur,vnà die octo baiocos in pane conſumerent: his malis non ſolùm occurrit, ſed nè inpoſterùm ingruerent, ampla apud Thermas Diocletiani granaria conſtruxit,vt ex marmoreà ibidem legitur inſcriptione.

Gregorius XIII. *Pont*. Max.
Adverſus Annonæ difficultatem ſubſidia præparans
Horreum in termis Diocletiani extruxit
Anno Iubilæi 1575.

Pio etiam affectu ergà ſacram ædem Virginis Lauretanæ ductus Gregorius, vias, quæ ad eam Romà præcipuè tendebat, commodiores reddidit (teſte *Turſellino*)& regio ſūptu per ſaxa, & rupes aperuit, vt vel in ipſis Apennini iugis via tam ampla eſſet, vt quadrigæ inter ſe occurrentes ſinè periculo concurrerent.In huius beneficii gratiam nummus percuſſus eſt,in quo Imago Virginis Lauretanæ cum epigraphe. *Via ab urbe ad ſacram ædem expedita*.

Aliud nūmiſma Pontem exhibet Romę ſuper Tyberim olim ab Hercule, Gerione devicto fabricatum, & in publicum vſum à Gregorio XIII.reſtitutum. Ab initio *ſacer* dicebatur; ab Anco Martio ex ilice reparatus, *Pons Sublicius*: deinde à M. Æmilio reſarcitus *Æmilius* vocatus, poſteà *Senatorius*, & *Palatinus* dictus, quòd iuxtà montem Palatinum ſitus eſſet. Tandem, quòd viam ad ædem S. Mariæ Maioris præberet, *Pons S. Marię* eſt appellatus, habetquè B. Virginis iconem affixam. Huius pontis reſtaurationem aggreſſus Gregorius, primum ipſe lapidem ſtravit, & in eo plura nummiſmata incluſit. Pons autem ſequentem ſuſtinet inſcriptionem.

Ex auctoritate Gregorii XIII. Pont. Max.
S. P. Q. R. Pontem Senatorium,
Cuius fornices vetuſtate collapſos,
Et iam pridem refectos
Fluminis impetus denuò deiecerat
In priſtinam firmitatem, & Pulchritudinem
Anno Iubilæi M. D. LXXV. *Reſtauravit*.

Literæ, quibus Iubilæum indixit, *Dominus,ac Redemptor*, *&c.* Romæ datæ 6. Idus Maii. An. 1574. publicatę fuerunt (teſte Franc. Mucantio,*to*. 1. *Diariorum*; & Io: Paulo S. Obſer. *Cęrem. anni Sancti*) Dominicà Aſcenſionis, 20. Maii: & 4. Adventus, 19. Decemb. à Camillo Burghesio (futurus iſte *Paulus V*) Indè Cardinales cum ad pietatem excitaſſet verbo,& exemplo,in Vigilià Natalis Redēptoris, antè Veſperas, nobili ſupplicatione ad Portam Sanctam acceſſit, quam ter malleo percuſſam aperuit.

Cat-

Cardinalis *Moronus* Collegii Princeps S. Pauli, viâ Oſtienſi. *M. Antonius Colamna* ægrotantis Archipresbiteri vicem gerens S. Io: Lateran. *Alex. Sfortia* S. Mariæ Maioris à Gregorio miſſi Portas Sanctas aperuerunt. Ingrediens *Gregorius* Crucem dexterâ, accenſam facem ſiniſtrâ manu tenebat. Malleum Cardinali *Hoſio* maiori dederat pœnitentiario, deindè Bavariæ Principi (quem cum Clivenſi in ædibus Vaticanis aliquo tempore aluit) dono dedit, teſte *Leonio*. Die Natali Domini, Sacro abſoluto, Enſem, & Galerum nocte ſacratum præcedente, Clivenſi Principi dono tribuit. Vrbs non minùs pietate, quã annonâ abundavit. In hoſpitali ſolummodo S. S. Trinitatis à Natalitiis Chriſti ad Pentecoſten excepti ſunt, & aliquot diebus honeſtè refecti peregrini 96348 Et licèt in Italiâ, Siciliâ, Tridenti, Mediolani peſtis graſſiretur (ait *Ciaconius*) Vrbs cunctis patuit ſoli cauſa.

Principes, qui Iubilæo adfuerunt.

Numerus peregrinorũ, quos Roma refecit.

Peſtilentiam ablegat.

12 *Peſtilentia* morbo Romam ſanatam Gregorii precibus, & eleeemoſinâ Nũmiſma teſtatur pag. 313. in quo ſerpens gentilitius ad ſimilitudinem ſerpentis ænei, quem Moyſes erexit in deſerto, cuius ope Iſraelitæ à ſerpentibus, quibus infeſtabantur, erant immunes, quotquot in ipſum ſuſpicerent. Sic Romani ſpem ſuam in vno collocarunt Gregorio, cum peſtis nationes devoraret, conterminas. Indè epigraphes *Spes opus eiuſdem*. Vel vt in alio nũmiſmate: *Sic exaltatus ſanat*. Et tamen ea erat peregrinorum frequentia, vt ſeptem, & octo peregrinorum millia, eodem die Xenodochium S.S. Trinitatis vna in Domo reficeret ad ſaturitatem. Extat (teſte *Oldoino*) in Vaticanâ bibliothecâ oraculum carmine conſcriptũ heroico, de auſpicatâ ſalute Vrbi Venetæ divinitùs redditâ, adveniente aureâ Roſâ Gregorii. Recurrente Iubilæo, ſæpè ipſe abluens convivarum pedes, ad Chriſtianam humilitatem excitavit *Ferdinandum Mediceum* Card. & deindè magnum Etruriæ Ducem, illius Sodalitatis patronos *Alexãdrum Farneſium* Parmæ Principem, *Paulum Iordanum Vrſinum* Bracciani Ducem, *Erneſtum Bavarum*, aliosquè viros inſignes, qui peregrinis ſervientes, illorum abluebant pedes. Quatuor Baſilicas ſæpè luſtrando, Scalam Sanctam non ſinè lachrymarum ubertate conſcendit. Pauperibus præcipuè Polonis nè quid deeſſet; Cardinali Varmienſi ſingulis menſibus tercentos nummos aureos numerabat ad eorum alimoniam. Obiit hoc An. Princeps Clivenſis iuvenis religioſiſſimus, ac Romæ expiravit penè in ſinu Pontificis. Eà enim humanitate ægrotum ſæpè inviſit, vt medicas ipſe potiones ſuâ manu porrigeret, & paternis monitis adſtaret morienti. *Victorellus*.

Numus ſalutis in peſtilentiâ.

Ceſſat Peſtis, adveniente Roſâ Gregorii.

Gregorii humanitas ergà Civium Principem.

Huius Iubilæi ſex occurrunt nummiſmata. In primo Pontifex malleo portam aperit, ſob lemmate: *Domus Dei, & Porta Cæli*. In ſecundo, tertio, & quarto patet Porta cum epigraphe, *Et Portæ Cæli apertæ ſunt*. Vel *Iuſti intrabunt per eam*. Vel *nihil coinquinatum*. Duo ſequentia Portam clauſam, *Aperuit, & clauſit Anno* M. D. *LXXV*. Vel *Gregorius XIII. Pont. Max. Aperuit, & clauſit Iubilæi* 1575.

Huius Iubilæi nummiſma dicas & illud, in quo ſub figurâ S. Petri ægrotum ſanantis, virtute horum verborũ, *In nomine Ieſu ſurge, & ambula*, Gregorius figuratur, beneficium abſolutionis peccatoribus impertiens. Hoc enim præcipuum eſt Iubilæi votum.

A

13. *Kalendario*. 12. menſibus, quos Luna duceret, priſcus conſtabat Romanorum Annus; diebus 355. qui intercalatione ſupplerentur. Cæſar Ægyptios ſecutus Annum ſolarem diebus 365. cum quadrante circumſcripſit: Tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perluſtrat. Quater ſex horæ ſingulis quaternis Annis diem conſtituunt: hinc Annus ille intercalaris, Biſſextus, vel Biſſextilis dicitur. Quia autem ſex illæ horæ non ſunt integræ, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant: ex hoc minutorum neglectu factum eſt, ut minuta, quæ ultrà debitam quantitatem Annis ſingulis tribuebantur, tractu temporis ità excreverint, ut invicem iunctæ conſtituerint dies decem, qui cauſam dederunt, ut ſedem ſuam vernum mutaverit Æquinoctium. Huic malo occurrens *Gregorius* 13. non ſolùm Æquinoctium vernum in priſtinam ſedem reſtituit, à quâ iam decem circiter diebus in Anno correctionis 1582. præcedendo receſſerat, quod à Concilio Nicæno ad 12 Kal. April fuerat conſtitutum; & 14. Lunam Paſchalem ſuo loco repoſuit, ſed viam quoquè tradidit, quâ caveretur, ut in poſterum & vernum Æquinoctium, & 14 Luna Paſchalis à propriis ſedibus nunquàm removerentur. Vt enim vernum Æquinoctium ad 12 Kal. Aprilis reſtitueretur, ſtatuit, ut dicti decem dies in menſe Octobris, ipſius Anni 1582. eximerentur, ut poſt quartam diem Octobris S. Franciſco ſacrã, ſequens dies non eſſet quinta, ſed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot Annorum circulis irrepſerat, in momento temporis fuit correctus. Vt autem inpoſterùm idem error vitaretur, nè à XII. Kal. April. Æquinoctium vernum recederet, ſtatuit idem Gregorius, Biſſextum quarto quoquè Anno (uti mos eſt) continuari debere, præterquàm in centeſimis Annis: qui quàmvis Biſſextiles antea ſemper fuerint, qualem etiam eſſe voluit Annum 1600, Anno correctionis proximum, poſt eum tamen, qui deinceps conſequentur centeſimi; non omnes Biſſextiles eſſent; ſed in quadrigentis quibuſquè annis primi quinque tres centeſimi ſinè Biſſexto tranſigerentur: quartus verò quiſquè centeſimus eſſet Biſſextilis, ita ut annus 1700 1800. 1900. Biſſextiles non ſint. Anno verò 2000. more conſueto, dies Biſſextus intercaletur; Februario dies 29 continente: idemquè ordo intercalandi Biſſextum diem in quadringentis quibuſq; Annis perpetuò conſervaretur. Correctionem hanc cum toti Orbi ſervandam Pontifex ſignificaſſet, per Ludovicum Madrucium Trid. Ep. Cardinalem, Cæſarem excitavit, ut in Comitiis, quæ V. Kal. Quintil. celebranda erant, promulgaret. Venienti *Madrutio* Cæſar obviam profectus ſcalas uſquè, dexteram obtulit, honoris ergò. Re ad comitia delatâ, obiecit *Vuilhelmus Haſſorum* Princeps, ſuperſtitione Lutheranus, *Anni, qui nunc ab omnibus obſervatur, rationem à Iulio Cæſare fuiſſe inſtitutam: dein Carolum M. Kalendarium ipſum, & nomina menſium linguâ Theutonicâ edidiſſe Germanis: propterea cavendum, ne Kalendarii emendandi prætextu, novum ius in ipſum Cæſarem, & Imperii maieſtatem ſibi Pontifex arroget*. Satisfecere plures Antiſtites, & præcipuè Iulius Ep. Herbipolẽſis: ſed rabidè latrantibus Hæreſiarchis adversùs Pontificis auctoritatem; Cæſar capitium tangens, hæreticorum verba animo intercidit excelſo, dicẽs, *Si*

Gregorius corrigit Kalendarium.

B

C

D

Si hoc eſſet Imperii diadema, & à me ſinè Apoſtolica fidei iniuriâ deferri non poſſet, deferre id nollē, abſciderem. Eodemquè rempore *Iacobum Palæologū* hæreticæ impietaris magiſtrum perenri ſibi tradi Legato, Cæſar conceſſir; Romamquè ipſe perductus ſupremo Fidei Tribunali iudicatus eſt. Rex interim Galliæ, cæteriq. Chriſtianorum Principes in Regnis ſnis Kalendarium admiſerunr, & edicto firmarunr, unà, & Romanum Martyrologium, quod operà Fabii Albergati expurgandum curavir.

Martyrologiũ expurgat.

Fœlix I. Papa inter Sanctos

Cum autem quæreretur, an *Fœlix II.* locum in eo, cum Cœlitibus babiturus eſſet? corpus eius in æde S. S. Coſmæ, & Damiani repertũ, inſcriptione ſcilicet notatum, ſanctitatem illius declaravit. Kalendarium univerſa laudavir Eccleſia.

Hieremias Patriarcha Cõſtantinopol. dona mittit Gregorio, Reliquias Sanctorum.

Hieremias Patriarcha Conſtanrinopolitanus non ſolùm ſubſcribere cum promiſiſſet, ſed Græcos, Ruthenos ad idem inclinare ſignificaſſet, ac in argumentum obſequii Gregorio dona miſiſſer egregia, inter quæ manum S. Andreæ Apoſtoli, Achaiæ tranſlato corpore relictam, & digitum S. Io: Chriſoſtomi, minimè implere potuit promiſſa, ſceleſti viri calumniâ vexatus, & in carcerem à Turcis coniectus ubi vitam poſuiſſet, ni Veneto intercedenre Oratore pœna capitis in mitiorem fuiſſer commurara, ita procurante Gregorio Rom. Pont. *Victorellus ex l. 12. Annal. Gregorii Bulengerus Hiſtor. l. 6. Chriſtophor. Clavius; Dionyſ. Petavius.*

Veritatem Gregoriani kalendarii celeberrimum demonſtrat Palarium Patavinum, cuius ſtructura Mathematicè eſt ita compoſita, ut bis in Anno per Solem à ſeneſtrà in feneſtram egredienrem poſſit quilibet demonſtratione oculari Æquinoctia cognoſcere Æſtivum, & Vernum.

Huius emendationis, memoriā nũmiſma ſervat, in quo caput Arietis cum ſtellis, figura Verni Æquinoctii, floribus adornatum (quod evenit, cum Sol eſt in ſigno Arietis; Serpens, qui in ſtemmate gentilitio huius Pontificis conſpicitur, in girum ductus, ſymbolum erar Æternitatis apud antiquos: ira Gregoriani kalendatii perpetuam ſignificat durarionem, ſub titulo, *Anno Reſtituto*.

Iaponiorum legatio ad Gregor. 13.

14. *Iaponia*. Regnante Gregorio XIII. Chriſti fidei in Iaponià propagantibus Ieſuitis; Rex Bungi Franciſcus filios, pleroſquè principes viros ſacro baptiſmare tingēdos curavit. Reges Arimæ, & Omuræ Chriſto ſacramentum dixere: & his nomina Andreæ indita, & Bartholomæi: Qui vt Regna Chriſto Domino offerrent per Vicarium ſuum, legationem adornarunt nobiliſſimam per duos adoleſcentes nobilitate, Chriſtianà pietate, modeſtiàquè inſignes *Mantium Iſum, & Michaelem Gingivum.* Ille Franciſci Regis Bungi; hic Protaſii Regis Arimæ, & Bartholomæi Principis Omuræ Legatus (Immò filii, vel nepotes, teſte *Poſſevino in Apparatu ſacro*) Eos ſervi pauci comirabantur *Martinus Fara, & Iulianus Nacaura*. Nullis antè ſæculis, ex iis regionibus legatus Romam acceſſerar. Maximam Oceani partem cum navigaſſent, ex Iapone enim ſolvenres An. 1582. die 20. Feb. navi Ignatii Linæ Luſitani ad portus Sinatum, indè ad auream Cherſoneſum, mox in Indiam, ex Indià in Luſitaniam (Anno 1584. Die X. Auguſti appulerunr, vbi à Cardinali *Alberto Auſtriaco*, in Hiſpanià à Rege Catholico, in Etrurià à Magno Duce, Romæ à Gregorio Anno 1585. die XXXIII. Martii; inſigni pompà recepri in aulà Regià, in publico Conſiſtorio literas Regum, & Principis reddidere Pontifici, ſacros Gregorii pedes ſuaviantes, obedientiam, & fidem Conſalvo perorante, pollicentes. Literas Latinè habes apud *Macantium*, Italicè ſcriptas in *Annalibus*, quorum Inſcriptiones, & ſuberiptiones fuere.

Inſcriptio epiſtolæ Regis Bungi. *Adorando, & Cæli Regis locum in terris obtinenti magno, & ſanctiſſimo Papa.*

Subſcriptio epiſtolæ. *Sanctiſſimis pedibus Beatitudinis Veſtræ ſubſtractus.*

Franciſcus Bungi Rex.

Inſcriptio ſecunda. *Reddatur epiſtola Magno illi, & Sancto Domino, quem adoro Dei vices gerentem.*

Subſcriptio. *Sanctitatis Veſtæ ſubnectitur calceis* D. *Protaſius.*

Inſcriptio terria. *Sublatis manibus adoramus, offero hac ſanctiſſimo Domino Papæ, Magni Dei Vices gerenti.*

Subſcriptio. *Ego* D. *Bartholomaus ſanctis eius pedibus humi ſubſtratus.*

Eà lætitià ſenex longævus in horum complexum ruere viſus eſt, arquè collachrymari, cum primas ex remotiſſimis horris Anripodum decerptas Deo fruges offerret; vt ex gaudio mortuus eſſe ſenex piiſſimus à quibuſdam merito ſir indicarus. *Brietius in Annal.* Huc facir nummiſma illud, in quo Petrus Evangelium cunctis nationibus annunriat, cum epigraphe. *In nationes gratia Spiritus Sancti*. Clarius in alio nummiſmate cum ſequenti inſcriptione. *Ab Regibus Iaponiorum Prima ad Romanum Pontificem legatio, & obedientia*. Simile habes in rabulà marmoreà in Capitolio poſita.

Ob paternam ergà omnes gentes Charitatem,
Quæ ex ultimis novi Orbis Inſulis
Iaponiorum Regum legatos trienni navigatione,
Ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ exhibendam,
Primum venientes,
Romam pro Pontificià dignitate excepit.

Rex eriam Cocini infidelitaris renebris obrutus, Luſitanorum amicus, Gregorii famà permorus, gratiam eius ambitiosè cupiens, legatum miſit, qui morbo impeditus, Vlyſſipone ſubſtirir, tranſmiſit literas quarum occaſione Gregorius, Regem ad veritatem Evangelicam amplectendam, ad veteres Chriſti fideles S. Thomę dictos, & recens in Indià converſos tuendos inflammavit. *Victorellus*

Gregorii 13. obitus. Religio.

15. *Obdormivit in Domino*. Mortis cauſa, vel gaudium ex Iaponicà legarione ſuſceptum; vel pituira fauces obſtruens, die 10. Aprilis Anno 1585. ferià 4. horà fermè 19. Romæ, in palario Vaticano, Anno ætatis 84. Pontificarus 12. Menſe 10. die 28. conſumpſir. Diſſimulaverat Gregorins per quatriduum febres, & catharrum, propterea cum die Martis è lecto ſurgeret, ut ſignaturæ, quam indixerar, intereſſer, animi deliquio correptus, lectulum repetere coactus, catharro in eum, piſculentorum eduliis, ex Quadrageſimæ obſervantià extenuatum, irruente, & calorem viralem ſuffocante, integris tamen ſenſibus, Extremæ Vnctionis ſacramento devotè ſuſcepto, quod Cardinalis S. Sixti adminiſtravir, teſte *Macantio*,ità interiit, ur priùs obitus, quàm morbus innoteſceret. Morbo afflictus antequàm ungeretur, cum fronti manum admovere non poſſet, ſignum

vo-


SECVRITAS POPVLI ROMANI
PROVIDENTIA
ROMA
RESTAVRAVIT
RESTAVRAVIT
ROMA
ROMA
ROMA
VIGILAT
ROMA.
IN LVMINE TVO CERNIMVS LVMEN.
PRO CVNCTIS
PELIA
VIATORVM SALVTI
VIATORVM SALVTI
S.P.Q.R
SVMMI PALATII CVBICVLA
AB REGIBVS. IAPONIOR PRIMA AD ROMA PONT LEGATIO ET. OBEDIENTIA 1585
S.P.Q.R OPTIMO PRINCIPI
FOELIX PRAESAGIVM

 GREGORII DECIMI TERTII PONT. MAX. MONVMENTVM.



Crucis iterabat in pectore, In coſtis, oculis in Cœlũ non ſemel defixis, dum oblinebatur, intermortuis vocibus fundebat preces, & fidei articulos profitebatur.

Fama eſt (teſte *Victorello*) integrum vitæ, & laudabili exemplo clarum Franciſcani Ordinis virum in Aracælano monaſterio decumbentem, & cum morte luctantem, eo momento, quo Gregorius migrabat è vitâ, amiſsis penè ſenſibus, repentè quaſi è gravi ſomno excitatum, manibus, oculis in Cœlum præ lætitiâ geſtientibus, dixiſſe adſtantibus: *Aſpicite Aſpicite Gregorii animã Angelorum miniſterio ad Beatorum ſedes evolantem, ô fœlicem animam.* Obſtupuerunt Religioſi adſtantes vix ſcientes Pontificem ægrotare: at ille eadem lætis vocibus repetens, mortales deſeruit. Cadaver ad Baſilicam S. Petri delatum, primâ nocte manſit in cubiculo, manè in Sixti ſacellum advectum ibiquè à pœnitentiariis Vaticanæ Baſilicæ cuſtoditũ, indè univerſi Cleri ſupplicatione in ſacellum Gregorianum delatum; in cuius extructione ipſe ultrà centum millia Ducatorum impenderat, & annuis proventibus ad ſacerdotum alimoniam dotaverat: tranſlato huc Gregorii Nazianzeni corpore, ex ſacrâ æde Græcarum Virginum. Ipſe uſq. in planitiem, Vaticani, ſacris reliquiis obuiam procedens, & in altare propriis manibus cum inſcriptione depoſuit An. 1580. illius particulâ in æde S. Mariæ Campi Martii relictâ.

Sepultura.

Sacellũ Gregorianum

Anno Sal. 1580. 3. Idus Iunii S. D. N. Greg. XIII. P. M. An. ſui Pontif. 9. B. Greg. Nazianzeni Ep. & Conf. cognomento Theologi corpus ab eccleſiâ Monaſterii Monialium S. Mariæ Campi Martii de Vrbe, ubi poſitum erat antiquitùs, comitante proceſſionaliter totius Vrbis Clero, cum S. P. Q. R. cæteriſquè Romanæ Curiæ Ordinibus, incredibili aliundè hominum concurſuque frequentiâ in hunc locum tranſtulit, appoſitâ ſigillo altaris argenteâ capſulâ, cum reliquiis, de velo B. M. V. de capite S. Io. P. P. & M. de humero ipſius S. Gregorii Nazianzeni, de mento S. Hieron. presby. & Conf. de capite S. Hippolythi M. de bracchio S. Gregorii P. P. I. de Bracchio S. Baſilii Ep. & Conf. item de ligno S. S. Crucis D. N. I. De reliquiis S. Bartholomæi Ap. de oſſibus S. Iuſtini M. & S. Chryſtoph. M. de reliquiis S. Luciæ V. & M. S. Sabinæ M. & S. Mennæ M.

Lamina argentea ibidem poſita.

Epitaphium eidem poſitum.

D. O. M.

D. Gregorio Cappadoci, Rhetorum, Philoſophorumquè ſtudiis eruditiſſimo, cognomento Theologo, primum Saſimorum, deinde Nazianzeno Epiſcopo, Hæreſum expugnatori, Conſtantinopolis præſidi, quâ dignitate depoſitâ, priſtinâquè Sede tandem relictâ, ruri Monachi vitam religione, & ſtudio coluit: compluribus ſapientiæ, & eloquentiæ editis monumentis, ſub Theodoſio Principe deceſſit; Cuius corpore humili loco iacente, Romam delato, in Campo Martio, ſub ſacrarum Virginum Græcarum cuſtodiâ condito, Gregorius XIII. Pont. M. in operoſum Vaticani Templi ſacellum Gregorianum à ſe ditiſſimè extructum, ampliſſimâ Populi Rom., omniumquè ſacrorum Ordinum ſupplicatione, venerationequè tranſlato, honoris, nominis, & pietatis causâ, ipſo honorificentiſſimè poſuit, dedicavitquè.

An. Sal. M. D. LXXX. 3. Id. Iunii

De hoc ſacello nummiſma habes pag. 327. Exēteratum in eo corpus Gregorii XIII. iacet, balſamo & aromatibus conditum, Pontificalibus rubei coloris indutum cum phanone, pallio, & mitrâ aureâ.

Sacelli Gregoriani nummus.

Mucant. Non defuerunt gemitibus, lachrimæ, encomia doctorum virorum Gregorium laudantia, præcipuè M. *Antonii Mureti*, qui teſte Ciaconio, orationem recitavit in funere; vel *Stephani Tucii* Ieſuitæ, ſi *Oldoino* fides. Eius obitum prædixerat *Thomas Golduellus* clericus Regularis, ac Epiſcopus Aſaphenſis in Anglia, vir ſingularis pietatis, exul ab Angliâ, Romæ morti proximus, ſpiritu afflatus divino, diſertè pronuntiavit, quòd intrà paucos dies Gregorius moreretur. Valebat tunc Gregorius, ac tamen ſeptimo à Golduelli obitu die ad ſuperos evolavit, ut ille prædixerat. Monumentum, quod erexit Card. *Hieronymus Boncompag.* habes in paginâ 327.

Oratio in funere Gregorii XIII. Obitus prædicitur.

16 *Vrbs loquitur linguâ marmoreâ* propter ſublata vectigalia, ornatum Capitolium; erectâ ſtatuâ marmoreâ in Capitolio cum inſcriptione ſequenti.

Tabula ſepulchralis.

Gregorio XIII. Pont. Max.

Ob farinæ vectigal ſublatum, Vrbem templis, & operibus magnificentiſſ. exornatam, H S. octingenties ſingulari beneficentiâ in egenos diſtributum ob ſeminaria exterarum nationum in Vrbe, ac toto penè Terrarum Orbe Religionis propagandæ causâ Inſtituta; ob paternam in omnes gentes charitatem, quâ ex ultimis novi Orbis Inſulis Iaponiorum Regum Legatos Triennii navigatione ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ exhibendam primum venientes Romam pro Pontificiâ dignitate accepit.

S. P. Q. R.

Alia etiam ſubſequitur Inſcriptio.

Gregorio XIII Pont. Max.

Opt. Principi Hugoni Boncompagno Bononienſi, qui per Ro. Magiſtratus, & Eccleſiaſticas dignitates Iuſtitiam, & Pietatem colens, ad Pontific. ſedem evectus, Vniverſam Remp. Chriſtianam ſummâ providentiâ, & charitate moderatur.

S. P. Q. R.

Nummi concordant; quorum alter *Capitolium* exhibet cum epigraphe: *Senatus Populuſq. Romanus.* Alius, in quo *Corona* cum lemmate, *Optimo Principi.* Alius, in quo Iuſtitia ſedet inter Pacem, & Abundantiam. *Iuſtitia pacem, pax copiam attulit.* Alius, in quo Virgo Deipara cum Ieſu infante, & Gregorium alloquente, *Paſce oves meas:* cum epigraphe. *Gregorio paſtori optimo paternâ charitate quieſcente.*

17. *Templis* à Gregorio exornatam Vrbem, tabula teſtatur marmorea ei in Capitolino poſita. Nũmiſma concordat, in quo legitur. *Monaſteriorum, Eccleſiarumquè fundatori, conſervatoriquè Card. Protect. Gubernator, & Confratres Domus Piæ. dic. 1582.* Pia domus, de qua hic mentio, ea eſt, quam Pius IV. ædificavit, ut in eâ mulieres admitterentur, quæ nuntium miſerant pudicitiæ, quam Gregorius pluribus affecit beneficiis.

Aliud habes, quod templum exhibet, cum epigraphe; *Vt famulum tuum Gregorium conſervare digneris*, & eſt templum, quod Tuſculi, (quò ſalubrioris auræ gratiâ libenter abibat, ad montem Porcium) pro re ſacrâ ruſticis faciendâ erexit, & S. Gregorio dicavit. An. 1582. Aliud habes, in quo Petri Baſilica, quam Gregorius maximè promovit, & ad faſtigium uſquè perduxit, præſertim cum ex advenarum largitionibus Anno Iubilæi erogatis, non mediocrem pe-

cuniæ ſummã huic operi impendendã collegiſſet. Stat A epigraphes. *Super hanc petram.* Aliud, in quo Vaticanum ſub titulo *Summi Palatii cubicula*.

18. *Horreis*, &c. de Horreis, pontibus per Gregoriũ extructis, vide ſuprà n. 11. Iunge pontem, quem in Vrbevetano territorio, ſuper flumen *Pelium*, publicæ commoditati conſtruxit, ſuoquè nomine *Gregorianum* nuncupavit An. 1580, cum epigraphe, *Viatorum ſaluti.* Geminum recurrit hoc nũmiſma; alterius in facie nomen fluminis eſt inſcriptum, *Pelia.* In altero depictum eſt bovis caput, quo pinguiſſima annuuntur paſcua, quibus in ripâ fluminis armenta paſcuntur.

Subiunge alterum nũmiſma, quod Draconem exhibet gentilitiũ Gregorii, in excelſis conſtitutum, omniũ ſe præbentem obtutibus, quòd univerſo Orbi beneficum ſe præbuit communis Pater. Vndè meritò B ſubſcribitur *Prò cunctis* à Cœlo datus. Inter ædificia ab eo conſtructa, Porticum recenſe S. Ruffinæ (ſeu ut Panvinio placet) ab æde proximâ S. Venantii dictam, quam laquearibus exornavit ligneis, ut eius ſtemmata proferunt gentilitia. Fontes in Circo Agonali, ad Pantheon, in Plateis Columnæ, Mattheiorũ, S. Mariæ de populo, & in plateâ Iudeorum. Palatium reſtauravit apud templum SS. Laurentio, & Damaſo ſacrum, ut ex inſcriptione ſequenti,

Gregorio XIII. Pontif. Max.

Huius palatii reſtauratori Anno 1582. *& Pontificatus ſui An.* X. *Alex. Riarius Cardin. Legatus Ampliſſ.*

Aſculani iure civitatis reſtituti, quo ſpoliati fuerant à *Pio IV.* ob cędem illatam Sixto Berio V. Legato Apoſt. æneũ ſimulachrũ erexere cum inſcriptione,

Gregorio XIII. Pont. Opt. Max.

Ob agri ditionẽ, priſtinamquè dignitatẽ Civibus reſtitutã. C

S. P. *Q. Aſc. erexit Anno* M. D. LXXVII

Ravennates etiam in Flaminiâ ad portã Gregorianã,

Gregorio XIII. Pont. Max.

Ob paludes in agro Ravennæ exſiccatas, Viam Æmiliam ad flumen Sapim uſquè munitam, Pontem, ac Portam hanc Gregorianam ſtructam, Aquas noxias Cervię coercitas, Salinas auctas, ac illius, & Cæſenatici Portus reparatos,

Io: Petrus Ghiſlerius Flaminiæ Præſes ad immortalitatem, beneficiiquè memoriam dedit,

Laudes eius, & vitã ſcripſere *Hilarius Coſteus*; *Stephanus Tuccius S. I. Hieronymus Beroardus*; *Poſſevinus in apparatu ſacro*; *Paulus* Bombinus; *Petrus Maphæus*; *Ciaconius*; *Andreas Victorellus*; *Neophylus Rodinus*; *M. Antonius Ciappius*; *Horat. Turſellinus*; *Io: Petrus Maffeus*; Antonius *Cicarella*; *Franciſcus Bencius*; *Guillelmus Lindanus*; *Laurentius Frizolius*; M. *Antonius* D *Muretus*; *Franc. Mucantius*. *Annales* M S. *Gregorii*; *Folieta*; *Opmerus*; Leo *Sanctius*; *Hier. Rubeus*; *Aſcanius*; *Valentinus*; *Gregorius Polydorus*; *Achilles Statius*; Angelus Rocca; *Ioannes Auratus* Poeta in Galliâ clarus anagramma verſibus illuſtratum ſequentibus, Gregorio tranſmiſit.

GREGORIVS DECIMVS TERTIVS.
DEI GREGIS SECVRI TVTOR SVM.

Donec Gregorius Decimus *tibi* Tertius *adſto*,
Non eſt cur timeas, parvulum ovile, lupos.
Nam ſi divino data Numine omina vertas;
Securi tutor *ſum* gregis *ipſe* Dei,

Pontificatum eius prædixiſſe dicitur S. Malachias Archiep. Armacanus, verbis illis: *Medium corpus pilarum.* Draco enim non integer ſtemma ei erat gentilitium; adiunctis pilis *Pii IV.* quas ſtemmati adiunxerat cum eſſet Cardinalis in honorem Pii, à quo creatus fuerat,

Scripta Gregorii XIII.

Epiſtolæ variæ ad Magnates. Alloquium ad Cardinales in primo Conſiſtorio habitum. Conſtitutiones variæ Eccleſiaſticæ Lugduni An. 1582. *Florentiæ* 1583 *&* 1586. *unà cum aliis Piorum IV. & V.* R. P. *editæ. Quadraginta ſex prodiere Romæ An.* 1579. Gregorii XIII. ſcripta.

Sacram Scripturam expurgavit undiquè conquiſitis exemplaribus, viris conquiſitis linguarum cognitione, & Theologiâ claris; undè nũmiſma, *In lumine tuo videbimus lumen.* Lumẽ illud ſcilicet, de quo pſalmiſta *Lucerna pedib° meis verbũ tuũ, & lumẽ ſemitis meis.*

Annibal Recchus edidit tractatum Viſitationum ad Breve Greg. 13. *de viſitandis Civitatibus, & Diœceſibus Patavinâ, & Vicentinâ,*

Eius declaratio ſuper Concordata nationis Germanicæ cum Sede Apoſtolicâ pro Eccleſiæ unione, & pace: edita eſt Coloniæ An. 1589. *&* 1590.

Eiuſdem Bulla mandato Archiep. Trevir. edita eſt An. 1586. *Sermo, qui* M.S. *aſſervabatur in bibliothecâ Ducis Piſauri. Eius Bullæ habentur apud omnes Collectores. Indictio Iubilei apud* Plantinum *Antuerp.* An. 1575. *Correctio Iuris Canonici Romæ, Venetiis, Pariſiis, Lugduni, Antuerpiæ. Kalendarium perpetuum prodiit cum apologiâ Chriſtophori Clavii. Literæ de Ordine Servorum B. V. apud Bzovium. An.* 1231.

Plures ad eum ſcripſere, vel inſcripſere lucubrationes ſuas, quos recitare ſuperfluum. Si quis deſiderat, eos legat apud Oldoinum,

Creavit Cardinales XXXIV.

De quibus ſuo loco ſcribam,

Vitam Gregori Symbolum Solis claudat cum epigraphe, *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius*, ob eius munificentiam cunctis collatam; vel ob dignitatẽ, & auctoritatem Pontificiam, à quâ nullus immunis. Quo ſenſu, aliud concordat nũmiſma, in quo ſerpens circumagitur ad modum circuli, cum epigraphe, *A quo, & ad quem.* Et aliud, in quo ſerpens ſuper firmam petram, ſub titulo: *Non commovebitur.* Cardinales ab eo creati.

Inſcriptio Gregorii XIII.

Apud Io: Bapt. Vrſum

Gregorius Pôtifex Romanus XIII. *dignitate muneris, Vno minor Deo. Altitudine animi, Summo ſublimior culmine. Merito* Beneficentię *Luce benignior, potentiorq; Sole. Ad ima pervadens Tartara, Beavit ſpoliato Acheronte Cœlũ. Nec ſeptem duntaxat illuxit Collibus, ſibi, ſuiſq; nitidus celerioribus, quàm Sol alter curſibus, amplioribuſq; receſſibus Meridię propiùs, ſeptemq; propiùs Triones luſtrãdis, illuſtrandiſquè animis, tot geminatis Romæ Solibus, quot Collegiis: nec ope fruſtratus, nec opera explicata inter Gẽtes, defensâ inter noſtrates Religione, accerſitis ex Iaponiâ uſq; Regibus retractis ad frugem, lucemq; Chriſti perduellibus, quæſito Europę otio, repetito cultu primævæ diſciplinæ, compoſito cũ Sole Anno, cum Annis ſæculo, cum ſæculis Ævo, collocato inter Aſtra Arcis Romanæ Cynoſurâ, Dracone ſapientis, Pii, benigni famâ nominis adhuc fovet, illuſtratquè Orbem Chriſtianum,*

SIXTUS QUINTUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXIX.



QVinque Reges, qui mandante Ioſue Hebræorum Duce, (*Ioſue* 10.) ex arbore pendent, ut iuſtitiam laudant *Sixti* V. Rom. Pontificis, qui vigore iuſtitiæ pacem Italiæ reddidit, & tranquillitatem, ita lenes arguunt, quorum otio, & pietate importunà vitia turgent, & ſcelera propagantur.

Eligitur Sal. An. 1585. die XII. Aprilis. Coronatur die Mercurii primà Maii. Obiit 27. Auguſti An. 1590. Cum ſediſset An. 5. Menſ 4. dies XIV. Vacat Sedes uſq. ad diem 17. Kal. Octob.

ELOGIUM.

Anni Sal. Six 1585. 1r

FActo, vel Fato fęlix homo contingat; A
Villici nè vileſcant.
Inſtat omnibus Sydus Virtutis.
In cryptis natus *Fælix* [1] *Perrettus*
Ter ſibi promiſſam in Baptiſmate fœlicitatem
Auſpice Myſtà, Infante, Patrino
Qui omnes vocabatur *Fælices*
Fœlix eſſe potuit, quia debuit, & quia voluit.
Ex domo deſcendens illuſtri,
Quæ paſſim detecta Solis radiis illuſtrabatur,

Umbrã removit vanitatis, vel admovit dignitatis,
Quam iocando meditabatur.
In pratis Aſculanis errãti, & interrogãti Fortunæ
Quò pergeret, Reſpondit:
Etiam in Cælum ad conſequendam virtutem.
Michaele [2] Duce, inter ſodales receptus S. Frãciſci
Suis, ſuibuſquè relictis,
Diem [3] benedixit, quà pedes nobilitavit;
Quià calceos induit.
Brevi magiſter, & Concionator

Anni Sal. Six 1585. 1r Sixtus V. ex patre bubulco

Anni Sal. Six

Magiſterium ſortitus, ubi alii tyrocinium,
Ancipitem habuit in ore gladium;
Undè *Importunus* [4] diceretur inter doctores.
Præſtat quandoquè inſoleſcere;
Vt virtus extorqueat, quod ei iniuſtè negatur,
Gradus emenſus honoris, ſed pretio ſanguinis,
E D, Franciſci cinere elatus ad purpuram,
Pium V. [5] habuit promotorē Pōtificē Sanctū,
Non alius auſiſset laudare iuſtitiam Sixti.
Citrà invidiam in aulà conſenuit,
Quia mortē ſuorum ſcivit ſuſtinere patienter,
Ità ſimulatione, [7] vel diſſimulatione
Cum Petram tenuit, ſcipionem proiecit;
Quo incedebat innixus;
1585.1 Firmiùs adhęrēs lapidi, quā ligno, caput erexit:
(Cum anteà defixo incederet in terrà lumine)
Repertis clavibus, quas perquirebat.
Fluctuarunt Patres, cū viderunt ſtare Pontificē;
Ac quaſi vitioſa repetere volentes ſuffragia,
Repreſsi gravitate iudicis, maieſtate Pontificis,
Cęperūt timere Maximū, quē crediderāt Minimū,
Dum ille grates Deo ageret,
Qui ſolus vota prænſaverat.
Siſcitanti, *An reciperet Pontificatum?* inquit:
Recipere non poſsumus, quod iam recepimus,
Baſilicā ingredieti canentes occurrère Canonici
Eccè Sacerdos Magnus;
Qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuētus eſt iuſtus,
Poſtulanti Populo *Panem*, atquè *Iuſtitiam*:
Altà voce repoſuit:
Annonam ex gratià, Iuſtitiam dabimus ex naturà.
A Patribus vocatus ad quietem
Credens: *In labore Requiem.*
Replicanti: *Heri aliter fuiſse loquutum*: repoſuit:
Heri, & nudius tertius haud eram Papa. (ſtes
Hic manu forsàn graviore aptāti *Ruſticucio* ve-
Improveravit
Importunam cum Pontifice familiaritatem.
Aulæa aulicis diſponentibus, dirigentibus
Quieſcite (inquit) *nos ſatis ad imperium.*
Sex Cardinales cum invitaſſet ad cœnam;
Pro lautitiis concionem aptavit acerbam,
De Petri Primatu:
Cui ſoli datæ ſunt Claves.
Redargutus antè electionē exegiſse adiutores;
Sanè diximus, & nunc revocamus.
Pontificatum ſi dediſtis ad uſuram:
Nos proteſtamur, accepiſse gratis.
Die coronatur [8] Mercurii;
Quo homo, Monachus, Epiſcopus, Cardinalis, Papa,
Exuto Fœlicis nomine, in Sixtum abiit
Rempublicam non ſeipſum volens fœlicem
Iuſtitiam [9] reſtituit errantem,
A quà nunquàm aberravit.

A Proteſtatus veniſſe nō pacē mittere, ſed gladiū — Anni Sal. Six
Scelera cœpit inquirere etiam præterita.
Et mortem Nepotis,
Quam Cardinalis neglexerat, Papa punivit
Excuſanti Cardinali S. Sixti;
Leniter actum cum ſicariis vivente Gregorio,
Quia iuſtitiam nemo quæreret; reſpondit;
Iuſtitiam non exercendam in gratiam Hominum,
Vltionē à cognatis indultam propter Euangelium;
Nunc exigi à Principe propter naturam
Graſſatorū ſecuris eam attulit Urbi ſecuritatē,
Vt plenus cantaret coràm latrone viator.
In vicinia confugientibus ſicariis magno Principum clamore
Mandavit;
B *Vrbes dimitterent, quas cuſtodire neſciebant.*
Quòd eas ipſe securè præſtaret.
Galli [10] Borbonii cum defeciſſent à Petro
Gladium exercuit Petrus in Gallum.
Navarræus [11] iſte, qui fidē poſteà profeſſus Romanam
Servandam poſteris tranſmiſit incorruptam.
Evangeliū Sixtus promovens non Imperium,
Se ſe ultrò dedentes reiecit Maſſilienſes:
Securus expectans Regem ad pęnitentiam.
Maius ab Eliſabethà Angliæ diſcrimen,
A quà tandem Maria [12] Scotiæ mortem accepit,
Ut ſub Diocletiano Martyres, tria poſtulans:
Catholicè ſepeliri; mori corā domeſticis; hos liberos dimitti
Ad ſuppliciū cōptiùs cōparata, quā ad nuptias,
C Cum Cruce, & Roſario venit ad Martyrium.
In Eliſabetham Philippum [13] excitavit Sixtus
Qui claſſe *Invincibili* cētū, & quadraginta naviū
Habuit primò decertare cum Ventis
A quibus diſiecta *Venit, Vidit, Fugit.* (co 1588.4
Cladē ſuſcepit *Hiſpanus* more ſuo, ideſt *Catholi-*
Gratias agendo Chriſto,
Qui magis de Martyribus gaudet, quā de victorià.
Ruinam tamen Deus reparavit in [14] Sarmatis
Dato Rege Sigiſmundo III.
Qui adhuc puer monitus
Religionem amiſsurus Catholicam, vel Regnum;
Vitam etiam, reſpondit intrepidus.
Non aliter reſpondere valebat
D *Qui erat propugnaculum futurum Chriſtianitatis.* 1589.5
Orbe pacato Urbem reſpexit,
Laterani [15] Vaticaniquè mole adauctà
Ædificiis, [17] Xenodochiis, [18] Obeliſcis, [19]
Aquæductibus [20] Legibus irrigavit,
Quæ ſi nō ultrà ſydera ſurgerēt, nō citrà nubes.
Et ex Cæſarum urnis reſurgeret Phænix Vrbiū.
Typos appoſuit:
Nè deeſſet in quo Faſtos ſervares
Bibliothecam [22] collegit
Cuius vel muta volumina Sixtum reſonant
Regnare tamē veriùs cœpit in æternitate
Cum

Anni Sal. 1Six

Cum Annos natus Septuaginta
V. Kal. Septemb deſiit eſſe [23] Mortalis.
Fœlicitatem ut impleret, in Virgine obiit.
Affinib⁹ [24] etiā ditatis, ſed citrà damnū Eccleſiæ
Theſauriſq relictis in arce [25] Angeli, nōarcà hominis
In eius ſtatuam ſævire Invidia tentavit,

A

Vt monumentum everteret eius,
Qui omnibus monumenta reliquerat.
Aureo tamen Capiti aureas fuiſſe manus
Fatearis oportet
Cum pater miſertus patriæ
Liberos non à fame liberos annonà liberavit.

ADNOTATIONES IN SIXTO V. PONT. ROM. CCXXIX

Sixti V. natalia.

1. F*oelix Peretus* filius *Franciſci Peretti de Montealto*, & *Marianæ de Camerino*, cognomento *Gabanæ*, in oppido *Cupri* ad litus Maris Superi, in Picæno, Anno 1521. die XIII. Decēb. Divæ Luciæ ſacrà. Nomen habuit in baptiſmate *Fœlicis*, vt etiam *Fœlix* appellabantur ſacerdos, & patrinus. Ruſticos, & Villaticos habuiſſe genitores (notant *Bulenger. hiſtor. l:6.* & *Spondanus*) nè infimæ conditionis homines dignitatem deſperent, & munera, dummodò aſpirent ad virtutem. In tenui natus fortunà, & domo clariſſimà, quam vndiquè diſcopertam tecto, Sol irradiabat (vt ipſe Fœlix gloriabatur) cœpit inſtigante naturà, alta meditari, & animum iocando exprimere futurum. Patre iubente in famulitium alienæ adſcriptus familiæ, & à Domino cuſtos deſignatus porcorum, ægre ferens ville ſervitium; ſi perſonas honeſtas cōtingebat aliquādò vel à lōgè reſpicere, deſerto grege, ad eas accurrebat, vt vel oculis animū recrearet. Patrià *Firmanū* Firmani volunt; quòd natū in Grotarū Caſtello Firmanę Iuriſdictionis. Eccleſiam hanc cū ſex Annos rexiſſet, Papa dictus in Metropolim erexit; atquè in eà iam olim à Bonifacio VIII. Vniverſale diſciplinarum domicilium inſtitutum inſtauravit An. 1589. Montaltum porrò Sixtus ſuum fuiſſe declaravit natale ſolum, quod iure Civitatis donavit, & Eccleſiam Collegiatam S. Mariæ, quam nobili ſtructurà ædificandam acceperat, in Cathedralem erexit (cuſo diplomate, quod legere eſt apud Vghellium *to. 2. Italiæ ſacræ*) ac pretioſis, ſacriſquè muneribus ditavit. Decem Annorum puer erat, cùm videns

Inopia domeſtica.

Currit in obſequium Selleri Minoritæ.

2. *Michaelem, &c. Sellerū* Minoritā Conventualē in pratis Aſculanis, accurrens illicò officii gratià, vt ſemitam monſtraret erranti; admiranti Minoritæ præſtantiam pueri, & interroganti, an vellet deſcendere Aſculum? reſpondit conſtanter, *paratum eſſe etiam ad Cœlos conſcendere ad conſequendam virtutem.* Interrogāti denuò, *an votum ei arrideret Monaſticum?* affirmavit. Obiicienti Monachatus incommoda, cilicium, diſciplinas, ieiunia, obedientiam? repoſuit, *animum ſibi nec vires deficere, ut vel purgatoria toleraret: dummodò foret virtus pretium laboris.* Suſpicatus tunc *Sellerus* puerum ex alto vocari; remiſit vt poſt cuſtoditum gregem, Aſculum rediret, vbi in cœnobio S. Franciſci erat *Sellerus* concionator futurus. Negavit puer ab eo ſecedere; proptereà grege relicto unà pergentes, cum veniſſent in cœnobium, non ſinè admiratione recepti, quòd concionator exēplaris talem ſocium duceret in comitatu. Quievere tamen Fratres auditā narratione, & puero ſuprà ętatem ſatisfacienti: præcipuè cum ab eius patrę cognoverunt non fugitivum puerum, ſed ab exordio nativitatis Religioni devotum. Facilè etiam annuère parentes geminà adhuc prole gravati, ut familiam ſublevarent. Die 9. Februarii A. 1531. receptus inter *Oblatos*, habitum induit S. Franciſci, ſolitus poſteà

Habitū ſuſcepit

3 *Diē* illā benedicere, quà nobilitaverat pedes ſuos, ideſt induerat calceos, quos iactabatur, iocando, *ab Angelo recepiſſe*; nam pecunià *F. Angeli Selleri* calceos ſibi comparaverat. Suprà biennium inſumpſit inter *Oblatos* non ſinè fruge pietatis, & uſu linguæ Latinę, B quà Philoſophiæ ſtudioſis præcellebat. 25. Septemb. An. 1534. diſcrimen Novitiatus ingreſſus; primà Novemb. An. 1535. Ætatis decimo quarto, votum ſolvit Religionis. Ab illà die excelſum animum occultare negligens, cum gemino ſacro interfuiſſet, in commemoratione omnium defunctorū; iuſſus à ſacriſtà etiam tertio deſervire, negavit; quòd *Novitius amplius non eſſet*; vociferante Sacriſtà, *caudā erexiſſe ſubulcum*, inſtigante naturà, ſales eructabat, ut ſenem diceres..... Eodem namquè Anno cum Anglià apoſtataſſet: Carolus verò V. Tunetum in Affricà expugnaſſet; hacquè de causà Minores triumphum agentes, Eccleſiam exornarent; accidit, quòd Fęlix è ſcalà cecidit, improperans ei, qui feſtum imperaverat, dicens: *Mira quidem res. Lætatur Pontifex, Carolum expugnaſſe Tunetum, ubi nihil eſt Papa. Nec plangit Angliam amiſſam, ubi erat Papa.* C Monaſterium occupaſſent Anabaptiſtæ, duce *Ioanne Leidenſi* olim porcario in Gallià; ac cum tantæ ſeditionis rumor ubiquè pervagaret, improperante quodam Minorità, ſermonem haberi de conſanguineo P. Felicis; reſpondit iſte. *Mihi coniungitur uti ſubulcus; tibi ut Hæreticus.* Hiſce acuminibus tantam ſibi excitavit invidiam, ut ſæpè cœnobia mutare coactus fuerit & Vrbes. Anconam digreſſus, Anno 1539. publicas theſes expoſuit, eoquè ardore propugnavit, & plauſu; ut reliqui ſtudioſi præ pudore convenire erubeſcerent, & in excuſationem ruboris, Fęlicem arguerent; tumidum, & importunum. Quibus in vindictam reſpondebat Fęlix. *Ego*

Incumbit grāmaticæ.

Sales & dicta no tabi...a.

Odioſus fratribus

Theſes propugnat.

4. *Importunus quidem inter Doctores. Vos mites inter bruta.* Condiſcipulis cum occurreret: hæc erat ſalutatio. *Vis diſputare mecum.* Ex adverſo coniurati ſtudioſi, in choro, vel in templo, voce ſalutantes ſubulcà *Grù, Grù*, ad natalia revocabant, ut eorum re- D cordatione non ſuperbiret. Ad ſuperiorem appellavit Fęlix, ſed in caſſum: undè coactus verba verberibus vindicare, nepotem ſuperioris, baculo percuſſum in capite, quaſi peremit. Meritò proptereà flagellatione coercitus, cum non ardorem remitteret; undè Oſimum relegatus humanitatis, atquè officii ſtudio fratres ità ſibi devinxit, ut invidiam purgaret præteritam. Socius delectus Cœnobiarchæ, ut Lucam deſcenderet; quo convenire volebant Pontifex, & Imperator, cęteris contradicentibus, qui hanc occaſionem captabant: reſpondebat: *Tiaram Pontificiam meditatum pergere: An ſibi aptari poſſet?* Lucæ triduò moratus, cum aulicorum ſemper ſciſcitaretur arcana, interrogatus, *An forsàn vellet eſſe Papa?* reſpondit:

Monachum verberat.

Alta cogitat.

Inep-

Inepta quidem ętas, non vires, nec animus. Otio marceſcentem Montaltum Dæmon famæ illecebris, ac exiſtimatinnis palpans futuræ, interprete fratre *Gallinà* profeſſione *Servitâ*, qui A. 1542. apoſtatavit, tētavit ultrà Montes trahere, ubi in vindictam Ordinis Regularis, in quo Virtus preſſa iacebat, potuiſſet lucro, & gloriâ oſtentare labores. Inſidias prævidens Montaltus, adversùs adulterinos ſyrenarum modulos, cœpit fortiſſimis argumentis retrahere. At eum Ethiopem lavaret, Vale dicto, in cœnobium rediit, Priori arcana pandens magnâ eum laude ſuæ fortitudinis, atquè cooſtantiæ. Eſt, qui malignè calumniando, Montaltum inconſtantiæ accuſet, quòd tædio vitæ monaſticæ pœnituerit non apoſtataſſe; quaſi non ſemper pateant Inferorum portæ declinare volenti. Merito religioſæ conſtantiæ, habitationē ſortitus liberè deligēdam; Anconā ſibi legit, ut iterū adoraret Chriſti Vicarium Anconæ ſubſiſtentem: ubi Anno 1543. primam concionem ſubiit, magnâ Prælatorum frequentiâ. Præmonitus à cęnobiarchâ in eo munere præclarè ſe gerere, quòd futuri auditores eſſens non tam cives, quàm familiares Pontificis, reſpondit: *Maiori cum laude adminiſtrarem, ſi ipſum crederem Pontificem adfuturum.* Et ſanè eâ facundiâ, ac pietate peroravit, ut magni ingenii Prælatus dixerit. *Si Pontifex eſſem, tè nunc dicerem Cardinalem.* Vrbini (quò in pœnam ſuperbiæ, ac carminis famoſi contrà ſeniorem Magiſtrum prolati, fuerat relegatus) inter diſputantes Auguſtinianos primas retulit, quamvis & ibi non ſinè iurgio adversùs fratres; undè ad ſacerdotium promoveri prohibitus uſquè in Iunium Anni 1545. quo tempore ſacerdos initiatus Miſſam celebravit die Viſitationis Deiparæ. Anno 1546. Dominica 1. Maii, concione habitâ in Eccleſiâ S. Franciſci contrà Lutherum, qui ad Inferos deſcenderat die 15. Feb. non ſolùm in hæreſiarcham, ſed in ipſum S. Auguſtini Ordinem, ex quo exierat apoſtata, inhoneſtè loquutus; Auguſtinianos concitavit, quibus ſatisfacere iuſſus, eâ arte Pontificis mandata complevit, ut victor potiùs, quàm victus receptui canere videretur. Lauream cùm peteret Doctoralem, iniquè repulſam paſſus; brevi iniuriam gloriâ vindicavit maiore. Cùm enim in Generali Capitulo eſſent exponendæ theſes, nec aptior propugnator appareret *Montalto* (à patriâ ſic eum appellabant) iuſſus onus ſubire, renuit, ni priùs Magiſter diceretur, gloriâ majore, & vindictâ non inutili extorquens quod pretio virtutis conſequi non potuerat. Theſes cum dedicaſſet *Rudolpho Pio Cardinali Carpenſi*, litē movit de præcedentiâ adversùs alium magiſtrum, cui quamvis ſeniori præferri ſtudebat, quòd natu Eccleſiæ ſubditus: Capitulum autem foret celebrandū Aſſiſii, & quià theſes eſſent dedicatę Cardinali patrono. Succubuit tamen gradu, non doctrinâ; licèt à viris tentatus præclariſſimis, plaudente Cardinali, qui in cænâ eum voluit commenſalem. Exordium hoc fœlicitatis (ſuffragante *Sigiſmundo Boſio*, Cardinalis ſecretario Montalti) licèt cum fratribus ſemper diſcors, præcipuè miniſtro Provinciali, quem ob lecturam Aſculanam ſibi denegatam clàm accuſaverat apud Generalem. Hinc Provincialis, occaſionem quærens vindictæ, invenit facilè, inſtructâ quæſtione de vitâ, & moribus Montalti. Accuſabatur convicia protuliſſe adversùs Miniſtrum, eleemoſinas afraudaſſe Miſſarum, inſcio Priore, exiiſſe clauſtro, Horas non recitaſſe Canonicas, violaſſe ieiunia, verba feciſſe inhoneſta, ſæculares in cellam introduxiſſe invito Provinciali, qui ſub pęnâ anathematis hoc interdixerat; Montaltus, cum priùs unum ex exploratoribus baculo repreſſiſſet, ſervato poſteà ordine iudiciario querelas ita diſiecit; ut iudex delegatus nō habens, cur Montaltum damnaret, Recinetum relegaverit, potiùs ut Provinciali ſatisfaceret, quàm iuſtitię. Suos ex adverſo Montaltus urgebat ſucceſſus, ſequeſtre *Boſio*, quo intercedente, *Regens* declaratus Studiorum à Generali, Romam venit, Anno Iubilęi 1550. pietatis prętextu, ſtrepente Provinciali, & Mōtaltum accuſante tumidum, loquacem, incorrigibilem. Hinc in alienam coactus tranſmigrare provinciam, Senis ex mandato Generalis ſtudiis præfuit, ubi An. 1550. totâ Quadrageſimâ laudabiliter prædicavit verbum Domini. Sic Camerini Anno 1551. Romæ An. 1552. in Eccleſiâ S. S. Apoſtolorum, ubi frequenter convenientibus Cardinalibus, *De Prædeſtinatione* tam piè, & ſubtiliter veritatem explanavit Evangelicam, ut commoti hæreſiarchæ, per ſcripturam ei clàm miſſam, conarentur inſultare, mendacē accuſando, fremētibus purpuratis Inquiſitionis, à quibus excitatus Cōmiſſarius *F. Michael Ghiſlerius* venit ad Montaltō novo fortunæ incremento; eius namq; conſuetudine illectus *ſermonem Montalti ſuas dicebat delicias*: dictuſq; Papa nomine *Pii* 5. Mōtaltū aſſūpſit in Cardinalē. Peruſii ſolummodò non benè audiit; incertâ cauſâ: diffidens à Priori, in quem ex ſacro ſuggeſtu inter fabulas declamare auſus, punitus eſt piæ largitionis ſpolio. Neapolim miſſus Studiorum Rector, vel diſſidia coleret, vel diſſimulare neſciret, odioſus cōfratribus iudicium ſubiit, quia invito Priore *de Prædeſtinatione* voluiſſet habere ſermonem. An. 1554. concione recurrente iam dictâ de Prædeſtinatione, cum ardore Evangelico *Thomam* diffamaſſet *Cromerum Archiep. Cantuarienſem*, quem apoſtatam Eccleſia flammis abſumpſerat, à Priore reprehenſus, eumdem Priorem tanquàm ſuſpectum hæreſis accuſavit apud Romana ſubſellia. Hinc renovatâ gravi perſecutione, audiendis Confeſſionibus primò remotus; indè rumoribus vexatus adversùs duas conciones, quas alternante fortunâ cum plauſu dixerat, ſed gravi notâ typis vulgaverat; ut inſidias declinaret, Romam venit veniâ non impetratâ, Generali indignante. Tot inter anguſtias penè deſperatus, habitum monachalem meditabatur exuere; niſi *Cardinalis Carpius* apertè reclamaſſet. Ad deſperationem urgebant fratres, in porcos eum remittendo, ut indignum ſocietate religioſâ. Cum eccè ſpe rerum novarum occaſio lactavit. Philoſophię interpres delectus à M. *Anton. Columnâ* (brevi Cardinali futuro) quo in ſtatu non defuturi videbantur amici, fortunâ mendaci intercedentibus Columnēſibus, & Carpio Cardinali, fruſtrà Provinciale prenſat Miniſterium. Horum tamen officia nè Generalis videretur planè deſerere, Montaltum concionatorem apud Ianuenſes deſtinavit pro An. 1555. Sed gratiam non referente Montalto, immò contra Generalem muſſitante quaſi ex Ianuenſi concione Religio ei teneretur, non ipſe Religioni; certior factus Generalis ab exploratoribus, qui inter Monachos etiam ſinè mercede ſemper exuberant, oblitterato Montalto alium ſubſtituit apud Ia-

In Religione conſtantia.

Cogitur retractare.

A laureà repulſus.

Cur Montaltus dictus.

Magiſterium extorquet pretio virtutis. Theſes defendit in comitiis Generalibus.

Accuſationes contrà Montaltum.

Amicus F. Michaelis Ghiſlerii.

Novum diſſidiū Neapoli.

Cogitat habitū dimittere.

Ianuæ Concionator.

Ianuenſes concionatorem furrum, licèt *Carpio* intercedente reconciliatus in locum priſtinum reſtitutus cum Ianuam veniſſet, à frattibus propter domicilium diſcors: donec inclinante Quadrageſimà, auditorum frequentià nobilitatus, eos ità ſibi conciliarit, quòd aurà, & auro plenus receſſerit. Dies 23. Martii adveſperante Sabbatho cognità morte Iulii III. Dominicà ſubſequente (quę *de quinquè panibus* dicitur, *& duobus piſcibus*) luctum Eccleſiæ cum miraculo concordans Evangelico ſummà cum laude perorave: vt indè affluente populorum frequentià contignationes erigerent, vt eum audirent per feneſtras. Conciones typis dare rogatus, renuit; ne vulnera refricaret Neapolitana. Romam reverſus plures conciones habuit in templo S.S. Apoſtolorum, adſtãte *Io: Petro Cardinali Caraffà*, qui poſteà creatus *Paulus* IV. Montaltũ Venetias legavit Commiſſarium S. Inquiſitionis, promoventibus Cardinali *Carpio*, & *F. Michaele Ghiſlerio*, quò etiam Studiorum director fuerat deſtinatus à Generali. Bononià pertraſiens, Prioris diſſidia cum ſubditis componere iuxtà Generalis mandata, æquo iure tentavit primùm: renuentes relegavit, carcere vinxit, officiis, & commendarionibus præteritis Comitis *Populi*, cui reſpondit; *Laicorum non eſſe, ſacris ſe immiſcere*. Minantem Comitem, & denunciantem vitæ periculum, deſpexit: Maiori diſcrimine Venetiis tribunal aperuit. Adversùs Monacũ inſtructo iudicio, cũ Fratres vocaſſet ad dicẽdũ teſtimonium, nullus autem eorum reſpondere dignaretur; cœpit in eos anathema meditari. Cum Monachis conſpirabant bibliopolæ librorum causà prohibitorum, urgentes removeri *Montaltum*. Animum ei quantum addiderat electio *Ghiſlerii* in Cardinalem, tantum ademit obitus *Pauli Quarti* R. P. diffidens Sede vacante Romanà, Venetiis poſſe tutò conſiſtere lubens abiit: indignante *Ghiſlerio* Cardinali Alexandrino, quaſi remoto Montalto dignitas viléſceret S. Inquiſitionis. Creato itaq. *Pio IV.* quaſi in redemptionem Iuriſdictionis, Venetias remiſſus, iterum à cœnobiarchis accuſatus irridere Senatum; cum neq. *Senatus* vocem pronunriaſſet, monitus pacem ſervare, ſe fugà ſubduxit, neſcio timoris causà, vel obedientiæ ergà Decemviros, à quibus iuſſum abire ſcribit *Andreas Maurocenus l. 13. Hiſtor. Venet.* Romæ reſtitutus (procurantibus Cardinalibus *Carpio*, & *Alexandrino*) inter Conſultores admiſſus S. Inquiſitionis, æmulos iterum ſortitus ſuos cœnobiarchas, nunquàm cœnam impetravit, vel hoſpitium. Omnia tamen abundè ſubminiſtravit *F. Gaſpar Neapolitanus* Ordinis Procurator Generalis, qui Montaltum prævidebat ſucceſſorem ſuum. Eà cum laboraret ſamà rigoris; conſiliarius aſſumptus in iudicio criminali contrà *Carolum*, & *Alphonſum Caraffas* Cardinales S. R. E. nec non contrà Ducem Paliani, alioſquè Principes, quos omnes Magiſtratus damnavit capite; interrogatus an profuiſſet, vel male feciſſet? reſpondit: *Grave quidem fuit damnatorum ſupplicium, novem menſium carcer; Ego ſi Papa eſſem, novemdialibus abſolviſſem.* Mortuis interim Ordinis Generali, & Procuratore Generali, huic Montaltus ſubſtituitur An. 1561: vota Cardinali *Carpio* extorquente potiùs, quàm deprecante. Illi ſubrogatus *Accoſta* Montalto ſemper infeſtus, cum bona defuncti adire titulo vellet hæreditario; negante Montalto ut in communem utilitatem diſtribuerẽtur, vindictę cupidus, nonnullis corruptis, qui Montaltum accuſarent tyrannidis, & ſimoniæ: ſocium eius præcipuè concitavit (Bacalaureus iſte, eiquè à ſecretis) qui cum contubernalem, & dominum maledictis oneraret graviſſimis, alapà à Montalto correptus, omnium penè excitavit invidiam; ipſo indignante Cardinale *Borromæo*; Iudicante tamen Cardinali Carpio, calumniarum Montaltum, exilio, & carcere mulctatus eſt calumniator. Conſequitur indè obitus Cardinalis Carpii, quem Montaltus luxit ſpatio octo dierum, eo angore, & ſollicitudine, ut Cardinalis Alexandrinus exemplo excitatus ſincerę amicitiæ, dixerit; *ſe amore non diſſimili teneri Montaltum diligere*. Celebrandis exequiis ab Accoſtà adeſſe prohibitus ad Pontificem appellavit. Augebat diſſidia lex impoſita per Montaltum omnibus Provincialibus, canendi Miſſam pro requie Cardinalis defuncti; querente *Accoſtà* turbari iuriſdictionem ſuam, & per interpretem admonente Montaltum, nè inpoſterùm alienum uſurparet officium. Cui Montaltus: *Officium non ignoro; & pædagogo non indigeo.* Vires augebat electio M. *Antonii Columnæ* in Cardinalem, cui in philoſophicis diſciplinis præceptor fuerat: die namq. inaugurationis ſuæ gratulantem Montaltum rependerat memorià diſciplinæ præteritæ, & gratitudinis fideiuſſione futuræ. Generale interim publicatum Capitulum Florentiæ celebrandum Anno 1564. cui diſſuadente Cardinale Alexandrino, intereſſe voluit, ſed plenus pudore, & ignominià. *Accoſtà* namquè inſidias ſtruente inauditum, & indefenſum munere expoliarunt Procuratoris Ordinis, ſubrogato *Thomà Varaſe* familiari, & olim præceptore *Cardinalis Borromæi* (qui tunc vices gerebat Pontificis) ut ſic præcluderetur appellatio. Nec contenti eum etiã carceri mancipare meditarentur *Montaltum*, ſe fugà ſubducto, ad Pontificem provocavit, patrocinante *Alexandrino*, & *Columnà* Cardinalibus, ſed in caſſum. Cognità tamen *Borromæus* iniurià illatà Montalto, vir rectus, & iuſtus ad ſe vocato ſincerè promiſit, ſe brevi reparaturum iacturam præmio maiore. Nec defuit promiſſis. Eo namquè intercedente, in Theologum, & Conſultorem S. Officii aſſumptus ab *Hugone Boncompagno* ad Hiſpanos Legato, Romà receſſit cadente Auguſto Anni 1565. Convenere in hac legatione tres futuri Pontifices, *Boncompagnus* nomine *Gregorii XIII. Montaltus* futurus *Sixtus V*, & *Io: Bapt. Caſtanea* Legatus ordinarius ad Hiſpanos, qui poſteà *Vrbanus VII.* Fuit Montaltus Legato non inutilis ob ſamam virtutis. Oratores Flandri, qui ad Regem venerant pro revocando tribunali S. Inquiſitionis, illecti dulcedine colloquii dixerunt: *Vtinam ſoltas centum Monacos Flandria ſimiles haberet Montalto.*

5. *Pium V.* Nuntiatur interim ob mortem Pii IV. *Pii V.* ſucceſſio, & ab hoc electio Montalti in Generalem Ordinis, cui Boncompagnus: *Non ampliùs poſſumus convenire. Subditus enim iter habeo. Tu autem quocumquè pergas, ſuperior.* Separati tamen Montaltus tenuit, donec Romam redeuntem comitaretur Cardinalem: vel ullibi iuriſdictionem exercere, priuſquàm pedes oſcularetur Pontificis. Romam reverſum pęnè cum triumpho poſt pedis oſculum Pontifex recepit inter amplexus. Indè dimiſſus

Margin notes: Inquiſitor S. Fidei Venetiis. — Venetiis abire iuſſus. — Procurator Generalis Ordinis. — Eius diſſidium cum Accoſta Generali. — Affligitur Montaltus ob mortem Carpii. — Spoliatur officio Procuratoris. — Hiſpaniam petit.

ſus ad luſtrandum Orbem, quinquè Menſibus Marchiā viſitavit, Vmbriā, Hetruriā, Romanā provinciā juſtitiā cæcā. Novem enim Monachos intrà biennium damnavit ad triremes. Rigidum quamvis declamarent: nemo tamen accuſavit iniuſtum, vel vindicem iniuriæ privatæ. Solo damnatorum exemplo exterruiſſe dicitur, immò proſtraſſe inimicos ſuos. Adversùs magnates iudicia eius. Guardianus Firmi triremium timore munus reſignavit. Provincialem Hetruriæ M. Guillelmum Florentinum, qui officium pretio redemerat, depoſuit, & *Coſmo Hetruriæ Principe* vix reſtituit intercedente. Innumera alia rigoris exempla unà cum epiſtolis Fratrum adversùs eum protulit Cardinalis Borromęus Protector Religionis corā Pontifice, qui peccanti non corrigenti ſeveritatem conferens; Romæ Montaltum ſubſiſtere iuſſit aulæ ſperans profuturum Romanæ, & Cardinali Alexandrino nepoti ſuo cui veluti tutorem deſignaverat Montaltum, ſibi verò Confeſſorē extraordinarium. Anno poſteà 1568. Epiſcopum creavit S. Agathæ, ut locus daretur *Acroſtæ* ambiendi Generalatum. Benedictionem autem petenti Montalto ad regendā Eccleſiam ſuam reſpondit Pius: *etiam Romæ poſſe grādi merito deſervire Eccleſiæ Capiti*. Cardinalem namquè deſignaverat, & titulo S. Hieronymi Illyricorum declaravit die 16. Maii A. 1568. cū annuā penſione pecuniā etiā numeratā ad decorem dignitatis. Idem fecere liberalis Cardinalis Alexandrinus, Principes Romani, Cęnobiarchæ SS. Apoſtolorū. Arcana huius creationis ſuperna potiùs, quàm humana. Vrgebat Natura Pium ergà Montalti virtutes, vt Sanctæ memoriæ etiam ſatisfaceret dilecti Cardinalis *Carpii*, qui ſæpè deſideraverat eſſe Papa ſolùm, vt Montaltum eligeret Cardinalem. Obſequium tandem devotum ergà D. Franciſcum purpuram prænſavit Montalto: dicente Pio inter domeſticos: *Cum Divi Franciſcus, atquè Dominicus intimè ſe diligerent: nos utriuſquè Inſtituti Generales miniſtros Cardinales creavimus; ut indè Dominicani, & Franciſcani concordiam diſcant*. Procuratori autem Generali cum Guardiano S.S. Apoſtolorum prò dignitate Franciſcano collatā Inſtituto, gratias agentibus reſpondit: *Haud minùs poteram in honorem S. Franciſci, quàm filiorum eius unum dicere Cardinalem*. Abſente Alexandrino ad Reges Legato contrà Turcas, vices eius curavit Mōtaltus, nullo iurgio, omnium laude.

Confeſſor Pii V.

Epiſcopus S. Agathæ

Cardinalis.

6. *Mortem &c.* A die electionis ſuæ modeſtiā, & humilitate ergà omnes obſervatā. Eius votum pręnſantes Cardinales prò eligendo novo Pontifice, reiiciebat, dicens: *ſe omnibus ſuffragaturum, quia neminem non reperiret idoneum*. Creato *Gregorio XIII.* Anno 1574 opera dedicavit S. Ambroſii à ſe diligentiſſimè expurgata: Reliquum vitæ duxit, vineam colendo apud S. Mariam Maiorem, quam ipſe fontibus, ædificiis, exornavit. Anno Iubilæi 1575. pietate, & eleemoſinis certavit cum reliquis Cardinalibus, & vicit. Redditus namquè exhaurivit ſuos, peregrinos viſitando, hoſpitio recipiendo, quemlibet confratrum ſuorum biduò ſaltem religioſo paſcens convivio. Eius Charitas ergà pœnitentes, quos quotidiè in tribunali Pęnitentiario expectabat, audiebat, conſolabatur quaſi ſimplex ſacerdos eſſet, ea ædificatione Populi Romani, ut Gregorius Pontifex Romanus ad ſe vocatum laudaret, & gratias ageret. Quà verò de causà penſionem Montalto à *Pio V.* conceſſam uti pauperi Cardinali, revocaſſet Gregorius? ignoratur. Creditur Gregorius exiſtimaſſe Montaltum Theologum doctum, ſed Cardinalem inutilem. Querenti Alexandrino, reſpondit iſte: *S. R. vult forſàn de ſuis bonis elargiri Montalto? adiungam benedictionem*. Rigorem tamen laudavit Montaltus, immò coram S. Sixti Cardinale nepote Pontificis zelum laudavit Gregorii, ſeipſum inſimulās, quod liberā renuntiatione non præcurriſſet imperio Pontificis, cuius manibus tam piè, tam ſanctè bona diſtribuebantur Eccleſiæ. Sunt qui eius geſta ficta accuſent, & ſimulata. Sed utinā & ipſi accuſatores fictè ſaltē eius æmularentur pietatem. Suos conſanguineos cum ſincerè diligeret, nunquā tamen redditibus, vel pecuniā iuvit, ſcribens eis: *De eius purpurā minimè ſuperbirent; quià vera gloria foret; In ſudore vultus ſui veſci pane ſuo*. Nepotem ad ſe venientem amicè quidem ſuſcepit, ſed lanā veſtivit, dictum exeitans, *ditiorem quarere habitum virtute: Quò ſolà ipſe purpuram acquiſierat*. Iuvenem hunc moribus imbutum honeſtis, cum proditoriè ferro ſiccarii peremiſſent; diſſimulavit. Excitatus ab amicis ad Pontificem provocare, reſpondit: *Abſit, ut offendam iudicem ſupremum, ad iuſtitiam excitando ſibi connaturalem*. Cardinali, qui ad eum venerat, ut iacentem erigeret, & afflictum levaret, reſpondit: *Gratias ago, quòd luctu magis, quàm ego cōtabeſcat*. Vindictam ſuadenti, reſpondit. *Amo cōſanguineos, ſed uſquè ad aras. Memoriam doleo defuncti, vindictā haud quæro. Diligo, ſed in peccatum dilectio nō exuberat*. Hinc alter ſubiecit: *Hæc Hominis magna conſtantia: & Chriſtiani maxima patientia*. Sermonem abſolvit tertius, qui adſtabat. *Tanti ſeminis fructus erit Pontificatus*. Ad eum cum veniſſet Moſcoviæ Legatus, qui reliquos inviſerat Cardinales, quorum ſuperba ædificia regali fulgebant ſupellectile; cubiculum videns Montalti nudum more cœnobii muſſitando rediit: Tot *fratrum* (Fratres enim appellantur Cardinales) *ſolus forſàn iſte erit illegitimus*. Pedes Moſcus renuens oſculari Pontificis; ſuadente Montalto, lege etiam Magni Ducis inexpectatā, officium ſolvit obſequii. Sic Anno 1581. Magnus Melitenſium Magiſter cum Romæ ægrotaret ad mortem, *Montaltum* voluit conſolatorem, quem Cardinem primitivæ appellabat Eccleſiæ. Hiſce moribus ſenectutem ornās, & ſimulatione augens, creatos à Gregorio 13. decem, & novem Cardinales bimeſtre inſumpſit viſitando, triduò in triduum unum eorum inviſendo. Moram excuſabat morbo, & annorum pondere, quos ſeptennio augebat cum Cardinalis eſſet; diminuebat Pontifex dictus. Natus enim An. Sal. 1521. ad An. retrahebat 1515. Creatus Pontifex protrahebat diē nativitatis in Annum 1527. Ea erat apud homines opinio de eius corruptā valetudine, quòd exeunti ad officia claudicanti, ac reptanti verbis occurrerent miſerentibus: *Bonus ſenex implevit curſum dierum ſuorum; Deus adiuvet*. Nuntianti cubiculario ſcalas Montaltum conſcendere officii causà, reſpondit Cardinalis Auſtriacus: *Quò pergit Lazarus iſte quatriduanus?* Ab eodem excuſatus Montaltus Hiſpanæ adhærere factioni ſe exemit, *mortem obiiciens ſibi imminentem, quæ ad altiora vocabat*. Miſerenti Cardinali Caſtaneæ. R. R. *Valdè te patior mutatum ab eo, qui eras in Hiſpaniā*. Reſpondit: *Indiſcreta ſenectus ſuprà modum* pre-

Sixtus eleemoſinarius

Inviſus Gregorio 13.

Conſtantia in cæde nepotis.

Externis quā gratus, & laudabilis.

premit,& ſuprà vires.Subiicienti Caſtanceę eodem Anno ambos natos eſſe;repoſuit. *Homini valetudinario ſtat dies pro hebdoamadà*.Hæreticum quemdam eius operà redeuntem in ſinum Eccleſię cum ad pedes comitaretur Pontificis,violenter detentus à Cardinale S. Sixti inter commenſales, bis exanimatus cecidit. Iocanti verò S. Sixti Cardinale.*Niſi comederis, Papa non eris*,repoſuit.*Forsã in Papam eliguntur morientes? Singultus,cardiacus morbus imperãt vaſa colligere*. Replicanti illi. *Balſamis,& aromatibus præcordia calefaceret*.Abſolvit Montaltus.*Pharmaeopolæ diſtribuunt aromata nõ dies,nec Annos*.Portentoſa cum crederetur eius vita;vulgabãt familiares patronũ iacere in procinctu vitæ beatæ.Morienti *Greg. XIII*.ut adeſſet vocatus,certior factus in itinere iam expiraſſe Pontificem,rediit altero contradicente Cardinali, qui eum ſecum invitabat, ut Papam aſpicerent vivum, vel mortuum.Cui Montaltus: *Satis ut aſpiciam meipſum*. Verbum æquivocum, quo ſeipſum præfigurabat Papam, vel mortuum.

Electio Sixti V. in Papã

7: *Diſſimulatione*. Mortuo Gregorio, plures qui Pontificatum ambiebant, cœperunt honeſtà prænſatione colere ſuffragatores. Solus Montaltus (teſte *Andreà Mauroceno*) callidà ſimulatione otium quęrens,morbũ ſimulabat,ac ſenectutem. Viſitavit tamẽ Cardinalem *Farneſium* Decanum S. Collegii,& poſt eum Factionũ capita licèt ab eo irriſus ut *aſinus Marchianus*, iniuriam ſemper diſſimulaſſet) ſenectutis ſpetie ſe excuſans ab ingreſſu Conclavis. Excitanti Farneſio communem non deſerere cauſam, reſpõdit: *Vincam me ipſum, ut etiam cum mortis diſerimine promovere valeam D. T. Illuſtriſſ*. Subiecit Farneſius. *Satis ambit D. S. Illuſtriſſ*. Abſolvit Montaltus. *Longè aberrarent Patres, ſi hominem indignum, & inexpertem præponerent viro natu, & virtute principi*. Conclave ingreſſis die XXI. Aprilis. An. Sal. 1585. Cardinalibus; cum dubitaretur, an Cardinalis *Auſtrius* admittendus, quia lateret, an eſſet initiatus Diaconatu? propugnaretq; Cardinalis S. Crucis, *non teneri Patres teſtimonia proferre Ordinum ſuorum; ſatis eſſe, fuiſſe praeonizatos*. Diſſidium compoſuit *Auſtrius* expoſito Breve *Gregorii XIII*. quo capax declarabatur tàm paſſivi,quàm activi ſuffragii. Duo ſuprà quadraginta convenere Cardinales, ſed non concordes; ducibus *Farneſio,Eſtenſi,Alexandrino, Altempſio,Boncompagno*. Cæſius, Sirletus,Altempſius, Caſtanca, Sabellus benè audiebant. Sed Deus Montaltum vocabat.Hunc Eſteuſis licèt hoſtem occultum Pauli Iordanis Vrſini cognati eiuſdem Eſtenſis, & Alexandrinus, cui *Pius V*. moriens Albanum commendaverat virum doctiſſimum,atq.Politiæ expertẽ Eccleſiaſticæ,credentes *Montaltum* morbo confectũ, & ſinè eorum miniſterio imparem tanto onêri (Fingebat enim lachrimas,& ſępe promotores ſuos adiurabat, nè de eius creatione cogitarent, ni ipſi ſocii, & coadiutores vellent eſſe futuri) auctores fuere, ut die XIII. Aprilis, An. 1585. horà 12. à quadraginta duobusCardinalibus Pontifex legeretur cõſentientibus Hiſpanis,qui in arcanis habebant, Sirleto, Montalto,Caſtancæ,Mondovio acquieſcere; Cardinales etiam convenere Farneſius, & S. Sixti, quod hominem rudem crederent, & ad nocendum ineptum. Publicatis ſuæ electionis ſuffragiis, *Montaltus* Scipionem proiecit, quo incedebat innixus, caput erexit, cum antè Pontificatum obſtipo capite, defixo incederet in terram lumine iocando: *anteà ſe quæſiviſſe claves, tunc ſeram quærere, ut portam Cæli reſeraret*: ità *Brietius*. Scribit *Andreas Maurocenus L*. 13. facilè conveniſſe Cardinales in Montaltum, quòd neminem offendiſſet, ſed in *purpuratorum collegiũ cooptatus,à curis ſemotus vitã egiſſet privatã,ſeceſſuquè excultiſſimæ vineę oblectatus, in quà ſępius ipſemet callidà diſſimulatione operabatur, quaſi à concurſu negotiorum alienus, ambitione vacuus,otio,ac quieti deditum ſe oſtentabat*.Ad mutationem Montalti, fluctuarunt & vota.Hinc *Farneſius* Cardinalis decanus, qui vota numerabat,pœnitentiã ſuſpicatus in eligentibus,clamare cœpit,*vitioſum eſſe ſcrutinium*. Montaltus verò gravitate iudicis,ac maieſtate Pontificis repoſuit:*Silentium;nullus error*;eodem tẽpore inſonans,*Te Deum laudamus*.Flexis poſteà genibus, dum oraret interrogatus à cæremoniarum præfecto,an electioni acquieſceret? & Pontificatum reciperet? Reſpondit; *Recipere non poſſumus,quod iam accepimus*. Indè aſſumptis Pontificalibus,*Sixti* IV.(qui Ordinis Minorũ fuit) centum ab hinc Annis eam ſedem obtinentis memoriam inſtaurare cupiens,*Sixti Quinti* nomen aſſumpſit,& ſymbolum De *ventre matris meæ tu es es Deus protector meus*.Impletum in eo eſt vaticinium Malachiæ Prophetæ. *Axis in medietate ſigni*, quia linea tranſverſa Leonem interdiceret Gentilitium. *Andreas Maurocen*. Exeuntes Conclavi Cardinales,pallore,vel rubore conſperſos cernens *Farneſius*,qui diligenter cuncta rimabat,dixiſſe fertur.*Carolũ V.cum ipſe ſerò imperio renuntiaſſet,manè dicitur pœnituiſſe. Iſti verò electionis videntur pęnitere non abſolutà*. Cui Sfortia.Omnia benè;*dummodò pœnitentia noctem non excedat*.Die XXIV. Aprilis,horà XV.veniente in D. Petri Baſilicam occurrerunt Canonici, canentes *Eccè ſacerdos Magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt iuſtus*. Plaudenti populo,& panem flagitanti,atquè iuſtitiam,reſpondit altà voce.*Annonã roganti,ex gratià dabimus: Iuſtitiam namquè dabimus ex naturà*. Hinc eſt,quod publicæ utilitatis cupidus, volebat eàdem die coronari, ut hiſce abſolutis cæremoniis,poſſet populorum commodo invigilare; & promotores commoneſacere, ambitum deponere. Propterecà ſuadentibus.Cardin.*Alexandrino*,& *Ruſticucio*,ut ad quietem ſe reciperet,reſpondit. *In labore requies*. Replicanti Alexandrino, *Heri,& nudiuſtertius aliter fuiſſe loquutum*:dixit Sixtus:*Heri,& nudiuſtertius non eram Papa*. Ruſticucio autem,qui manum extenderat,ut veſtes aptaret humeris Pontificiis,manu forsàn graviore,improperavit dicens:*Hæc familiaritas cũ Pontifice eſt importuna*.Cubiculi Põtificii cũ aulęa diſponerent,& miniſtros dirigerent iidem Cardinales; dixit Papa.*Quieſcite; nos ſatis ad imperium*. Serò ad cœnam invitari mandavit *Alexandrinum, Mediceum, Ruſticucium,Eſtenſem,Cardinalem S. Sixti, &* Altempſium. Cum accubuiſſent; appoſuit pro lautitiis concionem acerbam de Petri primatu,ex illis verbis,*Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã: & tibi dabo claves regni Cælorum*. Arguens uni tantùm Petro, non miniſtris, ſed ſingulariter Petri perſonæ datum Eccleſiæ Pontificium. Volentibus convivis verba miſcere,Sixtus intercidit, eumdem ſermonem replicans, *nonniſi unum eſſe in Eccleſià caput, Rectorem,Pontificem*. Obijcienti Ruſticucio,antè electio-

Cur dictus Sixtus V. Prædictus Papa.

ctionem rogaſſe, & quæſiiſſe coadiutores, quòd tantum pondus ſolus ſuſtinere nequiret. Dixit Sixtus *Sanè diximus, & nunc revocamus. Officioſa mendacia abſolvet pænitentiarius noſter. Advertite. Quod ſi Pontificatũ obtuliſtis ad uſurã; nos proteſtamur gratis accepiſſe.*

8 *Die Mercurii*. Kalendis Martii, natali SS. Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, in gradibus antè fores Vaticanæ Baſilicæ, à *Ferdinando Mediceo* Card. Diacono ſui Pontificatus cùm ſuſcepiſſet inſignia, aſſumpſit in ſymbolum verba illa Petri Chriſtum invocãtis, *Domine, iube me venire ad te ſuper aquas*. Fatalis Sixto dies Mercurii fuit, hac namquè die naſcitur, habitum induit Monaſticum, Cardinalis creatur, Epiſcopus, Pontifex coronatur.

Ritus coronationis :

Pompam anniverſariam coronationis cultis carminibus explicavit *Io: Baptiſta Stella*, An. IV. Pontif. In hac ſolemnitate cum ſtupam ſoleant incēdere coràm Pontifice, clarà voce clamando: *Sic tranſit gloria Mundi, Sanctiſſime Pater.* Reſpondit Sixtus more inſolito: *Gloria noſtra pertranſibit nunquàm, quià ſolam iuſtitiam habemus in voto.* Indè ad Iaponenſes converſus legatos, quos eà die cum Legatis Regiis ſedere voluit, ac manibus abluendis, & umbellam ferendo ſtapedem tenendo Pontificium decoravit, inquit. *Ite, & Regi veſtro renunciate, quæ vidiſtis*, Equum conſcendente Sixto, incredibili agilitate; cum admiraretur Iaponenſis Orator, ac voce diceret ſubmiſsà: *Non ſic ego*: Farneſius etiam, qui non longè adſtabat. *Tam agilis non erat, cum eſſet Cardinalis*. Adiecit Sixtus: Tunc *Orbem calcabamus pedibus, nunc ſuſtinemus in humeris*: Eoſdem Iaponenſes convivio excepit in vineis, quas ipſe Cardinalis excoluit, & bis propinavit in honorem Regum Iaponenſium, ritu ſervato, quo Pontifices publicà accumbunt in mensà. Semper enim ipſe lautia ſuis benedicit manibus; Surguntquè commenſales, quoties pocula bibunt. Vndè Orator quidam dicere ſolebat: *ex Pontificali convivio plùs laboris hauſiſſe, quàm vini*. Confirmavit Sixtus non ſolum quæ *Gregorius XIII.* indulſerat Iaponenſibus, ſed etiam bis mille aureos annuatim adiecit in reparationem Iaponenſis ſeminarii. Viaticum cum eis defeciſſet, providit *Sixtus* abundanter, & magnificè, ſolutis mille Duplionibus, Romę etiam omnia gratis ſubminiſtrando uſquè ad calceos. Cardinales etiam Farneſius, Eſtenſis, Mediceus, Alexandrinus, & S. Sixti non ſolum convivio excēpere regali, ſed linteis donarunt, & aulæis, cum ſuppellectili argenteà. Pontifex geminos donavit gladios ex auro, cum capulo argenteo intextis adamantibus, aliiſquè pretioſis lapillis; geminumquè pileum ex holoſerico gauſapino margaritis circumdatum, ut ſervatur cum Principibus ſupremis. In pervigilio Chriſti Aſcendentis quatuor Legatos equites creavit, ſuiſquè manibus torque cinxit aureo, ex quo Ordinis pendebant inſignia, ac nũmiſma ſignatum imagine Pontificià: Amoris tandem teſtimonium amplexus fuere, & oſcula. Die ſequenti in capellà privatà ſacrum faciens, ſuis manibus communicavit Corpus D. N. I. C. Indè in Capitolium ducti, Cives dicti, ac Romani Patritii cum omnibus privilegiis in pergameno exaratis, auroq; ſigillo munitis etiã pro ſucceſsoribus. Redeuntes tandem prò benedictione Pontificià ad oſculum pedum, Reliquiis Sanctorum, ac indulgentiis cumulati, die 3. Iunii, comitante Populo Romano egreſſi, per totam ditionem Eccleſiaſticam, ære publico excepti, in patriã reverſi mutatà rerum facie, crudelem invenere perſecutionẽ excitatam in regno Bungenſi à *Quabacondomo*, aliiſquè deinceps Iaponiæ Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, ſævioribus ſuppliciis excogitatis, quæ olim latuerant; ut ex literis ad Sixtũ ſcriptis 22. *Septemb.* An. 1590.

Poſt Lateranenſis Eccleſiæ poſſeſſionem, ſolemnes precationes indixit, & Iubilæum, ut par impoſito oneri redderetur. Suſcepit indè legationes Principũ. Veneti auditã Sixti electione, *nonnihil hærere videbantur, memores aliquot antè annos, dum Inquiſitoris munere Venetiis fungeretur, ob nonnulla, quæ ab eo moleſta acciderant, à Decemvirum Collegio ditionibus Venetis abire iuſſum: attamen extemplò ingens in illo ergà Rempublicam benevolentia, in ipſius negotia ſtudium, mutuæ amicitiæ, & coniunctionis deſiderium eluxit. Ii etiam initio turbines diſiecti ſunt, quibus Gregorio Pontificatum obtinente, Apoſtolicæ Sedis cum Venetà Repub; vinculum ſolvi viſum fuerat. Aquileienſes res compoſitæ*,

Legatio Venetorum ad Sixtum

Poſtulaverat Io; Grimanus Patriarcha Aquileienſis, apud *Gregoriũ* 13. *Tageti* Feudum iniurià à Venetis occupari, quòd menſæ eſſet Patriarchalis; cumquè *Grimano* ius fieri inſtaret Pontifex, reſponderunt: *Grimani* & novam eſſe petitionem, & conventioni adverſam initæ An. 1445. inter Rempublicam, & Patriarcham, cuius vigore Feuda omnia Foroiulenſia ad Senatum pertinebant. Iura ſua cum *Grimanus* ſcripto protuliſſet; inſtabat Papa idem facerent Veneti. Hi Pontificem abhorrentes iudicem in proprià causã dedere tandem adiectà clauſulà, *Extrà iudicium tamen, & abſquè* Reipublicæ *iurium præiuditio*. Papa minimè contentus fulmen meditabatur excommunicationis, ni Patriarchæ ſatisfacerent, ſed morte præventus locum pacis Sixto permiſit ineundæ *Senatus decreto acquieſcens, quo Tageti feudũ dono dabatur, Franciſcum Barbarum M. Antonii Procuratoris filium, qui antè apud Sabaudum legatus, tunc medium Preconſultorum ordinem tenebat, Io: Grimano Antiſtiti, ingraveſcente iam ætate, in Aquileienſi Eccleſià ſocium dedit. Id in primis à Chriſtianæ Reipublicæ utiltate vadè alienum eſſe cenſebat, ſimultatum ſemina inter Principes ſeri, ex quorum incremento præclaræ rerum gerendarum non modò occaſiones amitterentur, ſed in magna quandoquè detrimenta, & ruinas evaderent. Itaquè collegium, in quo ad Eccleſiaſticam Iuriſdictionem ſpectantia agitabantur, ſuſtulit, omneſquè eius generis cauſas ad ſe evocavit, quo amicè controverſiæ componerentur, ac ſi quid acerbius inter Principes contigiſſet, id prudenti diſſimulatione, nè in vulgus erumperet, tegeretur. Melitenſium Equitum excurſiones graves illi quidem, ac moleſtæ exſtitere, cum Reipublicæ rationibus, cuius imperium pro vallo, ac munimento cæteris Chriſtianis Principibus eſſet, earum lucra, ac ignobiles proventus minimè conferendos exiſtimans. Itaquè auctoritatem, & operam eà in re interpoſiturum Senatui pollicebatur, ut iuſtarum in Hieroſolymitanos equites irarum cauſæ amputarentur. Hæc novi Pontificis in Rempublicam officia eò gratiora Patribus, quòd publicis quoquè argumentis teſtata erant. Nam coronationi Reipublicæ Oratorem intereſſe voluit.* Nuntium *Venetiis publicis cæremoniis, quæ fuerant intermiſſæ, adeſſe iuſſit; atquè in Oratores Romam gratulatum accedentes* om-

Principũ cõcordiã quærit.

omnia honoris argumenta contulit, nihilquè ad eam legationem ornandam prætermiſit. Senatores namquè aureo torque donatos à Regibus, novo titulo inſignire voluit) *Quocircà ut aliquod egregium, ac perpetuum publicæ in Sixtum voluntatis monumentum extaret, maioribus comitiis patritiæ nobilitati Alex. Cardin. Montaltus, ac Michael Perettus ex ſorore nepotes cum eorum poſteris ſunt adſcripti; ædes Sixto ad D. Franciſci à vineâ perampla, ac nobiles, quas deinceps Apoſtolicæ Sedis legati, ac Nuntii incolerent, dono attributa*. And. Maurocenus *l.* 13. Quod & Papa Romæ Venetis donato ampliſſimo S. Marci Palatio rependit. Idem facere meditabantur & Reges, Sixto tamen declinante; ut ſingulare eſſet Venetis privilegium; vel quòd toto in Orbe Chriſtiano huiuſmodi rependere munera, nimis onerosum foret Eccleſiæ. Sixtus interim priuſquàm coronaretur, diù, noctuquè adnotabat in abecedario (quod ſibi tantum conſtare voluit) ea, quæ peragenda meditabatur. Divinum recitans officium, ſi quid memoriæ occurrebat; Pſalmis interciſis, ſignabat in ſuo libello, dicens: *Pſalterium pro nobis. Abecedarium prò Republicà*.

Ergà Venetos benignus.

9. *Iuſtititiam &c.* Primum facinus *Sixti V* Iuſtitia, quà pacem, & libertatem fulciret labantem contrà eos, qui Romæ, in provinciis bona, vitam, pudicitiam temeabant. Quid enim prodeſt legem promulgare; ſi in eam liceat impunè committere. Vocatis ergo ad ſe iudicibus, eo ardore iuſtitiam commendavit; ut verbera viderentur verba eius: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. Auguranti Cardinali Ruſticucio, *ut Beatitudini ſuæ vires daret Deus ad regendam Eccleſiam ſanctam Dei*. Reſpondit: *Satis rogare, ut datas conſervet*. Annuere volens ſatis ibi animi, & virium ad iuſtitiam exercendam. Initium ergo ſalutis cum crederet notitiam peccati; exploratores delegit non tam Romæ, quàm in Provinciis, per quos rimaret Arcana Principum, geſta iudicum, vitia populorum, in aulà, in Eccleſià, in caſtris, in clauſtris. Iudices minùs fortes, & trepidantes ad vultū potentis, removit; ſubſtituens eos, quibus eſſet in ore gladius utrinque acutus. Scelera à decennio inquirens præterita, quæ ex indulgentià Principis, pœnam ſubfugerant, puniri voluit in perſonà, vel in hæreditate, ſi rei fuiſſet præmortui. Inquiſitio excitata præmiis; ſi prȩterita, caſtigata ſuppliciis. Advocatum Urbevetanum, qui ſcelera eiuſdem civitatis præfecti revelare noluerat, percuſſit anathemate, mulctavit carcere. Cōmendationes nec audire ſuſtinens, *nobilē de Comitibus* paternè monuit; quòd cum iudice criminali (cuius in carcere tenebatur quidam domeſticus eius) loqui viſus fuiſſet: Reum diei ſpatio iudicari voluit, iudicem removeri. Mandavit præfectis, decurionibus, magnatibus tam præſentibus, quā præteritis nomina exhibere in abecedario eorum, quos tricones dicimus, manticularios, otioſos, gerrones, blaſphematores, Aſtrologos iudiciarios ſub pœnà fuſtigationis, ſi aliquem doloſè omitterent: proptereà Albani ſindicum, qui nepotem ſuum prætermiſerat, flagellatum voluit in publicà plateà, fruſtrà Hiſpanorum intercedente Legato. Sic brevi homines facinoroſos vel in cœnobià coegit, vel ad triremes traduxit. Reos ſi intrà biennium iudices non cognoviſſent, cauſa ad Pontificē ipſo iure devoluebatur, aut ipſe non minus cognoſceret crimen accuſati, cui moram corrigeret iudicantis. Iudicia cum libraret præterita; mandavit Cardinali S. Sixti, nepoti *Gregorii XIII.* acta recognoſcere *Marcelli* Accorombo*ni Augubini* (qui nepotem ex ſorore Sixti V. maritum *Victoriæ* ſororis ſuæ, ex inſidiis obtruncaverat) Excuſanti verò Cardinali S. Sixti, leniter actum eſſe vivente *Gregorio*, quia ipſe *Montaltus* iuſtitiam quærere dedignatus eſſet: reſpondit Sixtus. *Iuſtitiam non exerceri in gratiam hominis: ſed adversùs crimina. Tunc indultum à cognatis, iubente* Evangelio. *Nunc ultionem exigi à Principe, urgente naturà*. Cædem hanc inſtigante P*aulo Iordane* V*rſino*, Bracciani comite *factam nonnulli interpretabantur* (teſtibus Bulēgero; Io: Baptiſtà Contareno lib. 6. Hiſtor. Campanà) *quod is* Victoriam *ſpecioſam, & elegantis ingenii fœminam, demortui iuvenis uxorem, ſtatim à viri morte iuſtis nuptiis ſibi devinxerat. Cardinalis Montaltus, ut potentiæ, & pecuniarum id temporis, modicus erat, rem diſſimulatà offenſione abdidit, & non magis quàm in alieno funere indoluit. At ubi Pontifex renuntiatus eſt, ab Vrſino per ſpeciem officii ſalutatus, offenſionis memoriam non excidiſſe oſtendit. Quarè Vrſinus animo perculſus, Salum* V*enetæ ditionis oppidum, ad lacum Gardam refugit, ubi ſcalpello venenato, ſi credere fas eſt, cum ſanguis duceretur, venà periit contactà*. Victoriæ *legatum ingens reliquit, quod ut interverteret Accorombonus, Victoriam* Patavii, *& Flaminiū eius fratrem, per ſicarios neci dedit. In capita percuſſorum inquiſitum: Ludovicus Vrſinus ſceleris caput repertus, qui* Pauli *Iordani* V*rſini hæredem ſe fecerat. Is domi obſeſſus, & captus, capite luit. Parricidii auctoribus cervices publico ſpeculo fractæ ſunt.* Volens ex inſperatò Romana inviſere tribunalia, Eccleſias, cœnobia, vicos, plateas; prohibuit populo ſolitis plaudere clamoribus, *Io: Sixto: Io: Sixto* advenienti; ne clamoribus excitati tranſgreſſores ſe ſe componerent. In adulteros capitis pœnà decretà conſanguineum Cardinalis Altempſii primò accuſatum publicè carnifex decollavit. Violentos magnates (quorum eſt, pauperum bonis inhiare) ad ſolutionem debitorum, ſolis verbis excitavit, lege latà; ut mercatores libros exponerent rationum ſuarum, quià prò nobilibus, & præpotentibus ipſe vellet ſatisfacere. Quo audito, eàdem nocte omnes diluerunt debita ſua. Coſuetudinem aperiendi carceres in die coronationis Pontificiæ, nequè intercedente Purpuratorū Senatu ſervare voluit, dicens: *Facinoroſis ſatis abundare Vrbem: nec opus, augere carceratis. Suum eſſe, pœnà malorum, ſervare innocuos; nō innocuos corrumpere malorum conſortio.* Pontificatus exordia quandò civitas agebat lætitiam, quatuor reorum ſupplicio nota voluit, fruſtrà intercedentibus *Iaponiorum* Legatis. Immò biduum poſt nobilem Spoletanum decollavit, quià lege prohibente gladium evaginaſſet adversùs hoſtem. Octo verò Cardinales, qui rogatum acceſſerant, nequè audire ſuſtinuit. Siccarios, latrones, graſſatores viarum, quibus univerſa abundabat Italia, faciliter ſuſtulit, propoſità impunitate, ſi percuſſores mutuis ſe ſe cȩdibus interficerent. *Curtietus*, & M. *Sciara* graſſatorum principes, prædà graves in Sclavoniam evolarunt; indè *Curtietus* Tergeſtum exſcendit, ubi agnitus, & captus, nè carnificis manu periret, ferro devinctus, mare inſiluit. *Cæſar Campana l. 6. Bulengerus l. 6.* Induſtriæ ſeveritatem ad-

SixtiV. Iuſtitia.

Iuſtitia in Vrſinos.

Io. Pepulum capite damnat

adiungens, *Ioannem Pepulum* è primâ Vrbis Bononienſis nobilitate foventem exules, & ſe privilegio munientem, quià eos aleret extrà terras Eccleſiæ, interceptum ſtrangulari juſſit; cuius exemplo reliqui admoniti modeſtiores ſe præbuerunt; uniuſquè hominis vitâ multorum fortunis, & incolumitati proſpectum eſt. *Brietius An.* 1585, *Spondanus*. Memoriam tanti beneficij ſervavere Romani percuſſo nūmiſmate, in quo viator securè dormit in viâ publicâ, ſub umbrâ ilicis, & crumenam expoſitam iuxtà ſe habere non dubitat: Vndè Epigraphes. *Perfecta ſecuritas*. Æneam etiam in Capitolio erexere ſtatuam cum elogio ſequenti,

Sixtus V. ſtatuâ donatur,

Sixto V. Pont. Max.

Ob quietem publicam compreſſâ Sicariorum licentiâ reſtitutam, Annonæ inopiam ſublevatam Vrbem ædificiis, viis, aquæ ductu illuſtratam, S. P. Q. R.

Conſonant alia nummiſmata; quorum alterum tres ſui ſtemmatis exhibet montes ſuper quibus *libra*, & *gladius* Iuſtitiæ ſymbola, Item *Olea* in quâ Pax, & *Cornucopia* Abundantia, ſub lemmate *Fecit in monte convivium pinguium*. Vbi enim Iuſtitia, & Pax; ibi omnia exuberant. Nummum hunc habes in tabulâ *n. 6*.

Alterum n. 25. in quo vigilante Sixti Leone Gentilitio *omnia tuta*. Citeitorem campeſtrē cum fortuitò offendiſſet Romæ obambulantem interrogavit, *Quis eſſet?* reſpondentem, ſe eſſe citeitorem campeſtrem, increpavit Sixtus: *Quomodò erga in urbe ad auram deambulas?* Carceri propterea traditum (cum crederetur ad mortem) ad ſe evocatum, ſolvi iuſſit eà conditione, ut intrà octiduum ſex vinciret bannitos. Abundè factum; nam quatuor vivos, & tres mortuos vinctos traxit in civitatem; quorum capita, ut de more cum exponebantur pro roſtris non ſinè fœtore; rogantibus Conſervatoribus Romanis, abſtrahi damnatorum capita pro communi populi ſalute, redarguit, *Si vobis malè olent capita defunctorum, qui neminem offendunt: nobis peſſimè olent vivorum capita, qui violant libertatem gentium*. Querentibus vicinis Principibus, omnes deportatos, & bannitos Romanos, propter Sixti rigorem aufugere in confinia, quæ plena diſcriminis minimè poterant frequentari? reſpondit: *Principes datos eſſe à Deo in laudem bonorum, & malefactorum vindictam. Vrbes, agros, quos ſecuros præſtare non valebant, dimitterent; quià ipſe securè cuſtodiret*.

Ergà domeſticos, & familiares non minùs iuſtus, *Bellaculum* pincernā ſuum, & *Gualteruccium* ad triremes damnavit; Primus quòd abuſus fuiſſet Annulo Piſcatorio; Secundus quià facinus non revelaſſet ſibi non ignotum, dicens; *Iuſtitiam exercendam primò contrà ſeipſum.*

Virginitatis, & fidei coniugalis maximè cuſtos ære ſuo, & ſecretò primum iuvabat, alebat Virgines, Viduas; pœnâ poſteà ſtuprum vel tentatū, licèt non patratum triremibus damnabat. Iudices, qui pietate Iuſtitiam fœdarent, depoſuit. Filius Advocati Peruſini amore bacchatus cuiuſdam Virginis Romanæ, ut modeſtè raperet in coniugem, palam oſculo petiit ab Eccleſiâ redeuntem: hinc clamor, & ad iudicem provocatio, brevi tamen compoſita, interprete *Columnâ* Principe, eà conditione ut nuptiis purgaretur iniuria. Sponſam ſponſus domum deduxerat, & adſtantibus paranimphis, choream ducebant amici: cum ecce ſatellites ſponſum rapiunt in carcerem. Querenti ſponſæ ſibi abundè ſatisfactum de iniuriâ receptâ; Iudicem interrogavit Sixtus, *an ſatisfactum eſſet Iuſtitiæ?* Neganti cum mandaſſet exigi, quæ prò Maieſtate Pontificis, prò ſecuritate viarum, prò tutelâ Virginum, prò lege Iuſtitiæ debita crederet; per quinquennium ad triremes damnavit. Noctu cum circumpedes lucernam extinxiſſent, quam ferebat ancilla, fuſtibus cæſus inſolentiam luit; circumpedis dominus, quia contumeliam neglexerat, quaſi publicam ſperneret ſecuritatem, mulctatus carcere.

Satyram ſcribentibus, vel libellos famoſos truncavit manus, abſcidit linguam. *Carolus Matera* poetaſter carmina cum caneret domicellis Romanis, nomen miſcens *Iſabellæ* uxoris cuiuſdam Advocati, fœminæ dignæ omni pudicitiæ laude, cantilenam abſolvit,

In ſomma queſta Dama è gran Putana,

Re ad Pontificem delatâ, vinctum ad ſe perduci iubens poetam interrogavit, cur fœminam honeſtam, coniugatam carmine notaſſet infami? reſpondente Poetà, non aliud ei occurriſſe vocabulum quod *Fontana* concordaret quàm *Putana*, propterea, nullo dolo, ſed ſolâ licentiâ Poeticâ ſic abſolviſſe carmen; adiecit Sixtus, an hæc carmina conſonarent?

Merita ben, queſto Signor Matera

D'haver per ſtanza propria una galera.

Sciſcitanti tunc rerum Criminalium iudici, an ei diſpliceret, quòd ad triremes damnaretur Poeta? abſolvit Sixtus. *Detur Iuſtitiæ locus; ne ad concordanda carmina Poeta* Pontefici *dicant* Heretici: *&* Calvino *canant* Huomo Divino. Romam tandem cum pronam videret ad huiuſmodi ſales, neglexit. *Paſquinum* cum expoſuiſſent in tabulâ ſubuculā Soli expoſitā ſollicitè revoluere in die Dominico; interrogatus à *Marphorio* cur Feriam Lunæ non expectaret, ad exſiccandam ſubuculam? reſpondit: *ſe præcurrere, priuſquàm* Sol *ipſe venderetur*. Notare volens vectigalia, gabellas, quibus Sixtus Populum oneraverat: *Quaſi Lux ſola ſupereſſet immunis*. His auditis Sixtus, adiecit, *Si Auctor innotuerit, exſiccabit quid aliud ultrà ſubuculam.*

Diſcordia Sixti cum Gallo.

10. *Galli*. Cum Gallis prima diſcordia conſequitur, occaſione *Fabii Mirti Neapolitani*, *Epiſcopi Nazareni*, quem revocato *Hieronymo Ragazonio* Papa ad Henricum legaverat Gallorum Regem, ſed Regi ſuſpectum, & Lugduni ſubſiſtere iuſſum; Papa indignante, qui & Gallum Oratorem ditione ſecedere voluit Romanâ. Nec importunum erat Sixti decretum, quòd *Mirtus* Gallo conſentiente Legato, & ex pacto condicto, iter arripuiſſet: quamvis Orator Gallus ſe poſteà excuſaret, Regem minimè feciſſe certiorem, nè excitaret ad iurgia. Rem tamen compoſuere Oratores Principum, ut Rex Nazarenum reciperet; & Gallus Romæ reſtitueretur. Cum eccè nova diſſidia. Specie Religionis fœdus cum iuraſſent Guiſii, dictum *Legam Sanctam*, ut poſt obitum *Henrici III.* Navarræum excluderēt à ſucceſſione; *Gregorium XIII.* ſollicitaverant, ut Henricum Navarræ Regem, & Ludovicum Condæi Principem ex gente Borboniâ tanquàm hæreticos, & Hæreticorum capita feriret anathemate. Annuere finxit

Gre-

Gregorius,ſed prętextu maturi conſiliii, ac legis Eccleſiaſticæ, quæ in cauſà omnium graviſſimà, præcipuè adversùs Reges lentè feſtinat;noluit importunà ſeveritate pertinacem accendere Principum iuventã (quos ut aſſerebat *Henricus* III. Rex Galliæ) æmulatio Guiſiorum,ſe duces factionis Catholicæ iactantium,in oppoſitam ſectam abripuerat: redituros ad maiorum fidem, conciliante ſpe regni: ubi aut Guiſiorum potentia inter Catholicos conſenuiſſet, aut everſis Hugonotorum opibus, deeſsẽt in Gallià partes,quibus imperarent. Hæc minimè probans *Sixtus* Gregorij ſucceſsor, ut erat ingenii præfervidi, nec offenſionum timidi,in fœderatorum partes facilè deſcendens, lenem deceſsoris prudentiam pro lentitudine,ac timiditate criminantium, Borbonios Principes tanquàm Hæreticos, & Hæreticorum patronos percutit anathemate, non ſinè gravi offenſione, & ſuſpicione Galliæ Regis, & Reginæ Matris,quòd Regis electionem ſibi arrogare Sixtus meditaretur ſpetie Religionis, propterea non permiſerunt in Gallià Pontificia publicari diplomata. Immò programma valdè contumelioſum Romæ celebrioribus locis affigi curarunt,octavo Idus Novemb.An.1585. quo Sixti cenſuræ intercedentes Sixtum (ſalva ſanctitate ſuà) redarguebant malitioſè mentitum, cum Borbonios dixit Hæreticos: ipſum iacere hæreticum ſe probaturos in Concilio libero,& legitimo: id niſi conſentiret, ſe illum pro Antichriſto habituros. In eumdem Pontificem alia prodiere ſcripta titulis variis; puta *Brutum Fulmen* Franciſci Hurmanni I. C. Latinè: *Declaratio ad pulchram Italiam*,Italicè: prolixiorquè apologia *Petri Belloy*, ob quam moleſto, ac periculoſo carcere diù vexatus fuit, teſte *Spondano*. *Sixtus* licèt iratus, admiratus Navarræi ingenium, qui uſquè ad valvas Pontificis auſiſset vindictam immittere; collaudaſse dicitur voto illo, quod Laco quidam pro Epaminondà: *cum talis ſis,utinam noſter eſſes.* In variis itaquè provinciis bello ſuſcitato civili, concordiam ſubire coactus eſt Rex à fœderatis Catholicis,per quam ipſis arces, pecuniæ,exercitus traditi. Navarræ Regi,Condęo Principi,& Hugonotis proſcriptiones, bellum, clades indictæ. Intervenere pro his Germanorum Principum legationes tanto expoſitæ faſtu(tectis iniuſsu Regis capitibus, dexteràquè ad capulum gladii inter dicendum admotà) ut Rex irà vehementer inflammatus minaci vultu,& cum acerbitate verborum reiicere coactus fuerit. Laudavit Sixtus zelum Regis, datà in præmium facultate exigendi centum millia nummorum à Clero Gallicano, quod anteà negaverat. Reiectos Legatos legiones ſubſequuntur armatæ 40. millium bellatorum. Onus Galliæ exitiabile quidem, ſi Ducem habuiſſent æqualem. *Henrico* tamen non animus defuit,nequè conſilium, ut publico occurreret periculo, & dolorem ulciſceretur privatum, Sacrum auditus uſurpare verſiculum, *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis,& vindicabor de inimicis meis.* Immiſſo namquè *Ioyeuſæ* duci (quem olim perchatum ſibi,oderat modò,quia Sancto fœderi comperiſſet addictum)præcepit,ut cum Hugonotis certamen ſinè morà committeret. Ex alià parte, mandavit Duci *Guisio*,ut cum Germanis ad fines Lotharingię concurreret:ſperans, ut mutuà clade debilitati hoſtes tàm occulti, quàm aperti minus negotii ſibi faceſſerent. Rex ipſe con-

Borbonios excommunicat.

Aductis octo Helvetiorum legionibus,decem millibus Francorum peditum,octo equitum,& flore nobilitatis,ac Principibus circumſeptus Regii ſanguinis, & nobiliſſimis Franciæ Ducibus Nivernẽſi,Aumontio, interiora Regni,ceù cordis arcem obtinebat. *Ioyeuſa* non expectatis,quæ *Mattignonus* inſignis Dux adducebat,ſubſidiis,ſeu parendi properus, ſeu victoriæ, quam ſpe devoraverat, gloriam cum ductore celebri communicatam nollet, cõgreſſus temerè cum fortiſſimo Navarræ Rege victus,& cæſus eſt non mediocri Fœderatorum clade. Dux *Guiſius* exitio reſervatus atrociori, fęlicior ad tempus extitit. Paucis armatus Catholicorum cohortibus,ſed fortibus,& veteranis, quibus miſsa ex Arteſià ab *Alexandro Farneſio* ſena Vuallonum peditum millia, mille,& quingẽti equites Burgundi ſe adiunxerunt;contrà novitium exercitũ, locorum imperitum,indocilem diſciplinę, quem ſua B priùs ingluvies,& ebrietas deformaverat; cępit diù, noctuquè infeſtare,ut brevi(adiuvante Cœli inſolentià)ita infregerit, ut alii pro munere abitum impetraverint,alii deditionem ex neceſſitate fecerint,alii fugam inierint calamitoſam, cum in reliquias afflicti exercitus vel fęminæ inſultarent: quarum una in pago Burgundiæ, Germanos octodecim humi decumbentes,maceratoſq. ægritudine,cultro circumlato,tanquàm pecudes iugulaſſe fertur. A tantà externorum ruinà, ſicut Hugonotorum deiecti ſunt animi, ita nimiò plùs audacia crevit Fœderatorum, qui ſibi gloriam geſtorum vindicantes, adeò Regem ſpernebant,ut cum *Henricus* Rex, & *Guiſius* ovantiũ more Lutetiam intrarent; Regio nomini rari plauderent,& voce ſubmiſsà: *Guiſiano* autem frequentes, & clari liberatorem Galliarum, propugnatorem, & C vindicem Religionis Catholicę,novum Moyſem,Gedeonem, alterum Davidem appellabãt. Quà nomenclaturà cum victoria Guiſio deſtinarentur,& Regnũ; Regi Saulis nomen,& fatum relinqui apparebat. Eodem tenore libelli Lutetiæ typis dati, Guiſianas laudes cum vituperatione Regis,& miniſtrorum eius Romam uſquè perferebant. *Sixtus* ipſe Pontifex Romanus *Guiſium* Gedeonis laudibus coæquando in Purpuratorum Senatu, ac literis gratulatoriis; *Mario Bandino* Regis Henrici nomine rem Catholicam in Galliis proſperè adminiſtratam nuntianti, reſpondit (teſte Dondino, de rebus *Alexandri Farneſii*) *Relata de Germanis victoria decus, non magis ad Francorum Regem, quàm ad Byzantinum Caſarem pertinere.* Tanto Pontificis favore ſublatus Guiſiæ Dux,eò fiduciæ venit,ut de iungendà cum Sixto affinitate agitaverit, per eius neptem *Flaviam Peret-* D *tam* (quæ poſteà Brachiani Duci nupſit) filio ſuo *Ionvilla* Principi in coniugium expeteitam; ſperans dotis nomine, non ſolum ingentem auri ſummam, ſed poſt obitum *Henrici III.* expuncto Navarro ut Hęretico, cum cęteris Borboniis Hęreſis fautoribus, in ſolium Chriſtianiſſimum, *Ionvillæum* Catholicarum partium Principem cum uxore attollere generis Pontificii. Arcana hæc Rex ſubodoratus, cœpit anxiè meditari, quomodo inſidiis tolleret inſidiatorem. Timorem augebat Concionatorum libertas, qui ex ſuggeſtu non formidabant Guiſium attollere, & Regem deprimere excitando vulgus ignobile: Forfices etiam oſtentaſſe dicitur *Mompenſeria* Duciſſa Guiſii ſoror, quibus attonſum iri crinem firmabat

Sixtus Guiſiũ laudat: Regem Gallorum vituperat.

Spes nuptiarũ inter neptem Sixti V & Ionvillæũ

Concionatorũ libertas in Regem.

Mompenſeriæ imprudentia.

bat Regi, cum in cœnobium compingendus eſſet. Tã tam inſolentiam Rex terrore compeſcẽdam ratus, in ſacros Oratores, globum immiſit ſatellitum, qui intercurſu armatæ multitudinis fuit repulſus, ut iniuriam ulciſceretur *Henricus*, militares copias Laniacum (urbem quindecim millibus paſſuum Lutetiâ diſtantem) accerſit. Cum hæc agerentur, abſens Lutetiâ Guiſius, ab amicis evocatus, licèt à Rege prohibitus, ſex tantum domeſticis comitantibus intervenit, ut ſe nihil timere oſtentaret Reginam *Catharinam* ſtatim adiit, quam verbis itâ demulſit, ut hunc inermen illa ad Regem deduceret. Hic *Guiſium* de medio tollere deliberaverat, inſtigantibus ferociſſimis amicorum, nè causâ, abuteretur occaſione. Conciliũ præceps diſiecit prudentia, & auctoritas Reginæ, quę filiũ ſevocatum admonuit: quãta populi multitudo ad fores Luparæ præſtolaretur. Crederet *Guiſio* Duci licèt inermi Lutetiam totam B eſſe pro Domo. Si quid gravius in eum ſtatueret, reponendum ſibi, ac ſuis reputaret, furenteſquè in ultionem Pariſienſes ipſam Luparam haud ſatis firmam contrà irruptionem tantam, ferro, facibus invaſuros, ut Regis interitu, Guiſianis manibus parentarent. Tradunt aliqui *Guiſium* in nube Regalis ſupercilii, & turbidis aulicorum vultibus proſpexiſſe procellam, non ſinè animi conſternatione, cuius indicium fuit pallor in facię. Abrupto igitur ſtatim colloquio, cum fatigationem itineris excuſaret, feſtinaviſſe ferũt diſceſſum; inter abeundum intentis oculis in armatos ſatellites, ne imprudentem occuparent, alterâ manu dexteram Regis arctè complexum, alterâ pugioni admotâ, inſuſurraſſe in aures: aut me incolumen à tuis hinc emittes, ò Rex, aut fato pari fungemur ambo; quâ conſtantiâ vocis, & pe- C ctoris Regem abſterritum exemiſſe periculo Ducem, nè unà periclitaretur. Poſterâ luce, cum in aulam Dux rediiſſet, animis in ſpeciem tranquillioribus convenerę. Nam Rex iram pridiè malè diſſimulatam compreſſit: & Dux adversùs metum quadringentorum nobilium comitatu ſe firmaverat. Nequè tamẽ placatiores, quàm venerant, diſceſſere. Siquidem *Henricus* in eo perſeverabat, ut latitantes in Civium domibus coniuratos perquireret, ſed fruſtrà: populo in Regem conſpirãte univerſo. Hinc advocatę in urbem armatæ Gallorum cohortes, & Helvetiorum legiones, explicatis ſignis, timpaniſquè, ac tibiis concinnentibus ingreſſæ, vias propè Luparam, & fora non ſinè civium terrore inſedere. In Maubertino foro prima repulſa; dum ſonitu campani æris ad arma concitati cives, ſummâ celeritate extendentes catenas, doliis, curribus obſe- D pere vias (undè dictus iſte dies Septorum, *le Iour des Barricades*) ad feneſtras ſaxa comportarunt; quibus Regii milites inter ſe abiuncti, neq; vires, neq; conſilia ſociare permiſſi, inclinatis vexillis ſe dedidere coniuratis. Supererant Regiæ ædes intactæ, quibus ſenſim doliaria munimenta Guiſiani perduxerunt; cum eccè Dux *Guiſius* equo circumvectus, ad tranquillitatem populum revocat, Regios milites aut obſeſſos, aut captos liberat; arma benignè reſtituit. Rex interim ſpecie deambulationis, pedes Autricum Carnutum profugerat: ubi Chriſtianam manſuetudinem ſimulans, legationes Pariſienſium, Guiſii contumaciam expurgantes audit, concordiam redintegrat, reiectis officiis Reginæ *Eliſabethæ*, quæ auditâ conſternatione, aureorum ſexcenta millia offerebat ad caſtigandam Guiſianam arrogantiam; modò Hugonotis Galli pacem permitterent. Cui ieiunè Henricus reſcripſit: *æquum videri, cum Rex Galliæ à rebus Britanicis prorsùs abſtineat; ut Angliæ Regina ſe negotiis Gallicis non interponat.* Poſtulatis autem Fœderatorum partim annuit; partim ad Bleſenſia Comitia remiſit in proximum autumnum celebranda. Bleſas itaquè convenientibus Ordinibus Regni: acceſſit etiam dux *Guiſius* cum geminis Cardinalibus *Carolo Borbonio*, & *Ludovico* fratre, multum, ſed fruſtrà dehortante matre *Annâ Eſtenſi* ſorore Ducis Ferrarienſis, quæ Guiſiæ primum, Dein Nemoroſii Ducibus nupta Guiſios, & Nemoroſios fratres genuerat. Hęc animi vehementer anxia Bleſas veluti barathrũ ſuæ ſoboli præparatum perhorrebat, magis reputans, quid illic Rex poſſet facere, quàm quid deberet: eò vel magis, quòd in ore omnium increparetur *Guiſius* læſiſſe Principem, & ſervaſſe, cum in ſeditione præteritâ Pariſiis tollere potuiſſet. Neglexit Guiſius maternos metus, ut muliebres. Rex conculcatam dolens in comitiis Regiam auctoritatem petitam à Guiſiis, ut præter antiquas recentiores puniret iniurias, *Guiſium* ad ſe evocatum per ſatellites confodi iubet, eius fratrem *Cardinalem* includi, quem mox quoquè ſuſtulit; plures quoqè eorum amicos præcipuè *Cardinalem Borbonium*, & Archiepiſcopum Lugdunenſem, Iovillæ Principem, filium Ducis interfecti dedit in cuſtodiam; ſed aliquos elabi paſſus, inter quos *Meduanum*, in eo vidit mox revixiſſe Guiſium; deprehenditquè ſe inchoaſſe fabulam, nõ abſolviſſe; ultimaquè remedia ſemper cum ingenti periculo eſſe coniuncta. Nam Guiſiorum cineres in ventos dati, ea ſuſcitarunt incendia, ut civitates Catholicæ, præcipuè Lutetia in furorem actę, cæſorum imagines expoſuerunt in templis, quaſi odio mactati eſſent fidei Catholicæ. Ex adverſo *Henrici Valeſii* diſcerpta inſignia, exploſum nomen, amici in catenas dati, imagines igni traditę. *Sixtus* etiam Romanus Pontifex per literas, pœnam ſacrilegio debitam minabatur ex ſententiâ ſacri Senatus, niſi cauſa redderet interempti Cardinalis Presbyteri, & Archiepiſcopi, nullo inquirente, nullo iudicio, manibus graſſatorum, cum ſummâ offẽſione, & lachrymis Catholicorum, pari Hugonotorum lætitiâ, & tripudio gratulantium, Guiſiis extinctis, expiraſſe in Galliâ Religionem Romanam. Cum tamen Rex ipſe epiſtolam Guiſiorum laudibus, Cardinalis præcipuè cumulatam, paucis antè diebus dediſſet ad ſummum Pontificem, vehementer orans, ut Avenionenſi Legatione decoraret. Legaverat Rex *Hieronymum Gondium* Florentinum ad Sixtum, ut unà cum *Piſano* Oratore ordinario cædem excuſaret. Sed obiicienti Sixto, acceſſiſſe ad decipiendum Romanum Pontificem, quaſi monachum imperitum, nullo præmiſſo ſigno pœnitentiæ, cum adhuc Cardinalem *Borbonium*, & Archiep. Lugdunenſem Rex vinctos detineret in carcere; qui etiam ſi rei eſſent, deberent Romam tranſmitti ad dicendam cauſam. Reſpondit Piſanus; *quòd ſi Pius IV. ferro ſuſtulit Cardinalem Caraffam amicum ſuum; iure etiam potuiſſe Regẽ tollere Guiſium Cardinalem inimicum ſuum.* Quibus magis accenſus Sixtus, accerſito ad ſe *Baduario* Veneto Oratore, acerba

Guiſiorum cædes.

Henricus Rex Galliæ à Sixto citatur ad dicẽdam cauſam

ba nimis protulit in Maurocenum Legatum apud Gallos, prodirorem accuſando, & reum cædis Cardinalis Guiſii, cui facilè potuiſſet vitam intercedere, ſi coram Rege Legari ſervaſſet conſtantiam. Eadem geminavit in Purpuratorum Senatu, ſelectis Cardinalibus, qui pro reparatione tanti facinoris, iuſtitiam meditarentur. Tentavit Rex per novum Legatum *Claudium Angenem* Epiſcopum placare Pontificem, quaſi perduellem occidiſſet, non Cardinalem; qui tanquàm *Par Franciæ*, uni tantùm erat ſubdirus Parlamento. II. quòd ex privilegio Eccleſiæ Gallicanæ Reges immunes eſſent ab anathemate. Ad hęc Sixtus excaodens mandavit, ſe abſtinerent ab illis verbis, quæ ſaperent hæreſim. Hinc tertiam exponentes excuſationem, dixerunt: virtute Brevis Apoſtolici, paucis antè menſibus indulti, fuiſſe Regem abſolutum. Sed *Sixtus* repoſuit, *Indulta dari pro peccatis pręteritis, non pro futuris*. Hiſce evulgatis per concionatores; Vrbes primariæ, Sorbonæ magiſtri decreverunt ſervandam non eſſe *Henrico* fidem, ſacramento populos exſolutos, fas eſſe armari plebem in eum. Preces prætereà pro Rege fundi ſolitæ in ſacris myſteriis obliteratæ ſunt, aliæquè pro Principibus Catholicis ſuppoſitæ. Hæc, & alia Facultas ipſa probavit, miſitquè ad Pontificem, qui ſapientior illà reiecit. Non enim fas populo iudicium exercere adversùs Regem. Proptereà *Sixtus* quę anteà reiecerat in odium iudicis illegitimi, & importuni, ipſe Apoſtolica uſus auctoritate probavit, *Henricum* excommunicans, teſte *Spondano, Bulengero*. Tentavit Rex per *Aloyſiam* uxorem à *Maineo Duce* pacē impetrare (ProRegē *Maineum* creaverāt Pariſiēſes) ſed aures iſte negavit vel ob delibatā imperii dulcedinem, vel ob Regis compertam perfidiam. Deſperatà igitur cum Fędetatis concordià, conſilii incertus *Henricus*, cum Hugonotos hoſtium loco haberet, & longè gravius inferri à Catholicis exacerbatis animadverteret; extrema adiens conſilii, cum Navarræo convenit, centuriariſquè XXXV. millibus peditum, quinquè equirum, ſeditioſam Vrbem Pariſios obſedit. Confluxerat ad Regem Franciæ nobilitas penè univerſa, ſed heu! ut eius exequias cohoneſtaret. Kal. enim Aug. *Iacobus Clemens* Dominicanus, 24. annorum, illiteratus, & rudis, excitatus fanaticis concionatorum vocibus, quaſi ab Harlæo fido Regis miniſtro afferet literas ad Regem admiſſus, venenatum ei cultrum in alvo defixit, Monſtrum ſtatim à Regiis ſatellitibus trucidatum, cadaver equis diſtractum, & flammis abſumptum. Huius rei invidia in ſodales Ieſuitas incubuit, qui edicto Curiæ regno exacti, Tholosà tamen, & Turnonio Lugdunenſis Provinciæ oppido pelli non potuerunt. In *Io. Guinardum* Carnutenſem eiuſdem ſocietatis, capite vindicatum, quòd Regem hæreticum iure occidi poſſe ſcripto affirmarat, Columna eo loci erecta proximè palatium, ubi Caſtelli domus ſederat, Societatis Patres infami elogio ut patricidas onerabat; quæ poſteà iubente Rege deiecta; palàm factà ſocietatis innocentià. *Bulenger.* Cæſo Regi ſucceſſor datus eſt *Henricus* Navarræ Rex, qui demortuum gradu tantum vigeſimo ſecundo contingebat; quare Legulei quidam ius eligendi Regem in populum contendebant devolutum. Exercitus tamen prævaluit, mortuiquè voluntas, qui interet ſupremos amplexus

Regem Galliæ excommunicat.

Henricus cum Navarræo arma ſociat.

Regis Galliæ cædes.

11. *Navarræum* ex gente Borbonià hæredem declaraverat admonens, ut ſi regnum, ſeq. ſalvum vellet, ad Eccleſiam rediret Catholicam. *Carolum* interim *Borbonium* Cardinalem fœderati dixere Regem, cuius imagine, & titulo monetam ſignatam vidi in muſæo *Petri Mauroceni* Patritii Veneti. Anno ſequenti Sal. 1590. Lucemburgius Pinæi Dux Romam venit ad Sixtum, excuſaturus electionem *Henrici Navarræi*, cum cautionibus pro Religione Catholicà. Legatio hæc Romę in factiones protinùs Purpuratos diſtraxit. Vrgebat Philippi Regis, & ſancti Gallorum fœderis nomine Hiſpanus Orator *Comes Olivarius*, nè ad Romanum Pontificem Lucemburgo pateret acceſſus; Oratorem enim illum non regni Chriſtianiſſimi, ſed Navarræ Regis Hugonoti appellabat. Contrà diſſerebant alii Legatum ſingulari conſenſu Catholicorum Galliæ procerum, & ſacrorum Antiſtitum ad communem humani generis parentem miſſum pro reſtituendo in gremium Sedis Apoſtolicæ, legitimo Gallorum Rege, benignè, & paternè excipiendum eſſe. Ità reſpondit Sixtus, ut rerum eventum præſtolari videretur. Legavit tamen in Senatu Purpuratorum *Henricum Caietanum* S. R. E. Cardinalem Camerarium, Principem florentem opibus, robuſtum iuventà, claritudine generis, & ſapientiæ laude ſpectabilem. Ornavit pleniſſima poteſtate, armavit quingentis millibus ducatorum, ut libertati Card. Borbonii præcipuè incumberet. Aſſenſum eſt largiter à Senatu, utporè qui intelligeret à Principe approbationem quæri non conſilium. Nam cæteroqui ſeniores, auctore Cardinali *Scipione Gonzagà*, quem propinquus Nivernenſium Dux de ſtatu Galliæ accuratè monuerat, in eamquè ſententiam Orator Venetus inclinabat, binos à Pontifice legatos eſſe mittendos cenſuerant. Alterum togatum, qui Lutetiam Pariſiorum rectà contenderet, ut publicis Fœderatorum conſiliis pro tuendà Religione ſuſcipiendis intereſſet. Alterum armis, copiiſquè ſuccinctum, qui Avenione ſederet, ſpecie quidem cuſtodiendi eius Comitatus, re verà ut vexillum attolleret, quò Galliæ Antiſtites, Proceres, & ipſe Cardinalis Vindocinenſis, penès quem, expuncto Navarræ Rege, prima ſpes regni, cum promiſcuà Catholicorum multitudine convenirent: ita paratum in urbe, atquè exercitu Pontificio perfugium eſſet omnibus Gallis Catholicis, tam iis, qui à Navarræo diſſentiebant ut Hæretico, quàm aliis, qui Fœderatos averſabantur ut regni perturbatores. Sic rerum arbitria ab utraquè factione extorta, Pontifex facilè ad ſe averteret, & Galliæ Regem imponeret Catholicum iudicio ſuo. Accedebat, quòd *Maineus* inopià pecuniæ conflictatus quingenta aureorum millia mutua poſcebat, Maſſiliam, Arelate, aliaq; Provinciæ oppida loco pignoris offerens, Pontificiis obtinenda præſidiis, donec Francia debellaretur. Maſſilienſes ipſi legatos Romā miſerant deprecantes, ut cuius urbis imperio alii Principes inhiarent, eo oblato Pontifex uteretur. Sprevit oblata Pontifex, propter diſcrimina etiam ſi vinceret; vel vinceretur. Ampliſſimo vero Iubilæo propter res Gallicas indicto, quod Pontifex ab æde D. Suſannæ ad S. Mariæ Maioris, ſupplicantium Ordinibus pedes celebravit, Crux Legato traditur, Senatu Purpurato-

Pinæi ad Sixtum V. legatio.

Caietani legatio.

Maſſilienſium legatio ad Sixtum V.

Iubilæum Romæ.

torum de more uſquè ad Vrbis portas deducente. Vix Galliæ fines *Caietanus* attigerat, cum ſibi magnum impēdere negotium ſenſit. Offenſus Navarręus Legationem, ſe poſthabito, Lutetiam ad Fœderatos deſtinari; Legatum intercipi vehementer optabat. Fluctuanti viſum eſt, cœleſte conſilium per ſortes, quæ à Domino temperantur, exquirere. Re divinà religioſè peractà, ſacrum in calicem geminam ſchedam coniicit, quarum alteri inſcriptum erat: *abeundum*: alteri, *non abeundum*. Cum ſyngrapham extraxiſſet, quæ abitionem vetabat, veluti oraculo acquieſcens, ſuperſedit; paulò poſt certior factus, morę pretiū fuiſſe ſalutē: donec turmis Lotharingis confirmatus, Lutetiam venit; ubi *Sixti* diploma licèt iuri Gallico non per omnia conſonum expoſuit, quod Pariſienſis Senatus amicè ſuſcepit; Turonenſis autem contumeliosè, nam ipſum *Caietanum* ut regni perturbatorem proſcripſit. Ex adverſo Pariſienſis Senatus, & Sorbona edictum Turonenſe damnarunt. In eo tamen *Caietanus* erravit, quòd miſſus à Pontifice pacis ſequeſter, ſe totum fœderatis dedit, indignante Pontifice. Hiſpanus cum operam offerret ad Religionem in Franciâ conſervandam, & Romæ per *Olivarium* Oratorem ſuum, ut *Sixtum* in ſuas partes traduceret, precibus minas adiungeret; ita ſe geſſit *Sixtus*, ut in hoc negotio à Principibus negaret conſiliū accipere, ſed expectaret à Spiritu Sancto. Acceſſit interim Yuriacum pręlium, in quo amiſſis tormentis, & impedimentis, cęſis equitibus 800. fœderatorum phalanges ad deditionem coactæ ſunt, pridiè Idus Martii 1590. Ab hac die *Sixtus* nil ultrà tentavit contrà Navarræum: ſperans Regem ex hac victorià metu ſolutum, Catholicam Religionem induturum. Nequè Henricus in ſpeciem abnuebat: Iamquè invitari Turones iuſſerat Regni Antiſtites, ut coacto eà in urbe concilio, explicatis, quæ animo hærebant difficultatibus, Orthodoxę fidei præceptionibus inſtrueretur. Fidebat enim, ut per iſtas de Religione quæſtiones, quò promptiùs agitandas, eò tardiùs componendas, poſſet commodè moram trahere. Arcanum Regis opportunè juvit *Caietani* Legati interceſſio, communi epiſtolà (quam à *Roberto Bellarmino* compoſitam perhibent) Galliæ Antiſtites admonentis, *ut abſiſterent facto non inutili modò, ſed pernicioſo, & à Gallicanæ Religionis glorià maximè alieno. Quorſum enim tantorum Præſulum cœtus? ſi Navarræus brevem Catholicæ veritatis explicationem deſideraret. Ab uno, vel altero Doctore Theologo poſſet facilè informari homo iam Domeſticus in fide enutritus Romanà. Quod ſi ad diſputandum evocarentur nil aliud eſſe, quàm arbitros agere ſuper articulis fidei. Itaquè hortari eos vehementer, nè ſe ad huiuſmodi cœtus abſtrahi patiantur. Secus denunciare diras Pontificias, periculumquè nè à dignitatibus excidant.* Diſcuſsà per huiuſmodi minas convocatione Concilii; Lutetiam obſidere decrevit *Henricus*. Hiſpani autem ſollicitare Pontificem, ut inito fœdere inter ſe, clavo clavibus incumberet pro Rege eligendo Catholico, aliàs ipſi publicè in Eccleſià Lateranenſi ſoccordiæ *Sixtum* accuſarent, quòd tanto Religionis Chriſtianæ detrimento, regnum Chriſtianiſſimum pateretur ab hæreticis uſurpari. *Sixtus* autē, qui Religionem ſolummodò procurabat Catholicam neque in *Henricum* arma tractabat ut æmulum, ſed ut hæreticum, *Caietano* mandavit medium incedere, & ſi pœnitenti ſpem facere. Quæ ſubodoratus *Henricus*, dixiſſe fertur. *Magnus quidem vir Sixtus. Religionem amplectar Catholicam, ſaltem ut tanti Patris ſim filius.* Veneta Reſpublica cùm Regem ſalutaſſet Henricum; *Hieronymus Mattheuccius* Nuntius Apoſtolicus unà cum Hiſpano Oratore venit ad Principem irarum plenus, quia Hæreticum, & contumacem Sedis Apoſtolicæ, Regem dixiſſent. Satisfaciente Senatu; *Suum non eſſe, cauſas Religionis cognoſcere; nec cum Henrico egiſſe de rebus ſpiritualibus, ſed civilibus; reliqua Pontifici reſervaſſe*; minimè contentus Nuntius, inſalutato Duce, citatis equis Romam rediit, hoc rigore credens palpare Pontificem; qui peſſimè interpretatus Legati diſceſſum, iiſdem curſoribus Venetias remiſit inauditum.

Legati diſcrimen.

Yuriacū prœlium.

Navarræus Epiſcopos vocat Turones.

Caietanus obſtat.

Sixtus mandat Caietano Religionē procurare.

12. *Maria Scotiæ* decem, & octo Annorum fatigata carcere, ab Anno ſcilicèt 1668. uſquè ad 1586. coram Iudicibus accuſata de conſpiratione in Eliſabetham (qui priùs ſententiam mortis informarant animo, quàm eius confeſſionem audirent) ſe ità purgavit, ut Eliſabetha horrere ſimulans ad ſubſcriptione cogi voluerit. Anno ſequēti accepit Maria ſententiam, ut ſub Diocletiano Martyres, tria poſtulans, *Ritu ſepeliri Catholico; Mori coram domeſticis; Hos liberos dimitti.* Vitam ei conati ſunt impetrare *Henricus* Francus, & *Iacobus* filius; ſed illi parum *Eliſabetha* fidebat; in hunc Scotiæ miniſtros ſic armarat, ut vitæ ſuæ, quàm maternæ ſollicitior eſſet. XII. Kal. Mar. An. 1587. ad ſupplicium vocata venit, ut fęminæ venire ſolent ad nuptias: Crucem, ac Roſarium manu tenēs, ad locum perrexit martyrii. Hic ſe Catholicam profeſſa, datiſquè ad filium Iacobum ſanctiſſimis monitis, caput trunco ſuppoſuit, quod ei altero ictu reſciſſum eſt. Statim omnia inſtrumenta ſupplicii flammis abſumpta, nè quid à Catholicis ſervaretur. Sic periit *Maria Stuartia* propter fidem Catholicam, nullius alterius rea criminis, licèt etiam eius umbram Anglia perquiſierit, inſtabile hic experta Regnum, ut æternum conſequeretur, & ſtabile. *Eliſabetha* ut mentiretur dolorem, veſtem ſumpſit pullatam, carceri datis, ac pecunià mulctatis, qui urgebant iudicium, adeò mimicè, ut vix ipſa riſum contineret in ſinu ſuo. Eàdem ſe excuſante apud *Iacobum* Mariæ filium; coactus eſt miſer adoleſcens accipere excuſationem, ne fato ſuo matris fatum cumularet. Scribit *Bulengerus* Londini ignes arſiſſe lætitiæ.

Supplicium Mariæ Scotiæ.

13. *Philippus II. Hiſpaniarum* Rex ad vindictam excitatus Iuſtitiæ, & Religionis, à Romano Pontifice literis ſuà manu exaratis, conflavit claſſem navium centum, & quadraginta, quarum aliquæ ità grandes, ut arces viderentur fluctuantes, quibus impoſita erant armatorum viginti millia, cum octo millibus nautarum, & magnà volonum multitudine ex primarià Hiſpaniæ nobilitate, quibus omnibus præerant expertiſſimi duces, eiſquè *Parmenſis* ex Belgio claſſem ſuam adiuncturus erat. Ac nè quid ad opinionem Religionis, cuius ſolius causà ſuſceptam expeditionem credi volebant, deeſſet, adfuit & *Maſtinus Alarco* Sacro Sanctæ Inquiſitionis Vicarius Generalis, unà cum ducentis ferè omnium Ordinum Religioſorum ſacerdotibus. A Pontifice *Guillelmus Alanus* Lancanſtrenſis Theologus, qui Duaci, & Remis diù in Seminario Anglico profeſſus erat, & nuper inter Cardinales cooptatus,

iuſſus in Belgium procedere, & poſt Hiſpanorum appulſum in Angliam traiicere, ac Legati Pontificii vice in rebus Religionis plenâ poteſtate fungi. Claſſis hæc cum ambitiosè nimis *Invincibilis* diceretur, 29. Maii An. 1588. è portu ſolvens Oliſipponenſi, Corunnæ portum in Galliâ primùm tenuit; moxquè horridâ tempeſtate diſperſa, Anglo inſultante levioribus navigiis Græco igne, picequè reſinâ illitis, ingloria rediit amiſſis triginta duabus navibus, & decem millibus hominum. Rei memoriam ſignata nummiſmata ſervant cum claſſe paſſis velis fugiente ſub lemmate, *Venit, Vidit, Fugit*. teſte *Campanâ. Spondano. Bulengero.* Centum Cellis erat Sixtus cum triſte nuncium accepit, triremes diſponens, quas inſtruxerat contrà piratas, ut ex nummiſmatibus 11. & 14. pag. 401. licèt qui geſta Principum ſemper in peius interpretantur, Regnum dicerent adoriri Neapolitanum. Quòd primo ſui Pontificatus Anno, in canonem Regni Neapolitani aſturconem offerenti Hiſpano, verbis reſpõderit acerbis, ac in reditu Oratori dixerit. *Officium verè officioſum audivimus hodiè, quo regnum permutare meditamini cum bruto: ſed hoc forsàn non erit diuturnum.* Hinc concitatæ Neapolis tumultum augere meditatus, Oratorem, Iuſtitiæ ſpetie ad ſupplicia *Oſſunam* excitaſſe ProRegem clamando, duo populo neceſſaria *Panem, & Ferrum*: propreteà ab hac horâ diligentiùs excubaſſe Hiſpanos. Incerta omnia, & importuna (licèt Spondanus A. 1590. n. 19. huius regni avidum *Sixtũ* accuſet) ſi enim *Sixto* arcanum fuiſſet in Regnum irrumpere iocis iſtis Hiſpanos ad cuſtodiam non excitaſſet. Graviſſimâ tamen ſuſpicione laborans *Philippus* literis conſolatoriis eiuſdem Sixti prò claſſis naufragio ſequentia reſcripſit. *Grates agamus ană Deo, cuius clementiâ tanta ſupereſt naufragio claſſis, ut primo aliam non diſſimilem poſſim in altum ducere. Salvo fonte nulla eſt de rivulo ſollicitudo. Claſſem immiſi in hoſtes Chriſtiani nominis, non adversùs vota Dei* (Et quia *Sixtus* culpam naufragii in duces reiecerat) reſpondit Philippus: *Milites noſtri nullâ culpâ tenentur; quorum promiſſio non fuit debellare Ventos, & Maria.* Et quia Sixtus prò tanto naufragio nulla obtulerat auxilia; adiecit Philippus: *Ad communem iacturam naufragium ſpectat; quià cùm ipſe ad tutelam Eccleſiæ, inſtigante Pontifice arma ſumpſerim honorem iure mihi vindico amiſſæ claſſis prò Eccleſiâ Dei; Ipſa lugeat: quòd inpoſterùm Pontifici curam relinquam; & præeuntem ſequar, non præcedam.* Sic Olivarius cum Põtifici interloquebatur: *Amiſſa regnum tentando alienum, facile redimi poterunt; cum Philippus invaſus fuerit ab hoſtibus.* Hæc Hiſpanus Zelotypus imperii, & Pontificis ſubtimens excellam indolem. Chriſtianos tamen Sixtus diſcrimine ſatigatos nunquàm ſinè tutelâ reliquit. Hinc eodẽ tempore precibus excitatus eiuſdem Olivarii, nomine *Guillelmi* Ducis Bavariæ, *Ernesto* fratri Archiep. Colonienſi ferre ſuppetias, nè ab Hæreticis Schenckianis *Bonnâ* ſpoliatus, Coloniâ etiam pelleretur (ut ſcribit *Io. Guillelmus Schell. in Annal. Boiæ Gentis*) illicò delegato *Grimano* 50. millia ducatorũ cõtulit cum pretioſis muneribus, gladio cũ capulo gemmato, & pileo pretioſo, ut hiſce muneribus *Alexandrum Farneſium* in Hęreticos excitaret.

Sixtus auxiliatur Colonienſi

Philippus interim Rex Hiſpaniarum eâdem hebdomadâ, quâ naufragæ claſſis nuncium accepit, mandavit *Olivario* Oratori ſuo, ut Romæ cannnizationem urgeret *S. Didaci de Alcalà* ex Franciſcanâ familiâ quã per duos Annos elapſos efflagitaverat, *ut poſtquã tanta mari dederat; aliquid etiam Deo tribueret*: Canonizationis nũmiſma habes n. . . . . in quo *S. Didacus* crucem arundineam manu geſtat eo planè modo, vultu, & habitu, quibus eum in ſomnis conſpexerat *Carolus* Philippi II. Hiſpaniarum Regis primogenitus cum ipſum à gravi capitis vulnere, cœleſti virtute ſanavit. In hac canonizatione *Sixtus* orationem dicitur compoſuiſſe ſequentem, & forsàn in eà de ſeipſo loquutũ. *Deus, qui diſpoſitione mirabili infirma Mundi eligis, ut fortia quæquè confundas, concede propitiùs humilitati noſtræ, ut piis B. Didaci confeſſoris tui precibus ad perennem in Cœlis gloriam ſublimari mereamur.*

Sanctos canonizat.

Eodem Anno Sixtus *S. Bonaventuram Balneoregienſem* ex Ordine Minorum, inter Eccleſiæ Doctores adſcripſit; eiuſquè nomine in Baſilicâ XII. Apoſtolorum, collegium inſtituit, ubi ex eius commẽtariis ſacra Theologia explicaretur: illiuſq. feſtum quotannis duplicis Officii ritu recurreret; exemplo *Pii V.* qui S. *Thomam Aquinatem* eodem honore decoraverat.

14. *In Sarmatis* Anno Sal. 1686. Idib. Decemb. mortuo ex iracundiâ ob repudiatum Gregorianum kalendarium, & Ieſuitas Rigæ malè acceptos, Poloniæ Rege *Stephano Batoreo*; diadema prẹnſantes *Maximilianus* frater *Rudolphi* Imperatoris, & *Sigiſmundus III.* Suecus Annorum unius, & viginti ex *Ioanne* Suecorum Rege ſuperſtitione Lutherano natus (ſcribit Brietius Ioannem privatim in manibus Antonii Poſſevini Ieſuitæ ſectam eiuraſſe Lutheri) & matre *Catharinâ Iageloniâ* filiâ *Sigiſmundi I.* Poloniæ Regis, à quâ *Sigiſmundus* filius cum Iagelloniâ pietate, Chriſtianæ fidei amorem prò patrimonio acceperat; cum ſuffragiis non convenirent; ius datum armis, quibus *Maximilianus* victus, & cuſtodiæ traditus interpretem ſuæ libertatis *Sixtum* habuit Romanum Pontificem, miſſo Cardinali *Aldobrandino*, qui regnum *Sigiſmundo* firmavit, & *Maximiliano* libertatem aſſeruit, pace compoſitâ, & nuptiis confirmatâ inter *Annam Auſtriæ*, & *Sigiſmundum* Regem Poloniæ. Vulgaria hæc Principibus bello defatigatis amuleta.

Dat Regem Catholicum Polonis

15. *Laterani.* Lateranenſem Baſilicam inſtauratam à Sixtò V. probat Nummus (hunc tertium habes in tabulam) in quo Templum labitur, & S. Franciſcus adeſt cum Cruce. Conſonat *Ciccarellus* hiſce verbis: *Elegantiſſimum opus* Sixtus *ille Pontifex in Laterano conſtruxit ad populum benedicendum, in quo & varia pingi artificioſiſſimè fecit.* Myſticè etiam interpretari eum poſſumus, ut de moribus intelligeret; ſic enim melius aptatur S. Franciſci hiſtoria. Cæterum diſiecto vetuſto Laterani Palatio, aliud excitavit magnificentius. Porticum nobilem, ex quâ Populo benedictionem Pontifex elargitur, extruxit: ex quâ per arcus quinque, ad quos gradibus totidem aſcenditur in ipſam Baſilicam ianuis tribus eſt aditus. Aream antè porticum ampliavit, æquatis ædificiis, quæ hinc indè ſurgebant, ut recta ad Conſtantini Baptiſterium, Noſocomium Lateranenſe, & Palatium Apoſtolicum procedatur: Quod penè totum dirutum, & ſinè contignatione, reædificavit Latera-

Ædificia Sixti V.

nenſe Capitulum quatuor donavit *Mazzis* (ita vocantur)argenteis,quas miniſtri adhibent in ſolemnioribus. Sacrorum ſolemnia,non in ſacello Palatii Vaticani (undè huiuſmodi feſtivitates ſacella nuncupantur) ſed inſignioribus Eccleſiis celebrandà diſtribuit.

16. *Vaticani*. In ipsà S. Petri fabricà multa conſtruxit naui eiuſdem Eccleſiæ abſolutâ, quà non extat excelſior. In hoc opere continuò ſexcenti homines deſudarunt. *Cicarellus*. Septizonium Severi (ſic à ſeptem columnarum ordine dictum) cum magno eſſet impedimento, diſiecit; cuius marmora adiecit Baſilicæ. Nummum habes ſupra numero XV. cum epigraphe; *Super hanc petram*: & XVI. *Ecce Regnum Dei*.

Sacellum ad Præſepe cum Cardinalis inchoaſſet, abſolvit Pontifex; in quo tria ſepulchra, primum *Pio V*. ſecundum *Sixto V*. Tertium eius conſanguineis, additis Miniſtris, neceſſariiſquè redditibus.

17. *Ædificiis*. Romanā Vrbē tot ædificiis ornavit; ut renovare non inſtaurare voluiſſe, dicas. Vrbis Viæ publicæ primò ſe offerunt, de quibus Cicarellus, *In viis quoquè aperiendis, reſtaurandis, dilatandis ſtudioſus, Novam fecit, eamquè celeberrimam, cuius initium ab Eccleſiâ S. Crucis in Hieruſalem, ad Eccleſiam S. Mariæ Maioris extenditur, atquè hinc uſquè ad templum S. S. Trinitatis percurrit, tàm lata, ut quinquè ſimul iunctis carpentis tranſitum præbeat; Viam hanc à priori ſuo nomine Fœlicem nuncupavit. Fecit & alias duas, quarum principium eſt extrà portam S. Laurentii, harum unà ducit ad S. Mariam* Maiorem, *altera vineā Pontificis ab uno latere claudens ad Thermas* Diocletiani. *Quarta via incipit à S. Maria Maiore, & ad Palatium* S. Marci *extenditur*; ut in nummo ſub titulo *Cura Pontificia*, qui ſecundus in ordine tabulæ principalis. In plateà ad Thermas circà fontem Fullonicas in publicam utilitatem extruxit; in cuius fronte legitur,

Sixtus P. P. V. pauperum commoditati mulierum extrui fecit. A. D. 1588. *Pont. III.*

Bononiæ Collegium prò adoleſcentibus agri Picæni erexit, dotavit.

Sixtus V. P. M. ad Provinciæ altricis ſuæ uſum, Patriæ *decus, & Accademiæ* Bonon. *ornatum, Collegium hoc* Montis *Alti in quo delecti ab eius Vrbis communi ex agro Picano adoleſcentes, ad* Pietatem, *& bonas artes inſtruantur, inſtituit, Annuo cenſu ſtabilivit, decretis ampliſſimis communivit*. Henrico *Card. Caetano Legato. An. D.* 1587. Pontif. *III.*

Pio V. in Baſilicà Liberianà monumentum extruxit.

Monti Pietatis Domicilium ſuo ære coemit: quarè grati ſequentem poſuere inſcriptionem,

Sixtus V. P. M. *ad ſublevandam pauperum inopiam, Monti pietatis incertà in hanc diem ſede proprium hoc domicilium ære ſuo dicavit. An.* 1585. Pont. I.

Propè fontem aquæ Virginis, Lanariæ arti, & Fullonicæ ædificia conſtruxit.

Sixtus V. P. M. *Lanariæ arti, & Fulloniæ urbis commoditati, paupertatiquè ſublevandæ ædificavit, An.* 1586. *Pont. II.*

Eccleſiam S. Hieronymi Minorum, cuius fuerat Cardinalis, à Fundamentis extruxit; ut ex *Conſtit. Sapientiam Sanctorum* Kal. Aug. 1589. cum inſcriptione in Fornice Templi.

Ædem S. Sabinæ reſtauravit. Montaltum patriam ſuam complanato Monte in civitatem erexit, habitationibus exornavit, mœnibus munivit, Epiſcopatu cum annuis redditibus mille Coronatorum conſacravit.

Pontinas Paludes (ſunt iſtæ in Latio ſeù Campanià Romanà, inter Apii forum, & Terracinam, olim adeò patentes, ut XXIII. urbes (teſte *Plinio*, circunſtarent) quæ nondum exſiccari potuerant ob rivos aquarum confluentes, Sixtus curari mandavit. Vide nummum *n.* 19.

Scalas Sanctas, quas ſanguine aſperſas Ieſu Chriſti, è Hieroſolymitano Pilati Prætorio, Romam advectas Antiquorum traditio docet ex abiecto, & penè collapſo loco ad illuſtriorem propè ſancta Sanctorum religiosè tranſtulit; ſacellis additis cum Præpoſito, Cappellanis, Cle-

B *ricis, Oſtiariis, ut ex* Conſtit. Sixti n. 105.

Sanctiſſimā Dei Matrem Laureti cultam præcipuo ſtudio veneratus, eius intuitu Lauretum *urbem iure Civitatis, ac Sede donavit Epiſcopali. Eo ſedente ſacra huius ædis facies ad faſtigium perducta eſt; & eius portas ex ære celatas* 40. *aureorum millibus, ipſum Sixtum collocaſſe tradit Turſellinus, in quorum monumentum numiſmata habes*, X. *ac XVII. ſub lemmate* Fieri fecit. *IX.* Vrbs Lauretana. *XVII.* Domus Mariæ Lauretanæ civitas facta. Indè *muris cinxit, additis munimentis, undè diſplodi poſſent tormenta*.

18 *Xenodochiis*: Sunt hæc in capite Plateæ Iuliæ à latere Pontis Sixti in uſum pauperum *Mendicātium* extructa, & quindecim millium ducatorum proventu dotata, ut in eis bis mille homines poſſinthabitare. Nummum habes quartum numero in tabulà

C principali, cū epigrahe, *Pauperibus piè alendis extruxit.* In ſuperliminari etiam hæc ſculpta leges,

Sixtus V. P. M. Picenus, Pauperibus piè alendis, ne pane, veſtituquè careant, Multo *ſuo emptas ære, has ædes extruxit, aptavit, ampliavit, perpetuo cenſu dotavit, Anno* M. *D. LXXXVI. Pontif. II.*

Tria millia etiam Coronatorum prò annuà Captivorum redemptione è manibus Infidelium deſtinavit, Archiconfraternitati *Confalonii* adſcripſit cum ducentis mille aureis ad occurrendum diſcrimini frumentario.

19 *Obeliſcis*. Obeliſcum ingentem, quem quondam *Nancoraus* Rex Ægypti circà tempora Numæ Pompilii Heliopoli Soli erexerat, & *Caius Caligula* Romam indè advectum, Auguſto, & Tiberio Imperatoribus dicaverat, tunc neglectum humi iacentem in areà iuxtà Petri Baſilicam erigere decrevit, *Do-*

D *minici Fontana* Architecti mirabili induſtrià; cuius machinæ in libro ad hoc edito proponuntur. 37965. millium Coronatorum ſupputatis expenſis. Obeliſci altitudo ad 72 pedes excurrit. Marmor maculis rubeis conſpergitur, quod ideò priſci pyropirion, noſtri Graniton vocant. Antiqua erat inſcriptio.

D. Cæſari D. Iulii F. Auguſto Tiberio Cæſ. D. *Auguſti F.* Auguſto *Sacrum*

Inſcriptio, quā Sixtus appoſuit ad Septentrionem.

Sixtus V. Pont. Max.

Cruci invictæ Obeliſcum Vaticanum ab impurà ſuperſtitione expiatum iuſtiùs, ac fœliciùs conſecravit M. D. *LXXXVI. Pont. II.*

Ad Occidentem in Paraſtade

Chriſ-

Chriſtus vincit , Chriſtus regnat , Chriſtus imperat, A *Chriſtus ab omni malo Plebem ſuam defendat .*

Ad Meridiem

Sixtus V. Pont. M.

Obeliſcum Vaticanum Diis Gentium impio cultu dicatum ad Apoſtolorum limina operoſo labore tranſtulit An. 1586. Pont. II.

Ad Orientem

Eccè Crux Domini , fugite Partes adverſæ . Vicit Leo de tribu Iudà .

In ſummitate Obeliſci versùs S. Petrum

Sanctiſſimæ Cruci

Sixtus V. P. M. conſecravit . E priore ſede avulſum, & Caſſ. Augg. ac Tib. I. L. ablatum M. D. LXXXVI.

De huius erectione Obeliſci nūmiſma habes in tabulà principali numero 8. ſub lemmate, *Sacra prophanis præferenda .*

Alium Obeliſcum (hic unus ex duobus ab Imarre, & Eſre Ægypti Regibus cōfectus) à Claudio Imper. Romam tranſlatum, iuxtà Templum S. Mariæ Maioris erexit, cum epigraphe .

Sixtus V. P. M.

Obeliſcum Ægypto advectum Auguſto, in eius Mauſoleo dicatum , everſum deindè , & in plures confractum partes in vià ad S. Rochum iacentem , in priſtinam faciem reſtitutum, ſalutiferæ Cruci fælicius hic erigi iuſsit An. D. 1587. Pont. III.

In alterà facie

Chriſtus per invictam Crucem populo pacem præbeat , qui Auguſti pace in præſepio naſci voluit .

In facie Orientali

Chriſti Dei in æternum viventis cunabula lætiſſimè colo, qui mortui ſepulchro Auguſti triſtis ſerviebam .

In alià

C *Chriſtum Dominum, quem Auguſtus de Virgine naſciturum vivens adoravit , ſequè deinceps Dominum dici vetuit , adoro .*

Huius Obeliſci nummum habes in tabulà numero duodecimū, ſub lemmate. *Chriſtiani Populi Trophæum.*

In plateà S. Mariæ de Populo illum, qui *Semneſertei* Ægypti Regis tumulo apud Heliopolim ſepulta inſerviit primò; Cæſare Auguſto iubente Romam tranſlatum , & in Circo Maximo Soli ſacratum , *Sixtus* Cruci ſacravit Dominicæ.

Inſcriptio antiqua

Imper Cæſar Divi F. Auguſtus, Pontifex Maximus . Imp. XII. Coſ. XI. Trib. Pot. XIV. Aegypto in poteſtatem Populi Romani *redact. Soli donum dedit .*

Quam Sixtus V. appoſuit .

Sixtus V. P. M. Obeliſcum hunc à Cæſ. Aug. Soli in Circo *Maximo , ritu dicatum impio , miſerandà ruinà fractum, obrutumquè erui, transferri , formæ ſuæ reddi ;* Cruciq. *Invictiſsimæ dedicari iuſsit. A. 1589. Pont. IV.*

In alio latere

Antè ſacram illiusadem auguſtior, lætiorquè ſurgo , cuius ex utero virginali , Aug. imperante Sol Iuſtitiæ exortus eſt .

Huius Obeliſci geminum habes nummum XXI. & XXIII. Hunc ſub epigraphe *B. Mariæ de Populo . Quartum* Anno *quarto erexit .* Illum ſub epigaphe *Quartum* Anno *Quarto erexit .*

In plateà ædis Lateranenſis illum erexit , quem *Ramiſces* Ægypti Rex Thebis in ornatum Templi Solis , ſacris Aegyptiorum notis inſignitum quondàm erexerat, ſed à *Cambyſe* flammis, quibus Thebæ conflagrarunt, ſubtractū *Magnus Conſtantinus* Alexādriam, indè *Conſtantius* Romam deferri iuſsit , & in Circo Maximo collocavit,

Antiqua inſcriptio.

Fl. Conſtantius Aug. Conſtantini Auguſti filius Obeliſcum à patre loco ſuo motum, diùquè Alexandriæ iacentem , Trecentorum Remigum *impoſitum navi mirandæ vaſtitatis, per* Mare, *Tyberimq., magnis molibus* Romā *convectū, in* Circo *Maximo ponendum, S. P. Q. R. D. D.*

Nova à Sixto V. appoſita .

Sixtus V. P. M. Obeliſcum *hunc ſpetie eximià, temporum calamitate fractum, Circi* Maximi *ruinis, humo, limoquè altè demerſum multà impensà extruxit , hoc in loco magno labore trāſtulit, Formæ priſtinæ accuratè reſtitutum, Cruci Sanctiſsimæ dicavit* An. *M. D. LXXXVIII. Pont. IV.*

B Nummus conſonat in tabulà numero XXIV. ſub lemmate ; *Ad Lateranum , publicum conſiſtorium celebravit .*

Columnas *Traianam* , & *Antoninam* ſitu, & carie corroſas, fractas, atquè diſruptas reparavit Sixtus , in earumquè faſtigio, Apoſtolorum Principum ſtatuas æneas erexit ; ſicquè humiles Piſcatores exaltavit , Vndè nummus numero XIIX. ſub epigraphe , *Exaltavit humiles.*

Antiqua, & famoſa illa Phidiæ, & Praxitelis opera, quæ fracta obſcuro , ac minùs commodo loco latebant, ad Quirinalem Montem , propè Palatium Pontificium, in pervium, & patentem locum tranſtulit Sixtus cum inſcriptione ſequenti .

Sixtus V. P. M. *ſigna Alexandri* M. , *celebriſquè eius bucephali ex antiquitatum teſtimonio ,* Phidiæ , *& Praxitelis æmulatione, hoc marmore ad vivam effigiem expreſſa, à Fl. Conſtantino* Maximo *è Græcià advecta , ſuiſquè Thermis in hoc Quirinali* Monte *collocata, temporis vi deformata, ad eiuſdem Imperatoris memoriam , Vrbiſquè decorem, in priſtinam formam reſtituta; hic reponi iuſsit,* Anno *M. D. LXXXIX. Pont. IV.* Vndè nūmum habes numero XXIX. ſub lemmate , *Reſtitutà memorià Flavii Conſtantini .*

Pontem *Ianicularem* quondàm vocatum ſuper Tyberim, reparatum à *Sixto IV.* ideò *Pontem Sixtum* dictum, cum tandem *Sixtus V.* reſtituiſſet, *Pontem* appellavere *Fælicem* à priori nomine *Sixti V.* De hoc duo habes nummiſmata XXVII. & XXVIII. Hunc ſub epigraphe, *Publicæ commoditati*: Illum *Pons Fælix* An. *D.* 1589. Rivum etiam Anienis novo refoſſo alveo in Vrbem perducere cogitabat, quemadmodum meditatus dicitur *Claudius* Imperator; ſed diſſuaden- D tibus Talaſſometris, non eſt progreſſus .

20 *Aquaductibus* . In Quirinalem aquæ copiam deduxit , ut habes in nummo XXII. ſub epigraphe , *Publicum beneficium .* Vrbs enim (teſte Laertio Cherubino in Bullario) *ut in ipſis collibus incrementum acciperet , aquam , quæ in agro Columnæ , vià præneſtinà , ſiniſtrorſum concipitur , compluribus aquarum ſcaturiginibus auximus , & potiſsimùm A. quæ Martiæ (ſeù Virginis) quæ quià gelida , & ſalubris , ideò omnium aquarum iucundiſsima, & apud veteres ſaluberrima cenſebatur .* Ramo, *quem ex proprio aquæductu , magnà tamen ex parte diruto, deſumpſimus , uberioris aquæ copiæ in urbem abducendæ causà coniunximus, quæ ſimul iuncta, ſeptingentarum, & plurium unciarum*



TE VENIRE. DOMINE IVBE ME AD
CVRA PONTIFICIA
ANN. II.
VIGIL. ET. SACRI. THESAVRI. CVSTOS
1586
PRESIDIVM FOELIX
SPECTAT. IRRETORTO. ANNO. III. SACRA. OCVLO.
SVPER HANC PETRAM
ROMA
EXALTAVIT HVMILES
1587
1588
PVB. BENEFICIVM
PONS FELIX
PVBLICAE COMMODITATI
VNDA SEMPER FELIX
1588.

SIXTI V. PONT. MAX. EFFIGIES VNA CVM RERVM AB EO PRÆCIPVE GESTARVM MONVMENTO SCITE ELEGANTERQ. IN PARIO MARMORE AD IPSIVS SEPVLCHRI ORNATVM EXCVLPTA



rum quantitatem faciunt, immenſamquè hauſtu iucunditatem oſtentant, ductu ſinuoſo à capite millium paſſuum duorum, & viginti; eamquè per duos arcus inſignes in eodem aquaductu, ad perpetuum rei monumentum, everſos, alterum nimirum duobus ab urbe milliaribus, alterum verò intrà urbē ad portam S. Laurentii tranſire iuſſimus, & ſummâ totius Vrbis lætitiâ in montem Quirinalem, ad plateam S. Suſannæ tandem adduximus, & adductam de proprio noſtro nomine Fœlicem *appellavimus.*

Centumcellas etiam fontibus ornavit; undè inſcriptio.

Sixtus V. P. M. Centumcellas aquæ inopiâ laborantes fontibus ſublevavit. A. 1589. Pont. IV. Sixtus V. P. M. Claſsis Apoſtolicæ, & Fidelium navigantium commoditati fieri iuſsit. An. 1589. *Pont.* IV.

XV. Congregationes inſtituit.

21 *Legibus*. Conſiderans Sixtus ob negotiorum multitudinem, ac varietatem, quæ ex Orbe Chriſtiano deferuntur in Vrbem non omnibus parem eſſe Pontificem unum, quindecim Congregationes erexit; exemplo Moyſis quum ex ſoceri conſilio, Deiquè juſſu, Senatum 70. ſeniorum conſcripſit, qui cum eo onus populi ſuſtinerent, nè gravaretur ſolus; ad eum tamen cauſas deferrent graviores. Fuit 1. prò S. Inquiſitione Hæreticæ pravitatis jam anteà inſtitutâ, cui ipſe præſidet Papa. 2. Prò ſignaturâ Gratiæ, ut quæ gratiæ ex iudicum ordinariâ facultate expediri nequeunt, examinentur in eâ, & ſi honeſtæ concedantur. 3. Prò erectione novarum Eccleſiarum, unionibus, redditibus, ætate, qualitate promovendorum, & proviſionibus in Conſiſtorio promovendis. 4. Prò ubertate Annonæ Status Eccleſ. 5. Prò ſacris ritibus, & cæremoniis in adminiſtratione Sacramentorum, Divinis Officiis. 6. Prò claſse parandâ, & tutelà ſtatus Eccleſ. Initium huic Congregationi datum, quandò *Sixtus* triremes inſtruxit prò tutelâ ſtatus Eccleſiaſtici, ad quarum ſtructuram Cardinales conſuluit Romanos, vel natu ſubditos, ut faciliùs Populo neceſsarias expēſas imponeret: muſſitantibus cæteris Cardinalibus zelotypis, quòd ab Eccleſiaſtico vellet Sixtus eos paulatim excludere regimine. Propterea exterorum nomine querenti Cardinali Mediceo, *quod & ipſi nationalibus eſſent æquales, & Principes Eccleſiæ, Dei*; reſpondit Sixtus; *Eſſe quidem Principes in Eccleſiâ non Eccleſiæ*; unus enim Eccleſiæ Princeps, & Caput Romanus eſt Pontifex: Replicanti Mediceo; *Poſſumus ergo Domum redire*: abſolvit Papa, *Vos ſoſpitet Deus*. Supputatis ergo expenſis neceſsariis, eas geometricè Provinciis impoſuit ad numerum nonaginta millium Coronatorum. 7. Prò Indice librorum prohibendorum. 8. pro executione, & interpretatione Conciliorum Provincialium: Pontifici tamen reſervatis Fidei dogmatibus. 9. Pro vectigalibus, & tributis. 10. prò univerſitate Studii Romani. 11. Prò conſultationibus Regularium. 12. Prò Conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum non Regulariū; ac de Viſitatione Eccleſiarum. 13. Prò viis, pontibus, & Aquis curandis. 14. Prò Typographiâ Vaticanâ. 15. Prò conſultationibus ſtatus Eccleſiaſtici. De quibus omnibus eſt Conſtitutio An. 1588. die 11 Kalend. Februar.

Numerū præfigit Cardinalium.

Eodem Anno 3. Non. Decemb. numerum præfixit, ordinem, qualitatem, ætatem Cardinalium, ut 70 non excederent. Quatuor ſemper ſeligerentur ex Ordinibus Regularibus Mendicantium, S. Theologiæ Magiſtri. Locus aliquis ſemper vacaret in prœmium inſervientium Eccleſiæ Dei. Ad reformandos Conventuales, & confirmandos Clericos Regulares leges edidit ſalutares.

Vrbis Regiones decernit.

Romanæ Vrbis XIII. Regionibus aliam adiecit; *Suburbiā* enim quartam decimam Regionem eſſe voluit, & pro inſigni Leonem pyra tenentem conceſſit.

Contentio de titulis.

Hominum petulans cùm ſe ſe extuliſſet ambitio, præcipuè in Hiſpaniâ; ut abhorrentes nomina propria, novis, inſuetiſquè uterentur titulis; huic malo in ſuis regnis *Philippus* obſiſtendum ratus, edicto (quod Pragmaticam vocant) ſanxit, nè quis præter Hiſpaniæ proceres (hi ſunt qui tecto capite adſtant Regi) Duces, Marchiones titulo Domini uterentur. Ex hoc decreto ingentes Oratorū querelæ. Sixti Nūtius rem ad Pontificem ſpectare; Cæſaris Legatus ad Imperatorē trahere. Venetorum Orator nè ſe inaudito, quidquam innovari cū urgerent. Commotus *Sixtus* à Rege efflagitat, edictum corrigi: rem ad Cardinaliū Collegium defert: Philippum in excommunicationē lapſum cenſere: librorum vetitorum Indice Pragmaticam recenſendam: Cardinales anathematis pœnâ ab eius obſervatione prohibet. Cunctatione tamen Hiſpanus (ſalvo edicto) controverſiæ finem impoſuit. *Andreas Maurocenus l. 13. Hiſtor. An.* 1587.

Militiā ordinat

Militiam qui diſpoſuit togatam, armatam non neglexit, conſcriptis in albo hominibus totius Imperii Eccleſiaſtici, qui arma tractarent Ducibus conſtitutis, & Centurionibus in quàlibet civitate, ut ſinè tumultu ad tubæ ſonitū convenirent ſub ſignis. Hinc Anno 1599. in bello Ferrarienſi *Clemens* VIII. intrà menſem ſuprà viginti millia peditum, & duo millia equitum in caſtris habuit.

Fœdus cū Helvetiis.

Anno 1586. excepit Romæ Helvetiorum Oratores, quibus Legatum conceſſit Apoſtolicum *Io. Bap. Santorium*, ut ibi Iuriſdictionē Apoſtolicam manutenerct, & Fidem procuraret Catholicam adverſus vicinos Proteſtantes, fœdere iurato perpetuo, ſanguine etiam defendendi Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam Immunitatem, propterea tam in civilibus, quā in criminalibus ſolus ipſe Clericos iudicaret. Fœdus hoc magno Fidei percuſſum eſt incremento: erectis cœnobiis Capucinorum, qui legibus, & exemplo Evangelium prædicarent.

Bibliothecam inſtaurat.

22. *Bibliothecam* propè hortos Vaticanos, amplo cubiculis, & porticibus ædificio, libris per pluteos diſpoſitis à fundamentis exædificavit, ac variâ, eruditàquè picturarum venuſtate decoravit. *Angelus Roccha Ep. Tagaſtenſis* de ſuo addidit Bibliothecæ ſcripta ſequentia:

Sixti V. ſcripta.

Conciones Italicas de Conceptione B. M. V. *Concionum tomos II.* M. *S. dixit habere apud ſe Lucas Vadingus einſdem Sixti manu exaratas. Purgavit Opera S. Ambroſii, & typis vulgavit. S. Bonaventuræ Opera typis Vaticanis edi curavit. Bullarum ingens volumen. Epiſtolas multas. Sententias, Monita* ad Cardinalem Montaltum nepotem ſuum, quæ omnia extare dicuntur M. S. in Anglicanâ bibliothecâ Bodleianâ.

Sacræ Scripturæ Codices adhibitis antiquiſſimis M. S. Codicibus, inſpectis quoquè Hebraicis, Græciſq; fontibus, conſultiſquè veterum Patrum teſtimoniis, priſtino nitori reſtituit. Verum in calce operis Pontifex oculatiſſimus aliqua deeſſe, & alia præli vitio

irrepſiſſe deprehendiſſet, opus ad incudem revocari præcepit. Quod demùm licèt perfectum, illo decedente, quaſi interciſum, brevi trium Rom. Pontificum *Vrbani VII, Gregorii XIV. & Innocentii IX.* vitę curſu, paulò poſt *Clementis* VII. inaugurationem, ſub *Sixti V.* nomine fœliciſſimè prodiit: quidquid ogganniat *Brietius* in ſuis Annalibus.

Græcam Interpretum LXXII tranſlationem cum interpretatione Latinâ prædictis typis Vaticanis, An. 1588. publicavit.

Sixti V conſtantia.

23. *Mortalis*, bis Sixtus morbo tentatus lethali, Anno 1590, quo tandem obiit, corpore quamvis decumberet, animo fortis quieſcere numquam voluit. Suadenti Nepoti ſe ſe ad quietem componere, reſpondit; *Oportet Principem mori ſtantem, & more luſciniæ, canendo*: ità Baldus Cataneus. Viribus deſtitutum, & ſemianimen cum medicus tetigiſſet in ſummitate narium, ut ex calore dignoſceret vivum, an mortuum; excitatus rigidè obiurgavit medicum, quòd auſiſſet tangere nares Pontificis. Facetum hoc, ſed arcano non vacuum; *Vt Principes vel ſemianimes naribus circumduci* (ut eſt proverbium) *à ſubditis non permittant.* Ægrotavit ſecundò A. 1590, quòd *ab Hiſpanis impetitus, ingentiquè* (teſte Mauroceno l. 14.) *curarum æſtu fluctuans, levi correptus morbo, qui ſenſim nimio æſtatis fervore invaluit, graviſſimo Pontificatus onere preſſus exceſſit.* Scribunt alii (inter quos *Brietius*) ex iracundiâ, vel ex Arthritide, vinoquè Græco, ut dolores ſedaret ſuos liberaliùs hauſto obiiſſe. *Et viventi cum populi Romani decreto ad egregiam geſtorum ſuorum memoriam poſteris tranſmittendam, ſtatua in Capitolio erecta eſſet, eam Romani nobiles aliquot, cum popularium manu, quos fortaſſe Sixti ſeveritas attigerat, magno tumultu deiicere, ac proſternere ſunt conati, re ad Purpuratorum Collegium delatâ, ſtatim Columna Coneſtabilis, Marius Sfortia miſſi, qui multitudinem ſiſterent furentem, neque Optimè merito Pontifici iniuriam notam permitterent, quod egregiè præſtitere. Eo caſu permotus populus Romanus ſanxit, nè inpoſterùm viventi Pontifici ſtatuas excitare liceret.* Maurocenus *ib.* Mortis cauſa ex vigiliâ diuturnâ, & corporis curâ neglectâ. Primâ ſuæ electionis die, licèt interroganti coquo *quid apponendum in mensâ?* ſterni mandaſſet more regali ad argumentum animi excelſi; dietim tamen alimenta exigebat viliſſima. Induſia, cum indueret conſarcinata, ſorori *Camillæ* improperanti, indecoras Pontifici illas eſſe ſubuculas, reſpondebat *Natalium recodaretur, eaſquè Perettæ Domus prima inſignia fuiſſe.* Hæc illa *Camilla*, quàm in exordio Pontificatus, Cardinales Medicœus, Eſtenſis, & Alexandrinus ex Monte Alto Romam evocatam veſtibus indutam phrigiis cùm ad *Sixtum* adduxiſſent, non agnoſcere ſimulans, ſororem introduci iam introductam urgebat. Hanc Alexandrino manu tenenti, *Eccè Beatiſſime Pater*, & dicenti, repoſuit Sixtus: *Vnam habemus ſororem natu ruſticam, quam in cryptis reliquimus. Hæc autem domicella Romana, & nobis incognita* Quo dicto abiit. Die ſequenti Camillam redeuntem cum duobus nepotibus, honeſtis, ſed non pretioſis indutam veſtibus, ſtatim ac vidit, ruens in amplexus, *Hæc vera noſtra ſoror* (inquiēs) *quę à nobis, non aliundè habebit Principatum.* Remiſit in vineam S. Mariæ Maioris, datis redditibus ad honeſtè vivendum eâ conditione, ut Pontificem nunquàm aliquid rogatum accederet. Et ſanè intrà ſex menſium ſpatium, hanc unam retulit gratiam Neapolitanis Indulgentiam prò Eccleſia *Refugii*. Hiſpani ſuſpicione non vacarunt veneno ſuſtuliſſe Pontificem, qui Regno dicebatur inhiare Neapolitano. Verius crederem ab ipſis moleſtè impetitum contrà Regem Galliæ, curæ tandem ſuccubuiſſe. Animam efflavit in ſinu Cardinalis *Caſtaneæ* piè, & omnibus munitus Eccleſiæ ſacramentis. Morbo petitus negotia non dereliquit, nequè Pietatis officia; die namquè XIIX. Auguſti, deſcendit in templum S. Mariæ, Nationis Alemannæ, ut abiurationi aſsiſteret cuiuſdam Hæretici, pedes eundo, & redeundo.

Humilitatis ſuę memor.

Conſanguineos non patitur ſuperbire.

Mors pia Sixti V.

Eius cadaver aromatibus conditum, triduò more maiorum Populo in Vaticano expoſitum, & ibidem lateritio ſepultum monumento, tranſlatum poſteà in Baſilicam Liberianam, in ſacello Præſepis, quod ſplendidiſſimè ædificarat, & in ſepulchro humatum, cuius typus tabulâ exhibetur ſequenti.

Elogia ad tumulum Sixti V.

Sixto V. P. M. ex Ord. Minorum Alex. Perettus S. R. E. Card. ViceCanc. ex ſorore pronepos perfecit.

Sixtus V. P. M. Cupri ad litus Superi Maris in Picæno natus, Montalti educatus Fr. Fœlix Perettus ex Ord. Min. Theologus, & Concionator inſignis: Hæreticæ Pravitatis Inquiſitor, ſui Ord. Proc. Generalis à Pio Papa IV. P. M. cum Hugone Boncompagno in Hiſpaniam miſſus Card. Legato Apoſtolico.

Pio IV. P. M. ob ſpectatum fidei zelum eximiè charus, ab eoq. Epiſcopus S. Agathę, & S. R. E. Card. factus, magniſquè negotiis adhibitus, ſummo ſacri Collegii conſenſu Pont. M. creatus toto Pontificatu Iuſtitiæ, Prudentiæ, animiquè magnitudinis laude floruit.

B. Didacum Hiſpanum ex Ord. Fr. Minorum, Philippo Rege Catholico ſupplicante, in Sanctorum numerum retulit: captivis redimendis, pauperibus in cuſtodiâ incluſis, ad æs alienum diſſolvendum, virginibus dotandis fructus annuos attribuit: victum per Vrbem oſtiatim quærentibus Domum, in quâ alerentur, ædificavit.

Hippolytho Card. Aldobrandino Leg. in Polon. miſſo, controverſias inter Auſtriacam Domum, & Sigiſmundum Poloniæ Regem compoſuit; exulum & perditorum hominum licentiam coercuit; publicam tranquillitatem reſtituit: Vrbem ædificiorum magnificentiâ, in primiſquè Vaticanâ teſtudine ornavit; Aquam Fœlicem opere ſumptuoſo adduxit.

Plures viri doctiſſimi laudarunt Sixtum, inter quos Lelius Peregrinus orationem habuit funebrem. Guillelmus Blancus in Sixti nomen ſic anagrammate luſit.

Sixtus Quintus de Monte Alto.
Tantos exules domuit.
Carolus Borbonius Card. de Vendoſme
Sixtus Quintus de Monte Alto.
Mons tuus, in quo ſtat Lex Dei.
Auctoris incerti
Sunt alti Montes, altus Leo, ſydus, & altum
Corde tamen Sixti Mons, Leo, Stella minor.

Guillelmus Blancus, Vincentius Robardus, Franciſcus Bencius, Hieronym. Catena, Ludov. Iacob. à S. Carolo, Cæſar Raſponius de Baſil. Later. Franc. Suareſius in panegyri, Marius Panſa de gloriâ Sixti, Petrus Gagliardus in elogio, Hieronym. Badeſius de ſa-

ſacello Exquilino, Paulus de Angel.s in deſcrip:. Baſilicæ S. Mariæ Maior., Petrus Galeſinus de tranſlat. Pii V. Coſmus Gacius, Nicolaus Rocius, Franc. Bordinius, Alphonſus Caſtel Blancus, Paulus Bombinus, Mauritius Breſſæus, Scipio Dupleis, Conſalvus Ponce de Leon, Io: Baptiſta Regnauld, Conſtātius Cardinalis Sarmanus, Titus Proſper Martinengus, Bernardinus Manzonius, Guillel. Blancus, Gregorius Picca, Ioſeph Caſtalio, Gaſpar Ancharanus, Pompeius Vgonius, Ioſeph Stephanus Valenrinus, Iacobus de Valle, Lælius Peregrinus, Caſtor Durantius in tabulà univerſali, Io: Antonius Pereitus Tarentinus, Tullius Cardulus, Io: Stella, Cæſar Cardinalis Baronius, qui Annalium ſuorum partem, & notas ad Rom. Martyrol. ei dicavit, Baldus Cataneus, Andreas Maurocenus.

24 *Affinibus*. Amavit quidem Sixtus conſanguineos ſuos, ſed uſquè ad aras. Alexandrum Perettū de Monte Alto ex ſororis Camillæ filià pronepotem An. 1589. annos agentem 18. Cardinalem creavit excelſæ indolis juvenem, hac tamen conditione, nè quid peteret; vel ſibi arrogaret. *Quæ enim ipſe ſibi uſurparet, plena anathemate germinarent in labruſcas. Quæ verò Manus daret* Apoſtolica, *uberrimam redundarent in ſegetem*. Extruxit ei propterea domum, vineamquè Regalem in vico S. Mariæ Maioris; redditibus ditavit honeſtis, ſalvo ſemper Eccleſiæ iure. Hinc mortuo Cardinali *Philippo Boncompagno*, nepote Gregorii XIII. Officium vacavit ſummæ Pęnitentiariæ, quod cum aulici conferendum Montalto crederent nepoti Pontificio, licèt ob immaturam æta- C tem inæquali (poterat enim coadiuvari V. Pęnitentiario) Sixtus totà plaudente Romà Cardinali contulit *Aldobrandino*; nepotem verò Cardinalē, eiuſquè fratrem aliis ditavit beneficiis, ut viverent more Principum. Duas Proneptes honeſtis collocavit matrimoniis, alteram *Virginio Vrſino*, alteram Principi *Columnæ*, nullo tamen Eccleſiæ detrimento, cuius exaltationi totus intentus, Montium aliqua loca erexit, Equites Lauretanos inſtituit. Commiſſarii Cameræ Apoſtolicæ, Theſaurarii, vices Camerarii habentis, & Archivii Officium ab eo ordinatum vendidit. Profuſas aulicorum ſportulas ab aliis Pontificibus dari ſolitas partim minuit, partim delevit. Contradicenti Cardinali *Caſtanea*, Officiorum venditionem ſcandaloſam fore, reſpōdit: *Ritum novum nos meditamur vivendi; & pro ſervitio ſtipen-* A *dia exigere, non dare cogitamus. Etiam S. R. cum erit Papa idem faciet.* Caſtaneam enim ſuum prævidebat ſucceſſorem, aliaſquè dixerat; ut cùm in vià quam Sixtus à S. Cruce ad S. Mariam Maiorem, & indè ad Trinitatem Montium ſtraverat, comitarentur, *Hanc* (inquit Sixtus) *abſolvet Caſtanea*. Paulò antè quā moreretur, menſæ accumbens, manum extendit ad pyra, quibus delectabatur ad natalium ſuorum memoriam, nactuſquè primum putridum, & corruptum, extendit manum ad ſecundum; idem cum contigiſſet de ſecundo, & tertio, proiecit omnia, dicens; *cum nauſeent pyra Romani; opus eſt illis præbere caſtaneas*. In pyris ſeipſum intelligens (tria namquè pyra pingebat in ſtemmate) in caſtaneis Cardinalem *Caſtaneam*. Eidem aliquando dixiſſe fertur. *Cum pyra Beadant, incipiant exuberare caſtanea*.

Conſanguineos diligit.

Aulam reformat.

Prædicit Caſtaneā ſucceſſorem.

25 *Theſauros*. Periculis Sixtus meditatus occurrere, quæ Chriſtianis imminēt præcipuè à Turcarum tyrannide, ſi pecunia deficiat; Ærario Pontificio ad Hadriani arcem, quinquagies centum aureorum millium depoſuit, quæ ob ſolas cauſas in ſuo expreſſas diplomate, illinc extrahere nulli unquàm licère conſtituit; licèt ea congeſſiſſe plurimi credant ad recuperandum Regnum Neapolitanum, ſi mors *Philippi* in eius Pontificatum incidiſſet, *Brietius*. Veritas eſt, quod in Turcas paraverat; nam inſtanti Cardinali *Caſtanea*, quòd etiam ad profligandos Galliæ Hæreticos facultatem concederet; negavit dicens: *Nos ad tutelam Catholicorum pecuniam coacervavimus; veſtrum erit, in ſuo Pontificatum aurum quærere ad debellandos Hæreticos.* Tantæ pecuniæ nullo populi onere, ſed Pontificià potius parſimonià, & frugalitate comparatę, memoriam ſervat nummus *numero VIII.* in quo Leo gentilitius ſcriniis incubat, ſub lemmate, *Vigilat ſacri theſauri cuſtos An.* 1586. Et quia pecuniam illam tempore condidit diverſo, alterum nummum percuſſit Anno 1587. in quo pariter Leo excubat ſub epigraphe, *Sacra oculo ſpectat irretorto*. Vndè tantos theſauros hauſerit Sixtus? videant Succeſſores, chariſmata æmulantes meliora. Totus eius Pontificatus unico poteſt explicari nummiſmate, quod habes *n.* 16. in quo thiara cęlitus ei miſſa à Spiritu Sancto, columbæ ſpetie, quam ſupplex cum D. Franciſco, cuius erat alumnus, recepit ſub lemmate, *Ecce Regnum Dei*. Leo, & Canis hic aſſidentes ſummam Sixti vigilantiam, & non vulgarem animi fortitudinem demonſtrant.

Theſauros ex parſimonià congregat.

VR·

URBANUS SEPTIMUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXX.



Patrem familias optimè recordatus Urbanus, cui rationem reddere villicationis tenẽtur ſervi, negligentiâ etiam obſtricti leviſſimâ *Matth.* 25. cum breviſſimo XIII. dierum iuſſu abſolviſset Pontificatum, ut rationibus ſe eximeret ſupputandis, etiam Collectorem, quem legaverat in Hiſpaniam, revocavit.

Eligitur Anno Sal. 1590. *die Sabbathi* 17. *Kal. Octob. horâ* 13. *Obiit An. Sal.* 1590. *die* 5. *Kal. Octob. Cum ſediſſet dies* 12. *Vacat ſedes Menſ.* 1. *dies* 19.

ELOGIVM.

Anni Sal. Vr 1590. VRbanus[1] Is Septimus, Pontifex Romanus,
Qui ita appellari voluit, ut ſi non eſſet, fieret.
Chriſtophori Iacobatii nepos, & alumnus,
Patruum æquavit ſtudio, ſuperavit Iuſtitiâ.
Peruſii, Bononię, Patavii audivit Legũ interpretes:
Non una tanto ingenio Accademia ſatis.
Iura exemplo æmulatus, non calamo;
Quæ membranis alii, ipſe moribus cuſtodivit.
In Galliis prima ei Legationis elementa:
Indè Iuſtitię Referẽdarius, Archiep. Roſſanẽſis,
A Fano, Peruſio, Vmbriæ Præpoſitus,
Pacis interpres inter Tranenſes, & Spoletanos, Anni Sal. Vr 1590.
Mox ad Tridẽtinũ Cõciliũ[2] eâ poteſtate venit,
Ut nihil eo inconſulto Patres decernerent.
Indè ad Hiſpanos,[3] & Venetos[5]
Vaticinio nõ inani in Turcas excitavit, & vicit.
Romã regreſſus, infulã poſuit[4] Archiepiſcopalẽ,
Nullo penſionis fœnore.
Exemplum aureum, & unicum in ſæculo ferreo!
Bononiam chariſſimam patriam ut ſervaret


VRBANI VII. PONT. MAX. MONVMENT. IN ECCLES. B. M. SVPER MINERVAM.
PONTIFICIS
SYMBOLVM
D. O. M.
VRBANO VII.
CHRISTIANÆ REIPVBLICÆ BONO NATO
FVIT BENEFICIO NATVRÆ COLLATVM
OB AMPLIFICATOS SINE EXEMPLO REDDITVS
DEDICAVIT.

Anni Sal. Vr 1590. I.

A

Gregorius XIII.
Non minus à lue, quàm à ſcelere,
Urbano commendavit. (gi;
Coloniã[6] miſſus, ut Belgas cõciliaret Regi, & Le-
Sacro eſt receptus elogio.
Homo pacis, in quo ſperavi:
Donatus purpurà, & Inquiſitionis magiſterio,
Inquiſivit primò contrà ſeipſum:
Ut ſecurè inquireret adversùs Hæreticos.
Mortuo *Sixto V.* Senatu diſſono,
Venit è Cęlo Spiritus Sanctus,
Per quem in Urbano convenère omnes.
Ipſo ſolummodò [7] excepto
Qui oneri ſuppoſuit humeros
Ne diſſentiret à Spiritu Sancto.
Pontificatum exorſus contrà familiam,
Nepotes[8] abeſſe voluit licèt divites, & nõ inutiles,
Ut liberè plecteret aulicos delinquentes.
Petrum [9] Melinum collectorem Apoſtolicum
Hiſpaniam cũ legaſſet; prævisà morte, revocavit
Nè rationem vel optimi facti redderet.
Sixti [10] quæ abſolvit ædificia,
Eius etiam exornari voluit inſignibus,
Nè gloriam crederetur uſurpate alienam.
Quamvis ære ſuo alienos exornaret triumphos.
Aulam, aulicos illis veſtivit aulæis, (dotis
Ut cũ maieſtate Prĩcipis ſtarẹt humilitas Sacer-
Intrà treſdecĩ dies ſolvit Roma obſequia, exequias.
Coronam obitu intercipiente[11]
Quòd in Cęlo Dei manibus coronandus.
A morte importunà credens opportunè vocari,
Gratias egit[12]
Nè apochas ſolvere teneretur Pontificatus.
Monſtravit tamen qualis eſſet futurus:
Curatà Annona, [13] profuſo in pauperes patrimonio
Vnà ſibi impoſita lege, quam Chriſtus Petro:
Paſce oves meas.

B

Egredientem chorus excepit Angelorum
Qui morienti aderãt ſpetie avium[14] canentium.
Eo more obiit, quo in Cruce Chriſtus,
Soli gregi attentus, & intentus.
Familiã quanti faceret? oſtendit in teſtamento,
In quo Deiparam[15] hæredem fecit univerſorũ.

ADNOTATIONES IN URBANO VII. PONT. ROM. CCXXX.

Natalis Vrbani

1. URbanus huius nominis *ſeptimus*, antè Pontificatum *Io: Baptiſta Caſtanea*, civis Romanus, natus Anno Sal. 1520. pridiè Nonas Auguſti, ex patre *Coſmo Caſtaneà* patritio Genuēſi, & matre *Cõſtantià*, quæ *Iulii Riccii*, & *Marię Iacobatia* ſororis *Dominici Iacobatii* Cardinalis filia fuit. Duos celeberrimos Cardinales, *Iacobatium*, & *Hieronymum Verallum* ſortitus avunculos, cuſtodes ſuæ adoleſcentiæ, Romæ humanioribus literis, Peruſii autem, Bononiæ (quæ Vrbanum laureà inſignivit doctorali) & Patavii gravioribus diſciplinis, præcipuè Iuris ſcientià ſimul animum expolivit, & animam virtutibus exornavit.

Studia.

Oficia.

Apud Cardinalem Verallum primò Auditoris munere functus: indè ad publica munia gerenda accedens, Advocatus Conſiſtorialis cauſas frequenti Patrum Senatu dixit; mox ordini eorum adſcriptus, qui eas ad Pontificem referunt, *Hieronymum Verallum* in Gallias proficiſcentem comitari iuſſus, obſignandis libellis pręfectus eſt. Romã rediens, Signaturæ Iuſtitiæ Referẽdarius creatus, eiuſdem Cardinalis reſignatione Roſſanenſem Eccleſiam Metropolitanam à Iulio III. Rom. Pont. regendam ſuſcepit: Poſteà ab eodem Pontifice, Fani; à Paulo IV. Peruſii, & Vmbriæ gubernationi præfectus, à Pio IV. ut excitatas inter Spoletanos, & Interamnenſes de confinibus altercationes pacaret, electus; mox ad

2. *Tridentinum Concilium* eà exiſtimationis famà venit, ut Pius IV. Legatos ſuos monuiſſe feratur, *nè inconſulto Caſtaneà Archiep. Roſſanenſi, quidquã agerent*, teſte Ciaconio. Propterea componendis de Diſciplinà eccleſiaſticà decretis præpoſitus (teſte *Pallavicino l.* 18. *c.* 11.) concilium, fidelitatem, prudentiam, eloquentiam oſtendit, ſingulariter in cauſis matrimonii clandeſtini, de Reſidentià Epiſcoporum, de communione ſub utraquè ſpetie.

3. *Hiſpanos.* Poſt Tridentinum Concilium miſſus in Hiſpaniam Nuncius Sedis Apoſtolicæ, & *Hugoni Boncompagno* Cardinali ad *Philippum II.* Regem Hiſpaniarum Legato comes aſſociatus amicitiam cũ luit cum *F. Felice Peretto* (qui poſtea Rom. Pont. nomine Sixti V. quem Theologi titulo ſecum duxerat Legatus) & ſępè ab imminenti diſcrimine liberavit.

Nuncius ad Hiſpanos.

C

Fervidi namquè ingenii Perettus cum turpi iurgio ſępè conflictaret cum domeſticis ipſius Legati eò venerat, ut cogeretur ſeceſſum meditari, ni *Caſtaneà* interprete, & moderatore reconciliatus cum Legati cubiculario, conſilia pacis ſequutus fuiſſet. Hinc *Perettus* Pontifex dictus huic uni quandoq; commendabat arcana ſua, & conſulebat, ſperans etiã habere ſucceſſorem. Septennium in Hiſpanià manſit Nuncii titulo, magnà ſui nominis famà. Quo tempore Regis Philippi filiam *Iſabellam* è ſacro fonte ſuſcepit, & fœdus initum inter Pontificem *Pium V.* Philippum, & Venetos, quo Turcica claſſis eſt profligata, multum promovit. Poſt hæc Romam regreſſus, inſulam

Amicus Sixti V

4. *Archiepiſcopalem* nullà reſervatà penſione, renuntiavit, non ſine aulæ admiratione, & invidià; quòd ſolum Caſtaneam non teneret auri ſacra fames. Ad

Archiepiſcopatum renuntiat ſinè penſione.

D

5. *Venetos.* indè Legatus à *Gregorio XIII.* (teſte *Pompeio Vgonio in orat. Funeb.*) graſſante peſtilentià, coactus de unà civitate fugere in aliam, Bononiam diverteret à Pontifice amantiſſimè monitus, ac paulò poſt eiuſdem civitatis iuſſus ſumere gubernacula: nempè ut duæ res Gregorio chariſſimæ mutuo ſe beneficio conſervarent, hic à Cœli contagione hoſpitio Bononiæ; Bononia Gregorii patria à contagione ſcelerum virtute Gubernantis.

Legationes.

6. *Coloniã.* Noviſſima *Caſtaneæ* legatio ad Belgas, fuit ut inter eos, & Regem Philippum pax decora Sedi Apoſtolicæ, & utilis iniretur. Coloniam cum veniſſet biennio cauſam Cęſaris, & Eccleſię ſuſtinuit,

Cardinalis.

ut *homo pacis* ubiq. diceretur. Legatione honotificè A perſunctus, totius Sratus Eccleſiaſtici, & S. Inquiſitionis Conſultot, ac tandē A. 1683. pridiè Idus Decemb. inter presbiteros Cardinales tit. S. Marcelli telatus, biennio eiſdem Congregarionibus ptæfuit; teliquo Gregorii Pontificatu, Bononiam miſſus, eius urbis legationem paternè tractavit. Regnante verò *Sixto V.* Regularium, & Epiſcoporum Congtegationibus adſcriptus, & Eccleſiaſtici Status, iuſſu Pontificis ad querimonias audiendas deputatus, eàdem ſemper animi moderatione, quà multis propè anteibat, munera exercuit. Mortuo Sixto Conclavis miniſtri, qui pinguiotibus ſemper ſolent inhiare proventibus, privilegiorum ſuotum obtinuetunt, vel extotſerunt confirmationem. Decano namquè S. Collegii *Antonio Sorbellonio* Card. Oſtienſi ſubſcribere renuente, confugetunt ad *Aſcanium Columnam*, *& Sfortiam* Cardinales, quibus intercedentibus Decanus ſubſcripſit; Reliqui Cardinales ſeiunctim circumventi non ſolùm confirmatunt, ſed vetera ampliarunt ptivilegia tenoris infraſctipti.

Eligitur Papa.

Nos Epiſcopi, Presb. & Diaconi infraſcripti S. R.E. *Card. Conclaviſtis noſtris, qui intrà ſepta dicti Conclavis nobis famulantur, promittimus, quemlibet noſtrum conceſſurum, & indulturum omnes, & quaſcumquè gratias, conceſſiones, & indulta tàm ſpiritualia, quàm temporalia, alias per fel. recor. Sixtum Papam V. eiſdem Conclaviſtis in Conclave, in quo ipſe ad Apoſtolatus apicem aſſumptus fuit, exiſtentibus conceſſas, & indultas. Inſuper & facultates eiſdem Conclaviſtis conceſſas transferendi penſiones, vel fructuum reſervationes uſquè ad ſummam ſcutorum centum extendantur, & amplientur ad ſcuta ducenta ſimilia.*

Privilegia miniſtrorum cóclaviſtarum.

Ac inſuper quia de præſenti maior Conclaviſtarum numerus exiſtit, promittimus, & quilibet noſtrum promittit, loco decem millium ſcutorum auri in auro, quæ idem Sixtus Conclaviſtis præfatis donavit, donare, & largiri ducatos aureos de Camera novos duodecim mille.

Item quod dicti Conclaviſtæ non teneantur ad obſervationem Conſtitutionis noviſſ. per fel. recor. Sixtum V. edita ſuper habitu, & tonſurà per Clericos deferendis, & hoc quoad obtinentes penſionem tantum. Hiſce præmiſſis; cum pet novem dies agitata eſſet promotio M. Antonii *Columnæ*, teclamantibus Hiſpanis; *Columna* ipſe rogavit *Aſcanium Columnam*, & *Montaltum* Catdinales, nè causà ambitus protraherent electionem; eo aptiorem quætetent, quià ipſe divino ſubſctibens imperio, ut ſe imparem agnoſcebat, libentiſſimè conveniret in eo, quem ipſi proponerent. Hoc exemplo Chriſtianæ concotdiæ, arquè humilitatis non fictæ, illicò convenere omnes numero quinquaginta tres in *Io: Baptiſtà Caſtaneà* Cardin. *S. Marcelli*, Ipſo ſolummodò

M. Antonii Columnæ humilitas.

7. *Excepto*, qui cœpit rogare, & obteſtati Cardinales, ut rem maturiùs deliberantes, perpenderent, ibi agi de eligendo Chriſti Vicario. Tunicam poſteà cum lineam ei ſuperimponerent; veluti pondere oneratus graviſſimo, dixit adſtantibus, carbaſa illa ſibi adeò gravia, ut brevi ſe caſurum cognoſceret. Coactus itaquè ſubire Pontificium, *Vrbanus* dici voluit, ut ſe Vrbis utilitati natum crederent: & ut nomen ſæpè repetitum ad memoriam revocaret conditionem Pontifici neceſſariam. *Io: de Rubeis*.

Grave ei onus Papatus.

Eius Pontificatum prædixiſſe dicitur *Sixtus V.* Pōtiſex Romanus (teſte Andreà Cicarello) Cum enim menſæ accumberet, paucis ante obitum diebus, & pira ei pro bellariis appoſita eſſent, uno, & altero ſumpto, cum putrida inveniſſet, proiecit, exclamans: *Iam pira faſtidiunt: dandæ ergò illis deinceps caſtanea*. Hoc ioco Romanis impropetans, quibus Sixtina ſeveritas diſplicere incipiebat, ſequè ipſum per pira ſignificans, quià ea nomine, ac ſtemmate præferret gentilitio. Per *Caſtaneas* autem *Io: Baptiſtam* Cardinalem *Caſtaneam*, qui eam in clypeo oſtentabat: cuius urbanitas, quam ipſo nomine declaraturus erat, Vrbi gratior, & ad guſtum ſuavior futura eſſet. Pariter cum renuente Cardinali *Caſtaneà*, Sixtus nonnulla expoſuiſſet officia ſub haſtà, Theſaurarii, Comiſſarii, dixit Sixtus, *Nos novam formulam meditamur vivendi: Obſequia, & famulatum vendimus, non comparamus. Idem facias, cum eris Pontifex.* Semitam cum lapide ſternere cœpiſſet marmoreo ab Eccleſia S. Crucis, uſquè ad S. Mariam Maiorem, & S. S. Trinitatem Montium; converſus in Caſtaneam, *Hanc tu perficies*. Aliàs etiam eidem Caſtaneæ dixit Sixtus. *Cum areſcunt pira; caſtanea floreſcunt*. Vrbani Pontificatum prædixit etiam S. Malachias lemmate, *De rore Cœli*: quia Roſſani Archiep. fuit in Calabrià, ubi Manna colligitur, quæ veluti Ros de Cœlo cadit.

Prædicitur Vrbani Pontificatus.

Publicatà electione Pontificis, Roma convenit ad plauſum, læta admodùm de tanto paſtore, qui caſtiſſimus moribus, victu, & potu temperatus, valetudine proſperà, ingenio mitis, toto vitæ ſpatio, prudentiæ, iuſtitiæ, religionis exemplo fuerat admirabilis.

8. *Nepotes*. Primo Pontificatus nuncio cum eius C affines, & conſanguinei Romam advolaſſent; retrocedere Vrbanus iuſſit: hominesquè extraneos regimini, & officiis præfecit vacantibus; ut ſi erranres, libetiùs poſſet plectere, & redarguere. Hinc *Fabritium Verallum* nepotem, Canonicum Vaticanæ Baſilicæ, non Cardinalem, non Epiſcopum creavit, ſed ad priorem modeſtiam, & ad Canonici munus religiosè, diligenterquè obeundum gravi ſermone excitavit. *Victorellus*.

Affines Romã accedere prohibet.

9. *Petrum Mellinum*, (teſte Ciaconio) pronepotem ſibi chariſſimum, eruditione, pietate, prudentià ſingularem, qui eo tempore in Hiſpanià Sedis Apoſtolicæ Collectorem agebat, cum Nuncium Apoſtolicum pronunciaſſet, ac diploma ſcribi iuſſiſſet: mortem ſibi adeſſe præſentiens, nè eius vel optimi facti rationem ſupremo omnium iudici teddere teneretur, in Hiſpaniam ad illum tranſmitti prohibuit. Titulum excellentiæ *Mario Millino* ſuo conſanguineo apertè interdixit. *Rubeus*

10. *Sixti ædificia*, puta faſtigium Eccleſiæ S. Petri, Quirinale Vaticanum palatia à *Sixto* V. incœpta, ſed non abſoluta, illicò perfici mandavit, & nullà memorià ſui, ſed inſignib⁹ Sixti exornari voluit, Dei ſolà glorià ſuperbus (*Ciaconius*) non dedignatus ære ſuo alienos exornare triumphos. *Victorellus*.

11. *Aulam, aulicos*. Nè videretur oblitus ſe adhuc hominem eſſe, eà modeſtià familiam inſtituit, ut modum privati ſervare voluerit in ſupremo principatu. Hinc familiares ſuos, Pontificioſquè miniſtros elegātiori veſtium cultu, ac ſericis veſtimentis ornari vetuit. *Pompeius Vgonius orat. funeb. Ciaconius*. Magna

er-

Urbanus quanta ſibi propoſuiſſet.

ergo ut fuit populi lætitia, & expectatio expectātis, ut in deferendis Eccleſiaſticis beneficiis abuſus tolleret, datariæ leges reformaret, Annonę proſpiceret, gabellas quibus ſubditi Romani premebantur, aboleret, rem Catholicā in Galliis ſuſcitaret, uti decreverat: itā gravis omnium dolor, & ſollicitudo ſucceſſit; cum eius mortalis ęgritudo audita eſt. Hinc ludos, quos in coronatione Romanus populus deſtinaverat, in publicas pro ſalute optimi Pontificis precationes ſolemni pompā, tantā pietatis, & amoris ſignificatione convertit, ut tota civitas non de unius hominis incolumitate, ſed de univerſæ Reipublicæ conſervatione ſollicita videretur. Templa nonnulla Vrbis diù, noctuquè omnibus patentia ad 40. horarum precationes, quæ ad bonam valetudinem Vrbano impetrandam, habebantur, invitabant. Die, quę Pontificis obitum præceſſit, mirā frequentiā, ordine, & pietate Sodalitiā, Regulares, Clerus, Magiſtratus, Populuſq; Romanus inſigni ſupplicatione ad Principis Apoſtolorum baſilicam, pro ſalute Pontificis ſupplices proceſſerunt. *Ciaconius. Victorellus.*

Romanorum ſollicitudo pro ſalute Urbani.

12. *Gratias egit*. Morbo dum conflictatur *Vrbanus*, æternæ intentus ſaluti, nullis omninò aurem præbere negotiis, nil peragere, aut expedire, non familiæ conſulere ſuſtinens, ſingulis diebus adverſę valetudinis, animū ſacrā exomologeſi expiavit, & Dominici corporis convivio refecit. Supremā deniquè illā nocte, quam egit in terris, ſacro delibutus Oleo, iterumquè & extremo Viatico recreatus, Symbolum recitavit Apoſtolicum, ut fidem teſtaretur Catholicam, veniam ſupplex à Deo ſæpiùs, & ab hominibus etiam, quorum neminem unquàm læſerat, pręcatus eſt: cùm hebeſcere magis, magiſquè ſenſus, & obſtupeſieri membra inciperent, voce *Ieſum*, voce *Mariam* implorabat. Hac debilitatā, ſupplices tendebat manus, quibus etiam ſibi crebrò Crucis ſignum imprimebat; his labantibus, oculos in imaginem Crucifixi Salvatoris, quamvis imagine mortis ſuffuſos, & inerrantes defigebat. Stetit noctem ipſam totam in limine mortis; cùm tamen luceſcente die, anima eius divino iterum recreata Numine, ſanctum ſacrificium coràm ſe fieri ad aram poſtulavit pro cubili poſitā, & attentè quę à Sacerdote gererentur, aſpexit; quę dicerentur, audivit; cumquè Divina ſuſtolleretur Hoſtia, caput inclinavit. Tandem inter graviſſimos mortis dolores, pſalmum recitavit Davidicum, *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones eius*. Peracto ſacrificio, cùm feſſos oculos ad quietem componere videretur, verè quievit: nam veluti placido quodam ſomno comprehenſus, obdormivit in Domino, vultu compoſito in ſpeciem hominis ſubridentis. *Rubens. Vgonius*. Ad mortis prænuncium, Deo ſe gratias habere abundè proteſtatus: quòd per illius clementiā, eo tempore, à mortalium ærumnis evocaretur, quo de graviſſimo Pontificiæ dignitatis onere rationem non eſſet redditurus. *Ibidem*.

Morientis pietas.

13. *Curatā Annonā*. Dictus Pontifex Vrbanus, ut mores in Principe à privato non diverſos agnoſcerent, aditum ad ſe omnibus etiam infimā de plebe, hominibus aperuit, & in alimentum pauperum manū porrexit, quorum nomina deſcripta in abecedario à parochianis ſibi exhiberi voluit, ut dietim provideret. Accerſito autem D. *Centurioni*, qui Annonam curabat, mandavit in pauperum beneficium augeri menſuram panis; damnum ſi fortè contingeret; suppleret Fiſcus. Iam enim decreverat frumentum evocare lōgè gentium, non è vetere ſolùm horreo populi Romani Siciliā, ſed ex feraciſſimis ultimæ Heſperiæ campis, ut onera populorum, non imminutis tantùm, ſed remiſſis, ſublatiſquè penitùs vectigalibus allevaret. Solebat enim dicere; hoc unicum legere ſibi impoſitum à Christo Domino, *Paſce oves meas*. Proptereà ſeueritas, aſperitaſquè imperii pietati cederet, & clementiæ; quòd amari magis, quàm metui Regium eſſet. *Vgonius*. Die, quo Petri Sedem adeptus, *Cardinali Sans*, qui in itineribus magnam abſumpſerat pecuniam, duo aureorum millia: Cardinali Alano mille aureos largitus: univerſum æs alienum piorum locorum Eccleſiaſticæ ditionis, cum ære Pontificio diſſolvere decreviſſet pecuniam, quam Hoſpitalibus Cardinalis locaverat, donavit.

Annonā reſtituit.

Pauperes in abecedario notat.

Liberalis.

14. *Avium canentium*. Refert *Ciaconius*, cum Vrbanus animam efflavit, magnum garrientium Arundinum numerum protinùs adventaſſe, ac tecto cubiculi Pontificii, & feneſtris conſediſſe, tantàquè vocum contentione, & ſuavitate, adſtantium aures mulſiſſe, ut res illa oſtento ſimilis tempore tam alieno, habita fuerit. Moritur enim V. Kal. Octob.

Aves in ſta [illegible] Vrbano VII

15. *Deiparam haredem inſtituit* bonorum etiam paternorum, ad ſummam triginta millium aureorū, quæ Sodalitium B. Virginis Annuntiatæ pro locandis virginibus diſtribueret. Suadentibus autem, hæredes facere conſanguineos, reſpondit: *Nunc dies ſalutis*.

Deiparam hęredem facit.

Eius cadaver in S. Petri baſilicā, more ſolito, triduo populo ſpectandum relictum, & in eādem Eccleſiā tumulo lateritio, in navi Sanctiſſimi Sudarii appellatā depoſitum, ſub novæ Baſilicæ pavimentum, aliis aggregatum Pontificum corporibus aliquandò quievit. Ibiquè à ſodalitate S. S. Virginis Annunciatæ, quæ ab eodem ex teſtamento, hæres nūcupata fuerat, grati animi inſcriptione appoſitā.

Hoc plumbeo loculo conditum eſt venerabile corpus D. Vrbani Papa Septimi Romani, ex familiā Caſtaneā Pontif. Max. Qui ſedit in Pontificatu dies duodecim. Migravit ad Dominum XXVII. Septemb. Feriā V. Horā XII. Anno. M. D. XC. Non ſinè maximo Vrbis dolore, antè ſua coronationis inſignia. Vixit An. LXVIII. Menſ. 1. dies XXIII. Hic in pace depoſitus eſt. Sodalitas Deipara Virginis Annuntiata, ſuprà Minervam ex teſtamento heres Optimo Benefactori poſuit: & è veteri in novam Baſilicam transferri curavit Anno M. DDCVI. Die XXII. Septemb. Pauli V. Pontificatus ſecundo.

Epitaphium.

Anno Sal. 1583. Cardinalis renuntiatus, in ſacello B. Virginis, quod in Eccleſiā S. Auguſtini de Vrbe, ſepulchrum ſibi paraverat cum ſequenti epigraphe in pavimento.

D. O. M. Io. Bapt. Caſtaneus, primùm Archiep. Roſſan. deindè S. R.E. Presb. Card. S. Marcelli ſacellum hoc B. Virgini dicatum ornavit, dotavit, in eoquè ſepulchrum ſibi vivens conſtrui fecit An. Sal. M. D. LXXXVIII. Ætatis ſua LXVIII.

Ibidem in pariete.

Vrbano VII. *Pont*. Max. *Brevis imperii Principi, ſed memoria diuturna. Illud fortunę fuerit*. Hoc *erit virtutis:*

Per-

Ferdinandus Vghellius to. IX. Italiæ ſacræ, in ſerie Roſſanenſium Archiep. ſcribit, Vrbani VII. corpus ad ſacellum diuæ Annunciatæ ad Minervâ tranſlatum iacere in nobili tumulo, ſtatuà marmoreà elogio exornatâ.

Vrbanum laudavit in funere cotàm patribus *Pompeius Vgonius*, in Vaticanâ Baſilicâ, pridiè Nonas Octob. Cuius orationem habes apud Oldoinum. Laudavit etiam *Valerius de Molarià* Romanus in templo S. Mariæ ſuper Minervam. Anno Sal. 1614. die 9. Kal. Octob. quum Sodalitium Sanctiſſ. Annuntiatæ poſt ſolemnem illius corporis tranſlationem publicè parentavit. Scripſere de eius geſtis Pompeius Vgonius, Ioannes Petrus Rubeus, Antonius Cicarella, Auguſtinus Valerius, Laurentius Arrigho, Filliucius, Ciaconius, Laur. Beyerlinch.

Bibliothecam babuit clariſſimam, & literatorum laudibus celebratam. Tanti Cardinalis geſta, antè eius Pontificatum *Vincentius Robardus* epigrammate expreſſit ſequenti, in quinquēnalibus geſtis Sixti V.

Alme pater Baptiſta ſuis inſignia ſignis
Dum tua luſtrabo condecorata, fave.
En velut hirſuto latitant ſub cortice molles,
Caſtanea ſolida, quas alit arbor humo.
Inquè minas Cœli, fraternaquè flamina forti
Armantur clypeo, dorſaquè dura cient.
Tu quoquè Gravigenum *rigidus gravitate Solonum*
Sic tibi devotis ora ſevera geris.
Nè cadat inſidiis animi clementia blandi,
Qua radius rutilæ lampadis inſtar agit.
Hanc mihi ſi facili tribuas ſemel ore tueri,
Pulſa verecundi ſigna pudoris eant.

Scripſit Vrbanus VII. epiſtolas ad diverſos, quæ cum eius diariis M.S.S. aſſervantur Romæ in bibliothecâ Barberinâ. *Urbani VII. ſcripta.*

Eius Symbolum *Ægidius Sadeler* recenſet fuiſſe globum terræ cum Thiarâ Pontificis, Cruce, & pedo Epiſcopali, ſub lemmate, *Omnibus gratus*.

Tria eiuſdem Pontificis recurrunt nummiſmata: quorum primum *Candelabrum* exhibet ſeptennarium antiqui Teſtamenti cum epigraphe, *Sic luceat lux veſtra*. Quæ Chriſti fuere verba ad Apoſtolos, qui ſeptem donis, & virtutibus fulgere debent Spiritus Sancti. Secundum *Coronam* exprimit decoris, & gloriæ, cum epigraphe *Sponſum meum decoravit coronà*, quam Roma ei præparaverat: ſed morte prævētus cum cęleſti longè pretioſori commutavit. Tertium *Civitatem* monſtrat Evangelicam, ſupra montē poſitam, quæ *non poteſt abſcondi*. Sic Vrbani virtutes, licèt ſummà, quà pollebat modeſtià, & humilitate
B ſemper abſcondere tentaverit, tamen non potuit; ve meritò eunctorum ſuffragiis Pontifex fuerit renunciatus. Principes, licèt auditâ eius electione, Legatos protinùs deſtinaſſent; præcipuè Venetorum Reſpublica, apud quā Legationis officio pro *Gregorio* XIII. functus, omnium Ordinum gratiam ſibi cōciliaverat, quatuor Senatores *Iacobum Foſcarenum, Marinum Grimanum, Zaccariam Contarenum, Leonardum Donatum* elegit, qui gratulationis munus obirent; morte præveniente, minimè ſalutarunt. *Legati Veneti ad Urbanum VII.*

Tria *Vrbani VII.* occurrunt nūmiſmata, in primo Fides ſub lemmate, *Sponſum meum decoravi coronà*. In ſecundo candelabrum antiquum cum lemmate *Sic luceat lux veſtra*. In tertio Roma cum epigraphe. *Non poteſt abſcondi*.

GRE-


INNOCENT. IX.
INOCENT. IX. PONT. MAX.
IVSTITIA ET PAX
GREGORIVS XIIII
PON. MAX.
GREGORIVS
XIIII
DEBVS FAMIS SATVRABE
IN VERBO TVO LAXABO RETE
1591

GREGORIUS XIV.
PONTIFEX ROMANVS CCXXXI.



INter duodecim Apoſtolos Ioanni Evangeliſtæ ſolummodò commendatur Deipara, ipſo excluſo Petro, qui claves tenebat Eccleſiæ. Vel quòd munera non uni omnia ſint conferenda. Vel quòd ad cuſtodiam Virginis nonniſi virginem intererat deſignari. Studium hinc collige Virginitatis, quam illibatam Gregorius XIV. detulit in ſepulchrum.

Eligitur Anno Sal. 1590. Nonis Decemb. ideſt die V. Obiit Ann. Sal. 1591. die Martis, Idibus Octob. hora inter ſeptimam, & octavam; cum ſediſset Menſ. 10. *dies* 10. *Vacat ſedes dies* 17.

ELOGIVM.

Anni Sal. I Gr. 1590. I1

QUem cernis loculũ, locus eſt ſacri cineris [A]
Nicolai [1] *Sfondrati*
Epiſcopi, Cardinalis, Pontificis.
Familia,
Quæ noluit eſse in domo Cæſaris,
Vt eſset in Domo Dei.
Auguſtæ familiæ anguſta patria,
Solo nativitatis addito electionis ſolio
Roma, Luca, [2] Cremona, Inſubria,
Diſcordes adhuc Gregorium vindicant.

Anni Sal. I Gr. 1590. I1

In Eccleſiâ Cremonẽſi tyrociniũ exorſus Põtificatus
Cũ Añis XXX. modulatus eſset Orbis Imperiũ
Urbano mortuo,
Licèt Patres conveniſsẽt ad excluſionẽ Gregorii
Cogẽte Deo, Põtifex dicitur nemine diſcrepãte.
Honores ei nomen mutarunt, non mores:
Quorum ambitu impollutus
Purpuram offerenti, Gregorio XIII. reſpondit:
Nonnè innumeri me multò meliores?
Põtificẽ à Deo electũ priuſquã homines elegiſsẽt,
Vt

Anni Sal. IGe 1590 It

Ut oſtenderet S. Philippus [3] Nerius,
Publicè adoravit, *Vrbano* vivente.
Pontifex [4] dictus Electores rependit, redarguẽs,
Deus vobis parcat, Quid feciſtis?
Cumquè alii feſtivè riderent; ipſe flebat,
Suam, & populi calamitatem.
Paſcere nõ habens pane, ſaturavit benedictione,
Et caritatem [5] charitate repreſſit.
Undè Italiæ famelicæ
Horrea redundarent Romana.
Movit [6] indè in Galliam adversùs Hæreticos
Iuſumptis tercentis aureorum myriadibus
Præter 40. millia, quæ impenderat ære proprio.

A Et nè quid ſupereſſet, quod nõ dediſſet Eccleſiæ,
Militiæ nepotem præfecit,
Sic ferro Galliam; Ferrariam [7] conſtantiâ tenuit:
Nè Petri patrimoniũ familiæ cederet Ateſtinæ.
Hic ſiſtit ſuo dignus Gregorius nomine,
Sublatus dolore calculi.
Obiit [8] ſuadẽdo Cardinalibus electionẽ Põtif. Sãcti.
Neglectis cæteris, ſtudio incubuit, Virginitatis,
Quam illibatam ſecum detulit in ſepulchrum,
Inſulam nec Annum tenuit
Ut in conſtãtiâ diuturnâ Põtifices excitaret diù
Benè vivere, & ſanctè mori, 1591

Anni Sal. IGr 1590

ADNOTATIONES IN GREGORIO XIV. PONT. ROM. CCXXXI.

Gregorii XIV natalia

1. NIcolai Sfondrati 3 filius iſte *Franciſci Sfondrati*, natione Italus, patriâ *Cremonenſis* naſcitur Sal. Anno 1535. die 11. Februarii ex matre *Annâ Vicecomite*, partu quidem immaturo, nam Septimeſtris, cæſo matris utero, ut Cæſar. Mediolanenſes civem dixere ſuum, quòd *Franciſcus* eius pater Senator eſſet Mediolanenſis, Matrem Mediolani concepiſſe contendunt Cremonenſes, ſed Cremonæ peperiſſe, quò ſtudio ſe contulit, ut filius naſciturus gaudere poſſet iure Collegii I. Conſultorum, quibus adſcripti fuerant pater, & avus. Cuius rei teſtimonia adhuc ſupereſſe dicunt in Eccleſiâ Parochiali S. Andreæ, ubi puer renatus eſt undâ baptiſmatis. Genitoris præſtantiam tum natalium ſplendore, tum Iuris ſcientiâ clariſſimam admiratus *Paulus III.* Anno 1544. (mortuâ Franciſci coniuge *Annâ* Vicecomite) in Purpuratorum Senatum aſſumpſit; *Iulius III.* creavit ſuæ patriæ Epiſcopum, ubi in Cathedrali quievit, cum ſequenti Epitaphio.

Franciſcus Sfondratus hic quieſcit Baptiſta illius filius, qui & Senator, & Conſiliarius Ludovici Sfortia valdè clarus fuit ob multas nobiles legationes, quas iuſſu ipſius obiit ad omnes, & Reges, & illuſtres Reſpub. Hic Comes littoris Larii ad Orientem vergentis, Baroquè Aſina vallis ob egregiam fidem, prudentiamquè in Rep. adminiſtrandâ, & ob admirabilem intelligentiam iuris à Carolo Allobrogum Duce Senator ille creatus eſt; poſteaquè à Franciſco II. Inſubrum Duce in ordinem Senatorium Mediolani adſcriptus, in eâ dignitate à Carolo V. Imper. cum in ipſius ditionem civitas rediiſſet, retentus fuit, auctuſquè Conſiliarii gradu. Mortuâ verò uxore Annâ Vicecomite lectiſſimâ fœminâ, ab eodem ſummâ cum poteſtate Senas miſſus eſt, ut eorum Rempublicam diſcordiis vexatã conſilio ſuo regeret, à quibus ob egregia ipſius merita, & civitate donatus, eſt Pater Patriæ appellatus: Poſteà Romam à Paulo III. Pontif. M. evocatus in Germaniam paulò poſt miſſus fuit, ab eodemquè in ampliſſimum Cardinalium Ordinem cooptatus, ad Carolum Imperatorem magnis de rebus legatus eſt: Ornatus demùm à ſapientiſſimo, acerrimiquè iudicii ſene omnibus honoribus, quibus ſummi Antiſtitis perſona decorari poteſt. Obiit Anno 1550. Cremonæ Patriæ Epiſcopus. Nicolaus, & Paulus eximiâ pietate prædicti filii hoc monumentum poſuerunt. Vixit Annos 56. Menſ. 9. dies VII.

Mores Gregorii.

Dignis ergo parentum moribus imbutus *Nicolaus*, etiam in tenerâ ætate ſpecimen edidit veræ Religionis, ieiunio bis in hebdomadâ carnem macerabat; devotus Deiparæ officium flexis genibus dietim recitabat. Peruſium miſſus, & Patavium ſtudiorum gratiâ, doctoris lauream in utroquè iure aſſecutus, iubente *Carolo V.* Imper. Senas rexit, à Senatoriâ dignitate, quam in Vrbem Mediolanenſi obtinuerat, ad vitam tranſiit Eccleſiaſticam, eamquè religiosè coluit ſub diſciplinâ S. Caroli Borromæi (cuius familiaris, & imitator ab omnibus fuiſſe ſcribitur) ſacerdos initiatus ab Angelo Arcimboldo Metropolitano ſuo, Cremonenſem rexit Eccleſiam ſibi reſignatam à Cardin. *Federico Caſio* Anno 1560. Indè An. 1561. primus omnium Epiſcoporum, qui ad Concilium aſcenderent Tridentinum, ibi moratus uſquè ad Annum 1564. quo Concilium eſt abſolutum; in patriam rediit, & Anno 1565. quadraginta horarum precationes inſtituit ſolemniter peragendas feriis 2. 3. 4. Maioris hebdomadæ, cum Indulgentiâ plenariâ, quam poſteà conceſſit Pontifex C dictus Anno 1567. Societatem inſtituit Chriſtiani Catechiſmi, Anno 1575. Collegium venerabile Seminarii ad inſtructionem Eccleſiaſticæ iuventutis: omnia ſecundum regulas S. Caroli Borromæi ſui præceptoris, quẽ A. 1576. hoſpitio recepit, dũ iſte Legatus à latere, & Arch. Mediolan. provinciã viſitaret. Eius enituit pietas, atquè religio, cum peregrinos undiquè Romam ad *Iubilæum* confluentes, hoſpitio excepit, vel feſſos de viâ recreavit, aut viatico, & pecuniâ iuvit. Tum in *Iubilæo*, quod Cremonenſi Provinciæ impetravit à *Gregorio XIII.* nudis pedibus, in publicis incedens ſupplicationibus. *Blaſius Garcia*. Cremonam Clericos Regulares, *Theatinos* dictos evocavit, attributo illis contubernio, & Templo, laudavitquè aliquandò pro ſuggeſtu Theatinum inſtitutum, ut populi ſibi commiſſi benevolentiam eos conciliaret. Anno 1580. ſæviente Cœli intemperie, quę populum lacerabat, ære, frumento, precibus, pugnando, expugnavit tandem: undè Anno 1582. primam ſynodum celebravit diœceſanam

Studia.

Epiſcopus Cremonen.

Theatinos Cremonæ admittit.

2. *Luca*. Inter civitates, quæ ſibi *Gregorii XIV.* natalia uſurpant, *Luca* eſt: quòd ob mira in Lucenſem Rempublicam merita *Franciſcus Cardinalis Sfondratus* Gregorii XIV. pater, in Lucenſium patriciorũ numerum ab eâ fuerit relatus. Undè ſolèret dicere, ſe geminam habere Patriam, alteram naturę, in quâ natus: alteram voluntatis (& hæc *Luca* erat) quâ do-

natus fuerat : teſte *Nicolao Tuccio*, qui Lucenſium nomine Orator obedientiæ, Romam venit. Hinc eſt, quod Lucenſis Reſpub. in creatione *Gregorii XIV.* publicas Deo ſupplicationes decrevit, inopes è carceribus emiſit, frumentum, ac nummos pauperibus diſtribuit, Legatorum numerum extrà ordinem auxit, & quinque diebus ſingularis lætitiæ inſolita edidit argumenta. Fuere Legati, *Nicolaus Tuccius, Laurentius Bonviſius, Ioſeph* Garzaninus, *Nicolaus* Giglius.

Cardinalis creatur.

3. *Gregorio XIII.* Fama pietatis, quâ *Sfondratus* Cremonenſem regebat Eccleſiam, cum perveniſſet ad aures *Gregorii XIII.* Pontificis vigilantiſſimi; pretium virtutis credidit iſte abſentem, & neſcientem inter purpuratos Eccleſiæ Patres, tit. S. Cęciliæ tranſcribere. Biretum deferenti Cardinalitium *Annibali Capriata*, reſpondit; teſte Andreâ Victorello; *Nonne innumeri erant multo meliores?* Et ſanè abſtinuiſſet, ſi recuſare fas eſſet: *Bacius in vitâ S. Philippi Neri* Anno 1584. rogatus à Mediolanenſibus exequias celebrare *Carolo Borromæo* Archiep. Card. qui ad Superos evolaverat, comitantibus Epiſcopis Alexandriæ, Vigevani, & Caſtri ſacros cineres duxit ad ſepulturam. Anno 1585. Romam venit, ut de manu Pontificis *Gregorii XIII.* pileum reciperet Cardinalitium; quod implere non potuit, præmoriente *Gregorio XIII.* undè ſolemnitatem abſolvit ſucceſſor eius *Sixtus* V. laudavitquè *Vincentius Robardus* in quinquennalibus Sixti V.

Carmina in eius laudem.

Inclyta purpurei proles Nicolae parentis
Iam quoquè Cardineis conſpicienda notis,
Si vacat infandas curarum ponere moles
Cerne peregrina carmina ducta chely.
Parva damus, ſed magna, tibi ſi parva probentur,
Nititur arbitrio noſtra Camæna tuo.
Nobilis hoc placida voluit Clementia frontis,
Clarius egregiâ nobilitate decus.
Scintillanſquè pius fœdo ſinè crimine candor,
Sanctaquè ſimplicitas, purpureuſquè pudor,
Quinque quatit valido Vatum præcordia motu,
Et poſſeſſa ſacer pectora verſat Amor.

Papa prædicitur.

3. *Philippus.* Romę degebat Sfondratus poſt Creationē *Sixti* quaſi in contubernio *Philippi Neri*, quem ob ſanctimoniam unicè diligebat, & obſervabat. Deambulans ergò *Philippus* cum *Petro Paulo* Creſcentio Pauli V. Cardinali futuro, *Iacobo* eius fratre, & *Marcello Vitelleſco*, videns *Sfondratum* ad ſe venientem, iubet ſocios pedes eius humiliter oſculari. Altero etiam poſt die, *Franciſco de Molariâ* Cardinalis adventum denuncianti, Philippus reſpondet: *Ecquis nam, Pontifex ille, nonne?* Aſpiciebat enim vir lumine plenus divino, illum ex tunc in Petri cathedrâ conſidentem. Sede etiam vacante per obitum *Sixti*; *Sfondrato* in Philippi cubiculo moranti pileolum Pontificium (fuerat iſte in uſum fęl. record. *Pii V.*) imponit. *Experiamur* (inquiens) *quàm bellè pileolus iſte Pontificius tuo capiti coaptetur. l. 3. c. 6.* Bacius Taurinū poſteà miſſus à *Sixto* V. vt ibi Pōtificis nomine *Carolū Emmanuelem* Sabaudiæ Ducis filium primogenitum è ſacro fonte levaret, rediens Congregationi interfuit ſacrorum Rituum vſquè ad obitum *Vrbani* VII.

Ducem Sabaudiæ levat è ſacro fonte.

4. *Pontifex &c.* Vrbano defuncto convenere iterū Cardinales iidem, qui præcedenti Vrbani electioni interfuerant, vno duntaxat excepto *Federico Cornelio*, qui ſede vacante, fatis conceſſerat. Ex abſentibus *Caietanus* ex Gallicâ Legatione redierat: & *Andreas ab Auſtriâ* quarto poſt Conclave die ex Germaniâ ſupervenit, ſed in factiones diviſi. Gregoriani ſequebantur Sfortiam: Sixtini Montaltum: Pii Alexandrinum. Magnus Dux Hetruriæ, olim Cardinalis iunctus cum Comite Olivario Oratore Regis Hiſpani Cardinalem S. Severinatē promovebant; excluſo *Cardinali S. Quatuor Coronatorum*, quem Hetruſcus ex odio privato promoveri vetabat. Cardinalem etiam *Sfondratum* excludebat, vt rem gratam faceret Mantuano Duci, cui per literas etiam Cardinalis *Montaltus* ſe obſtrinxerat nunquàm ſuffragaturum *Sfondrato*, itâ credens Duci reconciliare fratrem ſuum *Michaelem Perettum*, ſubditum Ducis Mātuani, ob Marchionatum de Incisâ. Hiſpani excludebant Salviatum, Florentinum, Veronam, Mondovium, Lancellotum, ac reliquos Cardinales à *Sixto* V. creatos, electionem expreſsè arctantes ad tres perſonas S. Severinæ, Paleotti, Madrucii; in ſpeciem adiungebant Comi, Columnæ, S. Quatuor Coronatorum, & Sfondrati: qui excludebantur expreſsè a Mantuanis, & Florentinis. Diſplicuit admodùm Italis hæc propoſitio, quæ libertatem minuens Eccleſiaſticam; electionem perpetuò libidini ſubmittebat Hiſpanæ: & in laicorum ſervitutem Eccleſiam revocabat vniverſalem. Propteréà poſt varias Comitiorum fluctuationes, quibus Cardinalium animi menſem vnum, & dies undeviginti, in conclavi diſtrahebantur, inſtantibus Venetis, ut tandem poſt elapſos duos menſes ab Vrbani obitu, Eccleſiæ caput imponerent, nec permitterent ditionem Pontificiam à ſceleratis lacerari, qui *Alphonſo Piccolomineo* duce, in homines, agroſquè ſæviebant: communi tandem conſenſu, Nonis Decembris, in vigiliâ S. Nicolai, cuius nomen in baptiſmo ſortitus erat, horâ 17. in *Sfondratum* convenere; impleto S. Malachiæ vaticinio, *de antiquitate Vrbis*, quod genere paterno, atquè materno fulgeret antiquiſſimo. Agebat tunc ætatis *Annum quinquageſimum tertium, haud ſatis primo corpore, ingenio ſuavi, at parum in magnis rebus agendis verſato; in Philippum Hiſpaniarum Regem valdè propenſus; quippè qui Cremonâ ortus fratrem inter intimos Philippi ſervitio addictos haberet.* Andreas Mauroccn. *Quare licèt vita ſanctitate, privataquè ratione virtutis inter optimos Principes numeretur à multis; ab aliis tamen* (itâ Oldoinus in vitâ Gregorii XIV.) *cum rerum uſu, & conſtantiâ tot graviſſimis rebus, ac temporibus difficillimis neceſſaria careret, tanta dignitati haud par iudicatus eſt.* Hinc ipſe ſtatim Pontifex creatus eas voces edidit humilitatis, & veritatis. *Deus vobis parcat, quid feciſtis!* Corde autem converſus ad Deum clamabat: *Ego autem in innocentiâ mea ingreſſus ſum; redime me, & miſerere mei.* Auratâ in ſtellâ ornatu collucens Pontificio, hominum humeris cum deferretur: & geſtientis populi acclamationes perſonarēt: *Salve Gregori, incolumem te nobis Deus ſervet, diutiſſimè vivas, feliciſſimè vivas.* Ipſe vultus colore variato, lachrymas fundens, oculos defigebat in Cœlum. Die Conceptionis Deiparæ Virginis, 6. Idus Decemb. Romæ ſuper gradus Vaticanæ Baſilicæ, coronationis ſuæ inſignia ab *Andreâ Auſtriaco* Cardinale, & Epiſcopo Conſtantienſi, Archidiac. S. R. E. inſigniâ ſuſcepit: diequè XIII. eiuſdem menſis, ſolemni pompâ à Palatio Apoſtolico ad Eccleſiam Lateranenſem equitavit, à Senatu Roma-

Cardinales diviſi uniuntur ad excluſionem Sfondrati.

Papa eligitur

Dolet de ſua electione.

Plangis ad plauſum populi.

mano, triumphali arcu equitibus precedentibus exceptus, & inſolito populi plauſu ſalutatus. A Palatio namquè Apoſtolico vſquè ad Titi Veſpaſiani arcum via Pontificia aulæis, tapetibus, picturis culta erat. Arcus in Capitolio inter marmorea Caſtoris, & Pollucis ſimulacra erectus erat. Cuius in fronte ſex ſtatuæ, ſeu Gregorii virtutes Iuſtitia, Clementia, Charitas, Liberalitas, Fortitudo, Sollicitudo, cum inſcriptionibus ſequentibus.

Pompa coronationis.

Ad ſtatuā Iuſtitiæ. *Pondus æquum voluntas eius.* Prover. c. 31. Ad Clementiæ, *Lex Clementiæ in linguà eius.* Prov. 31. Ad Charitatis. *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors.* Prov. 11. Ad Liberalitatis. *Qui odit avaritiam, longi fient dies eius.* Prov. 28. Ad Fortitudinis. *In timore Domini fiducia Fortitudinis.* Prov. 14. Ad Sollicitudinis. *Veniet ut fons meſſis tua, & egeſtas longè fuget à te.* Prov. 6.

Opt. Principi Gregorio XIV. P. M.

Ab ineunte ætate, per gradus Veræ Sapientiæ, Pietatis, Beneficentiæ, cæterarumquè Virtutum, ad Apoſtolici faſtigii gloriam. Et ob fauſta ſacri, Auguſtiquè Principatus initia, & dubiam ſpem rerum maximar. Reip. Chriſtianæ oblatam S. P. Q. R. Fornicem triumphalem pro tempore excitavit. M. D. X. C.

In ſecundà facie Capitolii palatium, & ſtatuam equeſtrem reſpiciente, hæc.

Gregorio XIV. P. M.

Ob egregia, & fœlicia Pontif. auſpicia priſtina munera, & beneficia Capitolio reſtituta, Civitatem egeſtate, atquè Annonà laborantem liberalitate ſublevatam inſignibus eius Virtutibus. S. P. Q. R.

In hoc triumpo inſumpſit Roma unico die quindecim millia nummorum, teſte *Cæſare Campanà*. Quà die inaugurabatur; Romanus Senator antiquata quædam, ac vetuſtate abolita iura exſuſcitare adnixus, Oratores Principum, excepto Cæſareo, præire velle ſignificavit, quæ ſub *Vrbano VII.* nuper defuncto inductà eius valetudine intermiſſa fuerant. Eius rei cum Cæremoniarum Præfectus Venetum Oratorem monuiſſet; *Diſplicere* (reſpondit) *commune reliquis Oratoribus munus ſibi impoſitum, ut omniū iura ſolus, ac primus tueri cogeretur, quòd Galliæ Legato ob illius Regni turbas, Hiſpano ob veterem cum Gallo ſimultatem in publicum non prodeuntibus, proximus Cæſaris Oratori incederet, ac pro Reipublicæ dignitate, in ſuo manere, nè quidquam novaretur, curaturum; ſi ſecus fiat; minimè inaugurationi adfuturum; ſed ut diximus, Vrbani obitu, re intermiſſa, in Gregorii, ad Lateranì Baſilicam itinere, eminùs Senatore, biniſquè Populi Romani Conſiliariis, ac vexilliferis conſpectis, Baduarius ſubſiſtens, Cæremoniarum Magiſtro inquit, ſi ei præponere Senatorem velint, abiturum? Cui ille, ita Pontificem ſtatuiſſe ait. Tum Baduarius abeundi veniam ſe ab eo petiturum reſpondit: Extemplò circumacto equo ad ſe venientem Gregorius intuitus ultrò Senatorem dimitti iuſſit. Orator dignitatis, atquè publicæ exiſtimationis retenta haud vulgarem laudem tulit:* Ità Mauroecnus *l.* 14. *Veneta Hiſtor.* Vndè mentitur Cæſar Campana *l.* 11. ſcribens, Romanum Senatum in Capitolio tanquàm in loco Iuriſdictionis ſuę locum occupaſſe ſuperiorem Veneto Legato. Vſurparunt quidem Romani locum ſuperiorem, ſed iubente Pontifice deſcendere coacti, non ſinè rubore gradum ceſſere Veneto Legato tanquàm maiori. Venere poſteà ad *Gregorium* Legati Veneti iidem, qui ad *Vrbanum* fuerant deſignati. Coronatione peractà Cardinalibus pauperibus mille aureos ſingulis præbuit: nec parvum argenti pondus locis piis dari præcepit. Capitolio à *Sixto V.* ſublata reſtituit officia. Die Mercurii, XIX. Decemb. Cardinalibus in publico Senatu eleganti oratione gratias egit: ſuumquè ex fratre nepotē Paulum *Camillum Sfondratum* creavit Cardin. tit. S. Cæciliæ, cuius etiam fratrem Comitem *Sfondratum* S. R. E. Generalem nominavit. Cui paulò poſt Comiti, & montis Marciani Duci conſtituto, die Dominico, III. Idus Maii, cum in Baſilicà S. Mariæ ad Pręſepe Pontifex celebraſſet, inſignia ſupremi Eccleſiæ Romanæ Ducis attribuit, & in Galliam adversùs hæreticos legavit. Plura alia privilegia agnatis contulit, & amicis. Canonicis Cremonēſibus eadem donavit inſignia, quibus utuntur Canonici S. Petri. Cremona non ingrata Oratores deſtinavit *Homobonum Offredum, Iacobum Mainchdum, Io: Baptiſtam Stampam, Comitem Sigiſmundum Ponzonum, Co: Alex. Melium Lupum, Soragnam* Equitem S. Iacobi *M. Anton. Piſcem.* Oravit *Offredus*, magno Gregorii plauſu, qui auditis nominibus *Io: Bap. Sfondrati*, & *Franciſci* patris ſui, olim in I. Conſultorum collegio, Collegiatos omnes Comites dixit, & Equites.

Oratorum diſſidia cū Senatore Romano.

Nepotes exaltat.

Legationes ad eum.

Indè ad deturbandos homines facinoroſos totus incumbens, quorum Dux *Alphonſus Picolomineus* cum equitibus quingentis ditiones populabatur Eccleſiæ. Simulatà iſte cum novo Pontifice affinitate, tabellarium Gregorii electionem nuntiantem liberali donavit evangelio, ut ſic fraudatis vigilibus, diſcrimen effugeret. Inſidias tamen declinare nō valuit Hetruſcas, à quibus captus, & Imolam ductus, cum dicerent Pontificii non ad M. Hetruriæ Ducem, ſed ad Pontificem pertinere iudicium, ob ſcelera patrata in Petri patrimonio; Hetruſci effracto carcere Imolenſi, vi extractum Picolomineum, Florentiam traxere, ubi laqueo vitam finiit. Non propterea quievere latrones, ſed uſquè ad mœnia populantes Romana, Epiſcopum Montalti, & Ripę Franſonis catenis devinctos, non niſi grandi pretio deliniti manumiſerunt. Conatus eſt *Virginius Vrſinus* propulſare graſſantes etiam cum vitæ diſcrimine, ad diluendam infamiam calumniantium, quòd clàm cum latronibus conſpiraret. Iuxtà oppidum Belmontii inito certamine, cum uſquè ad ſolis occaſum fortiter pugnaſſet, à tribus tandem prędonibus (quorum unus ſtapedem, habenas alter præoccupaverat, tertius mucrone ſeſſorem percutiebat) percuſſus in capite, oppreſſus vitam amiſiſſet, niſi ictu pene deſperato, unum occidiſſet, cuius cæde territi ſocii *Vrſinum* reliquerunt immunem. Tanto diſcrimine exiſtimationi ſatisfactum credens *Vrſinus*, munus renunciavit. Hinc inſolentiores facti, totam provinciam diripuerunt, ædificia, ſegetes, incendiis exhauriendo, undè nec in urbibus habitatores ſecuri conſiſterent. *Campana. Bulengerus.*

Exulum incurſio.

5 *Caritatem, &c.* Miſeriam augebat frumentatio ſterilis, & frugum inopia, quæ totam Italiam deformavit. Homines eſurie enecti, extrà oppida herbis ore iacebant ingeſtis, quibus more pecudum veſci, fame prævalente cogebantur. Huic cladi, quà nil populo gravius, aut miſerius, opem laturus, *Gregorius* ſuprà centum mille nummos aureos dari juſſit, quibus

bus Annonæ conſuleretur, ultrà publicas, privataſq; eleemoſinas, quas benignâ liberalitate diſtribuit. Edixit etiam graviter, & ſeverè, ut frumentum quiſquè proderet, ac in omnibus locis diligenter exquireretur. Procellis namquè frumentarias naves arcentibus, nulla Annonæ labenti ſubſidia poterant provideri. Pontifex Romæ tenui popello per Quadrageſimam, uſum carnium vili pretio liberum eſſe voluit, ut eâ copiâ panis inopiam ſuſtentaret, *Bulengerus l. 8. Hiſtor.* Benedictionem adiicias, & orationem, quâ Pontificis innocentia perfuſa lachrymis, fulcita obſequio à Deo impetravit, ut dimidio eius cibi, quo quiſquè uti conſueverat, naturæ deſiderio ſatisfaceret: ut in aliorum menſis ſemper eſſet aliquid reliquiarum, quod ad egentium famen ſedandam poſſet erogari. Inſuper (itâ *Vincentius Blaſius Garcia* in Oratione funebri Greg. XIV.) *cum ingens miſerorum ſquallida, grandi macie torrida, ac penè moribunda multitudo ſe ſe ex totâ Vrbe effundebat, quoties Summus Pontifex Romam obibat: illi quidem opem ab eo, & auxilium poſtulabant: incondito eiulatu ſe fame confici teſtabantur. At cum primum eius oculos, paternæ clementiæ, & miſerationis indices, & frontem, in quâ omnis integritas, omniſquè ſanctitas elucebat, intuebantur; ipſeq; lachrymans, ſignum crucis dexterâ exprimebat, auferri ſibi famem, omneſquè ſenſus mirificè recreari fatebantur; ut domũ, quaſi multis epulis ſatiati redirent.* Gregorianę vigilantiæ ecce nũmiſmata; Alterũ in quo verba habes, quibus Gregorius Deũ ſollicitare ſolitus erat ad ſalutẽ populi: *Gregem ne deſeras.* Alterũ, in quo legitur *Diebus famis ſaturabuntur*, cum imagine Abundantię.

Populum benedictione ſaturat.

6. *Movit indè in Gallias adverſùs hæreticos* Cum neque fame, quæ in Italia ſæviebat, nequè belli Turcici ſuſpicione Principum animi à rebus Gallicis abduci poſſent. *Hiſpani* (itâ Andreas Maurocen.) *ſibi cuncta à Pontifice polliciti, nullum genus officii prætermiſerant, quo fœderis ſe protectorem, Navarræquè hoſtem palàm profiteretur. Tertio itaquè ab inaugurationis die, quatuor è Purpuratis, Galliæ rebus conſultandis præfecit, Io: Antonium Fachinettum, Scipionem Lancilotum, Iulium Antonium Sanctiorum, Henricum Caietanum, qui nuper ex Gallicâ Legatione redierat, in ſingulos menſes Pariſienſibus ad Lutetiam tuendam, quindecim aureorum millia præbere. Marſilium Landrianum cum literis ad Eccleſiaſticos, Regiæquè ſtirpis Principes, nobiles, civitates, ſupremaquè concilia in Galliam mittere ſtatuit; ut ad Regem Catholicum eligendum convenirent, ſuadere. Verum nequè eo ſatis Hiſpanis fiebat; exiguam pecuniæ ſummam eſſe: non ita leniter agendum, flagitare, urgere, ut Regiæ agnationis Principes Galliæ regno excludantur. Poſtulatis Purpurati omnes Philippo addicti apertè favere, Pontificiſquè animus parum magnis tractandis rebus aſſuetus, paulo momento huc, atquè illuc impellebatur, omninòque ex aliorum conſiliis, qui ſæpius ſibi, quàm aliis conſulunt, pendere cogebatur. Itaquè decem peditum, duo equitum millia in Galliam mittere, Crucis erecto vexillo: cunctos Principes in Navarræum concitare: auctorem ſe, ac Ducem expeditionis nuncupare decrevit. Hæc in ſpeciem ingentia erant: verum multis adeò implicita difficultatibus, ut ægrè maturari, ac perfici poſſent. Igitur denuò rem animo agitare cœpit, novâ adhibitâ conſultatione expendere, Io: Franciſci Mauroceni Cardinalis Gallicarum rerum ſcientiſſimi mentem exquirere, priorique ſententiâ immutatâ, tum graviſſimis impenſis deterritus, tum iuſto Pontificiæ auctoritatis, ni obtemperaretur deprimendæ, ac exulceratis Principum, & nobilitatis animis, nè atrocioribus flammis Gallia involveretur, metu, ad priora conſilia revolutus, Landrianum Internunciũ cum literis, ſex millia Helvetiorum; mille equites mittere ſtatuit. Landrianoquè digreſſo, Porto à Maynii ſecretis, & Carolo Lotharingiæ Cardinali Romã ſupervenientibus, acriuſquè urgentibus, tandem Herculem Sfondratum nepotem, quem anteà Suburbii Gubernatorem, cuſtodiæquè Præfectum creaverat, Eccleſiaſtici exercitus in Galliâ Imperatorem nuncupavit.* Huius expeditionis nũmiſma recurrit, in quo Pontifex nepoti vexillum tradit benedictum, cum epigraphe: *Dextera Domini faciat virtutem.* Hæc dum in Italiâ gerebantur; Lutetiam denuò Rex circumſedit. *Landrianus intereà in Galliam pervenit, Placentiæ Cardinali Legato Lutetiæ ſe adiunxit: binas à Pontifice literas detulit: alteras, quibus Eccleſiaſticos monet, ut ab Henrico Borbonio, quondàm Navarræ Rege, ab eiuſquè ſectatoribus, Principibus, Proceribus, aliiſquè cuiuſquè tandem ordines ii ſint, abſtineant, propoſitâ, ni quindecim dierum ſpatio obtemperaverint, anathematis penâ; alteras, quibus Principes, duces, alioſquè Proceres, qui Henrici partes ſequebantur, nec non civitates, collegia, populos hortatur, à Navarræo recedant, alium in Galliâ Regem, quàm Catholicum nolint. leniter cum iis agere voluiſſe, magnâ ſpe adductum eius expectationi, ac deſiderio cumulatè reſponſuros: ſi ſecùs faciant, invitum huic morbo acriora remedia adhibiturum: pro paternâ benignitate iudicis ſeveritatem ſumpturum: demùm Helvetiorum auxilia, unà cum equitum haud parvâ manu miſſurum ſpondet. Ex his literis mirum in modum Rex, ac Principes irati fremere; notam, quam ſibi inuri cernebant, pati nolle. Menſis Iulii initio duo edicta in Mantalà civitate promulgantur: altero Henrici III. pacis decretum ad Regni diſſidia componenda, turbaſquè ſedandas (iis abolitis, quæ An. 1585. 1588. pro fœdere ſancita fuerant) confirmatur; altero Henrici conſtans animus, veteris Religionis, in Galliâ conſervandæ iura, libertatemquè Gallicanæ Eccleſiæ propugnandæ ſignificatur. Ea dicta Cabillonum ad Pariſienſem Senatum, quem Rex eò traduxerat, tranſmiſſa ſunt: ab eo Regis procuratoris ab aſſerto (ut aiebant) Pontificis Internuncio, promulgatis diplomatibus provocatio admiſſa Statuta, quâ iure factum tueretur, die: Internuncio in ius vocato, atquè abſente: Henrici Caietani diplomata, Landriani Literæ, uti Gallicanæ Eccleſiæ libertati adverſa, nullius roboris eſſe pronũtiantur, flammiſq; tradi in foro iubentur. Landrianum, qui ſe Pontificis Internuncium iactaret, clam in Galliam abſq; permiſſu Regis ingreſſum, comprehenſum Cabillonum in Regios carceres trudi, atquè extrà ordinem in eum, tridui conſtituto ſpatio, animadverti decretum: qui magiſtratui traderet, decem librarum millia propoſitum præmium: qui hoſpitio excepiſſent, vel faviſſent, pœna capitis indicta: Archiepiſcopis, Epiſcopis, atquè aliis viris Eccleſiaſticis eiuſdem literas accipere, promulgare, pœnâ perduellionis vetitum: qui Galli Romæ concilium dediſſent, diplomati ſubſcripſiſſent in Henricum III. Chriſtianiſſimum, & Catholicum Regem perpetratum parricidium comprobaſſent, ſacras dignitates adimi, neu quis Romam ob ſacerdotiorum diplomata impetranda, argentum, aurumvè, donec Rex ſecum iuſſiſſet, ferret, mitteretvè ſancitum, eodem edicto à Turonenſi Senatu promulgato, Gregoriuſquè XIV. pacis, &*

Gallorũ provocatio contrà Papæ Internuncium.

Re-

Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ iungendæ Regis, Regniquè hoſtis, Hiſpaniæ ſocietati adhærens, perduelliumq; fautor, Henrici necis noxius declaratur: At Pontifex Herculi Sfondrato nepoti Montis Martiani parvi in Piceno oppido, quod Alphonſo Piccolomineo extorri ademptum fiſco adiudicatum fuerat, Duci creato, quarto Idus Maii Imperatorium vexillum attribuit: Hieronymo Matthaucceo exercitus quæſtori ducenta aureorum millia numeravit. Sfondratus Mediolanum, quò copiæ cogendæ erant, contendit; tempuſquè tum variis impedimentis, militum interim avaritiâ, ac libidine in populos ſæviente, extrahebatur: Cum tandem Iulii initio ad Laudem Pompeiam luſtrato equitatu, mille levioris armaturæ Petro Caietano Præfecto, cataphractorum cohors Sfondrato ipſo Duce, viginti ſclopetarii cuſtodes corporis adnumerati ſunt. Peditatus novem agminibus diſtinctus, ad Caſtellacium in Subalpinorum finibus, Helvetii ad Novaram, ac Trecentum recenſiti: bina Hiſpanorum peditum millia è Siciliâ Genuam triremibus delata, indè in Inſubres ſupervenere: iis aliquot Italæ cohortes intermixtæ. (Andreas Maurocenus: Bulengerus) Per Allobroges in Galliam contenderunt, ſed in planitie propè Montis molini pontem à *Lardigherio*, & *Valletà* impetiti, parvo utrinquè damno dimicarunt: atroci mox tempeſtate, ac vento concitato, in amne Hiſarâ, qui Delphinatum à Sabaudiâ diſterminat, ponte traiiciendo, complures Pontificii demerſi ſunt. Indè per Seguſios in Lotharingiam delati, Veroduni obviios Lotharingum, atq; Maynium habuere; donec ob Autumni gravitatem, & militum ingluviem, brevi morbo ſæviente lethali, pecuniæ, multarumq; rerum inopiâ afflicti, numero haud parum imminuti, in Galliam intimè pervenere. Inſumpſiſſe dicitur in hoc bello, & in annonæ ſubſidium, tercentas aureorum myriadas ex eà pecuniâ, quam Sixtus V depoſuerat in arce S. Angeli (*Campana. And. Maurocen. Bulengerus*) à miniſtris deceptus, quos ſibi ſimiles, & innocuos cogitabat.

Hercu-li Sfó-dratus Dux e-xerci-tus Pon-tificii.

Pecu-nia à Sixto V. col-lecta à Grego-rio XIV profuſa.

7. *Ferrariam conſtantià tenuit.* Alphonſo Duci Ferrariæ cum liberi deeſſent, qui in Ducatus adminiſtratione ſuccederent: ſpe ductus ad ſuæ gentis poſteros tranſmittendi, quòd Gregorii Pontificis neceſſitudine iunctus, atquè multorum Cardinalium amicitiâ, ſtudiiſquè Principum niteretur, præcipuè Veneti Senatus, Romam venit, magnâ pompâ, ædibus exceptus Pontificiis, & Helvetiorum attributâ cuſtodiâ liberaliter habitus. Anno 1591. die X. Auguſti ſucceſſionis nogotium ſeptemdecim Cardinalibus datum examinandum; an *Pii V.* Pont. M. diploma impedimento eſſet, quo minùs Pontifex nondùm ad Eccleſiam devolutum *Feudum* in alios transmittere valeret urgente utilitate? cumquè plurimi ex Purpuratis, atquè Rotæ Auditoribus id minimè ordinario iure, ſed tantùm ex ſupremâ facultate licitum affirmarent, annuebat *Gregorius*. Deficiente tamen legitimo ſuffragiorum calculo, Dux re infectâ Ferrariam rediit (*Bulengerus. Maurocenus*) Gregorius *Pii V. Greg. XIII. Sixti V.* exempla ſecutus, Conſtitutionem de non alienandis, & infeudandis civitatibus, S. R. E. confirmavit, & innovavit. *Conſtit. 1. Rom. Pontif.* Aliam conſtitutionem edidit die 26. Aprilis, An 1591. quà Cardinalibus Regularibus uſum rubri pilei conceſſit; cum anteà nigris pileis uterentur; & die 9. Iunii S. S. Trinitatis ſacrâ, A ipſe propriâ manu *Michaeli Bonello Alex. Ordin.* Prædic. *Hieronymo Bernerio de Corrigio* eiuſdem Ordinis: *Conſtantio Buccafoco* Ordinis Minorum Conventualium; *Gregorio Petrochino Ord.* Eremitarum impoſuit. Reliquas Greg. 14. Cõſtitutiones vide in *Bullario*.

Dux Ferra-riæ Ro-mam venit.

Confir-mat Conſti-tutioné de non alien. reb. Ec-cleſiæ.

Cardi-nalibus Regula-ribus rubrum pileum conce-dit.

8. *Obiit* A die initi Pontificatus, cum adverſâ ſemper valetudine laboraſſet Gregorius: undè tota regiminis moles Cardinali *Sfondrato* nepoti incumberet: quarto Octobris die, apud Cardinales ad ſe accerſitos, ſi quid minus convenienter in Pontificatu adminiſtraſſet, infeſtâ morbi afflictione præpeditus, ſeipſum modeſtè excuſavit; hortando, ut poſt obitum ſuum omni ſublatâ contentione, & temporis morâ, Pontificem eligerent optimum. Immò cum ſe tanto oneri imparem agnoſceret, vivo etiam ſucceſſorem eligerent; nè Eccleſia aliquid de-B trimenti ſubiret. Admirantes illi viri probitatem, meliora eum ſperare voluerunt: convaleſceret, & delatum Eccleſiæ regimen ulteriùs adminiſtraret. De hoc noviſſimo *Gregorii XIII.* ſermone ad Cardinales habito, *Auguſtinus Valerius* Cardinalis Veronæ, opuſculum ſcripſit. Morbo tandem ingraveſcente, præſertim vigiliâ, obſtructæ ſunt retinaculis circà palatium viæ, nè ſopor à prætereuntibus interciperetur. Biduò poſt cum vehementiùs dolores acerbiſſimi enecarẽt, quos ille per novem dies, raro patientiæ, & ſanctitatis exemplo toleravit (Paſquino Curiæ momo iocante Romanæ) *Mors intravit per cancellos.* Die tandem Martis Idib. Octob. horâ inter ſeptimam, & octavam in palatio S. Marci, ſacramentis Eccleſiæ ſuſceptis, piè ut vixerat, interiit. Eius cadaver in Vaticana Baſilicâ populo ſpectandum expoſitum, in Gregoriano ſacello fuit poſteà ſepultũ. Laudatus eſt C in funere à Vincentio Blaſio Garciâ Valentino; teſte *Andreà Victorello* Eius mortem Cœlum præluſit Tyberis inundatione. Vitam cum pretioſis pharmacis (quæ ei ſuis manibus Orator parabat Hiſpanus) ad aliquot dies protraxiſſet, quorum pretium quindecim millium aureorum, tandẽ ſuccubuit. *Campana.*

Cardi-nalibus impo-ſuit e-lectio-nem Pontifi-cis iuſti

9. *Virginitatis*; inter cæteras virtutes, quas Gregorius coluit, ſtudio incubuit virginitatis. Singularis in eo temperantia, & frugalitas, in iuventute abſtemius, in ſenio dilutum nimis vinum bibebat, licèt augendi caloris ergò, purius, & largius, ut potui indulgeret, medici conſulerent. Feriâ ſextâ, ni morbi gravitate id prætermittere cogeretur, ieiunare; feriâ quartâ carnibus abſtinere ſolitus, *Philippum Nerium* virginem virgo coluit, Cardinalemquè creavit: licèt iſte oblatam reſpuerit dignitatem. Accedenti ad ſacra oſcula pedum *Philippo*, *Gregorius* non permiſit, D ſed obviam procedens, hominem amplexus, aiebat: *Pater mi, tu quidem dignitate minor; ſed ſanctitate maior*; ſedere, & caput tegere voluit. *And. Victorell.*

Virgini-tatem colit

Creat Cardi-nalem S. Phi-lippum Nerium

Scripſerunt de Gregorio *Nicolaus Tuccius* I. C. & *Aug. Valerius* anagrammate ludens ſequenti.

GREGORIVS DECIMVS QVARTVS.
MVRVS, CVSTODIAQVE GREGIS.

Eidem Regis Poloniæ nomine obſequium detulit Epiſcopus Luceoriẽſis oratione Cracoviæ typis data.

Qui ſcripſe-runt de Grego-rio.

Cardinales creavit quinque: de quibus ſuo loco.

Nũmiſma in gratiã Philippinarũ Romæ excuſſum An. 1591. Inſularum ſcilicet, quæ in Eoo Oceano inter Sinas, & Molucam, ab auſpiciis *Philippi II.* Hiſpaniarum Regis, denominatæ ſunt.

INNOCENTIVS NONVS
PONTIFEX ROMANVS CCXXXII.



CCXXXII

IN Chriſto infante, qui paternâ in officinâ ex lignulis aptabat Cruces, ut ad tormenta humanitatem componeret, nec reformidaret paſſionis tempore; Innocentium IX. exhibeo, qui in Mortis imagine, quam in tabellâ deferebat pictâ, veluti in ſpeculo vitam diſponebat ad mortem.

Eligitur Anno Sal. 1591. die III. Kal. Novemb. Obiit An. 1591. die 29. vel 30. Decemb. Cum ſediſset Menſes II. Vacat ſedes uſquè ad diem 2. Feb. An. 1592.

E L O G I V M.

Anni Sal. In. 1591. Ii

STa,& mirare viator
Novum genus audaciæ,
Innocentium mors aggredi auſa eſt, & occidit.
Adversùs mortem nec Innocentia iuvat,
Etſi claves teneat Mortis,& Inferni,
Eius vitam quære à Sapientibus,
Cũ quibus ſẽper,licèt ſemel[4] cenabat in nocte.
Eàdẽ horà,quà veſtimenta induit Pontificalia,
Diploma firmavit[2] *De ſacris non alienandis.*
Nè homines inducerentur Eccleſiæ ſpolio.
A Dignitates nè ignaris darentur,& ignotis;
Ambiẽtium,nomina deſcripſit in abecedario:
Ut inquiſitione vita paterent, & vitia.
Hinc moriens ſupplicum libellos reiecit,
Intentus inquirere ſolùm contrà ſeipſum.
Populo ut redundaret[3] annona;
Cœpit ipſe mendicare,& vivere ære alieno.
Obiit,[5] Ecclipſim[6] patiente Lunà:
Quòd tantus Pontifex mori haud poſset:
Ni priùs ipſa infirmarentur Elementa

Anni Sal. In. 1591. Ii

Et

Et nobiſcum de eius morte dolerent
Tantam calamitatẽ nè Lunà aſpiceret defecit.

Mors ei non terribilis, nec horribilis
Quòd in ſpeculo mortis vit cōpſerat Annis 70.

ADNOTATIONES IN INNOCENTIO IX. PONT. ROM. CCXXXII.

Innocẽtii IX. natalia.

1. I*Nnocentiam* IX. anteà *Io: Antonium Facchinettam* à Nucc, filium *Antonii Facchinetti à Nace*, & *Franciſca Tita de Cinis*, clarà ſtirpe parentum, Craveniâ in oppido Novarienſis Diœceſis, alii Bononiæ natum dicunt, Anno Sal. 1519. die 13. Kal. Aug. abſoluto ſtudiorum curſu in Bononienſi Vniverſitate, in quà Iuriſprudentiæ lauream obtinuit, *Nicolao Ardinghello* Pauli III. Rom. Pontificis Cardinali ab epiſtolis fuit. Mox ab *Alex. Farneſio* Cardinale eiuſdem Pauli Pontificis fratris filio in famlliam receptus, Avenionem miſſus, ubi ipſius *Farneſii* Cardinalis, & Archiep. vices geſſit. Ibi pecuniâ rentatus pro collatione cuiuſdam beneficii; ſubſcripſit chirographum; deindè nomen ambientis unà cum pecuniâ Romam tranſmiſit, excuſans minimè defeciſſe pacto: quia beneficium promiſiſſet, non ſilentium. Ex illa die nemo auſit eum ampliùs tentare.

Innocẽs à ſimoniâ.

Parmam deinde magnâ cum prudentiæ, & iuſtitiæ commẽdatione gubernavit. Cum enim adverſus virũ magnatem, & præpotentem nullus advocatorum auderet coràm iudice pauperi cuidam viduæ patrocinari: ipſe togâ indutus cauſidici, coràm iudice inferiori pro viduâ declamavit, nõ ſinè advocatorum verecundiâ, quòd officium nobile mutaſſent in mercenarium, & ſervile.

Officia.

Romam poſt quadriennium reverſus, vtriuſquè Signaturę libellos ſub *Paulo* IV. retulit: à *Pio* IV. Anno 1560. Neocaſtrenſis Eccleſiæ electus Epiſcopus, Concilio interfuit Tridentino, eà laude, ut Legati Concilio Præfecti in ep. ad Cardinalem Bortomęum nepotem Pii IV. Facchinettũ dicerent *non minus virtute praditam, quàm utilem Concilio: cuius prudentia, & doctrina dietim eluceſceret*. Pallavicin. *l.* 21. *c.* 2. Reformationem Epiſcoporum, cum neceſſariam gravi oratione demonſtraſſet Eccleſiæ; ſuadebat, vt ad vitam obligarentur cõmunem cum ſuis Canonicis, iuxtà morem Eccleſiæ Primitivæ. *Pallavicinus c. 4. Hiſtor. Trid. Conc. l.* 21. Paulò poſt Venetias Legatus, ibiquè ſexennio moratus, in Turcas fœdus inter Pium V. Philippum II. Hiſpaniæ Regem, & Venetos Pontificis nomine magnâ prudentiâ percuſſit. *Maurocenus*. Ineunte Gregorii XIII. Pontificatu, in Vrbem remigrãs, cum in eà aliquandiù ſubſtitiſſet, ægrè à Pontifice dimiſſus, ad regendam Eccleſiam ſuam mirabili morum prælu xit exemplo. Pietatis, quà in ipſo adoleſcentiæ æſtu imputarum Sirenum cantus effugerat, voluptates contempſerat, integer, puruſquè acceſſerat ad Rempublicam. Mox cum excelleret ſingulari integritate, fide, variâ doctrinâ, Iuriſprudentiâ, ac rerum uſu ab ipſo Gregorio Papà revocatus, reſignato in eius manibus purè, & liberè Neocaſtrẽſi Epiſcopatu, Patriarcha primùm Hieroſolymitanus, deindè Presbyter Cardin. S. S. Quatuor Coronatorum renuntiatus An. 1583. die XII. Decemb. Pontificiæ ſignaturæ, Conſultationi, & S. Inquiſitionis Congregationi præfuit. Sixto V. ad Pontificatum evecto, unus ex quinquè Cardinalibus deſignatis fuit, qui de nece illatâ Cardinalibus Guiſio, & Borbonio ab Henrico III. Galliæ Rege, diligenter inquirerent. In Pontificatu Gregorii XIV. totam Signaturæ molem, cui Pontifex propter ægritudinem par eſſe non poterat, integrè, ac prudenter ſuſtinuit. Quid de eo cecinerit Vincentius Robardus in quinquennalibus Sixti V. audi.

Nobilis exiguo pulſata Bononia Rheno
Cur ferit auricomas, vertice lata faces?
An quia maiorum te Facchinete *tuorum*
Addere nominibus nomina clara videt.
Scilicet illa tuo iactat ſe nomine, claros
Dum ſuperes adeo poſtmodò cretus Avos.
Sera tibi niveos decorat prudentia canos,
Hæret in immoto pectore ſancta fides.
Et iuvat immenſi cauſas perquirere Mundi,
Semper & inventis ulteriora petis.
Quin pietatis amor, imis penetralibus, ardet,
Sydera ſuſpiras, & ſacra iara colis.

Papa eligitur.

Mortuo tandem *Gregorio XIV.*, cum unum Cardinalem *Madruccium* Hiſpani Pontificem meditatẽtur futurum, cæteris omnibus excluſis; coacto ſcrutinio die 28. Octob. An. 1591. reperta ſuffragia propitia Cardinali S. Severinæ 14. Madrucio 8. Paleoto 12. Como 10. Salviato 12. Aldobrandino 8. S. S. Quatuor Coronatorum 23. & hoc prænſante ſolà famà virtutis. Die poſteà 29. repetito ſcrutinio, & ſuffragiis numeratis Cardinali SS. Quatuor Coronatorum propitiis 28. Hiſpani, quibus mora electionis erat graviſſima, cum imminenti periculo, ut propter non ſoluta diſpendia legiones Pontificiæ in Galliâ diſperderentur, Madrucio præterito in Cardinalem S.S. Quatuor Coronatorũ, eàdem die, ſecundâ ab ingreſſu, horâ 23. dixere Pontificem vnà cum reliquis Cardinalibus, nemine diſcrepante. Concordiam electionis nũmiſma reſonat, ut in pag. 423. in quo claves Pontificiæ cũ epigraphe, *Iuſtitia, & pax oſculata ſunt*. Cardinalibus à novo Pontifice nonnulla more ſolito poſtulantibus abnuit *ſe nihil ex tempore, ſed omnia conſulto facere velle*, reſpondens.

2. *Veſtimenta cum indueret Pontificalia*, diploma Pii V. *De non alienandis bonis Eccleſiæ* ut iuraret, excitanti reſpondit: *Iuramus, & declaramus omnes in eà caſus dubitabiles contineri*. Cardinalem Caietanum, certam pecuniæ ſummam offerentem, dummodò *Io: Antonio Vrſino* Indultum quoddam ſubſcriberet, increpavit, dicens: *Obedientiam exigimus, & non pecuniam*.

Annonam procurat.

3. *Annona.* Alterà poſt creationem die Concilium habuit, annonæ cõſuluit dictà Romanis lege, ut triticum ex oppidis, & pagis, in Vrbem confeſtim inveherent. Ad preces *Fra. Miranda* Ord. Præd. Magiſtri ſacri Palatii dictus *Innocentius*, Coronationis inſignia privatim in Sixto, quæ forum reſpicit, ſuſcepit: licèt antehac moris eſſet, ea publicè recipere, magnâ pompâ, in gradibus Baſilicæ Vaticanæ. Coronationis teſtimoniũ nũmiſma eſt ut in pag. 423. in quo Angelus thiaram affert, cum epigraphe, *Rectis corde*; integritatis argumentum, & innocentię. In altero ſymbolum habes ab Innocentio aſſumptum *In verbo tuo laxabo rete*: fiduciȩ ſignum in Chriſto Domino.

Vaticinium eius Pontificatus geminum dicunt.

Al-

Præludia de eius Pontificatu.

Alterum cum obedientiam Gregorio deceſſori, in ſacris publicis præſtaret, mota è capite Gregorii infula decidit in caput eius. Alterum, quod in partitione cellarum Conclavis, ei fortè cella obvenerit ſita, ubi Pontifices in Conſiſtoriis ſolium collocare ſolebant. Ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Primates, revocato priſtino more literas dedit, quas *Auguſtinus Valerius* Cardinalis Veronenſis nuncupatus, conſcripſit iubente Pontifice, ſignificans promotionem ſuam, ac ut piis eum precibus juvarent apud Deum, deprecabatur. Bononienſibus, qui venerabilem Legationem meditabantur ad Pontificem concivem ſuum, gratias egit; nè caritate afflictis novam adderet afflictionem. *Campana*. Benignè tamen Legatos recepit Hetruſcos, Vrbinates. Veneta Reſpublica de more quatuor Oratores ad eum deſignavit, *Iacobum Fuſcarenum*, *Marinum Grimanum*, *Leonardũ Donatum* D. M. Procuratores, *Albertum Baduarium* omnes Ordinis Equeſtris: *Maurocenus*. Mantuæ Ducem, die 29. Novemb. ad præſtandam *Innocentio*, maiorum more obedientiam, in Vrbem venientem, intrà Palatii Vaticani ædes hoſpitio accepit; & penultimum ſedere iuſſit cum Diaconis Cardinalibus. Indè in auxilium populi converſus, pretia cibariis, aliiſquè ad victum neceſſariis, indicto vectigalia minuit, gabellas ſuſtulit: & quia deficiente pecuniâ annonæ proſpicere non valebat nè aurum diſperderet, quòd Sixtus V. incluſerat in arce S. Angeli, cuius tertiã partem iam inſumpſerat *Gregorius XIV.* quadraginta millia aureorum mutuò accepit: tutiùs credens Reipublicæ expedire, ut in ærario Pontificio magnum aliquod auri pondus, ad graviora rerum publicarum incommoda, & duriora tempora reconditum ſervaretur. *Ciaconius*.

Eius literæ ad Patriarchas de ſuâ electione.

Annonã iterum procurat.

Pecuniam mutuo accipit.

4. *Semel cœnabat in nocte.* Erat Innocentius (teſte *Ciaconio*) corpore procero, & exili, vultu venerabili, victu abſtinens, & potu, ſolido die impranſus, ſemel edebat ad noctem: quam à cibo abſtinentiã rara morum temperantia, quæ omnium commotionum moderatrix eſt, comitabatur. Hinc ad negocia minùs impeditus, & literarum aptiſſimus ſtudio etiam poſtquam ſenio languere cœpit, in lecto vacabat, & adeuntes audiebat. Nec id pigritiæ, aut voluptati, ſed neceſſitati dabat, ut ſcilicèt invaleſceret mediâ corporis parte, quæ frigoris erat impatiens. Si quãdo literis vacare non poterat, doctorum hominum ſermone gaudebat, quibus cum de reconditis ſcientiarum difficultatibus, aut arcanis regiminis loquebatur, Platonis enim, & Ariſtotelis, atquè aliorum eâ de re libros diligenter verſaverat, partamquè doctrinam rebus, & caſibus mirè aptabat. Literarum aliqua monumenta compoſuit, quæ typis mandare cogitaverat: ut

Statura corporis Innocẽtii. Victus.

Moralia adversùs Machiavellum. In Platonem de Politicâ. Epiſtolas. Extant M. S. S. in bibliothecâ Cæſaris Poſſevini in *Apparatu ſacro. Rupipozeus in nomenclaturâ Cardinalium*. Plures recurrunt ad Innocentium Literæ *Aldi Manutii*. *Angelus Rocca* illi Commentariolum de Nuce ſtemma eiuſdem gentilitium repræſentante dedicavit. Tomum 2. de Signis Eccleſiæ, *Thomas Bozius*. Tomum 4. Operum S. Gregorii *Dominicus Baſa*. Romanorum Pontificum epiſtolas *Antonius de Aquino*. Carmen inſcriptum Hæreſis, *Io: Maria Verdizonius*. Inter literas Tolomæi ſunt illæ ad Cardinalem S. S. quatuor Coronatorum datæ in Cardinalatus gratulationem. Deceſſoris inſiſtens veſtigiis, Philippinarium Inſularum, ac aliarum novi orbis regionum ſaluti, & veræ Religionis propagationi viribus totis incumbens, viros Apoſtolicos è Societate Ieſu, & alibi deſumptos, ad partes remotiores deſtinavit, qui lumen deferrent Evangelii, ac gentes nummiſmatibus (in quibus Imago erat Redemptoris cum epigraphe *Pro Philippinis, & aliis*) Apoſtolicâ benedictione inauguratis reficerent.

Innocentii ſcripta.

Qui de eo ſcripſerint.

Sacerdotes legat ad Inſulas Philippinas.

5 *Ambientium*. Pontifex dictus virtuti, honeſtis laboribus præmia diſpoſita cupiens, aulicorum ad beneficia Eccleſiaſtica adſpirantium nomina publicò in codice penès Datarium conſcribi iuſſit, & viros integerrimos, ac doctos, quorum in huiuſmodi re ſententia rogaretur, deſignavit. Extremo cruciatus morbo, cum vix ſpiraret, muneri tamen vivens Pontificio, libellos ſupplices, moribundâ illius manu ſubſcribendos, exhibitos reiecit: intentus ſolummodò miſericordiam implorare Divinam, ſi quid in Eccleſiaſtico regimine minùs rectè peregiſſet, vel moriens meliùs conſulere poſſet. *Victorellus*. Initio à ſeipſo, *non ab aliis pendere profeſſus, Galliæ Fœderatorũ patrocinium magnâ Hiſpanorum adprobatione ſuſcepit, illumquè in Philippi voluntate omninò rebantur futurũ; tum quòd in eâ obtinendâ dignitate Regiam favorem expertus fuerat; tum quod Navarræ Regi* (ità Maurocenus) *valdè infenſus ob Religionem eſſet; cumquè Parmenſi quinquaginta aureorum millia ſingulis perſolvenda menſibus ſtatim pollicitus fuiſſet, ut copias Pontificias, quæ tunc in Galliâ erant, deſereret, minimè conſentaneum arbitrabatur. At contrà qui effatibus non agebatur, Galli quin etiam Catholicæ Religionis, qui à Rege ſtabant, non deſperabãt fore, ut vir tractandis magnis negociis aſſuetus, doctrinâ, atq. vitæ integritate inſignis, geſta Gregorii expendens diù iis conſiliis non inſiſteret, quæ immensâ tantum ſpe, infirmis verò niterentur initiis. Iam enim Eccleſiaſticarum copiarum periculum factum fuerat; quæ ſi ſæpius domi, neque alios vincere, nequè Pontifices ipſos tutari potuerant, quid modò in externâ regione, adversùs bellicoſiſſimam gentem armis innutritam, per tot annos bellico labore, ac ſudore perfuſam ſperãdum foret. His omnis generis annonæ cura tũ Romæ, tũ in Eccleſiaſticis ditionibus addebatur, quæ Pontificem ad propicias res curandas ſollicitaret; etſi enim quinquaginta aureorum millia in ſingulos menſes pollicitus fuiſſet, eiuſmodi tamen conditiones adiecerat, ut id ad Hiſpanas potius remorandos, quàm ex animo ita ſtatuiſſe videretur: cum apertè diceret, ni priùs* Parmenſi *cum exercitu in Galliam ingreſſo, quod & ratione anni, & Belgii ſucceſſibus difficile cenſebatur, ex arce argenti nihil amoturum.* A Gregorio *inſuper, qui* Borbonios *omnes à regno excludebat, diverſus, palàm profitebatur, ad Regem ex Borboniâ ſtirpe creandum, modò veteri Religioni addictus eſſet,* Gallos *excitare velle. Ex his fiebat, ut Hiſpani ingentia ſibi pollicerentur:* Galli *autem prorsùs non diffiderent; neutris addicti magnâ ſpe adducerentur, Innocentium annis grandævum, in humanis verſatum rebus aliquam afflictæ, ac divulſæ Chriſtianæ* Reipublicæ, *coniungendæ rationem initurum, ut arma Chriſtianorum cruore infecta in communem hoſtem converterentur; cuius*

Sollicitus de rectâ beneficiorum collatione.

ius rei dum Cardinalis eſſet deſiderio flagrare haud dubijs argumentis ſignificaverat. Hæc initia novi Pontificatus, hæ ſpes erant; cum Innocentius ad divinam afflictæ Reipublicæ, præſertim Galliæ opem implorandam, Iubilæo indicto, Romæ ſeptem Baſilicas pedes inuiſere voluit, itineriſquè à fatigatione, febris violentia, octo dierum ſpatio victus

Iubilæũ indicit.

5. *Obiit* quarto Kal. Ianuarii, Pontificatu per duos menſes geſto. Die Chriſti natali Divinam ſynaxim percepit: quam, & ſacroſanctam Liturgiam ſingulari proſequebatur veneratione. At quamvis nil illi optatius eſſet, quàm incruento cœleſtis Agni ſacrificio intereſſe, ſacrorum tamen Canonum, & priſcæ gravitatis memor, in quo decumbebat, cubiculo, offerri minimè paſſus, ipſum Agnum ſub panis ſpecie latitantem, ad ſe offerri præcipiens: cum ſuſcipere non poſſet, religioſiſſimè eſt veneratus. Abeundi tempus agnoſcens, curis abiectis caducis nihil vel cogitare animo voluit, vel auribus audire; ſoli mortis meditationi intentus, quam pictis tabellis excitare conſueverat. Geminas namquè pictas tabellas habens invicem commixtas, ac plicatiles (in quarum alterà nuda humani capitis calvaria; in alterà funeris pompa videbatur) cum pretioſà ſupellectili, in interiori cubiculo ad parietem ſuſpenderat, ad quas in quacumquè deliberatione oculos, animumquè converteret, ac ſalutaria vitæ æternæ ab ipsà morte conſilia caperet. Obiit

Eius obitus.

Morientis pietas.

Vitam compo-nit in ſpeculo mortis

6. *Eclypſim patiente Lunà*, *Princeps luminum* (ita Benedictus Iuſtinianus in funere Innocentii) *qui toto fermè* Innocentii *Pontificatu, quaſi mortalibus tàm ſingulare, divinumquè bonum gratularetur, clarà luce omnia complens terris affulſerat; ipſo deniquè decumbente (ſi tamen in re tam gravi,* Poetarum *more ominari liceat) cæcis, ac denſis nubibus obductus iubar omne contraxit; mox etiam eo iam vità functo, lento quodam imbre, quo veluti communi Eccleſiæ calamitate illacrimari videbatur, non obſcurà ſignificatione declaravit.* Poſt obitum lateritio tumulo inter oſſa Marcelli II. & Vrbani VII. in Vaticanà Baſilicà conditus eſt; indè poſteà tranſlatus, plumbeà incluſus arcà, & marmoreo munitus ſarcophago, ſub pavimento requieſcit.

Eclypſis in eius morte.

Sepulchrum.

Inſignia gentilitia Innocentii IX. cum epigraphe; *Roma reſurgens*; habes pag. 423.

CLEMENS OCTAVUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXXIII.



IN Chriſto Redemptore quum aſinæ inſidens triumphum ſubiit, ut aſini humilitate moderaretur triumphum, *Clementem* exhibeo, qui privatim voluit coronari, ut pompam declinaret coronationis.

Eligitur Anno Sal. 1592. *die* 11. *Feb. Obiit An.* 1605. *die* 6. *Martii. Cum ſediſset Annos* 13. *Menſ.* 1. *dies V. Vacat ſedes uſquè ad diem primam Aprilis.*

E L O G I V M.

Anni Sal. ICI. 1592 I1 SUprà hominū ſorté, Romanú eſſe Pōtificē, A
Ignaros docet Clementis electio.
Patres quinque ſuprà triginta
Cum in *Cardinali S. Severina* conveniſſent;
Eligere valuerunt, non adorare.
Rogabat pro Aldobrandino [1] Deus
Dum prò Deo ſolus Aldobrandinus
Morientem Pontificē ſacramentis procuraret.
Clemetię reſervatas Cęli Claves *Severus* uſurpat
Sed cōfuſis linguis ſpolium cuſtodire neſcivit.
Adiuratus [3] ab electo Deus
Si non conſentiret, diſſentire portentis: Anni Sal. ICI. 1592 d2
Interpretes *Spiritus S.* acceſserūt *Pōtifex Sanctus*
Paulus IV. [2] Philippus Nerius.
Is Aldobrādinū *Clemētem* appellādo ātequā eſset:
Et nè adulari videretur, ſed adorare;
Adiecit miraculum:
Solo contactu Pontificē à chiragrà liberando.
Ille propè in cunis vagientē Pōtificē vaticinādo.
Pontificatus auſpicia à planctu
Nè Regnū Chriſtianiſſimū fieret Lutheranum;
Sed Rex Lutheranus fieret Chriſtianus.

Cle-

Anni Sal ICI. 1592.11

Clemẽtię lachrimas colligẽs Philippus Nerius,
Ambroſii ſolatus eſt lemmate:
Impoſſibile: ut filius tantarum lachrymarũ pereat.
Hoc imbre veluti novo baptiſmo Rex enatavit
Calvino demerſo.
Interrogati namque Novatores
An ſalvus eſſet in Eccleſiâ Catholicâ?
Cum affirmarent: Rex ſubiecit;
Satius ergo me Cœlũ adire cũ regno, quã ſinè regno.
Sic Religioni reſtitutũ, Regno Clemẽs reſtituit
Incœpit tunc nil Gallo debere Petrus,
Poſtquàm peccanti Petro Gallus,
Peccanti Galliæ Petrus,
Lachrymas elicit ſalutares.
In Turcas [5] indè curæ Pontificis;
Ferro Germaniam devorâſſent, ni Clemens aurum obiecieſſet.
O quã fortis eſt clauus Cæſaris cũ Clauibus Petri!
Ferrariam [6] occupaverant Ateſtini eâ audaciâ,
Ut ſignis collatis pugnã cũ Papâ promitterent.
Cũ oppreſſus prẽſẽtiâ Põtificis rebellis exercitus
Ferrariam reddidit ſinè ferro.
Non opus ferro, ubi Clementia pugnat.
Vidiſſe, viciſſe fuit.
Victam Urbem dicavit Virgini [7] Lauretanæ:
Nè ãpliùs homo ſperaret cui aſpiraverat Deus.
Fuit civitas *Ferrea* thorus, & thronus pacis:
In quâ geminum ſacravit Hymenæum,
Margaritæ [8] *Auſtriacæ* cũ *Philippino III.* Hiſpano,
Et *Iſabellæ Hiſpanę* cum *Alberto Auſtriaco*.
Paraphrenalia coniugii, pulchritudo, & pudicitia
Paulò poſt reſeratis Eccleſiæ theſauris
Publicavit Sacramentum [9] Pacis
Inter Gallos, & Hiſpanos.
Vt unitas populorum foret Religionis, & Fidei.
Deſtruit veritatem Fidei, qui illam dividit;

Et totum negat Deum, qui totum non credit.
Pugnarent inter ſe Numina, ſi eſſent plura.
Nec bello abſtinerent populi, diverſa credituri.
His auditis, exundavit præ lætitiâ [10] Tyber:
Ut nunquàm eluviem ſimilem Roma viderit:
Nec parem liberalitatem in miſeris ſublevãdis:
Sæculum tandem Iubilæo [11] clauſit: (libus
Cõvenietib⁹ Romę tricies cẽtẽnis hominũ mil-
Expertum tunc, quantũ poſſit pietas Pontificis
Ad hæreticos confundendos & convertendos,
Viſis ad Pontificis pedes pópulis,
Ad populorum pedes Pontifice.
Lutherani, Calvini impia dogmata evomuere;
Turcæ ipſi hæc credentes potiora miraculis,
Ad ſalutare acceſſere Baptiſma.
Vernare poſtea novo flore voluit Eccleſiam
Inter ſanctos inaugurato [12] *Hyacinto*,
Nè Cœli hortis deeſſent Hyacinthi ſui.
Fama cũ ad Ruthenos [13] perveniſſet Alexãdrinos
Devoti miſere ad ſacrorum oſcula pedum
Virũ tàm clemẽtẽ credẽtes nõniſi Vicariũ Dei.
Adversùs tandem mortem armavit ſeipſum:
Non ut fugeret, ſed nè timeret.
Viduas, [15] Virgines, vagantes [16] pueros
Suis collectos in caſtris,
Cherotrophio locavit, aſceterio, Orphanotrophio, tecnotrophio
Captivos [17] lytro redemit:
Ex Inferis purgantes [18] animas evocavit.
Certamen ut ſibi ſolùm ſupereſſet in [19] mortem;
Ignoſci ſibi ab omnibus voluit,
Licèt neminem offendiſſet.
Creduntur hæc omnia terruiſſe mortem:
Et forsàn aggredi non auſiſſet, 1605.14
Si etiã Deũ in homine occidere nõ agnoviſſet.

Anni Sal.ICI. 1599.18

ADNOTATIONES IN CLEMENTE VIII. PONT. ROM. CCXXXIII.

1. A*ldobrandino.* Sublato *Innocentio* IX. (teſte Andreà Mauroceno l. 14. Hiſtor.) *Romæ ſummo ſtudio, de ſacro Principatu inter purpuratos concertabatur, atquè eo acriori nixu, quòd nemo inter competitores extaret, qui vel ætate, vel prudentiâ, vel rerum uſu, vel Principum ſuffragatione reliquis anteiret. verùm in quem potiſſimùm Philippus inclinaret, cuncti ſedulò ſpectabant, quòd eius in Pontifice cooptando auctoritati, Galliæ diſſenſionibus haud parum pondus acceſſiſſet, Cardinalium præſertim trepidis, atquè ambiguis animis, nè ſi fœderatis adverſantur, in religionis deſpectæ notam incurrerent. Quapropter quinis ex ſeptem, quorum iam duo exiguo temporis ſpatio, Pontificatu geſto, exceſſerant, nuncupatis, Paleoto, Novocomenſi, Severinate, Columnà, Madrucio, reliquos Hiſpani excludebant, atquè compotes voti fierent, quà prece, quà pollicitis, minis aliquantò intermixtis utebantur, ad abſentium gratiam conciliandam. Seſſanus Regis Legatus per literas Franciſcum Ioieuſam Gallum Cardinalem, qui turbatâ Galliâ, Savonam ſe receperat, Romam evocavit. Severinatem initio evehere admitantur, vel quòd magno animi ardore Gallicum videretur amplexurus negotium, vel quòd vivido animi impetu, egregiàquè virtutis opinione cæteris anteiret: vel quòd Ferdinando M. Hetruriæ Duce, ac Mantalto Cardinali in eum conſentientibus, facile id ſe aſſecuturos crederent. Verum Sitieus, Altempſius, Sfondratus, Facchinetus, alii Duce Franciſco Sfortià reluctabantur: Regiſquè Legato efflagitãti reſponderant: ſuam dignitatem, vitam agi; minimè in eo conventuri, qui ſanguine, cæde, funeſtum redderet Põtificatum. Nihilominùs tanto in eum favore comitia inchoata ſunt, ut pleriquè opinarentur, primo ſcrutinio renuntiatum iri. Hinc adverſaris quo propius cernebant periculum, eò maiori vi aſſlantem ei fortunam intercipere conabantur, praedurum, atquè implacabile accuſantes ingenium, præceps conſilium, immotas ſententias, obſtinatas contentiones, quibus eo tempore Dei Eccleſiam adminiſtrare opportunum non eſſet; nullis ambitionem comprehenſam terminis, eâ dignitate impetratâ, reliquos depreſſurum. Eò uſquè provehebantur; ut ſi quis de more, ad eum adorandum ſe contuliſſet, pectori manum admoturos, foreſquè ipſas inſeſſuros dicerent. Veritis tamen*

Comitiorum ſtatus pro eligendo Papa.

Hiſpanorum potentia.

Cardinal. Severinas.

men, nè poſtridiè, quo Patres convenire ſolent ad ſacrum A *imploraturi auram Spiritus Sancti, repentinà quàdam adoratione Pontifex eligeretur: ſe à reliquis ſeiungunt, atquè in Paulino ſacello, Duce Sfortià, numero decem, & ſeptem ſacra faciunt. Inſueto, atquè inaudito exemplo commoti omnium animi, eorumquè præcipuè, qui penitùs inſpicientes diſſidiorum, ac ſchiſmatum ſemina alii animadverterent. Et quoniam quinquè, ac triginta in maiori cætu convenerant, qui duas partes Collegii ex tribus faciebant, ambigendi locus non relinquebatur, quin ſi ad adorationem ventum eſſet, Severinas Pontifex crearetur. Sacris peractis, dum à ſenioribus initium fit; Aſcanius Columna hoſtis Severinatis, qui nè patruo Pontificatum petenti officeret, palàm ſe ab aliis ſeiungere noluerat, repentè altiori voce enuntians, divino ſe impulſum ſpiritu ei ſuffragari non poſſe; momento, ſacello egreſſus ſeptemdecim ſe adiungit. Cunctorum ob id perturbatis animis; comitia tamen minimè intermittuntur. Ex 34. viginti octo ſuffragia Severinas tulit, quibus cum duo acceſſiſſent, ſtatim creatum eſſe Pōtificem pronuntiant, Nec deerant qui illicò ſterni fores,* B *atquè in Petri Baſilicà adorandum cenſerent. Pauci tamen fuere, qui propter commune bonum moderatis conſiliis fervidos compreſſere. Sic à promulgando Severinate abſtinentes, legitimè tamen creatum aiebant: idem ipſe confirmabat, obteſtabatur Decem, & octo, qui in ſuffragia non iverant, reliquos impedire nequiviſſe, quin æris campani pulſu, de more ad comitia accederent; unicuiquè liberum eſſe, & integrum, ut electioni interſit. Si qui privato affectu adeſſe nolint, dum ſacroſancta leges ſerventur, aliorum auctoritatem infringere, aut labefactare nō poſſe. Hæc palā à Severinate, eiuſq; ſectatoribus dicebātur; eodemq; tēpore Iuris Conſultorū, Rituū, ceremoniarumq; Pontificū libros depoſcant, ut quid* C *iure decernatur, inſpiciant. Contrà alii non privatà ratione ſeceſſiſſe aiebant; ſed quod (integrà religione) ſtudia, ambitum, artes adhibitas ferre non poſſent: ſuffragia minimè libera, cuncta pollicitis, minisquè referta, in Severinatem binas collegii partes non acceſſiſſe, qui minori ſuffragiorum numero ſe Pontificem appellet, eiuſdem fautores ſacris Conciliis, Summorum Pontificum decretis, fidelium communione amoveri. Severinas verò poſthac, absquè iurium ſuorum detrimento, comitia habenda diceret. In eà animorum perturbatione rei exitum dignoſcere difficile erat; plerique præciſas ſpes Severinatis, licèt adhuc alios ſuffragiis vinceret, arbitrabantur.* Referunt alii induſtrià Cardinalis *Geſualdi*, qui tanquàm Decanus ſupputabat ſuffragia, excluſum fuiſſe Severinatem. Cum enim ad quinarium, vel ſenarium perveniſſet, ſpeciè tumultus, quem excitabant Cardinales ſtantes, vltrà progredi non permiſſus; ſē- D per exordiebatur vnitatem donec exeunte Columnà, eius exemplum nonnulli alii ſequuti, exitum amicis Severinatis intercipientibus, cęperunt appellare de violentià, & nullitate. Hiſce tumultibus ſpem ſuam alii fovebant, non ſinè ſuſpicione, & rumore, *octodecim Purpuratorum iuſſu, ſecreto armatos in Vrbem invehi. Cuius rei monitus Virginius Vrſinus, nè Montalto ſororio, atquè iis, qui Severinati adhærebant, deeſſet, milites, & ipſe cogit. In hoc turbine præpotens lux affulſit divina, quam ſummorum Pontificum electioni haud dubiè aſſiſtere credi par eſt; momento eorum diſſipatis conſiliis, qui pernicioſo ambitu ad eam dignitatem adipiſcendam anhelabant. Nàm Ravereo defuncto,* A *Severinate, ac aliis quatuor fruſtrà nitentibus, cuncti in Salviatum, & Aldobrandinum Hetruſcos convertebantur: illi verò uti Gallicæ factionis cum Hiſpani palàm aver-ſarentur, ferunt, à Seſſano per literas Madrucium petiiſſe; an Aldobrandino ad Pontificatum evecto, Philippus æquo animo laturus eſſet: eo annuente, nondùm ſupremæ dignitatis ſiti extinctà, nemini conſilium detexiſſe: at febri repentè correctum, ſpe abiectà, lethali timore, nè morbo ingraveſcente, in Salviatum Purpurati inclinarent, Montaltum conveniſſe ferunt, nolle ſe, inquit, divino afflatui obſiſtere, ſed ei, ſi ita videatur, Aldobrandinus ſuffragaturum. Cunctis itaquè conſentientibus, tertiò* Kal. Feb. An. 1592. *primo apertis ſuffragiis, deindè adoratione Hippolytham Aldobrandinum Pontificem creavere*: ita Maurocenus. *Fanenſis* appellabatur Aldobrandinus, quia Fani natus dum eam urbem eius Pater regeret nomine Pontificis. Florentià tamen oriundus, *Silveſtri Aldobrandini*, & *Leſæ deta* filius, *Io: Aldobrandini* Cardinalis frater, familià nobili; egregià indole, & ingenio præditus ſingulari. Hunc B Cardinalis Farneſius ad literarum ſtudia non tàm verbo excitavit, quàm auro, annuà centum aureorum penſione oblatà. Ferrariæ, Bononiæ, Iuriſprudentiæ operam navavit. Bononiæ *Gabrielem Paleottum* audivit, lauream accepit Iuris utriuſq. Italiam, & Hiſpaniam cum peragraſſet, fructu non vulgari, Romam venit, ubi Conſiſtorialis Advocati munus, quod olim Pater eius obiverat, delatū accepit. A Pio V. inter Rotæ Auditores cooptatus, cum Alexandrino Legato Apoſtolico in Hiſpaniam, Galliam, Luſitaniam legationem illam graviſſimam, & negocia omnia moderaturus miſſus eſt. A *Sixto V.* Datarius primò, poſteà Presbyter Cardinalis tit. S. Pan- C cratii, ac ſummus Pœnitentiarius declaratus, in Poloniam ab eodem de latere Legatus, ad componendum diſſidium inter Auſtriacos, & Sigiſmundum Bathoreum, Maximilianum Archiducem Auſtriæ a Polonis in bello captum, in libertatem vindicavit. Romæ reſtitutus, die 30. Ianuarii, Anno 1592. Pōtifex dicitur; ut prædixerat

Diſſidia Cardinalium.

Severinatis aſſerta electio

Geſualdi induſtria.

Hyppolytus Aldobrand. Fani natus Clemens 8 Natalia Studia.

Munera

2 *Paulus IV.* cùm à Silveſtro Patre Iuris Cōſultorū eius ævi coriphæo adductū *Hyppolitum* filium ut Pontifex benedictione donaret, vidiſſet dixit Papa: *Incumbe in ſtudia fili, ut Chriſtianam Rempublicam gubernare aliquando poſſis*. Concordat S. Malachiæ vaticinium verbis illis *Crux Romulea*: quòd in ſtemmate Clemens trabem ferret argenteam interciſam ad ſimilitudinem Crucis Pontificiæ. Sed clariùs S. Philippus Nerius, apud quem cum in hortis *Curtii de Maximis* ad viam Septimiam conveniſſet unà cum Car- D dinali Cuſano. Curtius propior factus; *Optarem*, (inquit) *ut mihi Cardinalis Aldobrandini gratiam conciliares*. Reſpondit Philippus. *Faciam: atquè inſuper addo Aldobrandinum, Cardinalem non deceſſurum*. Quartò poſt menſe; Innocentio IX. defuncto, cum celebrarentur comitia, Abbatem Maſſam ſub veſperam alloquens dixit: *Aldobrandinus renuntiabitur Pontifex, & Clemens nomine appellabitur*. Baccius *l.* 3. *c.* 6. Adiungit Baccius *l.* 5. *c.* 2. quòd cum Philippus intellixiſſet eundem Clementem ob chiragræ dolores, lecto defixum iacere, ad eum venit, quem Pontifex introeuntem aſpiciens, vtpotè qui nec linteamina præ cruciatus acerbitate attrectari permittebat, iubet, nè propior fiat. Is tamen conclave penetrat.

Papa prædicitur.

Chiragra ſanatur à Philippo Nerio.

erat. Exclamat Pontifex, *cave nè tangas*. Subdit Philippus: *Ne dubites Beatiſſime Pater*. Et continuò illius dexteram, cui dolor inerat, ſolito actus tremore, apprehendit, validè premit. Ad contactum, Perge (ait Pontifex) *perge tangere; ſummè enim afficior ſolatio*. Abſceſſerat repentè dolor; ut ipſe ſæpiſſimè teſtatus eſt Clemens in Congregatione examinis Epiſcoporũ. Quales porrò inter Philippũ, & Clementẽ piæ concertationes intercederent; audi ex eodem Baccio *l. 2. c. 16.* Cum pro quàdam puellà Philippus Pontificium exoptaret diploma, & incommodà valetudine preſſus, ipſum adire neutiquam poſſet, ſupplicem tenoris huiuſmodi libellum tranſmiſit: *Beatiſſime Pater ecquis ego, ut Cardinales ipſi ad me veniant? præſertim heri veſperè Cuſanus, & de Florentià, quorum ultimus cum modicà mannà ex foliis collectà indigerem, è maximà, quam ad S. Spiritus Noſocomium miſerat, copià, duas ad me uncias iuſſit afferri; eodemq. die apud me uſq. ad ſecundam noctis horam commoratus eſt, ac tot, tantiſq. laudibus Sãctitatem veſtram extulit, ut certè modum mihi exceſſiſſe viſus fuerit; cùm ſummus Pontifex in ipſam humilitatem transfuſus videri debeat. Chriſtus ſeptimà noctis horà ad me venit, ac ſui me corporis Sacramento refecit: tu verò nec ſemel quidem ad Eccleſiam noſtram accedere dignatus es. Chriſtus homo eſt, & Deus, & quotieſcumq. eum accerſo, ad me venire non dedignatur. Tu purus homo, natus quidem ex ſancto, frugiq. parente; ſed Chriſtus ex Patre Deo; tibi mater eſt Agneſina ſanctiſsima fœmina; ſed Chriſtus Virginem virginum matrem habuit. Non deeſſet conquerendi argumentum, niſi magis præſtaret iracundiæ motus compeſcere. Veſtra ergo Sanctitati præcipio, ut quod ad puellam attinet, quam ſummè cupio S. Franciſcæ oblatis aggregari, filiam Claudii Nerii, cuius olim liberos in tuã clientelam admiſſurum deſpondiſti, mea obtemperes voluntati, tibi in mentem revocans, Pontificis eſſe ſervare fidem. Ideò Sanctitas tua ad me negotium remittat, ut quatenùs opus ſit, tuam valeam interponere authoritatem; Vel maximè, quià non me latet, quanam ſit puellæ voluntas, certò ſciens illam Deo vocante, ad Monaſterii inſtitutum properare. Atquè interim ſanctiſſimos pedes tuos, quà prorſus debeo animi demiſſione, humillimis oſculis adoro.* His eàdem in paginà, manu propria Clemens Octavus in hæc verba reſcripſit. *Hæc tibi Pontifex. Schedulam in primà ſui parte certum ambitionis ſpiritum dicit ſubolere, cum illi notum eſſe velis, te à Cardinalibus frequentiùs adiri, dummodò id eo non agas conſilio, ut eidem innoteſcat, eos eſſe viros pios, ac religioſos, quod nemini dubium. Quòd verò Pontifex te unquàm non inviſit; retorquet id à te haud eſſe promeritum, cum toties Cardinalatus dignitatem tibi ultrò oblatam recuſaveris. Quod attinet ad præceptum ſibi iniunctum, facultatem tibi impertitur, ut ſi Moniales minus pareant, eas conſueto redarguas imperio; tibiquè præcipit, ut valetudini tuæ conſulas; nequè ſine illius obtentà veniâ ad excipiendas Confeſſiones revertaris. Vbi verò Chriſtus ad te venire contingat, Pro Pontifice, & pro graviſſimis Chriſtiani Orbis neceſſitatibus orare memineris.*

Religioſa concertatio cum Philippo Nerio.

Purpuram offert S. Philippo Nerio.

Dictus Pontifex, & Epiſcopus non eſſet Clemens eodem Anno 1592. Die dominico, Purificationis Deiparæ, à Cardinali *Geſualdo* Ep. Oſtienſi, *Ptolomæo Gallio Tuſculano*, *Gabriele Palæotto* Sabinenſi Epiſcopis, eſt conſecratus. Poſt dies octo, inſignia coronationis à *Franciſco Sfortià*, primo Diacono Cardinali ex iis, qui Romæ erant, privatim accepit (teſte *Petramell.*) ut pompam effugeret. Indè ab eo

Conſecratur.

Coronatur.

3 *Adiuvator Deus* Dicitur (& ad hoc Ioannẽ Franciſcum Bordinum Vallicellanum ſacerdotem adhibuiſſe interpretem. Volunt alii ad eluendas animi labes, in ſacramento Pœnitentiæ, adhibuiſſe Philippum Nerium, qui poſteà ſenium cauſatus, ſubſtituit Cæſarem Baronium) ut eum quamprimum è mortalium ſocietate expungeret; ſi eius labores Eccleſiæ futuri eſſent inutiles, *Supplementum Ciaconii*. Conſtitutionem poſteà Pii V. *De non diſtrahendis Romanæ Eccleſiæ civitatibus*: legeſquè Sixti V. de nummorum acervis in mole Hadriani congeſtis, conſervandis probavit. Quadraginta Horarum Orationem Romæ perpetuo celebrandã inſtituit, ut diu, noctuq. toto Anni curriculo, incenſũ Orationũ in conſpectu Altiſſimi dirigeretur. Iudæos iuxtà leges Pauli IV. & Pii V. à Romano expulit imperio, exceptis Anconà, Avenione. Adoleſcẽtes ſeminariorũ, Apoſtolicæ Sedis alumnos literis ad pietatem accendit, & ſtudia. Ad duellum provocantes, pugnantes anathemate percuſſit. Dominicanis in actibus publicis, & privatis digniorem locum poſt Canonicos, Clericos ſæculares, & priſcos Monachorum Ordines aſſignavit. Monacos S. Baſilii ad unam Congregationem redegit. Carmelitas excalceatos à Mitigatis ſecrevit. Regulares viros, & mulieres munerum largitione prohibuit. Romanæ Vrbis Eccleſias tam Patriarchales, quam Collegiatas, Parochiales, Perſonas, Capitula, Monaſteria, Collegia, Hoſpitalia, Laicorum Confraternitates, Montem pietatis per ſeipſum viſitavit, adhibitis ſecum nonnullis Cardinalibus, quorum conſilio tanto fructuoſiùs verſaretur. Inchoata eſt viſitatio die Dominico XIV Iunii An. 1592. & de eà Auguſtinus Cardin. Valerius edidit commentarium. Numen ut ſibi in tanto opere beneficum conciliaret, aſſumpſit pro ſimbolo *Protector noſter aſpice Deus*. Concordant quatuor nummiſmata, quorum in primo Clemens flexis genibus coram Chriſto Crucifixo, ſub lemmate, *Fortitudo mea, & refugium meum*. In ſecundo Petrus, qui ex naviculà ad Chriſtum in littore ſtantem, *Domine iube me venire ad te*. In tertio Petrus, qui retia mittit in mare, *In verbo tuo*. In quarto Clemens ad pedes Chriſti cum ovibus, ſub lemmate; *Da, quod iubes*, quod eſt Auguſtini; Rogans ſcilicet, ut ſibi commiſſas oves ritè paſcere poſſet. Ea habes pag. 476.

Romã viſitat.

Numiſmata. Symbolum.

Venere poſteà Oratores Principum, qui gratulationis munus obirent. Prò Venetis *Marinus Grimanus*, *Leonardus Donatus* Equites, ac S. Marci Procuratores, *Albertus Badoarius* Eques, *Zaccharias Contarenus*. In locum autem defuncti Badoarii, *Federicus Sanutus* ſuffectus eſt. Lucenſium nomine *Martinus Gelius*, Decanus S. Michaelis, *Sufredus Rapondius*, & *Laurentius Gaudentinus*. Pro Rhodienſibus *Fr. Vincen. Carraffa*, Prior Hungariæ. Pro Alphonſo II. Duce Ferrariæ Cæſar Eſtenſis, eiuſdem Ducis patruelis. Pro Philippo II. Hiſpaniarum Rege *Laurentius Suarez de Figuerrà*, & *Corduvà* Dux Ferriæ. Pro Henrico IV. Galliarum Rege *Fran. Luxeburgius* Dux Pinei. Pro Philippo III. Rege Hiſpaniarum *Franciſcus Ruiz de Caſtro*, & *Andreà* Comes de Lemos, ProRex Neapol. Pro Sigiſmundo III. Sveciæ, ac Poloniæ Rege *Staniſlaus Minſkes* Palatinus Lanicienſis.

Legationes Principum ad Clementem.

Expeditio in exules.

ſis. Quibus omnibus reſpondit *Ant. Buccapadulius* Romanus, Clementis nomine.

Primum Clementis facinus adversùs exules, qui Duce Sciarrà graſſabantur, immiſſo *Flaminio Delphino* cum cohortibus.

Scribebant eodem tempore in Vſcochos Veneti militem; & *Marcum Sciarram*, *Lucam* eius fratrem, ac *Baptiſtellam ab Aratro* cum quingentis peditibus centuriarunt, Civitatem Novam triremibus miſſis, ut in Illyricum traiicerent. Re cognità Pontifex, per Legatum Tabernæ Laudis Pompeiæ Epiſcopum apud Rempublicam agentem, flagitavit, nè ſub vexillo Veneto exules permitterentur Pontificii. Annuere Veneti; ſed interim milites traiecerant in Illyricum. Hinc iræ Pontificis exclamantis ſceleratæ gentis facinora, eoſquè opprimendi à Venetis facultatem ablatam. Præfectis autem in militiam relatis, pecuniâ ſolutâ, fide datâ, nec innoxios plectere poterant, nec placare Pontificem; cum tamen ea omnia caſu contigiſſent iniuſſu Senatus, qui nunquàm prævidere potuiſſet, ut eà peſte à Pontificià ditione remotà, Pontifex excandeſceret, ac non potiùs ſummà cum voluptate perciperet, momento, ſinè ſanguine, abſquè impensà ſatisfactum eſſe paci, atquè iuſtitiæ. Clemens verò minimè acquieſcens, Tabernam Legatum Venetiis ſecedere iuſſit. Veneti ut lenirent Pontificem, Legatum extrà ordinem Romam miſerunt *Leonardum Donatum*. Quo Pontifex non contentus, immò excuſanti Legato, Senatu invito, atquè inſcio omnia facta, cum reſponderet; Reſpublica ergo Ducum deditione patefaciat. Obiicienti Legato militare ſacramentum, maiorum inſtituta, fidem publicam, exemplum peſſimum; Quatuor Cardinalibus *Mariano PerBenedicto, Salviato, Camerti, Montalto* negotium commiſit. Acri contentione res acta. Salviatus enim qui Hiſpanis minùs gratus, eorum gratiam prænſabat, quatuor Clementi propoſuit: vel Legatum dimitteret, vel Sacerdotum decumas adimeret, aut in Adriacum claſſem evocaret Hiſpanam, vel tandem aſſueta anathematis arma ſumeret. Nimium porrò Legati fervorem moderatio Camertis, & Montalti repreſſere conſilia. His certior facta Reſpublica, S. C. factum, vel de Sciarrà cum ſuis dimittendo, vel in Orientis Inſulas ablegando ad arbitrium Pontificis: quamvis dimiſſus, nè ſe Vſcochis adiungeret, vel denuò in ditionem irrumperet Pontificiam. Neutrũ placebat Clementi: licèt mutatà priore ſententià, *Petrum Comitem* ſibi tradi poſtularet, de reliquis poſteà deliberaturus. Negarunt Patres tradere militũ Præfectum, qui vel pace, vel bello, ſummà fide operã navaverat Reipublicæ, vincula expertus, & carceres in Tamaſſi oppugnatione. Accidit interim, ut Amurates Turcarum Imperator in Pannones expeditione decretà, Chriſtianos omnes iam Gallico bello fatigatos, ad ſaniora conſilia retraheret. Eadem ſecum reputanti Pontifici, nè hiſce Reipublicæ diſſidiis, vires hoſtium augerentur; perhumaniter remiſſo Venetorum Legato; dum *Sciarræ* cum ſuis in Cretam parabatur expeditio: & *Petrus Gabucius* in Cytheram inſulam proficiſceretur; accidit, ut homines prędæ aſſueti, ægrè tantum maris ſpatium emenſuri, occultò de Arbenſis inſulæ direptione, cui præſidio miſſi fuerant, deque in Picęnum traiectu agitarent. Re cognitâ; ac in eos validâ militum manu præmiſsâ, dum impetus paratur, *Sciarra*, ac *Baptiſtella* ſcaphâ ſubducti, Aſculum in Picænum aufugere. Vbi Sciarra à Baptiſtellâ ſocio interfectus eſt. Reliqui Veneto milite oppreſſi, ſexdecim reſte ſuſpenſi, viginti undis demerſi, centum triremibus addicti ſunt. Sic ea hominum eſt deleta colluvies.

Diſſidiũ cum Venetis

Moritur enim Antuerpiæ *Alex. Farneſius* pientiſſimè, rebus Belgii ordinatis, & Fœderatorum tuto loco relictis. Princeps fortiſſimis, Græcis, ac Romanis ducibus æquandus, eorum pleriſquè fœlicior, quòd rerum à ſe geſtarum ſcriptorem nactus eſſet *Famianum Stradam*: licèt in flore ætatis, & curſu victoriarum, diſertiſſimis viris ingenium, & ſtylum offerentibus ad nomen æternandum, ſtudium remittens negaret ſe de interiturà literarum perennitate laborare. Adducentibus M. Alexandri exemplum inanem gloriolam uſquè ad delicias aucupantis: *ignotum* (aiebat) *fuiſſe Macedoni Chriſtum; & ſempiternæ beatitatis gloriam cæleſtem.* Roma tanquàm Romano Principi, fortiſſimoquè exercituum Imperatori, præter exequias in Romani populi templo ſplendidè repræſentatas, in Capitolio ſtatuam S. C. dedicavit. Clemens VIII. ut S. R. E. Vexillifero in Baſilicà Vaticanà, perſolvi iuſsit inferias Purpuratorum Patrum frequentià celebres, quas ipſe ſuà præſentià decoravit. Eius oſſa in parvo D. Franciſci templo, ſub labro aquæ luſtralis humata ſunt, quaſi prætereuntium veſtigiis conculcari geſtirent, epigraphe hac ſaxo inciſà vulgari.

Farneſii obitus.

Alexander Farneſius Belgis devictis, & Francis obſidione levatis, ut humili hoc loco eius cadaver reponeretur mandavit IV. Non. Decemb. An. 1592.

Luctum augebat gemina mors *Alphonſi* domini Oppidi Guifredi, & Cardinalium *Gonzagæ, Mondoſii, Canani*; Hos ætas ſuſtulit. Ille globo igneo traiectus, dum in viridiario auram captaret. Nec ſatis. In ſtagnum præcipitem cum dediſſent ſicarii, cæſum dubitantes, caput amputarunt. Tanti ſceleris auctorem *Rudolphum Marchionem Caſtillionæum* fama accuſabat, quod ſpe futuræ ſucceſsionis patruum proditoriè occidi curaſſet. Suſpicionem augebat armata irruptio eiuſdem Marchionis, qui violenter defuncti oppidum, uxorem, liberos uſurpaverat. Tẽtavit Pontifex Rom. miſſo *Septimio Borſierio* Ep. Aleſſani, Marchionem ad mitiora conſilia retrahere, & defuncti liberos reſtituere; ſed in caſſum: non tamen impunè. Nàm in Guifredi oppido plumbeà glande traiectus, & ipſe cecidit. *Campana*.

4. *Pontificatum auſpicante à planctu, pro Gallia ſalute.* Gallicanam Eccleſiam vetuſtate, ſanctitate, doctrinà celebrem cum vnicè Clemens diligeret: pro eà non mediocriter afflictà cępit primis aſſiduis precibus, repetitis ſacrificiis (cum Baronio loquor *ep. dedic. ad Clementem To. 6.*) indeſinentibus lachrymis Miſericordiam ſollicitare ſupernam. Secundò Epiſcopum Viterbienſem in Galliam miſit, vt pecunià erigeret ſociorum animos: credens nec ſibi, nec Italiæ conducere, vt hoc tempore milite nudaretur. Ex adverſo Prǣſules Gallicani de remediis Eccleſiæ Gallicanæ tunc temporis turbatiſſimæ, in quà quidam conſtituendum Patriarcham cenſebant, quià Pontifex eſſe videbatur in partibus. Sed obſtitit maximè, qui ad ſchiſmaticam dignitatem depoſcebatur Cardinalis Borbonius. Satiùs itaquè iudicatum eſt, Legatos Romam

Clemẽs lachrymis Deum ſollicitat ergà Gallos.

Galli agunt de ſibi eligendo Patriarchâ

mam mittere Cardinalem *Contium*, & *Marchionem* *Piſonii*. Hic Andeſani ad lacum Benacum ſubſtitit: ille dum ultrà pergit, ſtare à Clemente juſſus eſt, quòd eſſet fautor Principis hęretici: ſed ità ſe excuſavit, vt Romam accerſeretur, vbi tam Galliæ, quàm Eccleſiæ vtiliſſimus extitit. Cum autem Fœderati comitia meditarentur prò Rege creando; Anno tandem 1593. Pariſiis congregantur. Petebat Rex Hiſpaniarum Philippus, vt Filia ſua eligeretur Francię Regina: Clemens P. M. vt Henricus regno excluderetur. Neutrum optabat Meduanus Pariſiorum Præfectus; ſed negotium protrahi, ut ipſe de more cuncta diſponeret. Cum ad ea invitarentur Regii; *Schombergius* natione Germanus accipiendam conditionem putavit. Turenæ ad Sequanam fluvium habitum eſt colloquium, cujus hæc ſumma fuit. Nihil præter Religionem impedire, quominùs Henricus IV. ab omnibus exciperetur. Et remiſſus *Schombergius*, qui id Regi ſignificaret. Tunc Henricus Miniſtros interrogat ſuos, *Vtrum eſſet in Catholicà Religione ſalus?* cũ affirmarent. Ille ut erat ingenio ſolerti, & acuto. *Satius ergo me Franciæ Regem adire Cælum.* Regiæ converſioni conduxere plurimũ prudentiſſimi Hugonotorũ, qui apertè Regi auctores erãt, ut ejuratis Calvini erroribus, Miſſæ Romanę coleret Sãctitatem; dũ Gallię Regnũ in pretiũ cederet novę pietatis. Adeò ſectarii ſuas vili hæreſes habent; ut proindè ac veſtes, pro temporum uſu, & conditione mutare non dubitent. Idem conſilii ſibi datum ab Angliæ Reginâ Rex ipſe memorabat: quamquàm illa poſtmodum levitate muliebri ſententiam revocaret, obtentui ſumptâ charitate in Hugonotos, quos fratres apellabat ſuos; re verà alienis intendens diſſidiis inter finitimos Gallos, Belgas, Hiſpanos, ut illorum cladibus firmaret potentiam ſuam. Rex itaquè accuratè per Epiſcopos inſtituturus (inter quos eminebat *Iacobus Davitius Perronius Ebroicenſis*) iiſquè per ſex horas patienter auditis, aſſeruit ſe ſe ab iis didiciſſe, quæ eum latere Miniſtri ſui voluerant: nil moræ eſſe, quin fidem profiteretur Romanã. Sed obſtitit Cardinalis Placentinus, negavitq. id fieri poſſe, niſi prius Rex abſolveretur à Pontifice: eiquè Meduanus, & Fœderati ferventiſſimè adſtipulabantur. Vetuere propterea, nè quiſquam Pariſinorum Regiæ Profeſſioni intereſſet: quod tamẽ edictum pleriq; cõtempſerunt: magnoq; numero effractis portis, Sandionyſiũ cõfluxerũt. Hęreſim publicè ejuravit Hẽricus. Venit etiã Cardinalis *Borbonius*, ut conſilia turbaret Henrici præſentiâ ſuâ. Et quamvis conſiliarii rerum mutatione, pernicioſum Conſilium cernerent, propterea diſſimulatione utendum ſuaderent: tamen impotens animi juvenis ſibi temperare non potuit, quin eum Præſulum evocatorum concilium in ſuis ædibus haberetur: palàm contradiceret, & niſi conſulto Pontifice, & ex ejus auctoritate Regem ad Eccleſię gremium redeuntem admittendum negaret. Sed re in deliberationem actâ paucis exceptis, qui Cardinali ſuffragabantur, ſententia vicit, quæ Regem cenſebat admittendum. Primò, *quòd contra quàm à Cardinali Placentino jactatur, Pontificio decreto ipſi minimè obligentur: quippè quòd more majorum nec receptum, nec promulgatum ſit in hoc regno in quo hujuſmodi mandata nullius momenti habentur, antequàm adprobata, & examinata fuerint, an aliquid in ſe habeant, quòd Regum auctoritati, Regni juribus, & Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus præjudicet; quod & idem in Belgio Auſtriacis ſubjecto obſervatur, ut patet ex Philippi conſtitutione A. 1497. Caroli V. ejus filii A. 1530.*

Anno Sal. 1593

Henrici IV. converſio.

Cardinalis Borbonius reſiſtit.

Rex Papà incõſulto an potuerit abſolvi? Ratio 1

A

Quàm autem latè aberrarent à veritate Epiſcopi Gallicani non nemo videt, qui fidem profitetur Chriſtianam. Si enim abſquè novo examine Eccleſiæ Gallicanæ, decreta Pontificia ſpernuntur impunè Rex pertinax, & impœnitens, hæreticus judicari non poſſet nec à Pontifice excommunicari, ſi Gallicani diſſentirent Epiſcopi. Si Epiſcoporum examini ſententia ſubjicitur Pontificia; Epiſcopis ergo inferior Romanus eſt Pontifex. Inferior enim non examinat acta Superioris. Philippi, & Caroli leges adducere; quid aliud quàm ab Eccleſiâ ad Cæſarem appellare? Hæc & ſimilia Eccleſia erubeſcit audire Catholica. Propterea alii in eodem congreſſu mitiora ſequentes conſilia, dicebant; poſſe Regem abſolvi habitâ ratione negotii, & perſonæ; quia commonefactione opus fuerat, antequàm Roma ad ſententiam excommunicationis deſcẽderet. Id enim jure requiri Põtificio: & ita ſtatuiſſe *Innocentium IV.* qui hujuſmodi ſentẽtias abſquè competenti monitione pręmiſsâ promulgatas declarat injuſtas. Sic Juris Põtificii interpretes vnanimiter cenſere in explicatione reſcripti Innocentii III. Addebant, quòd in Bullâ Anni 1585. potiùs declaratio decreti cõtrà hæreticos facti continetur, quàm nova excommunicatio decernitur, & vt rectè promulgata ſit; tamen negari non poſſe, quin excommunicatio ob hæreſim decreta ad Epiſcoporum juriſdictionem pertineat, ſicut Lateranenſis Concilii decreto conſtitutum eſt. Et licèt Pontifex ejus cognitionem ſibi reſervaſſet, quod negatur, tamen id minimè obſtare, quo minùs abſolutio ab Ordinario concedi poſſit. Sic enim decretum in Tridentino Concilio: licère Epiſcopis in quibuſcumquè caſibus occultis, etiam S. Sedi reſervatis, quoſcumq; delinquentes ſibi ſubditos in diœceſi ſuâ abſolvere, in foro conſcientiæ, etiam per Vicarium: in crimine autem hæreſis, per ſeipſos tantum. Denìquè exploratì juris eſſe, excommunicatum ex quàcumquè causâ, etiam ad Sedem Apoſtol. reſervata, poſſe per Epiſcopum abſolvi, ſi juſto impedimento prohibeatur, nè ſe coràm Pontifice ſiſtat: datâ cautione, fore vt ceſſante impedimento, prout juſtitia ſuadebit, ſatisfaciat. Inter legitima autem impedimenta eſſe capitales inimicitias, & pericula itineris: Ab eâ lege Magnates excipi, ex *Alexandri III.* reſcripto, quod additâ negandi particulâ à quibuſdam nuper depravatum arguit *Clavaſinus*, ubi de excommunicatione diſputat, Anton. Aug. & Concilia Coloniæ, & Venetiis edita idem comprobant. His de cauſis juſtum, & æquum videri, ut abſquè dilatione Regi pœnitenti, ac ſupplici abſolutio concedatur. Idquè Epiſcopos poſſe eâ lege, ut à Pontifice eorum, quæ geſta ſint, mox confirmatio petatur eâ dimiſſione, quâ decet, & debet; alioquin periculum eſſe in morâ: ut inſtigantibus Hiſpanis, novus Rex eligatur; & per eam electionem nova bella excitentur Regno, & Religioni æquè exitioſa, ſi Rex novo rigore irritatus, ad extrema conſilia deſcendat, & Religionem iterùm abjuret Romanam, nè Hiſpanis ſerviat. Habendam igitur temporum, & locorum rationem, ut prudentiſſimè reſcripſit Honorius III. & pro perſonarum qualitate aliquid veritati detrahendum.

Confutatur.

Ratio II.

B

C

D

dum. Ità ab Ivone Carnotenſe Epiſcopo moneri Paſchalem Papam, cauſam temperare Philippi: nè contingat de eo illud Salomonis dici, *qui multum emungit, elicit ſanguinem*. Diſpenſationis modum nulli unquàm diſplicuiſſe; ſic B. Cyrillum ad Gennadium presbyterum præcipere, exemplo eorum, qui navigantes tempeſtate urgente, ac navi periclitante, quædam exonerant, ut cætera ſalva maneant. Ità & nos cùm non habeamus omnium negotiorum ſervandorum certitudinem, deiicere ex his quædam, nè cunctorum patiamur diſpendium. Nec exemplo carere, ut in ſimili negotio ad vitandum maius periculum, S. Sedis non expectetur auctoritas. In Hiſpanorum hiſtoriis (referente *Io: Vaſao*) præſcriptum eſſe An. S. 586. *Flavium Ricaredum* adiuvante Dei gratià ex Ariano factum eſſe Catholicū; & habito cum ſacerdotibus Arianæ ſectæ conſilio, ratione potiùs, quàm imperio eos ad fidem Catholicam reduxiſſe, omnemque Gothorum, & Svevorū gentem, ad vnitatem Eccleſiæ revocaſſe. Hæc initio eius regni acta, Anno IV. poſt Concilium Toletanū IV. die 8. Idib. Maii, ab Epiſcopis Hiſpaniæ, & Galliæ Gothicæ numero 62 celebratum. Et quamquàm *Lucas Tudenſis* tradat Leandrum tanquàm à Pontifice delegatum Concilio præfuiſſe: tamen contrarium apparere ex actis Concilii Coloniæ, & Venetiis editis: atquè ex iis, quæ abundè probat *Ambroſius Moralis Cordubenſis*. Hæc præſules à Rege evocati agitavere decreta. Ex adversò Legatus Pontificius diploma evulgavit, quo *Henricum Borbonium* ſe prò Rege Frāciæ, ac Navarræ gerentem, à *Sixto V.* nominatim hæreticum, relapſum, impœnitentem, caput, & defenſorem hæreticorum declaratum ab alio, quàm à Pontifice abſolvi non poſſe, conteſtabatur: enixèq; rogabat Catholicos, nè ſe novo irretirent piaculo ad illum accedendo conventiculum, ſub pœna, &c. Venit tandem dies 8. Kal. Aug. Ann. Sal. 1593. prò expiatione decreta.

Rex abſolvitur

Rex manè amictu candido, magno principum comitatu, ad maioris templi valvas acceſſit; ubi eum Bituricenſis in cathedra ſtragulis cādidis velatà, inſignibus Franciæ, & Navarræ hinc indè propendentibus ſedens, & ſacroſancta Evangelia manu tenens, cum Cardinali Borbonio, Namnetenſi, Sagienſi, Dinienſi, Maleacenſi, Carnotenſi, Cænomanenſi, Andegavenſi, aliiſq; Præſulibus expectabat. Cùm quæſiiſſet ab eo, quis eſſet, & quid peteret? & ille ſe Regem eſſe, & in Eccleſiæ Cathol. Apoſtol. Rom. gremium recipi petere reſponderet: Rurſuſq. interpellaſſet eum; an id ex animo vellet? & ille ſe velle, & optare diceret; mox in genua procumbens Rex coram D. O.M. proteſtatus eſt, velle ſe in Religione Catholicà Ap. Romanà vivere, ac mori, eam cōtrà omnes tutari vel vitæ periculo paratū, ac ultrò cunctis hæreſibus Eccleſiæ Cath. Apoſt. Rom. contrariis renuntiare. Tum poſt fidei profeſſionem charta comprehenſam, & manu proprià ſubſcriptam Bituricenſi porrectam, ab eo, & Cardinali Borbonio in pedes erigitur: indè ad Altare maius deductus, idem iuſiurandum, & proteſtationem repetivit, ac præmiſſo ſigno crucis deoſculatus eſt. Indè ad papilionem poſt altare cedens extructum ſupplex ad ſacrum colloquium admiſſus à Bituricenſi, eiquè poſt confeſsionem ſecretam ſubiit beneficium abſolutionis; dum interim à ſymphoniacis B. Ambroſii, & Auguſtini hymnus decantaretur. Poſteà ſub uraniſcum floribus Liviorum aureis diſtinctum deductus ſacrum ſolemne, quod à Namnetenſi celebratum eſt, audivit. Sacro peracto ad ædes Sandionyſianas perexit; ubi ſpreto omni periculo, quod illi à ſicariis in horas imminebat, cunctos admitti voluit, magno concurſu, & plauſu ruentes. Poſt prandium Rex concioni ſacræ adſuit habitæ à Bituricenſi, & preces audivit Veſpertinas; debacchātibus tamen ex ſacro ſuggeſtu concionatoribus contrà Regem tāquā fictè pœnitentem. Populus verò exemplo devictus externo, auribus credendo minùs, quàm oculis ſcripta ſpernebat, quibus fœderati Regem laceſſebant. Scriptis tandem addidere facta. Inventus enim *Barterius*, olim navicularius Aurelianenſis, nunc miles, captus Meloduni, qui confeſſus Regis attentatum parricidium, in rotam coniectus eſt. Mox de honorificà legatione ad Papam conſultum: eiquè prepoſitus *Ludovicus Gonzaga Nivernius*, natalibus, affinitatibus, ingenio clarus.

Nivernii legatio ad Papam

Attributi ei *Claudius Angenius* Cænomanenſis Epiſcopus, pietate, & doctrinà primus inter omnes Galliæ Epiſcopos; *Ludovicus Seguierius* Eccleſiæ Pariſienſis Decanus. Viciſſim Romam à Federatis miſſi *Franc. Ioyſa* Cardinalis, & *Carolus Bellofremontius Seneſecus*. Præmiſſus à Rege *Iſaias Brochardus Cliella* cum literis ſuà manu exaratis XV. Kal. Septemb., quibus de reconciliatione ſuà ad Eccleſiam, Dei inſpiratione, & ex Epiſcoporum conſilio, ac ſinè fuco factà certiorem faciebat, ac brevi ampliorem legationem ſe miſſurum ſignificabat. *Nivernius* per Rhætos Romam contendebat, cum Poſclavum Rhætorum oppidum delatus, *Antonium Poſſevinum* Ieſuitam obvium habuit, qui literis fiduciariis Pontificis nuntiavit; *lætari quidem Clementem de reconciliatione Regis, ſi talis eſſet, qualem eſſe oporteret: cæterum non eſſe eum excipiendum ut Regis legatum, quem nondùm talem agnoſceret; alio nomine non ei ingratum fore adventum eius*. Iter nihilominus Nivernienſis perſequens paucis ſtipatus Romam, decem tantùm in eà dies commoraturus ingreditur, Purpuratis eius cōgreſſu prohibito, die ſub veſperam coram Pontifice perductus, antè omnia decem dierum moram ſibi præſcriptam, ut nimis brevem ad tanti negotii diſcuſſionem, ac interdictum Cardinalium colloquium, multis verbis deprecatur: rogatq; ut coràm Philippi Oratore, & Fœderatorum delegatis cauſam Regis ſibi agere liceat, palamquè vel ipſis fatentibus facere, quantà impudentià, dolo, & fraude deceſſoribus Pontificibus, ac S. S. hactenus in hoc negotio illuſum ſit. Cum iis de rebus ampliùs eum Cardinalibus ſe deliberaturum reſpondiſſet Clemens; biduò poſt *Nivernius* ad colloquium admiſſus, Galliæ ſtatum exponit, *ampliorem, ac præſtantiorem partem Regi parere, robur nobilitatis ab eo pendere, copiis tàm pedeſtribus, tàm equeſtribus pollere, Principum amicitiis, virtute proprià, florente ætate, corpore ad labores idoneo, animo inconcuſſo, adſpirante fortunà, triumphis, ac victoriis aſſueto, Regem eſſe: fœderatos infirmos viribus, diverſos conſiliis, ſeiunctos ſpe, cogitationibus, parum fretos externis ſubſidiis, quorum ſarcinas potius quam auxilia experti ſint. Iam palàm fieri ſpe inani de Rege eligendo, actum Lutetiæ: nullo unquàm tempore Regiam dignitatem Gallos exteris deferri paſſuros: unanimes ad libertatem,*

tatem, Regniquè fundamenta tuenda, iugumquè quo indignè premantur, excutiendum concurſuros. Cum ſimilibus Clementem edocuiſſet, ſpe oblatâ ampliandi Religionem, ſi Regi pœnitenti, & obſequenti acquieſceret, & adverſum *Clementis* animū offendiſset, apertè declarantis, Regem iu foro conſcientię ſe abſolvere non poſse: ſed ad fœderatorum patrocinium obligari, qui Religionem ſemper tutati eſsent. *Nivernius* tunc originem Gallici motus exorſus, reſpondit: *non Religionis causâ fœderatos, ſed privatâ ambitione arma ſumpſiſſe, ſpetie contrà Hugonotos; ſed contrà ipſum Regem Henricum III. optimè de Religione meritum tandem convertiſſe: licèt ſectaria turba concionatores exprobrarent, non licère ſubditis ullâ de causâ contrà Principem arma ſumere, auctoritate privatâ. Id clarum ſit, incredibili illâ de deteſtando Regis ſummè Catholici parricidio conceptâ lætitiâ, publicè teſtatâ: & morosâ tergiverſatione in declarando eo* Rege, *quem ei ſucceſſorem deſignaverant, Cardinali* Borbonio. *Nam nonniſi quarto poſt menſe eum in carcere intereà tabeſcentem ſalutarunt; interregnum ſcilicet* Regi *præferentes, cum videlicet poſt capta ſuburbia, de regno in ſuam familiam transferendo meditari cœperunt. Hinc eſt, quod non ampliùs de creando* Borbonio *Cardinali in* Regem, *ſed Infantis Hiſpaniarum electionem propoſuerunt, eiuſq; defectu* Erneſtum Archiducem *ſubſtitutum. Hæc tamen in ſpetiem, cum re verà, occultè* Meduanus, Guiſius, Nemoroſius, Dux Lotharingię *pro filiis ſinguli ābirēt. Intereà magno Catholicę* Religionis *detrimēto, de Epiſcopatu Argentinenſi cum Senatu Vrbis, & Principibus Proteſtantibus tranſactum; licere ipſi, ſi pacem nobiſcum faciat, & ſua recuperare, & parte eorum, quę ex Regiâ ditione uſurpavit, ſecuritatis nomine retentâ ſibi conſulere. Sic cuncti à Fœderatis veluti ad prædam vocati, ut regnum ſibi dividerent florentiſſimum, deviſum poſteà Hiſpani nullo negotio repoſciturí. Sabaudus in Provinciâ ſibi & in Delphinatu ius eſſe contendit,* Mercurianus *Armoricam, ut dotalem totam vindicat: ſoli Catholici à Regibus partibus ſtantes iàm pernicioſis conatibus ſe opponentes fide, ac obſequio apud ipſum meruerunt, ut ſe in* Religione *Catholicâ meliùs inſtituendum traderet. Fruſtrà obiicitur, debuiſſe* Catholicos, *qui cum Rege ſunt, poſt mortem deceſſoris ſui, ad Fœderatorum partes tranſire, ut unanimes eligerent* Regem *Catholicum. Infame namquè illius parricidium ſatis eos excuſat.* Nec *æquum, tot Regia ſtirpis alios Principes, & proceres, ac primariis regni dignitatibus auctos eis ſe adiungere, ex quorum caſtris impius ille Regis percuſſor prodierat, quem & ipſi inter divos veluti retulerunt, eiquè marmoream ſtatuam in maiore Vrbis templo erigere decreverunt.* Proindè *enixè rogare S. S. nè Catholicos Regios tanquàm ſpurios, & deſertores reiiciat: adverſarios tanquàm legitimos, ac Regni, & Religionis fulcra amplectatur. Sufficere, quod ipſi huc uſquè in laudabili* Regni, *Religioniſquè defendendæ propoſito perſeverantes, ignominiam, & probra à Pontificibus deceſſoribus præter ius inflicta conſtanter protulerint. Verendum enim ſi ultrà pergatur: nè patientia ſæpius læſa ad extraordinaria conſilia deſcendat; quæ illi hactenùs unitatis voto vitavere, & quæ tamen extremâ neceſſitate victi poſtremò capturi ſunt.* His dictis, terminum decem dierum ſibi protogari petiit, demiſsèquè rogavit, *ſe tanquàm Regis Legatum benignè reciperet: Chriſti Vicarius, qui non ſolum benè valentes, ſed infirmos ſanaturus venit in Mundum; & B. Petri ſucceſſor, qui ter in die Chriſtum abnegavit, exemplum eſſet ſucceſſoribus, animabus errantibus benignè ſubveniendi: Regi ſupplici ſuam benedictionem impartiri dignaretur.* Præſules, *quos ſecum adduxerat, ut Regia abſolutionis, cui ipſi interfuerant, rationem redderent, ad beatiſſimorum pedum oſculationem admitteret, & benignè audiret.* Cum autem prædurus Clemens, & alienus, vel nè apud Fœdcratos, qui pro Religione arma induerant, ingrati animi notam ſubiret; vel ut de Regis voluntate adhuc certior, quò tandem res Gallię inclinarent, penitùs inſpiceret, nequè prępropero conſilio uſus fuiſſe videretur, urgebat ducis diſceſſum, aditū ad Purpuratos pernegabat, tres Antiſtites, qui Romam cū eo venerant, niſi priùs Severinatem Cardinalem ſummi Quęſitoris munus gerentem adirent, nollet admittere. *Nivernius* rebus cōvaſatis, diſceſſum parabat: cum eccè rumor, apparitores paratos, qui B Pręſules mandato Pontificis, ad cauſam in Inquiſitionis tribunali dicendam citarent. Ipſe dum ad portam Flaminiam tenderet; pręſules illos ad utrumquè latus ſuum incedere iuſſit, interminatus, ſi apparitores comparere auſi eſſent, fore, ut illos vel vitę periculo coram populo in mediâ viâ interficeret. Ità incedens urbe exivit, nuſquàm comparentibus apparitoribus, ſivè metu, ſivè Pontificis revocato mandato, legationem ſuam mętens inauſpicatam; ſcriptoquè vulgato, quo ea, quę in Regis causâ egerat cum Pontifice, cōtinebantur. Idem pręſtitit Venetiis Epiſcopus Cænomanenſis, cui Romę ad Papam accedendi facultas negata fuerat, proteſtando cauſam deinceps turbarū fore *Clementem*. Non per hoc Galli à Rege abhorrebant. Meldæ, Aquæ Sextiæ, Lugdunum, Biturigęs, Henoticon eiurarunt: aliis mox ſecuturis, cum Rex C ſacro oleo inunctus eſſet. Cum ergo viſum eſſet, nihil opus eſſe unctione Rhemenſi, delata eſt Turonibus ſacra ampulla S. Martini, quâ vir ille ſanctus, præcipitatus à Dœmone, per Angelum ſanatus fuerat. Hac inauguratus eſt *Henricus IV.* Carnuti ab Vrbis Epiſcopo *Nicolao*, à quo & Ordinem S. Spiritus recepit. Lutetia tandem & ipſa 11. Kal. April. An. 1594. Regem vocavit, contradicentibus tamen Germanis ad Portam Novam, quibus facilè fugatis, tota patuit. Invitatus benignè ad Regem Placentinus Cardinalis, honeſtè recuſavit accedere; hinc Rege iubente, à *Davitio Perronio* Montargium deductus eſt. Cardinalis Pellevæus audito Regis ingreſſu, cum in lecto iaceret ęgrotus, vultu ad parietem cōverſo, loqui, ac vivere deſiit, ex dolore ut creditur exanimatus. Tunc ad ſtudia pacis omnia converſa. Vrbes *Henricum* certatim agnovere Regem. Soli Re- D ligioſi moram nectebant. Carthuſiani etiam bonorū proſcriptione fuere compellendi. Tergiverſati ſunt Capucini, Ieſuitę, Minimi, aliiſquè nonniſi ęgrè dedere manus. *Guiſius* optimis conditionibus cum familiâ reconciliatus eſt Regi. Solus Mercurius ſupererat in Armonicâ, qui fretus Hiſpanis Henoticon fortiter defendebat. In Provinciâ arma adhuc oſtentabat Sabaudus. Inter hęc Henricus Pariſiis 6 Kal. Ian. magnum vitę periculum adiit ab adoleſcente *Ioanne Caſtello*. Ex infimâ iſte plebe cerdonis filius, reliquæ turbę immixtus Regium ingreſſus cubiculū, advertente nemine, gladio ventrem tranſverberare dum nititur, contigit, ut Rex Roneum, & Montinium excipiendos ſe inclinaret, eluſo ictu, quo dextera

Henricum Clemēs urget recipere.

Nivernius infectâ re redit.

gena percuſſa, dens tantùm excuſſus eſt. In carcerem detruſus innotuit Ieſuitarum fuiſſe alumnus, ab iiſque ſæpe audiviſſe, Regem, quòd extrà Eccleſiam eſſet, interficere licere, nec ei parendum priuſquàm Pontifici reconcilietur. Actum in eum uſquè ad cineres, qui in auras diſperſi. Ieſuitæ uti corruptores iuventutis regno eiecti. *Gueretus Ieſuita*, qui parricidam in Confeſsionibus audierat, tortus. Domus *Caſtelli* diruta, eiuſquè loco erecta pyramis, quæ ſententiam in eum latam, & Ieſuitas contineret. *Clemens* ſupererat Pontifex Rom., quem ſibi conciliandum ratus *Henricus*, Epiſcopum Ebroicenſem Romam miſit, ut Venetis intercedentibus, benignè reconciliaretur Eccleſiæ. Res facilè abſoluta, cum ſoli adverſarentur Hiſpani. Puputatotum itaq; exquiſitis ſententiis, & cum ferè omnes pro Rege convenirent, præcipuè *Franciſcus Toletus* Hiſpanus id acriter contenderet, tandem in ſinum Eccleſiæ recipitur, atquè XIII. Kal. Octob. in D. Petri Baſilicà, in Collegio Cardinalium, per legatos Catholicā Religionem profeſſus (abſolutio priùs, quam ei indulſerat Gallus Præſul revocata, & quatenus de facto proceſſiſset, irritata; Catholicis tamen actibus in illius abſolutionis conſequentiam peractis, validis declaratis, veluti ab ipſo Pontifice factis) communioni adiungitur Eccleſiaſticæ. Plura in ſatisfactionē, & pœnitentiam iniuncta Regii Procuratores complenda ſuſceperunt. Rex literis ſuà manu exaratis, officio, & reverentià plenis, beneficium extulit, & memorià coluit ſempiternà. Optabat Rex Chriſtianiſſimus Romam advolare ad pedes Pontificis, ſed graviſſimis curis implicitus non potuit. Sic *Clemens* in Galliam ad eum ſpirituali ſolatio recreandum, profecturum affirmaverat. *Andreas Maurocen. Thuanus.* Optimam operam navaſse Henrico S. Philippum Nerium, cuius conſilio præcipuè *Clemens* ad pietatem inclinavit, *Baccius* eſt auctor. *l. 3. c. 9.* De eàdem abſolutione, & literis hinc indè miſſis, lege Cardinalem *Oſſatum* in ſuis epiſtolis Italicè, & Gallicè cuſis Venetiis, in quibus Religio eminet Clementis, qui non ſemel lachrymans, & nudis pedibus à Quirinali ad S. Mariam Maiorem profectus, rem ſacram fecit, priuſquàm Henrico impenderet abſolutionem. Binas enim legationes *Petri Cardinalis Gondii*, deindè Marchionis *Piſonii* miſſas ab Henrico Clemens nec audiendas cenſuit. Miſſum poſteà *Ludovicum Ducem Nivernium* audivit quidem, ſed abſolutionem in tempus diſtulit magis opportunum. *Iacobum* tandem *Davy Perroni Dom.* cum literis Hērici manu exaratis audivit, exaudivit. Tantæ rei memoriam columna ſervat Romæ in Exquiliis poſita cum inſcriptione ſequenti.

Henrici IV. abſolutio.

D. O. M. Clemente IIX. P. M. Ad memoriam Abſolutionis Henrici IV. Franc. & Navar. Reg. Chriſtianiſſimi Q. F. A. D. XV. Kal. Octob. M. D. XCV.

Anno ſequenti mutuis certarunt legationibus Papa, & Rex: miſit iſte *Franc. Lucemburgiū Pineum* Romam; ille Cardinalem *Alexandrum Mediceum* in Gallias magnà utrinquè pompà. Solutio indè conſequitur matrimonii cum *Margaretà Valeſià* ſorore Henrici III. Obierat *Gabriel Eſtrea* Regis amaſia (ex quà Cęſarem quinquennem, & Alexandrum ſuſceperat anniculum,) ex violentiſſimis apoplexiæ paroxiſmis, vultu in tergum detorto, tantà deformitate, ut dæmoni ſimilior videretur, quàm homini. Inſtantibus autem Regni Principibus, ut Rex poſteritati conſuleret; Connubium cum *Valeſià* facilè dirimi poſse, quòd tertio conſanguinitatis gradu eſsent coniuncti; & *Gregorii XIII.* literis, quibus lege ſolvebantur, iuris formulæ deeſsent; exquiſita Margareta reſpondit; *Nihil ſibi Regis voluntate, Galliæquè tranquillitate antiquius eſſe*. Immò Clementi ſignificavit, à *Carolo* fratre, *Catharinà* matre invitam ſe *Henrico* copulatam, in id verbo tantùm, non animo cōſenſiſſe: tertio conſanguinitatis gradu, qui à matrimonio ſacris legibus arcetur, Regi iunctā eſse: petere proindè, ut connubium à Pontifice dirimeretur. Eadē Henrico poſtulante, res ab *Oſſato* Cardinali, ac *Nicolao Brulardo Silerio* Regiis legatis Romæ agitata. Clemens cum negotium ad Cardinales detuliſſet, iſti ad Galliæ Præſules; nullum tandem matrimonium declaratum eſt.

Solutio matrimonii inter Henricum & Valeſiam.

His quinque conſonant nummiſmata. Primum exhibet Ducem Nivernium Regis nomine flexis genibus adorantem panem, & vinum Euchariſticum, Religionis noſtræ primarium ſacramentum, quod præcipuè impugnant Hæretici. Sub figurà Regis, & ſacerdotis Melchiſedech Pontifex offert Romanus. Iurante Nivernio, *Et non pœnitebit eum* ſicut quondā pęnituerat, cum *Margaretam Valeſiam* duxit in uxorē, poſteà in priſtinos errores relapſus fuerat. 2. exhibet Clementis P. M. effigiē ab unà, Hērici IV. Dei gratià Frāciæ & Navarræ Regis Chriſtianiſsimi ab alterà, in ſignū reconciliationis, quæ An. contigit Sal. 1595. Tertium exhibet Delphinū Franciæ; *Ludovicum XII.* anno natum 1601. die 27. Septemb. ex *Henrico IV.* & *Marià Mediceà*, quæ poſt ſolutum matrimonium Henrici cum Valeſià, Henrico ſolemniter nupſit. *Lilia* geſtat in manu cum *Gallo coronato* ad pedes ſub epigraphe, *Regnis natus, & Orbi.* Nato Infanti *Henricus* pater dexteram gladii capulo admovit, additâ prece; ut is ævo, viribuſquè firmatis, bellicà virtute, ac robore Dei O. M. gloriam quæreret. Miſit Clemens in Galliam Regi, & Reginæ de nato primogenito gratulaturum Nuncium Apoſtolicum, *Maphæum Barberinum*, Pontificem poſteà futurum. Quartum exhibet navē Apoſtolorum, in quà Chriſtū dormientem ſuſcitat Petrus, *Domine ſalva nos perimus.* Quo Orbem Clemens annuit erroribus involutum Calvini, & pręcipuè Henricum IV. Navarrę Regem. Quintum Crucem tenet erectam, in quo ſerpens Moſaicus (Chriſti figura) cuius aſpectu ſauguidi ſanabantur, & veneno infecti ſerpentium. Stat Epigraphes, *Draconū capita confregiſti.* Regem ſcilicet Henricum IV. cuius veneno timebatur tota Gallia inficienda.

Nummiſmata.

Nova nuptiæ Henrici cum Medicea.

5. *In Turcas.* Mortuo *Amurrathe III.* Turcarum Rege, filius ſucceſſit *Mehemetes III.* homo ſæviſſimus, qui mox fratres XXI. ſuſtulit; ſorores 27. vivere permiſit. Hunc pater natura mitior tollere decreverat. Sed diutiùs humanitas inter Turcas imperare non poterat. Vngariam adorſus irrupit An. Sal. 1594. Cæſare tamen acriter reſiſtente cuius auxiliis *Clemens* totus intentus, *Io: Franc. Aldobrandinum* nepotem, ſuperiore Anno in Hiſpaniam legatum, Eccleſiaſtici exercitus (XII. millibus conſtabat peditum, adiunctis equitum turmis) Imperatorem legavit in Vngariam; ubi *Maximilianus* Cæſaris frater cum *Carolo Manſfeltio* Strigonium obſidebat XIV. mil-

Cæſari auxiliatur.

millibus Turcarum cæſis:dic tamen pugnę tantum laboravit *Manſfeldius*, ut morbo contracto, mox obierit vir bellicoſus. Venit tunc *Matthias* in caſtra, & Strigonium deditione recepit:ſecuturum mox Vviſigradum;Budam occupaſſet, ſi tentaſſet. *Sigiſmundus* etiā *Bathoreus* Tranſylvaniæ Vvaivoda, Chriſtophori filius, cui frater *Stephanus* Rex Poloniæ ceſſerat di-
Turcarum cædes. tionem ſuam, irritatus *Sinanis* Vizirii minis, adhortante *Rudolpho* Chriſtianis aſſociatus inſigni victoriā ad Girgionem, *Sinanem* vicit, clade tàm atroci, ut Turcis nunquàm ſit turpior illata. Fructum tamen victoriæ nonnihil impediit occupata per *Zamoſchium* Moldavia, quæ iuris aſſerebatur eſſe Poloni, non Pannonici. Hanc controverſiam tam utilem Othomanis, quā Chriſtianis pernicioſā fruſtrà componere curarūt Cæſar,& Pōtifex, miſſo *Attilio Amaltheo*, qui unà Catholicos, & Ieſuitas ab hæreticis expulſos reintegraret. An. poſtea Sal. 1596. cū Bathoreo Cæſar non niſi verba referret;Legatus Pontificius in ſingulos mēſes quadraginta millia aureorum promiſit, quibus animatus, repetitā Tranſylvaniā, motus ſedavit,quos excitare ſolet abſentia Principis.Venetos etiam in Turcam ſollicitabat Clemens, & *Cliſſa* occupatione (Arx eſt munitiſſima Boſſinæ, & Croatiæ munimentum, ex quà ad eas provincias invadendas aditus patet) per Vſcochos factà, auctore
Cliſſa ab Vſcochis occupatur An. 1596 Pontifice,Rempublicam ad arma trahebat, vel utilitate alliciendo propoſità, vel neceſsitate vitandi periculi compellendo. Hinc licentiā petenti,ut auxilia per Adriaticum ſubminiſtraret obſeſsis.S Conſulto reſponſum.*Subſidia libera eſſe,dummodò ab inſulis Illyrico adiacentibus abſtineant, neque in litoribus, quæ Venetæ ditionis ſint, cogantur.* In Pannoniis autem ipſe *Mehemetes* expeditione ſuſceptā, poſt Agriam receptam 7. Kal. Novemb. ad Creſteſium, *Maximilianum* obvium habet cum 70. armatorum millibus, à quo victus, & in fugam actus; cum citiùs,quàm par eſſet,in prædam Chriſtiani converſi, ab *Aſſane Cicadà* Calabro apoſtatà ultimi agminis ductore ſuperati, relictis ſuorum XII. millibus, *Mehemeti* plenam, & certam relinquere victoriam. *Sigiſmundus* verò *Bathoreus*,qui Tranſylvaniam commutaverat,ut inSileſià Ratisbonienſem reciperet principatum,pœnitentià ductus,magnā animi levitate,Tranſylvaniam re-
Sigiſmundus Bathoreus cedit Tráſylvaniam Andreę Cardinali. petens, facilè à ſuis receptus, avocato Andreæ Cardinali Bathoreo Tranſylvaniam Sal. An. 1599. ceſſit,quà diù potitus non eſt: in eam imminētibus Cæſare,Turcis, Polonis.Bello appetitus à *Michaele* Valachiæ Tranſalpinæ Vvaivodā, victuſquè in campis Cibinienſibus, errans, & famelicus tertio die inventus, ac cæſus eſt. De eius nece poſteà habita eſt Romæ quæſtio;quià etiam alter Cardinalis *Georgius*
Cædes Cardinalium *Monachus* in his partibus eſset interfectus,& ad Cęſarem utriuſquè parricidium ſpectare-videretur.Hoc eodem Anno diſſolutum eſt matrimonium inter *Sigiſmundum Bathoreum, & Mariam Auſtriacam*, cauſà in partibus iudicatà, atquè utriquè parti factum ſatis:cum nec vir coniuge, nec coniux marito contenti eſſent.Sic mutuis cladibus oppreſsi Chriſtiani, Caniſiam,Strigonium cum aliis urbibus dedere coacti.*Aquila noſtra Auſtriaca. Maurocen.*

Ferrariam occupat Clemés *6. Ferrariam.* Anno Sal. 1597. 6. Kal. Novemb. moritur *Alphonſus* Dux Ferrariæ ſinè liberis, dicto hærede *Cęſare Ateſtino* agnato ſuo, ſed notho, factà ſibi gratià à *Maximiliano*, & *Rudolpho* de ditionibus Mutinę,Rhegii Lepidi, & Carporum, quam de Ferrarià Pontifices negaverant.Prò Cæſare Hiſpani intercedebant,& Veneti,utriſquè ſuſpecta Pontificum potentia ſi augeretur maximè in confinibus. Memoria tamen funeſta rei Ferrarienſis quùm Anno 1481. *Sixti IV.* impulſu terreſtri,maritimoquè conatu eam civitatem aggreſsi eſsent, in victoriæ curſu anathemathe deſiſtere coacti ſunt.Superioribus quoquè tēporibus *Freſcum Eſtenſem* à populo expulſum in avitum Imperium reſtituere conantes, *Clementis V.* ſeveritatē ſubierant. Officio tamen nō defuere,vt cauſa cōſilio cognoſceretur nō armis. Fremebat Pōtifex quòd Cęſar vſurpatis inſignibus,iura ſua exordiretur à ſpolio. Convocatis itaquè Cardinalibus,poſt deteſtatum facinus; reſpondit: *Cæſar Ferrarià primùm decedat: ſi ius popoſcerit, ſe reſtituturum. Intereà belli* B *apparatus non intermiſſurum, ut reluctantem cogat.* Venetus Orator cum ad flectendum *Clementem* nihil prætermiſiſſet: tandem Cęſaris audiendum Legatum obtinuit.Miſſus itaquè Giliolus cum rogaret iura Cęſaris exquiri vel à Iure Conſultis,vel ab aliis, dummodò in neutram partem propendeāt;reſpondit Clemens: *Ad ſe uti Feudi dominum ſpectare iudicium Venetorum exemplo, qui controverſias inter Antiſtitem Aquileienſem, ac Rempublicam de Feudis exortam ad ſe attraxerant.* Eodem tempore decem Helvetiorum, tria Germanorum peditum millia conſcribi iuſſerat: vt copię omnes quinquaginta peditum,equitum tria millia conficerent. Europæ Principes legationibus ſollicitabat. Literas adiungit monitorias adversùs Eſtenſem, vt ſub pœnà anathematis ſtatim Ferrarià faceſſat. Hiſpanus nutabat, & verbis utrumquè lac-C tabat litigantem.Gallus Præfectos,milites,ſeipſum, ſi liber bello eſſet, maiorū exemplo,ad opem Eccleſiæ Alpes ſe tranſgreſſurum offerebat. Cui Pontifex gratias agens,ne militem ex Galliā Eſtenſi permitteret,tantum rogavit. Eſtenſis, præterito monitorio, Ferrariam defendere vſquè ad ſupremum vitæ ſpiritum meditari videbatur, quinquaginta aureorum millium numeratà pecunià militiæ Pręfectis, vt duodecim Helvetiorum millia centuriarent.Hęc omnia in ſpeciem: nam neque mœnia ad hoſtes propulſādos,neq; circumiectum Vrbi agrū,amotis impedimentis complanari curans;Veneto interprete offerebat:*Vt Ferrariæ titulis retentis,pecuniam numeraret ex pacto,annuam penſionem quintà,tertià, quartà (eà lege, ut capite erogato immunis eſſet)ſe acturum.In Flaminia Maſſa Principatum, Conſilicem, Santagatam traditurum: ni ſufficiant Bagnacavallum, & Cotiniolam datu-* D *rum:Lugo quoquè in finibus ſito licet ægrè ceſſurum.* Pontifex collecto milite, *Petrum Aldobrandinum* Cardinalem nepotem Principem dixerat expeditionis, vexillo tradito,cui erat inſcriptum,*Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius*, vt ex nummiſmate. *Hercules Rondinellus* interim Romam venerat in Eſtenſis tutelam; ſed coactis comitiis, Cardinales auctore Alexandrino convenerunt, ut protinùs anathema promulgaretur in Eſtenſem,quia ſpretis literis monitoriis perſeveraret in uſurpatione,& ſpolio. Pontifex cum quatuor Cardinales eligendos proponeret, qui iura cognoſcerent; tres tantum Purpurati acceſſerunt in partes. Duodecim cum Alexandrino Eſtenſis ſcripta tanquàm captioſa reiecerunt. Conceptum

Henricus Rex Galliæ opes offert Papæ.

itaquè diploma: *ut ni intra quindecim dierum ſpatium, Ferraria faceſſat, tanquàm rebellis, & Eccleſiæ hoſtis fidelium cætu intelligatur ſubmotus. Triduò indè elapſo, urbi oppido ſacra ſint interdicta. Altero triduo tranſacto, ſubditi ſint ſacramento ſoluti, bona Cæſaris, & ſociorum occupantibus pateant. Fideles tàm Principes, quàm privati qui in Eſtenſem expeditionem iuvarẽt Eccleſiæ auro, ferro, vel expiatis animi ſordibus cæleſti pane refecti orationibus Deum ſollicitarent, plenam conſequerentur Indulgentiam. Pacta, contractus Cæſaris cum Principibus iacerent reſciſſa. Principes ſuppetias Eſtenſi ferentes, vel ex ſuis civitatibus permittentes anathema ſubirent*. Hæc Clemens habitu indutus Pontificio unà cum Purpuratis in aulà D. Petri cum publicari præcepiſſet, accenſum ingentem cereum, in ſubiectam plateam proiicit: Cardinales minores candelas de more iaciunt. Extemplo tubę, tympana reſonant: diſploduntur tormenta: diploma in quatuor compitis viarum affigitur Bononiæ, Cerviæ non ſolùm, ſed etiam Venetiis, & in totà Italià mittitur promulgandum. Neapoli primò facultas promulgandi negata; immò dum à quodam ſacerdote exhiberetur *Marthæ* Regenti, diſcerptum: tandem iubente *Philippo* Rege pronuntiatum. Venetiis cunctatione utebatur Antiſtites. Solus *Franciſcus Molinus* Tarviſii Epiſcopus 8. Id. Ian. An. 1598. ſub Veſperas, quinquè tantum adſtantibus, in Cathedrali Baſilicà pronuntiavit. Cæteri iubente Senatu, procraſtinarunt: *quòd id inſuetum, & nihil ad* Rem*publicam diploma ſpectarent*: abundè ſatisfactum promulgatione factà in Vrbe Orbis præcipuà: nunquàm in Veneto Imperio eiuſmodi literas pronuntiatas, quæ nonniſi vulgi rumorem excitant. Pontifex intereà anathemati arma iungebat, immiſſis copiis in agrum Ferrarienſem. Eſtenſis conſilio pauper, milite inermis, quod adhuc centuriæ non adventaſſent: deficiente pecunià, conſultores perteriti, ancipites, ſuſpecti. Principum nemo faveret apertè; cœpit ad concordiam declinare, & occultè per *Franciſci Mariæ* Vrbinatum Ducis uxorem, *Alphonſi* nuper defuncti ſororem cum *Aldobrandino* agere ut moleſtiis atq; acerbitatibus ſe eximeret. Conventum brevi legibus ſequentibus. *Eſtenſis Ferarriæ civitate, arcæ agro, qui Pado obiicitur, cedat. Plebem, ac Centum* Romandiolæ *oppidum, familiæ licet Eſtenſis ſint, Pontifici concedat. Tormentorum, quæ Ferrariæ ſunt, dimidium cedat. Prò Plebe, & Cento quatuor ei vici reponantur in agro Bononienſi. Bona familiæ allodialia in ditione Ferrarienſi, & aliis in locis, permaneant. Anathemate ſolvatur. Mutinæ ac* Regii *Ducis titulos obtineat.* Is exitus Ferrariæ: & pacta conſcripta à ſorore Ducis *Alphonſi*, quæ Cæſari ſemper adverſa fuerat: & à *Gualengo* equite, qui ab *Alphonſo* in gratiam Cæſaris decenni exilio mulctatus fuerat. Cardinalis *Bandinus* Comaclum occupavit, reclamante R*udolpho* Imperatore, ſuæ ditionis civitatem à Pontificiis ocupari. Fœlici ſucceſſu ingentia Romæ, atquè in ditione Pontificià ſigna edita lætitiæ, quòd ſinè ſanguinis effuſione rem grãdem celeriter confeciſsẽt. In cuius memoriam nummis percuſſis, primus Ferrariam exhibet ſub titulo, *Ferrarià receptà.* 2. Eridanũ, ſeu Padum fluvium Italię qui agrũ Ferrarienſem, Pedemontium, Sabaudiam. ac varias abvens provincias, ſeptenno ore in *mare influens*. In tertio *Cæſar Eſtenſis*, qui manum porrigit Legato Pontificio, cum epigraphe. *Ferrarià recuperatà*. Arimini poſteà Cæſar convenit Pontificem, à quo hilari vultu, & perhumaniter convivio receptus eſt. Provinciam ut ſuà illuſtraret præſentià, ex priſcò more S. S. Euchariſtià præmiſsà, quam pridiè Idus April. Antiſtites nonnulli, aliiquè viri pii cum Prefecto ſacrarii Pontificii comitantes diſceſſerunt. Clemens poſtridiè, Sacro facto ad aram Principis Apoſtolorum, verſiculum exordiendo, *In viam pacis* &c. ſe dedit itineri, ac die XXIV. Aprilis Lauretum venit, ubi ſacris non ſemel operatus, veſtes, Crucem argenteam, ſex candelabra, duo ſolida crura argentea, & nummos mille ædi obtulit Virgineæ. Die 27. Anconam venit, ubi arcum erexerant Anconitani notis illuſtratum aureis.

Excommunicatur Eſtenſis.

Clemẽs Ferrariâ potitur.

Nummiſmata.

Iter Clementis.

Clem. VIII. Pont. Max.

Reſtituto Eccleſiæ Romanæ *Henrico Borbonio* Rege; *fugatis de Pannonià Turcis; ſublevatis bono regimine populis; profligatis Sicariis; concordià inter Principes enixè operatà, Ferraria interdicto exercitu, ſinè ſanguinè recuperatà; Neptunio, S. Ioanne, Martinianoquè Montibus, aliiſquè propagatis Eccleſiæ finibus, rerum geſtarum magnitudine. S. P. Q.* A. *erexit*.

Die Chriſti in Cœlum aſcendentis, in templo primario Sacro interfuit ſolemni cum XV. Cardinalibus. Adfuit N. Iuſtinianus cum triremibus miſſis à Repub. Venetà, qui ære publico prætoriæ ſuæ remiges veſtibus, prætoriam ipſam velis ornaverat ſericis; undè à *Clemente* Equeſtri dignitate, torquè, aureo nummiſmate Clementis imagine inſignito donatus fuit. Die 6. Maii veſperi ad S. Gregorii cęnobium: die 8. poſt horam 21. thiarà inſigni redimitus, in ſellà geſtatorià vectus à ſervis octo, Ferrariam introivit. Prçceſſerat ab aſturcone delatus Panis Angelorum, cumquè Cardinales 27. cultu ſplendido, phaleratis, purpuratiſquè mulis inſidentes antè Pontificem ſequebantur. Paulò ante Vrbis claves Clementi obtulerant Magiſtratus Sapientum. Porta tunc deiecto pariete, inſcriptione fuit ornata ſequenti.

Clem. VIII. P. M.

Ferrariam bello Petri Aldobrandini *Card. imperio fæliciter geſto, atquè incruenta prorsùs victorià recuperatam, ingredienti, exultans, ſe eum in terris eſſe nactum Dominum, quo Cælum aperitur, Portam hanc primùm aperuit,* A*ldobrandinæque Gloriæ æternum dicavit* Popu*lus* Ferrar. *Anno D. M. D. II. C.*

Pontifice Ferrariam ingreſſo, Pontificii theſauri Pręſes nummos iactabat in populum. In portà marmoreà S. Gregorii notæ legebantur ſequentes.

Clemens VIII. P. M.

Ferraria, totaquè eius ditione divinitus receptà, ad hoc Olivetanæ familiæ cænobium divertit Nonis M*aii, ipſo die S.* M*aurelii Epiſcopi, &* M*artyris,* F*errarienſium patroni. Sequenti Die cum in hoc templo Hoſtiam immaculatam Deo obtuliſſet; Vrbem cum S.* R. *E. Cardinalibus, cunctiſquè* A*ulæ Ordinibus, ritu maximè ſolemni eſt ingreſſus. Anno Sal.* 1598.

Nonnullis menſibus Ferrariæ ſubſtitit, pietatis exemplo populum ad virtutẽ excitavit, beneficiis auxit, pauperes largitionibus levavit. Die 29. Iunii, Parmæ ducem inſigni pompà Ferrarià ingreſſum humanitate non vulgari, in ſecretiori Conſiſtorii aulà, Cardinalibus XXIV. præſentibus excepit. Die Corpo-

po-

poris Chriſti feſto, ſacratiſſimum Corpus in ſupplicatione deferens, piis lacrymis ſolemnitatem celebravit. Die Virginis in cœlum Aſſumptæ, cæremonià ſolemni, ſacrificium fecit Euchariſticum; XIII. Octob. Cardinalis de Avilà coràm Clemente, & Cardinalibus funebre ſacrum,prò *Philippi II.*Hiſpan. Regis ſalute peregit: perorante in laudem Philippi, *Alexãdro Burgio.*Antiſtite S.Sepulchri. Ad Vrbis honorem,novã in eà Iudiciorum formam inſtituit: centum Viros conſiliarios comitiis intereſſe voluit, vectigalia imminuit, aliquà ſuſtulit: *Octavium Taſſonum, & Alphonſum Giliolum* ſuos dixit cubicularios; *Franciſcum Sacratum* Romanæ Rotæ Auditorem; alios quoſdam Ferrarienſes creavit Epiſcopos: *Alexandrum Eſtenſem, & Bonifacium Bevilacquã* Cardinales. Propugnaculum extruxit ad Vrbis præſidium. *Petrum Aldobrandinum* Cardinalem nepotem legatum inſtituit; & Cardinalem S.Clementis Collegatum.

7. *Victam Vrbem dicavit Virgini Lauretanæ*;nè ampliùs conſãguinei ad eius principatum adſpirarẽt: & arma Orbis cognoſceret pro Eccleſiâ,non prò familiâ ſuſcepta. Huc venit

8. *Margareta* Auſtriaca (Ferrariæ degente *Clemente*) deſignata Hiſpaniarum Regina, Anno 1598. die 13.equo vecta inter Cardinales *Sfortiam*,& *Montaltum*, Cardinales alii ſeptemdecim mulis, ornatu purpureo,& phaleris egregiè cultis, Reginæ mater, Albertus Archidux Auſtriæ,Duces, Principes in comitatu equitantes cultu non diſſimili. Angelorum portam Regina ingrediẽs, inſcriptionem ibidem exterius legit appoſitam.

Angeli gaudent, Mortales exultant, Margaretam Auguſti ſanguinis Pietatis,virtutumquè omnium ſplendore luciditiſſimam ſimul lætiſſimè excipiunt.

Interiùs verò.

Vrbem adventus tui lumine illuſtratam Regina redde nunc hoſpitio glorioſam.

In foro etiam,

Philippo, & Margaretæ Auſtriacis Imperatorum gloriâ, ſuaquè pietate inclytis, ut Catholicorum Regum ſoboles propagetur, Matrimonio divinitùs iunctis. Anni multi. Liberorum copia. Perpetua fœlicitas.

Die XVII. Novemb. Pontifex in eadem Baſilicâ Sacro facto,poſt Offertorium,duo nobiliſſima coniugia, alterum *Margaretæ* præſentis cum *Phillippo III.* Hiſpaniarum Rege abſente. Alterum *Alberti* Archiducis præſentis cum *Iſabellâ Clara Eugeniâ* Infante Hiſpanarum abſente ſacravit. *Albertus* Regis;*Antonius de Cordovà*,& *Cardonà* Dux Seſſæ,vicem ſupplevit Infantis. Regina mater, Albertus, & Antonius Divini Corporis epulum à Clemente acceperunt. Regina poſtridiè ſacris donis à Clemente locupletata,& Rosà Aureà,Genuam ſeceſſit.*Diaria Clem. IX.* Concordat nummiſma,in quo Clemens Margaretam Auſtriacam ſuſcipit ad ſe venientem,cum epigraphe. *Veni dilecta mea.*

9. *Sacramentum Pacis* inter Gallos, & Hiſpanos cum per Cardinalem Mediceum à Clemente miſſum ad Gallos, An. 1596. Verum tandem abſolviſſet, anno 1598. non obſtantibus tergiverſationibus ducis Sabaudi, Principatum Salutiarum reſtituere denegantis, duodequadraginta articulis pace explicatà; reliquorum, quę inter partes conveniri non potuerunt,arbitrium datum eſt *Clementi* P.M. vt intrà annum à die pactionis ſententiàm interponeret. *Thuan.l.*120. Die III. Maii A.1598. in tẽplo *Noſtre Dame* publicata eſt; Ferratię verò pridiè Corporis Chriſti. Rex Galliæ gratitudinis ergò Cardinalem Legatum eius inviſit in ædibus,& conſobrinum ſuum nuncupavit. Concordãt Tria nummiſmata,quorum primum imagines refert *Henrici IV.* Galliarum, & *Philippi* III. Hiſpaniarum Regum,qui in ſignum pacis,quam perLegatos inierant,dexteras iungunt. Secundum Crucem refert cum *palma*,& *oleà*:quibus victoriam annuit Ferrarienſem, & Regum pacem,vndè epigraphes. *Hinc pax. Hinc victoria.* Tertium *Pacem* exhibet,quæ dexterà tenet *Crucem*;ſiniſtrà ſcuta comburit appoſita: Quibus pacem annuit à Clemente IX. compoſitam tanquàm arbitro inter *Henricum III.*& Ducem Sabaudię ob Marchionatum *Salucii* inter ſe diſſidentes; Hinc lemma *Pax,& Salus à Domino* ludit in verbis: cum nomen *Salus pro Salucio* uſurpat; Annus apponitur ad maiorem declarationem. Crux adiungitur;ut pax ab Eccleſiâ manaſſe intelligatur. Ferraria tandem diſceſſurus *Clemens* totius ditionis Ferrarienſis populum in æde primarià à cenſuris omnibus (die 26. Novemb. iterum abſolvens)bona omnia ei à Deo precatus eſt, *Sintquè à te perpetuo benedicti:quemadmodum eos benedicimus ✠ in nomine tuo, & in nomine Vnigeniti filii tui,& Spiritus Sancti. Amen.*

Inſcriptionem nè prætereas,quam *Franc. Blandrata* Cardinal. S.Clementis poſuit in facie Templi Cathedralis.

Clementi VIII. P. M.

Principi Optimo, Patriæ Patri, Domino noſtro beneficentiſſimo, qui Ferrariam Petri Cardin. Aldobrandini Fratris filii,Pontificii exercitus Moderatoris,virtute receptam, ſui, & ſacri Senatus adventu decoravit, vectigalia à Ducibus quondam impoſita aut ſuſtulit, aut imminuit. Centumvirale Concilium, ac Decemviralem Magiſtratum, annuo cenſu ad tuendam dignitatem & publicos ſumptus faciendos attributo, inſtituit. Quinquè Virorum tribunal ad lites iuſtè, ac celeriter dirimẽdas ſtipendiis præſcriptis erexit, novam Arcem præſidio civitatis exædificavit, Margaretam Auſtriacam magnificentiſſimè exceptam, Philippo III. Catholico Regi coniugio iunxit, duobus maximis conciliatis Regibus, optatam Chriſtianæ Reip. pacem peperit, poſtremò Vrbem repetens, apud Ferrarienſes Cives, de quibus optimè privatim, & publicè meruerat, ingens ſui deſiderium reliquit. Ne tot, tantorumquè beneficiorum ergà hanc civitatem memoria oblivione intercidat. Franciſcus ex Comitibus Blandrata, & S.Georgii Cardinal. S. Clem. Flaminiæ legatus, eiuſdemquè Cardnal. Aldobrandini Collegatus poni mandavit. An. M. DCII.

Abſolutà benedictione populi, iter protinùs arripuit Centum verſus: quò Sodalitas S. S. Sacramenti pervenerat. 7. Kal. Decemb. Die 27. Bononiam ingreſſus,tres dies ſubſtitit. Primà dominicà Adventus adfuit Sacro celebrato in templo D. Petronii. Bononienſes ad eius memoriã equorum curſum annuatim celebrari mandarunt,teſte *Pompeio Vizano l.* 12. Indè Lauretanam domum, Matrem iterum veneraturus Miſericordiæ acceſſit, Sacrificium obtulit immaculatum,& Cardinales *Aldobrandinum*, & *Caſium* ſacerdotio initiavit. Sacràm Cellam Indulgen-

gen-

gentiis cumulavit: eiuſquè diem tranſlationis in Pi- cęnum 3. Id. Decemb. quotannis celebrē voluit. Dominico XX. Decembris die horà 22. Romam rediit quo ritu, quà pietate, ac populi Romani gaudio? retulit *Angelus Rocca*. Accedat Inſcriptio in Capitolio ad valvas Palatii.

Clementi VIII. P. M.

Poſt Gallia Regnum reconciliato Rege Henrico IV. *conſtitutum; Pannoniam armis auxiliaribus ſervatam; Strigonium à Turcarum tyrannide vindicatam;* Ruthenos, & *Ægyptios* Ro. Ec. *reſtitutos; Pacem compoſitis Regum maxim. diſcordiis Chriſtiana Reip. redditam Sanctiſſimàque præſentià conſtabilitam Optato reditu in Vrbem pub. hilaritatis, ſecuritatiſquè reductori.*

Tyber inūdat. 10. *Tyber.* Clemente Romam reverſo; Tyber ipſo Natalis Chriſti pervigilio, An. 1598. extrà ripas diffluens, ad eā altitudinem reſtagnavit, ut mercium iactura facta ſit decies centennis millibus aureorum. Superabundavit verò Pontificis, atquè Petri Cardinalis Aldobrandini pietas. Ille Magiſtratibus Vrbanis per Vrbem dimiſſis, ut à populo quæ poterant detrimenta prohiberent. Hic cum proceribus naviculà vectus, Romam luſtrando, humanæ vitæ ſubſidia, aquarum obſidione oppreſſis ſuppeditavit, atquè pietate reſtituit, quod caſus abſtulerat repentinus. Eluvionem hanc Clemens ipſe ad eam altitudinem exuberaſſe dixit, *quantum, nequè Nos, nequè Maiores Noſtri meminerunt.* Cauſam peccata noſtra ipſe faſſus eſt Pontifex. N*iſi nos fallere velimus, peccata ipſa reſpondebunt nobis; & iniquitates, quæ multiplicatæ ſunt nimis corām Deo. Abyſſus enim peccatorum abyſſū aquarum, & inundatio inundationem evocavit.* Exuberantem fluvium reſtagnavit lachrymis, precibus, ieiuniis, eleemoſinis, quibus ira mitigatur ſuperna. Vndè Brietius: *Sic exundavit Tyber, ut nunquàm eluviem ſimilem Roma viderit, nec parem Pontificis, & Cardinalium liberalitatem in egentibus, miſeriſquè ſublevandis.* Inter miſerandi caſus notas memorabiles, diverſis in locis Vrbis marmore ſculptas, hanc excipe ad murum Arcis S. Angeli exculptam.

Anno Chriſt. Salutis MDIIC. Die XXIV. *Decemb.*
Eridani imperio Clemens, *& pace per Orbem.*
Aurea reddiderat ſecula, Roma, *tibi:*
C*um ſubito Tyberis aſſurgens huc extulit undas,*
Et te, pœne, ſuis contumulavit aquis.
Scilicet extollant animos nè gaudia noſtros,
Temperat adverſis proſpera quaquè Deus.

Io: *Fran.* Aldobrandinus *huius arcis, & S. R. E. copiarum Generalis Præfectus poſuit.* Clemens autem ad placandum Deum,

Annus ſecularis. 11. *Iubilæo ſeculum clauſit* Indictum eſt Iubilæum A. 1599. die 14. Ka. Iun. decreto priùs edito, ad cuiuſvis Ordinis Regulares reformādos. Tanto operi, pluribus Annis incubuit, & Congregationem S. S. Trinitatis Captivorum inſtituit. Regulam Clericorum

Clementis VIII geſta. Regularium ægrotis inſervientium reformavit: Aſſerentes licère per literas, aut per nuntium aperire peccata ſacramentaliter, damnavit. Monachis S. Baſilii ſeverioris diſciplinæ duo cœnobia in Hiſpania inſtituit, & leges dedit. Regulas præſcripſit pro erigendis Sodalitatibus ſæcularibus, Clericis ſæcularibus ab Alex. Ep. Lucano inſtitutis templum tribuit S. Mariæ in porticu. *To. 3. Bullar.* Excitavit Angliæ paſtores ad curam animarum ritè obeundā.

A Impium morem, quo ferox Taurus in feſto Marci Evangeliſtæ diœceſani Civitatenſes publicè per plateas, & templa circumducebant, candelam, & panem in cornu geſtantem è medio ſuſtulit. *Navarinus, Encycloped. cp.* 58. Bacchanalia Anni ſęcularis prohibuit. Itinera frequentari mandavit; ut iter ſecurum pateret peregrinantibus. Pervigilio tandem Dominicæ Circumciſionis Portam ſanctam aperuit, cum chiragrà impeditus non potuiſſet in Natalis pervigilio. Convenere tricies centenna hominum millia, magnà etiam Principum frequentià. Oſtendit tunc Clemens quantū poſſit Romanor. Pōtif. pietas ad Hæreticos ab errore revocandos. Multi enim Lutherani, & Calviniani ex eius aſpectu, modeſtià, pietate ad aram facientis impia Sectariorū dogmata evomuere. Ferunt eum frequenter abluiſſe pauperum pedes aquà, & planctu alterà tantum manu, chiragrà alte- Hæretici victi pietate Clementis VIII.

B ram impediente, accumbentibus peregrinis miniſtraſſe, aurem accommodaſſe pœnitentibus: quibus etiam permoti Turcæ ad ſalutares aquas acceſſere Baptiſmatis. Illis enim hæc viſa ſunt opera in tanto Pontifice miraculis omnibus potiora. *Io: Calvini* Hæreſiarchæ affinem Romam profectum, Deo adiuvante illuminatum *Clemens* benignè ſuſcepit, liberaliter aluit, Confirmationis Sacramento inſignivit. Singulis diebus Dominicis, quatuor Baſilicas obibat, & totiès Scalam Sanctam, cruribus imbecillis, podagràq. cruciatis aſcendebat, gradus ſuaviis, & lachrymis venerans. Sexagiès eas Baſilicas Anno illo, à Clemente luſtratas *Auguſtinus Valerius* Cardinalis Veronæ teſtatus eſt. Parmæ ducis, & Margaretę proneptis coniugium celebravit, pompà tamen prætermiſſā, utrumquè pane refecit Euchariſtico, & cœleſti auxit benedictione. Convivio etiam excepit humano, ad-

C hibitis paucis ędulíis. Florentina S. Benedicti ſodalitas hoc Anno Romam venit. Centum in eà viri, quos in Baſilicà Vaticanà Euchariſtià pavit: in Gregorianà ambulatione cibo mortali. Aderat non longè à ſuà novem peregrinorum menſa, quo diebus ſingulis lautioribus è ſuà nutriebat. Cardinales, Epiſcopos ad laudabilem ſuppellectilem ſuo excitaturus exemplo, cubicula ſua, & iis proximam aulam nudavit. *Andrea Auſtriaco* Cardinali apud ſe morituro Viaticum adminiſtravit divinum, precibus, monitis ad religiosè moriendum excitavit. Die 22. Novemb. antè lucem in æde S. Cæciliæ ſacrum fecit, ſacras veſtes inter ſacrificandum adhibitas, illi donavit, mox quatuor Baſilicas viſitavit. Idibus Ianuar. Portam Sanctam clauſurus, lapides, cęmenta ſacràvit, tres quadratos lapides, & in iis aurea, argenteaq;

D nūmiſmata poſuit, quorum primum portam exhibet clauſam, apperiendam Anno 1600. cum epigraphe, *Iuſti intrabunt per eam*. In ſecundo ſedente Pontifice cum Cardinalibus, Pręco Iubilęum indicit ad clangorem buccinæ ſacerdotalis, ut mos erat apud Hebręos. Iubilæi nūmiſmata. In III. portà reſeratà Pontifex ſuis manibus Euchariſtiam diſtribuit. *Abſolvit Anno Iubilæi.* In IV. porta iterum clauſa, cum epigraphe: *Portam Sanctam aperuit, clauſitquè Anno Iubilæi.* MDC. in Quinto Oves, quæ portam ingrediuntur reſeratam, *Introite in exultatione.* In ſexto eſt Sodalitas Florentina centenario hominum compoſita, habitu peregrino, Cruce præeunte ad ſacras Iubilæi opes promerendas, cum epigraphe: *Laudate nomen Domini*. In ſeptimo eiſ-

eiſdem Florentinis ad pedes Pontificis, dicit Clemẽs, *Ego vos reficiam*: quia ſacro & humano refecit pabulo. Eiuſdem pietatis monumenta ſervat etiam effigies ei poſita in Xenodochio S. S. Trinitatis, cum inſcriptione ſequenti.

Clementi VIII. P. M.

Quòd Xenodochium paternà charitate inviſerit, ſingulariquè liberalitate ſuſtentaverit: Sodalitas opportunà eius ope conſervata poſuit M. D. XCVII.

Supra portam eiuſdem Xenodochii.

Clementi VIII. P. O. M.

Quòd hoſpitium hoc pauperum peregrinorum, & Convaleſcentium, quotidianis eleemoſinis, omniquè beneficiorum genere non ſolùm perpetuo ſublevaverit, ſed ne ære alieno opprimeretur; Vectigal annuum 3. mil. aureorum attribuerit. Ad ſummam grati animi devotionem teſtificandam, Poſteritatiſquè memoriam. Caratores, Sodaleſquè eiuſdem hoſpitii Poſ.

12. *De Hyacinto* Ordinis Dominicani, inter Sanctos relato ritu ſolemni Anno 1594. Vide Cęſarem Campanam. *l. 15. hiſt.* Raymundum etiam Pennafortium, & Ludovicum Bertrandum Dominicanos Anno 1601. eodemquè Anno Aguetem Virginem de Monte Politiano Monialem Dominicanam canonizavit. *Beyerlinch. l. 8. Thuanus l. 109.*

Rutheni recõciliati.

13. *Rhutenos.* Anno 1595. die XII. Iunii Archiep. Michael Metropolita Kioviensis, Huliciensis, & totius Ruſſiæ, unà & ſeptem Epiſcopi Rutheni ritum Græcum ſectantes, concordiæ cupidi cum Eccleſià Romanà, literis ad Clementem datis ſignificarunt: ſe conſcio, & libente *Sigiſmundo* Sveciæ, ac Poloniæ Rege, Magnoquè Lithuaniæ duce, velle ad eam concordiam accedere, quæ *Iſidoro* Ruthenorum, & *Beſſarione* Nicæno Archiepiſcopis iuvantibus, in Synodo Florentinà fuerat renovata. Hoc voto Romam miſerunt *Hypatium Pocieium*, *Protothronium* Vvlodimirienſem, & Breſſenſem Epiſcopum: & *Cyrillum Terlechzium* Exarcham Metropolitæ Kioviensis, Luceorienſem, & Oſtreſienſem Antiſtitem: qui variis in locis iuſſu Clementis ab Epiſcopis honorificè excepti, præcipuè Patavii in ædibus Epiſcopi Marci Cornelii euntes & redeuntes ſplendido hoſpitio ſuſcepti, ac ducentis nummis donati, Romam venere, ubi die 23. Novemb. in aulà Vaticanà Conſtantini venerabundi, & ſtrati cum pedes eſſent ſuaviati Põtificis, literas obtulerunt Ruthenicè, & Latinè exaratas; & poſt abiuratos errores, obedientiam iurarunt, atquè concordiam, eà tamen conditione, ut eis ritus & cęremoniæ permitterentur Orientalis Eccleſię, eo modo, quo uti conſueverant unionis tempore. Literas Ruthenorum habes apud Baronium. *Cęſar Campana.* Huius reconciliationis nũmiſma habes p. 477.

Nummiſmata.

Ægyptii recõciliati.

14. *Alexandrinos, Ægyptios.* Miſit etiam Eccleſia Alexandrina, univerſaquè Ægyptus duos Monachos Macarianos, & cum eis Archidiaconum Eccleſiæ Alexandrinæ S. Marci (teſte *Baronio tom. 6. Annal.*) pro ineundà concordià. Patriarcha Alexandrinus cum interprete *Hieronymo Vecchieto* literas, & eleemoſinam accepiſſet à *Clemente*, reſpondit commemoratà eleemoſinà. *Gratias agimus Deo. . . . ſanctificamus, & magnificamus: quòd te conſtituit Chriſtus Catholicæ fidei habenas tenentem, & S. Catholicæ, & Apoſtolicę Dei Eccleſiæ fundamenta ſervantem, miſericordem, & pium ſuper univerſum populum Chriſtianum, ac diligentem omnes in Chriſtum credentes, inſtar B. Petri, qui te ſuccedere fecit in eius cathedram. Tu qui effectus es Caput, & maximus Patriarcharum, & Magiſter, & Prædicator totius populi Dei. Anno Sal 1593. die 22. Novemb.* Legati Fidei profeſſionem ediderunt, An. Sal. 1595. die 15. Ian. Verùm cùm in literis quædam verba eſſent ambigua (in Catholicis nõ ſuiſſent ſuſpecta, & tolerari potuiſsẽt) Card. Bellarminus cõſuluit, ut clarè, & relictis verbis ſuſpectis, Incarnationis myſteria profiteri tenerẽtur. Agnoſcebãt enim in Chriſto divinam, & humanam naturam inſeparabiles, & incõfuſas: at poſt Unionem duas in eo naturas fateri nolebant: quià naturam à perſona neſciebant diſtinguere. hinc Synodum Chalcedonenſem, & S. Leonis epiſtolam non admittebant. Propterea cum Legati abiuraſſent errores impii Neſtorii, Euthichetis, & Dioſcori, promiſerunt ratam habendam huiuſmodi profeſſionem, & de verbo ad verbum, prout concepta fuerat ab Eccleſià Romanà, iterum tranſmiſſuros ſubſcriptam à Principibus ſuis. *Baron. in fine tom. 6. Annal.* De aliis legationibus à Clemente ordinatis ad recreandos Catholicos locupletati referunt Annales. Anno 1591. legationem *habes Attilii Amalthei ad Sigiſmundum Bathoreum* Principem Tranſylvaniæ, ut Catholicam Religionem propugnaret adversùs hæreticos; Ieſuitas ab illis iniuſtè eiectos reſtitueret, amicitiam reintegraret cum fratribus. An. 1596. miſit *Hieronymum Dandinum*, & *Fabium Brunum* Ieſuitas ad incolas Montis Libani, cum pecunia, libris, ſacris veſtibus, ut iuvaret rectè ſentientes cum Eccleſià Romanà. Monachos Benedictinos in Angliam, quò tribus Annis antè Eliſabetæ Reginæ obitum, duo Brevia miſit, unum ad populum, ad Clerum alterum, quibus ad electionem Regis Catholici ſollicitabat. *Bellarm. reſp. ad apol. pro iuram fidel. p. 56.* Eccleſiam ſuam ſponſam chariſſimam diligens, ab exordio Pontificatus effigiem Eccleſiæ coniungens ſuæ, ut ex nũmiſmate 31. in quo Eccleſia cum epigraphe: *Fundata ſupra firmam petram.* Unitatem Fidei ſemper quæſivit, ut nummiſmate 29. in quo *Religio* cum *Cruce*, & *Calice*, quibus paſſionem Dominicam, & Sacramentum Euchariſtiæ, quæ ſunt præcipua noſtræ Fidei Sacramenta explicamus, cum epigraphe: *Unus Deus, una fides.* Quæ Orbi connata, Orbi communis debet: undè in nummiſmate 21. Abelem expoſuit ſacra facientem, ſub titulo. *Ab origine Mundi.*

Ægyptiorum errores.

15. *Viduas* Domum *Refugii* ad honeſtas virgines, viduaſquè rectè educandas extruxit Clemens VIII. Puellis monaſterii S. Catharinæ è *Roſà* ſingulariter conſuluit. Monaſterium Monialium S. Urbani, in quo puellæ *Diſperſæ* dictæ congregantur, ut ibidem reciperentur ſolummodò, quæ in ædibus S. Euphemiæ eſſent educatæ, inſtituit; teſte *Andreà Victorello.*

Domũ refugii erigit.

16. *Vagantes pueros.* Conſtitutionem edidit *Clemens VIII.* Die 22. Decemb. An. 1596. ut provideret egenis pueris, diſperſis, vagantibus; quos literatus vir quidam pauper, ſed valdè pius colligere, & in unum corpus redigere magnà curaverat ſollicitudine. Undè vulgo dicti ſunt *Literati.* Tria ſeminaria in tribus Monaſteriis Ordinis S. Baſilii inſtituit

Vagantes colligit pueros.

Seminaria

in

in Italiâ; in Siciliâ unum, in regno Neapol. alterum, tertium Criptæ Ferratæ, in agro Romano. Collegium Romæ erexit, à Clemente *Clementinum* dictum, prò iuvenibus Illyricis, quod curæ Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ commiſit, ut ex inſcriptione adiectâ in interiori parte Collegii.

Clemens VIII. *P. O. M.*

Vt lectiſſima iuventus bonis moribus, ac Scientiis in Vrbe Totius Chriſtiani Orbis magiſtra erudiretur, Collegium hoc ab eius nomine Clementinum *nuncupatum fundavit, Et Patribus Congregationis è Somaſchâ Præclariſſimo in eos fiducia, ac benevolentia argumento Perpetuo addixit. An. MDCIV.*

In facie exteriori hæc leges inciſa marmori.

Collegium à Clemente Octavo P. O. M. Clementinum Cler. Regul. Congreg. Somaſcha.

Amat literatos.

Amatos à Clemẽte viros literatos, & pios teſtes ſunt *Frãciſcus Toletus, Cæſar Baronius, Robertus Bellarminus, Sylvius Antonianus, Franc. Maria Taurufcius vir* planè Apoſtolicus, qui orationis, lachrymarum, ac ſacræ eloquentiæ dono cumulatus à Deo, in ſermonibus ad populum habendis, admiſtrationi erat, concionatoribus omnibus, omnes inter Purpuratos tranſlati. Angelum Mariam Monturſium Ordinis F. Servorum B. Virginis generalem Moderatorem, notæ probitatis virum, cum Romæ animam agere intellixiſſet, publicam dolens iacturam, *Moritur* (dixit) *vir iuſtus, & innocens; & Nos bonæ voluntatis noſtra miniſtrum præcipuum amittimus. Benedicat illi Deus.* Æmilium Puccium ſpectatæ probitatis virum, amicum ſuum in Æde ſuper Minervâ epitaphio donavit.

Collegium Scotorũ.

Fundavit etiam Scotorum Collegium, quorũ patronus fuerat Cardinalis; ut fidem Romanam tuerentur in patria ſuâ. *Alex. Donatus* 4. *Rom.* 12. Diſputationes de Auxiliis inter doctiſſimos Ordinis Dominicani, & Societatis Ieſu Patres coram ſe haberi voluit Anno 1602. cum illi Molinæ opinionem tanquàm hæreticam damnare vellent in Tribunalibus Inquiſitionis. Hi Catholicam eſſe defenderent: Selecti ergo viri magni, qui coràm Pontifice diſceptarent, ſed ardore tanto, & labore, ut ex iis nonnulli interierint. Verùm hæc pugna neque unius Anni, neque ſub eodem Pontifice, nec ab iisdem pugilibus fuit.

Controverſia de Auxiliis.

Scripta Clem.

Scripſiſſe dicitur Clemens Orationem ad Sigiſmundum, & Senatum Polonum; epiſtolas ad Henricum. Ne Religionis veritatem perturbarẽt Heterodoxi blaſphemiis ſuis, totus intentus; Indicem librorum prohibitorum ſuâ auctoritate auctum confirmavit.

Index librorũ prohib.

Pontificale Romanum, Miſſale, Breviarium, Cæremoniale Epiſcoporum reſtitui præcepit, reſtituta probavit. Opus Bibliorum Latinorum à *Sixto V*, magno labore editum ſub incudem revocavit; ut caſtigatiùs, & a mendis in Sixtinâ editione relictis purgatius ederetur; non diſcors à Sixto, ſed concors ſupplens ea, quæ præterita fuerant, & omiſſa in Sixtinâ editione. Clementis æmulus, qui geſta ſacra per ſeptem Diaconos conſcribi voluit; ipſe per Baroniũ Annales Eccleſiaſticos expediri ſollicitavit; undè à quarto uſquè ad Octavum tomum eidem Baronius dicavit.

Bibliam purgat.

Qui de Clemente VIII ſcripſerint.

Clementis 8. meminere laudes Mutius Sfortia in Clementiadis. Maphæus Cardinalis Barberinus, carmine ad levamen podagræ. Ferdin. Vghellius *in Italiâ ſacrâ*. Iacob. Phil. Tomaſinus *in Annal. Canon. Regul. S. Georgii in Algâ*. Alex. Donatus S. I. *in carminibus*. Guido Cardinalis Bentivolus *in memoriis hiſtor.* Aurelius Vrſus in *Carminibus*. Cæſar Cãpana. Andreas Mauroceni. Gaſpar Scioppius *in nuptiis Philippi* 3. Auguſtinus Valerius S. R. E. Cardin. *in Soliloquio*. Aldus Manuccius iunior *in carminibus* Barthol. Tortoletus inſigne Clementis, carmine honeſtavit. M. Antonius Bonciarius, & Hieronymus Tetius *de Iubileo*. Fabius Paulinus *de receptâ Ferrariâ*. Vincentius Blaſius Garcia orationem habuit ad Cardinales in Accademiâ Romanâ, An. 1592. Iunii de eius electione. Similem habuit Carcanus. Prætereo eos, qui ſuas Clementi obtulere lucubrationes, quod recenſere longum, & ignotum; licèt Oldoinus ex innumeris aliquos delibaverit.

Decretum de probandis Epiſcopis.

Ad Clementem redeo pro eccleſiaſticâ diſciplinâ reſtituendâ ſollicitum, nè in Italiâ nemo probaretur Epiſcopus, niſi priùs Romam profectus, ingenium, doctrinam coràm Pontifice experiretur. Hinc *Matthæum Zanium* à Venetis Patriarcham electum An. 1601 eum adprobare recuſaret, ni priùs de doctrinâ periculum fieret: Veneti autem conſuetudinem obiicerẽt immemorabilem, ut à Senatu electum, abſquè alio examine Pontifex probaret: Zelotypi etiam nè ſpetie diſquiſitionis Põtifex vellet ſibi Patriarchæ electionem arrogare, biennio eſt fatigatum. Controverſiam tandem abſolvit Clemens, Patres rogando, uè in ſanctiſſimam ſedem obſequii, ac reverentiæ argumentum abnuant, electum Romam mittant; erit obſequium pro diſquiſitione: & Reſpublica ſummis honoribus decorabitur. Ita permiſſum.

Controverſia cum Venetis de Patriarcha.

Zanius cum Romam veniſſet, à *Io: Mocenito* Legato perductus, humaniter, & perhonorificè à Clemente excipitur. Epulo poſteà exceptus à *Petro Cardinali Aldobrãdino*, tandem ſecundà vice ſiſtitur apud Pontificem adſtantibus purpuratis, inter quos unus, vel alter ex iis, qui diſputationibus intereſſe conſueverant, ſed a nemine interrogatum paucis Clemens ipſe affatur, & de iis, quæ ad munus pertinent Epiſcopale, nonnulla ſciſcitatur, tandem confirmat. In Silveſtri poſteà Baſilicâ ab ipſo Põtifice ſolemniter conſecratus, in eiuſdem ſolio collocatur, Pontifex aperto capite, uti minimorum Pontificum unus adſtat: Expletis ſacris, *Zanius* Patriarcha Populo benedicit: Cæremoniis interſuere iidem, qui ſoliti adſiſtere ſacris Pontificiis in feſto Omnium Sanctorum. Honoris etiam fuit, ut unà cum Patriarchâ Alexandrino Pontifici ſyrma deferret *Andreas Maurocen. l.* 16. Plura fuere diſſidii exordia inter Pontificem, & Venetam Rempublicam ſed omnia brevi, & amicè compoſita. Anno 1603. mortuo *Michaelis Priulo Ep. Vicentino* Papa ei *Ioannem Delphinum* Marcium Procuratorem ſufficere ſibi permitteret, à Senatu per *Ophredum* internuncium enixè petiit; cum ei, qui ad Clementem legationem obiverat lex obſtare videretur, quà honores, dignitates, præmia à Pontificibus, Regibus, Principibuſquè Oratores accipere ſeveriſſimis pœnis vetabatur. Annuere Patres cunctis ſuffragiis; ſic *Delphinus* Epiſcopus eſt nuncupatus. *Maurocen.*

Oratores Veneti prohibiti dignitatibus donari à Papa.

Omnium gravior fuit cõtroverſia de Cennetẽſi Iuriſdictione. Subiit Cenneta Venetorum imperium Anno Sal. 1358. ex pacto inito cum *Ludovico* Vngarorum Rege, olim civitatis Domino. Carrarienſes cum eam uſurpaſſent An.

Controverſia de Cenneta.

1382.

1382. ad obſequium Venetorum rediit An. 1388. Sigiſmundus Rex Vngariæ iterum occupavit Anno 1411. donec Veneti An. 1418. iterum aſſertam donarunt Epiſcopo eâ conditione, ut civibus provocare licèret ab Epiſcopi iudicio ad Veneta tribunalia. Obtinuit mos iſte ſuprà Annos 130. donec Cardinalis *Marinus Grimanus* dictus Epiſcopus Cennetenſis, ut morem enervaret antiquum Anno 1545. cœpit affligere populum, qui ducum imperium ferre impotens, opem rebus imploravit afflictis. Adfuit Reſpublica miſſo *Iacobo Suriano* Prætore, Grimano reclamante, & ad Pontificem confugiente, qui acriter cum Senatu queſtus, tandem Grimano, qui novitatis cauſa extiterat, vita functo, obtinuit; ut abdicato Prætore, in priſtinum cuncta redirent. Grimano *Turrius* ſucceſſit, & alii; donec in *Aloyſium Mocenicum* Epiſcopatus tranſlatus eſt: ſub cuius imperio civitate duabus diſciſsâ factionibus, ſanguine, cædeq; cives ſæviebant. Iudicium inſtruxit quidem Mocenicus; ſed alterius partis cives à Pontifice impetrarunt, ut Nuntio Apoſtolico controverſiæ omnes committerentur, qui per procuratorem in factiones inquireret, & urbis regimen reformaret. Decemuiri actis reſciſſis Procuratoris Pontificii, iudicium ad ſe avocarunt. Cennetenſes autem Legatos Romam deſtinarunt, qui Venetias evocati legem ſubierunt, ut inpoſterùm ſolam Rempublicam adeant: ne calamitatibus autem deeſſet auxilium; ex S. Conſulto ius provocandi cōceditur in civilibus ad Novos Auditores, in Capitalibus ad Advocatores. His valde commotus Clemens cum *Parutâ* Oratore exaggerat ſpretam dignitatem, læſa iura Eccleſiaſtica, nec aliter poſſe ſatisfieri, quam legis abrogatione. Senatus cum omnia ad propulſandam iniuriam feciſſe diceret, & conſtans perſiſteret; eccè Monitorium, quo Cēnetenſes ſub pœnâ anathematis Venetam legem tridui ſpatio delere iubētur. Id ni faciāt ſint urbi ſacra interdicta; Oratores tāquā rei læſæ Maieſtatis Romā veniant audituri ſententiam, & contrà bona, & contra corpora. Cennetenſes fulminis metu perterriti, 5. Id. Iulii, ſub veſperam cogunt Concilium, ex quatuor, uno tantum decurione præſente, quo iubente, ut ſcriba è tabulis auferret decretum; Scriba adſtantes interrogat, an ita vellent? Obmureſcentibus cunctis, atquè horrore correptis, decurione urgente, mandata exequitur. Ex adverſo Decurionem, Scribam uti Majeſtatis reos Veneti in ius vocant; ſemper in peius ſpectare credebatur diſcordia; donec officiis Reipublicæ, & diligentiâ *Auguſtini Valerii* Veronę, & *Io: Franc. Mauroceni* Brixiæ Cardinalium, Clemens delinitus juſſit, revocato Monitorio jura pacificè inquiri. Egere gratias Veneti pietate, obſequio, religione refertas ergà Pontificem, qui ſanè Venetis non moleſtus, ſed amicus eorum curavit pacem, miſſo ad *Rodulphum* Imperatorem Legato, qui contrà Vſcochos gentem latrociniis aſſuetam, iniurias exponeret Reipublicę illatas. *Andreas Maurocenus*. *Moroſinæ* etiam Venetæ Principi, *Marini Grimani* Venetorum ducis uxori, celebri pompâ An. 1597. Venetiis coronandæ Roſam auream dono miſit. *And. Victorell.*

Venetis reconciliatur.

17. *Captivos* Chriſtianos magno numero ex Ethnicorum manibus redemiſſe, Clementem VIII. auro ſuo, *Florimundus Remundus eſt* teſtis.

Captivos redimit.

18. *Purgantes animas* ex Inferis evocavit Clemēs VIII. Sodalitate Romę inſtitutâ ad orandum Deum, pro animabus exiſtentibus in Purgatorio.

19. *Mortem.* Annos natus Clemens indè ſeptuaginta, cum Annis 13. Eccleſiam ſanctiſſimè gubernaſſet, Sanctorum morte, qui eorum vixerat more, pientiſſimè obiit mœrore omnium. Nam liberalis in probos, in literatos munificus, fidelis in pios, pius in Deum, & Sanctos, quorum templa ſæpius adire, populo ad pietatem trahere, gemere, publicè orare; in more habuit. Monitus in baſilicâ S. Pauli viâ Oſtienſi à Gallo Oratore lachrymis abſtinere; ſatis dolorum, ac pœnitentiæ datum eſſe publicæ expiationi; reſpondit. *Suſtine Domine Orator, non alio medio extinguitur ira Dei, & ingenia capiuntur Multitudinis.* Singulis diebus (cum per valetudinem licebat) ſacris operabatur. Quartam quamquè Feriam celebrabat ieiunio. Sabbatha pane aquâ cum vini modico. cilicino amiculo ſubuculo ſenilia mēbra torquebat: paleis pro lanâ, aut plumâ in lecto uti voluit: nudis pedibus interdum, ſacrâ ſupplicatione nonnulla Vrbis loca luſtravit, præcipuè cum de *Henrico* reſtituendo ageretur. Gregem, pane paſcens, & verbo, tercenta aureorum millia Anno ſæculari piâ largitione conſumpſit. Diem nec unum prætermiſit ſinè eleemoſinâ toto tempore Pontificatus. Nummum percuſſit, (*habes n.7.*) in quo interroganti Chriſto *Petre amas me?* reſpondet, *Tu ſcis Domine, quia amo te*; & alterum, in quo Philippum vocat, *ſequere me n. 2.* Quam vocem tam altè defixit in penetralibus animi, ut præ oculis ſemper habere voluerit. Pauperes quotidiè paſcens in menſâ (quos annuatim augebat, iuxta Annos ſui Pontificatus) lavandis eorum manibus aquā effundebat, menſam conſecrabat, & ubi vinum ſingulis infudiſſet, aſſidebat ſuæ, ex quâ lautiora pauperibus mittebat. Corpus in Baſilicâ Vaticanâ, ad ſiniſtram tumulo temporario conditum fuit; donec à Paulo V. in Liberianâ Baſilicâ in ſuo ſacello repoſuit, nobiliquè tumulo, & epitaphio donavit.

Numiſmata. Amoris Dei.

Clemens VIII. Florentinus ex Aldobrandinâ familiâ, poſt Rom. Rota Iudicium, & Datariæ Præfecturam, purpura donatus, & maioris Pœnitentiarii munere auctus: Poſt ſedatas in Polonicâ legatione inter Sigiſmundum Regem, & Auſtriacam domum ortas in comitiis Regni diſcordias, ad Pontificatus apicem evectus Patriarcha Alexandrino, & Ruthenis Epiſcopis à ſchiſmate in Romanæ Eccleſiæ complexum admiſſis: Henrico IV. Apoſtolicâ charitate recepto: Galliarum Regno eum magno Religionis bono, poſt diuturnâ bella pacato, inter eum iem Regem iam Alpibus inſidentem; & Ducem Sabaudiæ, per Petrum Aldobrandinum Legatum pace firmatâ; Sæculari Anno Iubilæi miræ pietatis documentis cumulato: Pontificiâ maieſtate ubiquè conſtanter aſſertâ. Sedit Annos XIII. Menſem I. dies IV. Obiit Non. Martii, MDCV. Ætatis LXVIII. Corpus temporario Vaticani tumulo huc transferri curavit die XXIII. April. MDCXLVI. M. Antonius Burgheſius Princeps Sulmonis, Pauli V. fratris nepos.

Epitaphium Clem.

Anno 13. Menſ. 1. dies 4. ſediſſe Clementem, habes in epitaphio, cum dies V. non 4. legere debeas, nàm die 2. Februarii electus eſt. Error autem ex eo conſurgit, quòd Annum compleri crediderint. Die 2. Martii, cum tamen impleatur die primâ: quia

Error epitaphii.


ILLE RELEVVIT
DVRABIT IN AETERNVM
1 VENI DILECTA MEA
2 SEQVERE ME
3 DA QVOD IVBES
MDCIII
4 DOMINE IVBE ME AD TE VENIRE
5 FORTITVDO MEA ET REFVGIVM MEV
6 FERRARIA RECVPERATA
7 TV SCIS DOMINE
8 SALVA NOS DOMINE
9 ABSOLVTO ANNO IVBILEI
CIƆIƆC
10 LAVD ATE NOMEN DOMINI
M.D.C.
11 PORTAM SAN APERVIT CLAVSIT QVE AN IVB MDC
12 INTROITE IN EXVLTATIONE
M.D.C.
13 IVBIL EI INDICTIO
AN. M.D.C.
14 ET NON PAENITEBIT EVM
CIƆIƆXCIIII
15 IVSTITIA ET CLEMENTIA COMPLEXAE SVNT SE
16 HINC PAX HINC VICTORIA
17 PAX ET SALVS A DOMINO
MDCI
18 IN VERBO TVO
19 EGO VOS REFICIAM
M.DC
20 CONSECRATIO
21 AB ORIGINE MVNDI
MDXCIII
22 MAGNVM GRATIA SACRAMENTVM
LATERANI
23 IVSTI INTRABVNT PER EAM
M.DC.
24 ANNONA PVBLICA
25 REGNIS NATVS ET ORBI
26 HENRI IIII D.G. FRANC. ET NAV. REX. CRISTIAN
27 VNVS DEVS VNA FIDES
28 RVTHENIS RECEPTIS
CIƆIƆXCVI
29 PORTV CENTVM CELLAR INSTAVRATO
30 CONFREGISTI DRACONVM CAPITA
31 SVPRA FIRMAM PETRAM FVNDATA EST
32 VELINO EMISSO
33 FERRARIA RECVPERATA
PAX
PVBLICE CRISTI
34 REMIGRAVIT ERIDANVS
35 S.P.Q.R.
MDCIIII
36 GREGEM NE DESERE
EXVRGAT ET DISSIP INIM EI

CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. MONVMENTVM QVOD PAVLVS V. PONT. MAX. GRATI IN EVM PONTIFICEM ANIMI ERGO IN SVO SACELLO MAGNIFICENTISSIME EXTRVXIT. TVM APPOSTA EIVS EFFIGIE, TVM REBVS AB EO EGREGIE GESTIS IN. MARMORE. EXPRESSIS. ET INCISIS



gemina dies ſecunda Martii In eodem Anno non recurrat.

Ædificiis Clementis tota Roma refulget, ut ex inſcriptionibus quarum præcipuas hic habes.

In areà Capitolinà, ubi nobile ſurgit ædificium, lapidem primum benedixit, & ſequentibus inſcriptum appoſuit in ſundamento.

Clemens VIII. P. M.

Primum hunc lapidem, cui ritè benedixit, in fundamento poſuit, Iuſtitiæ, Vrbis, Pacis totius Orbis fundator An. Sal. 1603. Adſtitit auctor, & dux operis Cardinalis Petrus Aldobrandinus Rom. S. R. E. Camerarius.

Concordat nummiſma 35. cuius in alterà parte Clementis imago, & verba *Clemens VIII. P. M. An. XIII In alterà* ambulacrum, & verba *S. P. Q.* R. MDC. *IV.*

In Vaticanà Baſilicà, Altari Apoſtolorum olim per *Callixtum II.* conſecrato aliud superædificavit, B priori ob venerationem relicto, & adſtantibus Cardinal. 38. conſecravit An. 1594. die 26. Iulii. Totum habes in nummiſmate 20. cuius epigraphes: *Conſecratio*.

Sacellum SS. Sacramenti in Laterano, à *Gregorio XIII.* reſtauratum, reddidit elegantiùs appoſitis quatuor ingentibus columnis æreis ſtriatis, & inauratis, quæ templo Salomonis inſeruiſſe dicuntur. In eius faſtigio legitur: *Clemens VIII. P. M. Anno VII.* In pavimento: *Clemens VIII. Anno Iubilai M. D. C.* Nummus concordat 22, in quo Altare conſpicitur, cum epigraphe; *Magnum gratia Sacramentum*: quo SS. alluditur Euchariſtia. Cœnam Dominicam ex argento ſuper aram collocavit, pretio 12 mille aureorum. Tabernaculũ extruxit lapidibus elegantiſsimis pretioſis, ac ſtatuas diſpoſuit manu artificis peritiſſimi C elaboratas. Navem tranverſam (quam *Crucem* vocant) picturis laudatiſſimis Arpinatis, Balionii, Pomaranii, Paris, Nebbiæ, Navarræ, Cæſii marmoreis incruſtationibus, Organis, pavimento exornavit, teſte *Caſare* Raſpono. *De Baſilicà, & Patriar. Lateran.* Sacrarium extructum ad uſum Canonicorum picturis exornavit elegantiſſimis. Ibidem quatuor fundavit Cappellanias, qui *Clementini* dicti ſunt. Sex candelabra argentea auro illita: & vaſa dedit argentea prægrandia ad conſecrationem Olei ſacri. Reſtauravit oratoria S. S. Io: Baptiſtæ, & Io: Evangel. ad Conſtantini baptiſterium in Laterano, olim erecta ab Hilaro Pontifice. Eccleſiam Deiparæ erectam in Tranſtyberi, *de Scalà* dictam, Carmelitis diſcalceatis S. Thereſiæ commiſit. Fontem ab *Hadriano I.* erectum, & ab *Alex. VI.* reſtauratum antè eccleſiã S. Mariæ TransTyberim renovavit collapſum. Tabularium Pontificium in arce Hadrianà conſtituit; de quo *Vrbanus VIII.* epigramma compoſuit. Caſtrum montis S. Io: cum confinibus in Campanià emit, & *legi de non alienandis* ſubiecit.

Clementis Symbola.

Duo præter ſupradicta, recitat Aegidius Sadeler. In primo turris ſuprà montem poſita, ideſt Eccleſia, de quà *Durabit in æternum.* In altero eſt cithara gladio, & pedo interciſa, ſub titulo; *Nihil ille reliquit.* Vt in tabulà ſequenti.

Portum Centum Cellarum inſtauratum à Clemente, nummiſma annuit Anno 1606.

Canalem Curianum, quo Aquæ Velinæ exundatio arcebatur, clauſum expurgavit Clemens, qui propterea Clementinus dictus. Ecce nummus, *Velino emiſſo. Anno MDC.*

Annonà publica cum populo Romano ſæpius conſuluiſſet, gratitudinis monumento, ſequenti donatus eſt nummo, in quo Annonæ effigies. *Annona publica.*

Adiunge nummum, in quo *Iuſtitia*, & *Clementia* iungunt palmas. Iuſtitia enim abſquè Clementià in crudelitatem vergit. Clementia ſinè iuſtitià in ſegnitiem degenerat Epigraphes. *Iuſtitia, & Clementia complexa ſunt.* Vel electio annuitur iuſtè facta Clementis in Romanum Pontificem; tunc enim Iuſtitia, & Clementia complexæ ſunt.

Ædificiis Clementis adiunge ſacellum in templo Deiparæ ſuper Minervam, in quo parentibus extruxit ſepulchrum, & imagines locavit. Ædes ornavit Vaticani Pontificias: aulam S. Clementis imagine nobilitatam, & Clementinam dictam, ſplendenti marmore, ſigniſquè pulcherrimis expolivit.

Creavit Cardinales 53, de quibus ſuo loco.

LEO UNDECIMUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXXIV·



IN Ioſepho à fratribus vendito, quià eos apud genitorem accuſaſſet, eccè Leo XI· veneno ſublatus, quod in Palatinos inquirere meditaretur.

Eligitur Anno Sal. 1605. Die prima Aprilis. Obiit die XXVII. Aprilis. Vacat ſedes dies. 20.

E L O G I V .M

QUartus[1] Mediceę gẽtis intra ſęculũ Põtifex A
Anni Sal. I Le. 1605. 11 Florentiæ [a] naſcitur.
Nec alibi naſci poterat
Quàm in ſolo, quod ſemper floret ad ſolium.
Regem meditata Natura, dum fecit Leonem,
Regnum dare impotens, dedit Triregnum.
Sæculo ſi opus ad efformandum Regem,
Hic novi Medici intra Sęculum edidere,
Quatuor Pontifices, & duas Reginas.
Alumnus M. Coſmi Hetruriæ Ducis
Nomen dedit militiæ ProtoMartyris,
. Quæ gradus eſſet ad caſtra Chriſti.
Ex cõſiliario ſacerdos ſacravit vitã, nõ mutavit.
Antè ſacerdotium pius, & penè ſacer
Sacerdos initiatus aulà abfuit, ut Pius adeſſet. Anni Sal. I Le. 1605. 11
Legatus ad Pium V.
Viſus eſt, qualis erat, & qualis futurus.
Piſtoriẽſis Epiſcopus, Archiepiſcopus Florẽtinus,
Gregem exemplo pavit, verbo, & ære ſuo.
Quas dignitates non emerat, nulli vendidit.
Invitus ut præfuerat, invitos pręficiebat.
Plures Cardinalis admiſit Titulos,
Uſibus Pauperum, nunquàm ſuis;
Recuſaturus *Titulos*, niſi fructus dare potuiſſet
Ruinas reparavit de ſuo etiã in Eccleſià[a] alienà
Quinque Pontificum electioni præſens,

LEONIS XI MONVMENTVM IN BASILICA VATICANA.



Anni Sal. | Le. 1605. | 1

Votum nunquàm deſtinavit [3] inane.
A Clemente VIII. Legatus in [4] Galliam,
Regem obvium habens ex hęretico Romanũ,
Eà eſt Cleri veneratione ſuſceptus, (ſia
Ut ĩ eũ ullũ privilegiũ [5] Gallica uſurparet Eccle
Hęretici [6] ultrò redeũtes in gremium Eccleſiæ,
Sacramēta participare voluerũt de manu Legati
O ſpes fallaces!
Pontifex, [7] dictus dũ pompam init Lateranensẽ
Invenit in Eccleſiâ ſepulchrum.
Nunquàm veriùs in eàdem Baſilicà:
Pro epinicio cantatum eſt epicedium:
Sic tranſit gloria Mundi.
Mors ex inſidiis erumpens, die 27. ſuſtulit.
Solita ab Aquilone aſcendere,
Spetie roris flantis deſcendit ex Auſtro.
Affulſiſſe, effluxiſſe idem fuit.
Impleto Philippi Nerii [8] vaticinio:
Cardinalis, & Pontifex es Alexander futurus.
Sed gloria citò evaneſcet.
Fata itaquè non Fãſtos adiit,
Quæ ſibi ipſe decreverat Roſarum manipulo
Sub lemmate; [9] *Sic florui.*
Roſas enim una aperit, conficitquè dies.
Imedicabile fuit vulnus; erepto Mediceo.
Rogatus Cardinalem creare nepotẽ, [10] noluit:
Ut Pontificatum Eccleſia abſolveret, nõ familia.
Leonis [11] nomen, & omen implevit moriens.
Terrendo, nõ timendo Carnem, & ſanguinem.
Ab hoc ungue diſce Leonem.

ADNOTATIONES IN LEONE XI PONT. ROM. CCXXXIV.

1. QVartus *Medicea gentis intra ſeculum Pontifex* fuit *Leo XI.* Nam *Leo X. Clemens VII. Pius IV.* & *Leo XI.* omnes fuere *Medicei.* Nomine iſte *Alexander*.

Leonis XI. natalia. 2. *Florentiæ* naſcitur Sal. An. 1535. vel 1536. ex patre *Octaviano Mediceo*, matre *Franciſcà Iacobi Salviati*, *Lucretia Medicea*, *Leonis* X. & *Clem. VII.* ſororis filià. In ipſo ætatis tyrocinio, piis moribus, ac literis excultus, clara ſtatim documenta optimæ indolis, & ad ſacra plurimum inclinantis pateſecit, Sanctarum rerum exercitatione, lectione ſacrorum Codicum, atquè ſtudiis Theologicis. Matre tamen reluctante, cum votum implere minimè permitteretur, in gratiam *Coſmi Medicai* M. Florentiæ Ducis, nomen dedit militiæ S. Stephani, Equitiſquè inſignia induit. Mortuà matre, vitam Eccleſiaſticam, quam propoſuerat, proſequi volens, ſacerdotio inſignitus, ut ab innani honorum libidine alienus viveret, cœpit rure deliteſcere, ibiquè orationi vacare; donec à *Coſmo* (cui Alexandri virtus cognita erat) revocatus, & Romam ad *Pium V.* orator miſſus, quindecim Annorum ſpatio eam legationem tam piè obiit, ut à *Gregorio XIII.* ad Cathedram aſſumptus ſit Piſtorienſem, mox ad Archiepiſcop. (teſte *Petro Victorio ep. Alex. Card. Mediceo*) Florentinam, in quà quòd velut in frequentiori, ac ſublimiori theatro, doctrinęquè radiis corruſcans, in ipſum Chriſtiani Orbis Senatum ab eodem *Gregorio XIII.* relatus eſt Anno Sal. 1583. titulo S. S. Quiriaci, & Iulittæ. Quo dimiſſo, S. Petri ad vincula, S. Praxedis, & S. S. Io: & Pauli ſortitus nomina non auri fame, ſed voto obedientiæ, & gratià pauperum, quibus bona ſua liberaliter diſtribuebat. Anno 1575. die XVII. Septẽb. primariũ lapidem ritu ſacratum in Vallicellani Templi fundamenta, Romæ coniecit. Anno 1577. Die 28. Feb. cum iam opus ſurrexiſſet; primus omnium ſolemni cęremonià, ſacris operatus, templum ſacravit, ut ex inſcriptione appoſità apud ſacellum S. Philippi.

Romam legatur.

Cardinalis quater mutavit Titulũ.

Gregorio XIII. P. M.
Anno Iub: lei MDLXXV. Menſe Octob. Alex. Medices Florentiæ Archiep. lapidem primum ſolemni ritu benedictum in fundamento huius Eccleſiæ poſuit:
Clemente VIII. P. M. *Alex. idem Archiep. & S. R. E. Card. hanc eandem Eccleſiam Deo in honorem Nativitatis B. Mariæ Virginis, & S. Gregorii Magni Papæ; Altare quoquè maius conſecravit: Corpora S. S. Martyrum Papiæ, & Mauri ſolemni ritu ſub eodem Altari collocavit, ſacraſquè Indulgentias de more conceſſit. Anno* MDXCIX. *Die* 23. *Maii*.

Congregationem cum frequentaret S. Philippi Nerii, huiuſquè corpus transferendum eſſet, novas veſtes, quibus indueretur, confici iuſſit; incorruptaq; membra veneratus, coronà caput, digitum annulo, Pontificio ſapphiro radiante ſibi detracto, exornavit. Eius ſolerti pietati debet Congregatio Oratorii (teſte *P. Gallonio*) ut ſacrum Philippi corpus è cõmuni ſacerdotum tumulo extraheretur.

2. *Aliena*: Titulos Cardinalitios, non ſolùm quibus præfuit, ſacris veſtibus auxit, & picturis exornavit, ſed alienos. S. Agnetis extra Vrbis mœnia ædes inſtauravit, ornavitquè quarè adhuc noſtris hiſce temporibus, ibi Alexandri nomen expreſſum cernitur. *Alexander Card. Florent.*

3. *Quinque Pontificum electioni* cum interfuiſſet Alexander, quem ipſe deſignavit Papam futurum, non aberravit. *Diarium M. S. in* Bibliothecà Io: Bap. *Cornelii*

4. *Legatus in Galliam* à *Clemente* VIII: ad *Henricum IV.* ut iſte ore confirmaret, quæ Romæ per Legatos promiſerat in pœnitentiæ, & abiuratæ hæreſis teſtimonium: ac pacem conciliaret inter Hiſpanos, & Gallos; quæ omnia fœliciter, atquè ex voto perfecit; *Thuanus*. Spondanus ſcribit eo honore, & obſequio apud Gallos fuiſſe receptum, ut non ſolùm toto Regno Præſides, & Magiſtratus obvios habuerit, ſed ad eum veniſſe tres Gallicanos Antiſtites, & Petrum Gondium Cardinalem. Porrò cum ad *Caſtras* oppidum octo leucis Gallicis à Lutetià diſtans perveniſſet Alexander, Regem ipſum equis veredariis, præter morem occurriſſe, primariis quibuſdam Principibus, ac Proceribus comitatum: inter quos eſſe Ducem *Maynium* voluit, ut Legato Romano palàm faceret, quantà fiducià, & comitate uteretur cum iis, quos anteà hoſtes infeſtos fuerat expertus. Venit etiam ei obviã *Henricus Borbonius Condæus*, Regii ſanguinis Princeps, primarius, puer adhuc octennis, quem Rex ſuperiore Anno in aulam venire iuſſerat; ut in Religione Catholica educaretur. Ad S. Iacobi tandem ſuburbium à Senatu, cæterorumquè omniũ

Ordinum claſſibus de more ſalutatus, ſolemniter Vrbem ingreſſus, comitante Clero, literas expoſuit Papales, contrà quas (ità mandante Rege) nullum objecit Gallia privilegium, quę tamen Literas Romanas eà ſoleat cautione recipere, ut ſemper præmittatur, *ſalvo iure Eccleſiæ Gallicanæ*. Per biennium in Gallià Alexander moratus multa ad Eccleſiæ Catholicæ gloriam, & regni pacem eſt operatus.

6 *Hæretici Principes*, inter quos *Carlotta Catharina Trimollia*, Condæi Principis mater, An. S. 1596. ad pedes Legati provoluta impios Calvini errores, quibus aurem incautè præbuerat, ſpontè deteſtata, atq; ad S. R. E. Communionem aſpirans, poſtquàm in manu Legati abjuraſſet, ab eiuſdem manu Sacramenta ſuſcipere voluit. Ex Gallià in Italiam reverſus, Ferrariam (ubi tunc degebat *Clemens VIII.*) pervenit; eique prodeuntibus obviam Cardinalibus, & in publico Senatu ab ipſo Papà benigniſſimè exceptus, cauſis audiendis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitus fuit.

Eius Cardinalis laudes cecinit *Vincentius Robardus* in quinquennalibus Sixti.

Principe Pieridum, nymphâquè coronide nato
Ex erunt rutilum Romula terra caput.
Puppe coronatà, Tiberina per oſtia vectus
Quod tulit optatam numine mitis opem,
At tua ſe tanto Florentia iactat alumno,
Iam nequè Romuleo cedit honore ſolo.
Ille quidem potuit contagia pellere morbi
Si modo de Vatum vera putanda fide.
At tu præcipiti detorquens pectore peſtes,
Aſſeris aſtri como nos venerande polo.
Ergo velut Medico *vicina vocabula geſtas*
Nomine Neſtoreos det tibi vita dies,

7. *Pontifex.* Iuſtis de more *Clementi* 8. ſolutis; de ſucceſſore eligendo convenere Patres, ſed voto diviſi. Galli *Alexandro Mediceo* favent; Hiſpani palàm oppugnant, in quemlibet alium conſenſuri. *Cæſari Baronio*, quòd oppido Sorà regiæ ditionis ortus eſſet, Hiſpani unà cum reliquis ſupremam contuliſſent dignitatem; niſi per eos dies Annalium Eccleſiaſticorum undecimum vulgaſſet volumen, in quo adverſus *Philippi* in Siciliæ Regno ſupremam auctoritatē, quam Monarchiam vocant, acerrimè pugnaverat. Hinc librum illum Pro Rex Neapolis, Oſſunæ Dux inter vetitos adnumeraverat, ad triremes ablegato bibliopolà. Propterea Clemens, atquè Inquiſitores acerbè commoti, *Pontiam* Regentem cætu amotum fidelium, Romam evocaverant. Et hæc cauſa, ob quam Hiſpani *Baronium* excluderent à Pontificatu. Cuius iniuriæ in Patrū conſeſſu ſummoperè conqueſtus, ob jurium Eccleſiæ defenſionem, ſe talem ſubire mercedem: illud uſurpabat Servatoris, *Beati, qui propter iuſtitiam perſecutionē patiuntur.* Clementis Sanctiſſimi Pōtificis iuſſu, priſcis Eccleſię inſpectis monumentis, librum compoſuiſſe, perlectum tribus ex Cardinalium numero videndum dediſſe, probatum, denuoq; inſpectum, prodiiſſe tandē, quid Baronio imputandū? Spe deiecto *Baronio*; omne in *Mediceo* oppugnando ſtudiū *Avila* Cardinalis Hiſpaniæ protectoris verſabatur. *Aldobrandinus* tamen, ſinè quo haud poterāt abſolvi comitia quòd tot ſibi devinctos haberet, quot ad impediendum ſufficerent, prænſando, rogando, ità egit, ut tandem *Alexander Mediceus* ad Pontificatum mo-

Hiſpani cur Baronio adverſi?

A leſtè inſpectantibus Hiſpanis, eo electionis genere, quod *Adorationem* vocant, eveheretur: qui ſtatim *Leonis XI.* nomen aſſumpſit; Exactà vir ætate (erat enim Septuagenarius) *multis præclarè* ita Andreas Maurocen. l. 16.) *pro Chriſtianè Republicà, ac Religione geſtis, conſpicuus, cuius præcipuè opere pax inter Henricum Galliæ, & Philippum Hiſpaniæ Reges inita fuerat. Ingens de eo hominum opinio ex anteacta vitæ ſplendore, ex familiæ nobilitate, ex nuncupationis omine orta. Eius rei nuntius Venetias allatus, vix dici poteſt, quantà lætitià civitatem univerſam profuderit; omnia magnanima, atquè excelſa ſibi Patres ab illo pollicebantur; ſtatim Legatio de more decernitur: Lecti fuere Leonardus Donatus, Franciſcus Molinus Marcii Procuratores ambo, Ioannes Mocenicus, Franciſcus Vendramenus, per literas, perquè Auguſtinum Nanium Oratorem gratulatio eſt habita. Leoni Pontificatus initia præclara,*
B *auguſta. Tria ſibi in ſupremo munere adminiſtrando propoſuiſſe affirmabat. Erga Deum honorem, ac cultum, in Pontificatu maieſtatem, in cunctos liberalitatem: Indè aulicos omnes holoſerico indui iuſſerat, nihil non magnificum, vultu, habitu, verbis referens*; ſub Pontificià thiarà ſervans animum regium, Cardinalibus promiſit, nihil, quod Deo placeret, iis petentibus ſe negaturum. Cardinalem *S. Georgii* Maiorem Pœnitentiarum, *Arigonium* Datarium inſtituit. Abbatem *Capponium* Pontificio præfecit ærario, ſubiectas Provincias illicò quibuſdam vectigalibus oneravit, quemadmodum petierat *Iacobus Davii Perronius* Cardinalis Gallus, quem propterea Leo eo laudavit nomine, quià non privatum, ſed publicum poſtulaſſet beneficium. Fama cum eſſet, electionem hanc Hiſpanis diſplicuiſſe; Marchioni Villenæ Regis Catho-
C lici in Vrbe Oratori ad oſculum pedis admiſſo, ſic inquit, *Scribe Regi tuo, quòd maiorem me in hac cathedrà non conſpexerit amicum, nec conſpiciet.* Familiaribus ad ſe vocatis mandavit, nè quid iuri, vel æquitati contrarium poſtularent. *Infulas, Cardinalatus non ſperarent: dignitates merito, non favori conferendas.*

8. *Philippi Nerii vaticinio.* Laicus erat, & apud Pontificem pro M. Hetruriæ Duce Oratorem gerebat *Alexander Medices*, cum ei palàm *Philippus* (teſte *Baccio l. 3. c. 6.*) *Tu quidem & Cardinalis fies, & Pontifex: verum citiſſimè morieris.* Propterea Pontifex dictus, à viris Principibus rogatus, ut *Carolum Borromæum* inter Cœlites declararet; reſpondit: *B. Carolum inter Sanctos adſcribam: Philippum Nerium autem non prætermittam.* Etſi morte præventus neutrum perfecit. *Baccius l. 4. c. 9.* Præter *Philippum Nerium* etiam S. Malachias eius prædixit Pontificatum, *Vi-*
D *drum* vocans *Vadoſum*, ideſt paralyticum. Morbus eſt ex humido conſurgens: & B. *Maria Magdalena de Pazzis*, Romanam illius infulam, breviſſimumquè ſacri imperii tempus prædixerat; teſte *Vicentio Puccino.* Pontifex renuntiatus ad reſtaurandum templum B. Agnetis, quod extrà mœnia iacet, animum intendit, opere quidem magnifico, quod morte præventus non abſolvit. Extat vero in eiuſdem Eccleſiæ ſacello, grati animi memoria.

Papa creatur Mediceus, & Leo dicitur.

Sibi Hiſpanos conciliat.

D. O. M.

Et memoriæ Leonis XI. Summi Pontif. qui pro eximià ſuà in B. Agnetis M. pietate templum hoc reſtaurare, & illuſtrare aggreſſus præcipuum ſacelli huius cultum, elegantiamquè moliebatur; niſi mors præpropera cœptis inter-

torveniſſet; Petrus Iacobus Cima eiuſdem Pontificis in-timi cubiculi Præfectus idem ſacellū ornandum curavit, voti ſui, & perpetua erga optimum Principem Obſervantia. An. Sal. MDCIX.

9. *Sic floruit.* Lemma appoſitum Roſarum faſciculo à *Leone* XI. cum eſset Cardinalis. Prçludium breviſſimi Pontificatus; de Roſà enim dicitur:

Vna dies aperit; conficit una dies.

Negat nepotē creare Cardinalem.

10. *Nepotē.* Ingruente morte, rogantibus Purpuratis nepotem Cardinalem creare ad reparandam iacturam tanti Pontificis creatione nepotis: negavit conſtantiſſimè ſolius animæ ſaluti ſeriò vacans; & nè eā notam ſubiret quòd migrans è vità, ſuorum magis, quàm Eccleſię memor, de ſolo Nepote ornando cogitaſset Hinc Confeſſarium ad id hortantem repulit (Audi Baronium Annal. Tom. 12. Anno 1127.) *Leo S. memoria Papa* XI- *nè unum quidem inPontificata menſem explevit. O rerum humanarum inconſtantiam? Creatus Pontifex Kal. April. eſſe morte deſiit, 27 eiuſdem; ſed qui verè egregio, ac ſingulari virtatis exemplo, conſumatus licèt in brevi, explevit tempora multa. Ægrotans ſuaſionibus plurimorum adduci non potuit, at nepotem ſuum, modeſtiſſimum adoleſcentem, quem penes ſe educaverat, & unicè diligebat, crearet S. R. E. Cardinalem. Vicit licet infirmus corpore, robore animi, id ſtudiosè petentium, importunè exigentium, & extorquentium violenter quorundā Cardinalium, atq; Regiorum Legatorum ſummam potentiam, Confeſſarium ſuum ..... iſta ingentem longè longius repulit, expulit, & ad ſe ampliùs accedere vetuit; ut quem magis indulgere affectus coniunctorum, quàm anima ſua ſaluti cognoviſſet; delecto poſt hac ad ſacrum munus Pœnitentia impendendum, viro digniſſimo Petro de Matre Dei à Rocca Hiſpano Carmelitano reſtituta obſervantia cuſtode, & propagatore, Sacriquè Palatii à Clemente* VIII. *delecto Concionatore, ſub cuius miniſterio animam feliciter Deo reddidit victor, & triumphator ampliſſimus. In triplici certamine triplici victorià glorioſus, triplici palmà triūphans, eluſo Mundo, confuſo Sacanà, ſibi dominās migravit in Cœlum.* Vnum ſolūmodo creaſse Cardinalem *Lalium* pronepotem ex *Lucretià Gherardeſcà* ſororis filià, *Annalibus Carmel. Diſcalc.* qui eàdē die, & horà, quà coronatus eſt *Leo*, habitum aſſumpſerat regularem Carmelitarum diſcalceatorum, & poſt meridiem ductus ad Sanctiſſimum; liquefactus eſt Leonis animus ad diſcalceati nepotis aſpectum, præ teneritudine, quà diligebat, deciderūt in genas lachrymæ, & poſt oſcula pedum, magnà amoris ſignificatione complexus, nomen ei ſuum impoſuit, *Alexandrum à S. Franciſco* appellavit, & ſingulari verborum emphaſi, ac intimi ſenſus applicatione. *Hæc* (inquit) *eſt mea portia: hic meus Cardinalis, quem creo.* Vaticinium, omenquè mirabilis comprobavit eventus: nam 27. die poſt aſſumptionem abiit è vivis, nullo alio ad Cardinalatum evecto. Veneno infectum occubuiſſe Pontificem optimum volunt aliqui, ſed aberrant teſte *Andreà Maureceno*. Die namquè Dominicæ Reſſurrectionis, in Sixto, antè Baſilicam vaticanam coronatus à *Franciſco Sfortià* Diaconorū Cardinalium Principe; Die octavà, apertà lecticà vectus, pompam Lateranenſem magno populi plauſu, adiit.

Confeſſarium cur reiiceret. Petrum à matre Dei Cōfeſſariū aſſumit.

In pompà arcum triumphalem erexere ei Florentini, de quo Cardinalis Perronius *l. 3. ep.* 1605. *ad Henricum Galliarum Regem*. In itinere, licèt robuſtus corpore, Annis gravis, dum pergeret ad Lateranum, flante Auſtro in inſtabili Cœlo; in Eccleſià autem Lateranenſi cæremoniam premerent denſa populi agmina, non levi affectus incommodo eundo, & redeundo, lethali vexatus eſt morbo, quo etiam occubuit. Demortui Leonis corpus in Baſilicam Vaticanam devectus, lateritio temporario eſt illatum ſepulchro.

Mors Leonis.

Sepultura.

Volunt alii veneno periiſſe Roſà immixto, quā ei obtulerunt in Eccleſià Lateranenſi; Hanc enim Roſam cum tres tractaſſent *Leo, Chiappinus Vitellius*, Magiſter Cęremoniarum, & *Olimpia Aldobrādina*, omnes eàdem nocte repentè ceciderunt: Paſquino inhoneſtè canente; Hac nocte mortui ſunt *Leo, Vitulus, V...*

Florentia magnificè ei iuſta fecit, quæ *Coſmus Neccius* deſcripſit. Oravit in funere *Alexander Adimarus*. Romæ etiam coram Partibus peroravit *Pompeius Vgonius*. Franciſcus Suvertius in ſelectis Orbis delicijs de *Leone XI.* ſequentem refert inſcriptionem.

Leoni XI. P. O. M.

Quod gentilitium Leonis X. *Beneficentiam propagat. Vrbanam magnificentiam adauget. Memoriam Auguſtiorem facit. Florentiſſimum Medicea culmen Gloria Vrbis Æterna acclamatione Perpetuat. S. P. Q. R.*

Ibidem;

Optimo Principi Leoni *XI.*

Quod inſtinctu paternitatis ab ipſo Divini Pontificatus exordio omnia nobis, & ſingula, Æqui, boniquè conſuluit, ita ut Reſpublica conſtituta appareat; Immunitatem ſecuritas ſequatur, Senatuſquè honorificentia per annona, ac pacis ocia bonam in frugem erigatur, & populi hilaritas promoveatur. S. P. Q. R.

Apud Petrum Leonem Caſellam ſequentia habes;

Novo Pontifici Maximo Leoni XI. Alexandro Medices Pacatori Galliarum, Conciliatori Regum,

Natalibus, Ordinis dignitate, ſolertià Æquabili, Religione ſolidà Legatione Apoſtolicà, ſplendidè perfuncto ſed perpetuo vita tenore, Eccleſiaſtica diſciplina reſtitutori Pio, ſevero, innocentiſſimo Patri Patrum lectiſſimo Quò cum floret Spes Publica. S. P. Q. R.

Scripſit Leo epiſtolas varias, quarum unam recitat *Stephanus Quaranta p. 400. ad Archiep. Neapolit.* cum declarationibus ſuper dubia Eccleſiaſtica.

Leon ſeriptæ.

Scripſerunt de Leone Pompeius Vgonius, Laurentius Beyerlinch, Lucas Vvadingus, Cabrera, Petramelarius, Anton. Vipereſcus Vicarius Baſilicæ Lateranenſis orationem habuit, dum claves ei præſentaret. Io: Hemelarius carmina edidit *de brevitate Pontificatus Leonis XI.* Ad hunc eſt epiſtola Petri Victorii. Plures epiſtolæ Tholomæi. Ei Vincentius Borghinus dicavit librum *de Eccleſià, & Præſul. Florentia*.

Eius corpus trāſlatum eſt in Vaticanum à *Roberto Cardin. Vbaldino* ex ſorore pronepote, & conditum nobili tumulo.

Leonis clementiam, humanitatem explicat examen apum in ore Leonis inventum à Sampſone, ſub epigraphe, *De Forti dulcedo*.

PAULUS QUINTUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXXV.



IN Saule, quem in ſignum imperii Natura extulerat *ab humero, & ſurſum ſuper omnem populum* 1. *Reg.* 9. Paulum V. exponimus Pontif. Max. cuius imperio digna ſpecies laudata eſt in Conclavi, Saulico elogio.

Aquila olim Burgheſiorum inſigne donec Guelphorum ſequaces adversùs Gibellinos in præmium exantlanti laboris pro Eccleſià, Dracone donati (qui Guelphorum erat inſigne) Aquilà depoſità Draconem ſubſtituerunt, vel in parmæ parte potiori appoſuerunt.

Eligitur die 16 Maii An. 1605. Ætat. 53. Obiit die 28. Ianuar. Anno 1621. Cum ſediſſet An. 15. Menſes 8. dies 12. Vel ut in epitaphio; Obiit die 22. Ianuar. Vacat ſedes uſq in diem 5. Idus Feb.

ELOGIUM.

Anni Sal. Pa. 1605. 1. IMperio dignam ſpeciem ¹ viator ſuſpice.
Patria, dignitate *Romani*, familià *Burgheſii*.
ProDeus futurus,
Nequè in Accademià coętaneū paſſus ęqualem;
Ubi ætas deerat, ſupplebat eloquentia.
Servat adhuc Patavium *Burgheſii* inſignia;
Ubi theſes utriuſq; iuris ſuſtinuit, & docuit.
Años 25. cū Officiis, Legationib⁹ uſq; ī ² Hiſpaniā
A Romanam fulciſſet Eccleſiam; Anni Sal. Pa.
Cardinalis tandem eſt dictus,
Qui verè lapis fuerat Romani ędificii; 1606. 2.
Petra futurus Eccleſiæ.
Baronium cum ambirent Patres:
Baronius ſibi præferret Burgheſium:
Sinè alterius pręiudicio, utrūq; penè adorarunt,
A Bello Veneto ³ auſpicatus Pontificium

To-

PAVLI V. PONT. MAX. EFFIGIES PRECIPVAQVE RERV MAB EO GESTARVM EGREGIA MONVMENTA MANV NOBILIS ARTIFICIS SECTO MARMORE AFFABRE RE-PRE[illegible]NTATA.



Anni Sal. Pa.
1607 | 3

Tota conflagraſset Europa
Ni Gallus Liliis ſuis flammam extinxiſſet.
Omnia inpriſtinum reſtituta
Præter Ieſuitas.
Aquila Gentilitia Pauli V. — Ab hoc tumultu didicit Paulus pacem colere;
Et fulmine exarmare Aquilam ſuam.
Brevis pugna longam peperit pacem;
Ob quam Roma ſolido renata [4] marmore,
Diem expectat æternitatis,
Ad irrigandum paradiſum Romanum,
E monte Aureo undæ evocatæ argenteæ,
Placido murmure Pauli reſonant magnificētiā,
Annona [5] populū, Vrbē lapide, eleemoſina [6] pauperes
Ærariū [7] auro, Iuſtitiā [8] Aulā, cultu [9] Eccleſiā
Cum expleverit ad ſaturitatem,
Etiā cōſāguineis [10] duodecī ſuperfuere cophini,

A Iubilæum [11] indè publicavit, celebravitquè piè.
Saxones etiam impiè indixere ſuum:
Vt Centeſimo Apoſtaſia recurreret Lutherana.
Hebraicā Idololatrātium repetitā ſolemnitate:
Cum ſedit populus, manducare, & bibere,
Et ſurrexerunt ludere.
Sic circā vitulum vitulantur laſcivi;
Et paſtores ducuntur à pecude.
Nō ſic Carolus Borromęus, [12] & Frāciſca Romana
Quos Divis adſcripſit Paulus. 1621 | 16
Hæc infirmatum ieiuniis corpus,
Prece recreabat, & ſolitudine.
Ille in collū iniecto fune, ſupplicationem āgēs,
Carnem flagellis uſq; ad ſanguinē excoriabat.
B His evocantibus Paulum
Diſſolvi voluit, [13] & eſſe cum Chriſto.

ADNOTATIONES IN PAULO V. PONT. ROM. CCXXXV.

Pauli V natalia. 1. PAuli V. qui antè Pontificatum dictus eſt *Camillus Burgheſius*, Romæ natus Anno Sal. 1552. Die 27. Septemb. ex patre M. *Antonio Burgheſio* Senenſi, qui dum patria civili conflictaretur diſſidio, Romam receptus, foro incumbens, inter Advocatos Conſiſtoriales, ubi Canonum peritiā, & morum integritate, tantum auri ſibi comparavit, ut filio natu maiori, ſeptuaginta aureorum millibus *Clementi VIII.* numeratis, Cameræ Auditoris magiſtratum, magnā purpuræ obtinendæ ſpe impetraverit, *Andreas Maurocen.* Hunc tanti fecit Aula Romana, ut pauperum diceret advocatum; & Paulus IIII. cum in graviſſimis ſæpè conſuleret. Mater ei *Flaminia* ex *Aſtaliā* familiā, quæ plures ſortita eſt Cardinales. Egregiæ indolis puer ingenuitatem, & pietatem cum lacte ſuxiſſet, Perulii Philoſophiæ, Patavii Iuriſprudentię incubuit ubi in publicā univerſitate adhuc videntur inſignia. Deiparę ſemper addictus, Paulus V. virgo moritur. ita Virginitatem coluit, ut virgo obiiſſe credatur. Hinc nebulo quidā, qui ſe *Bartholomæum Burgheſium* ex concubinā Papę filium venditabat, à Parlamento Pariſienſi ad ſupplicium damnatus laqueo vitam finivit, cadaverę flammis conſumpto. Anno Sal. 1574. Die 20. Maii Abbreviator Eccleſiaſticus, antè Baſi- Officia. Dignitates. licam S. Petri, literas *Gregorii XIII.* Iubilæum indicentes clarā voce legit, mox utriuſquè Signaturæ Referendarius, Baſilicæ S. Mariæ Maioris Vicarii titulo religioſè præfuit. Prolegatus *Alexandro Peretto*, Cardinali Montalto, Boroniam ſubmiſſus, difficillimis à *Sixti* V. & *Vrbani* VII. morte Interpon- D tificiorum temporibus, provinciam ſartam, tectamq; iuſtitiā, pace ſervavit. In hoc munere occupatum *Greg.* XIV (miſertus M. Antonii Burgheſii calamitatem, cuius maior natu filius poſt ei comparatum Magiſtratum Auditoris Cameræ, ſtatim obierat) Romam evocavit, & mortuo fratri ſubſtituit. Camillus honorę ſuſcepto, tantum laude crevit integritatis, quantum profecerat dignitate. A muneribus vacuus, eā continentiā iura tractavit, ut iuſtitiam monitis inſtrueret, & doceret exemplis.

Legatus ad Hiſpanos. 2 *In Hiſpaniam* à *Clemente VIII.* ad *Philippum II.* pro implorandis ſuppetiis in bello Turcico per Rudolphum Imperatorem gerendo, proquè Fœderatis Gallis adversùs Hugonotos, aliiſquè Chriſtianæ Reipublicæ negotiis, Nuntius cum poteſtate Legati de latere miſſus, parem animum rebus attulit agendis, ſummaq; virtutum ornamenta, Hiſpaniæ exercuit Vniverſæ: adeò ut Philippus Iunior unicè diligeret, quem votis non inanibus ſuum fore aliquando parentem divinaret. Indè vocatus, Vaticanam purpurā ab eodem An. 1596. accepit, mox S. Euſebii titulum, Cardinalis. à quo poſteà ad S. Chryſogoni tranſivit; Cardinali Ruſticuccio extincto, in adminiſtratione Vrbis delectus Vicarius, quod potiſſimum eſt, in promovendis, decernendiſquè Fidei negotiis, ſupremus Inquiſitor Vrbem univerſam beneficiis cumulavit, & hu- C manitate obſtrinxit. Quinquaginta ferè Hæretici (Anno 1600.) Inquiſitionem moderante Burgheſio, Menſe Iulio, Romæ varias hæreſes abiurarunt. Sanctimoniales S. Suſannæ, patrocinio, piiſquè largitionibus iuvit. Regni Scotiæ patronus acerrimus apud S. Sedem, meruit ab illis ſolido vaticinio Pontifex præfigurari. *Conſtituit te inter Cardines terræ* (aiebat Antonius Sacerdos Biſinianenſis in peroratione, quā habuit in laudem Deiparæ Anno 1602) *ut ſedeas cum Principibus, ac ſolium gloriæ teneas*. Ioannes Delphi- Vaticinia de eius Pōtificatu. nus Venetus Legatus Pontificem indicavit futurum. Invitabant eum non obſcurioris argumenti portenta. Coactis namquè Purpuratorum comitiis: Aquila ex palatio Altempſino, pernici volatu in ſublime elata, poſtquàm diutiùs aerem pererraſſet, tandem ad fortalitium molis gentilitio, Hadrianæ, draconi inſculpto, inſigni *Gregorii* XIII. inſedit; & ex ſe, atquè dracone ſubiecto, inſigne Cardinalis Burgheſii expreſſit: illuſtri iudicio, ut omnes ominantes interpretabantur, Pontificatus futuri, ad quem illum Deus trahe- Forma corporis. bat. Accedebat forma corporis maieſtate conſpicua, quo cæteris ſupereminebat ab humero, & ſursùm, ut legitur de Saule, qui cunctis hominibus corpore excellebat; David autem virtute. Maieſtatem corporis augebat cultus: cum enim foras exiret, nunquàm viſus eſt domeſticā, ſeu cubiculari, ſed ſemper pallio, ac veſte rubra talari, ut à quocumquè obvio ſalutaretur Papa futurus. Votis communibus favit Deus; cum enim diſceptarent Patres, quem extincto Leoni ſufficerent ętate, & gratiā *Dominicus Tuſcus* Mutinē-

ſis

Dominicus Tuſcus proximus Pótificatui. Infenſum habet Baronium

ſis anteibat, in eumquè Galli, & Hiſpani conſenſuri videbantur, iamquè ad Pauli ſacellum, ut ad eius genua procumberent ingrediebantur Patres: cum repètè Baronius cępit exclamare Tuſcum inutilem Eccleſiæ, parùm idoneum Chriſtianæ Reipublicę futurum. In eo ſanè plura inerant, quæ apicem ei conciliarent, ætas, ſcientia, morum comitas, & pręcipuè à ſummorum Principum obſequio immunis, ac liber animus. In dicendo tamen nimia libertas, parum honeſtis nonnunquàm interſperſa verbis obſtabat. Idq. unum ei obiectum à faſtigio, quod manu tenebat comprehenſum deturbavit. Nam ſummis vocibus inclamante *Baronio*; ſtrepitus adeo ingens excitatus eſt, ut ei ſtatim *Montaltus*, *Sfondratus*, atquè alii, quos *Cardinales Conſcientiæ* vocabant, adhærerent. Duo, ac viginti in ſacellum Sixti ab aliis ſeiuncti conveniunt: reliqui in Paulino perſiſtunt: cum duo tantùm ad *Tuſcum* creandum ſuffragia deeſſent. *Maurocenus*. Poſteros tantæ rei cum *Baronius* non deſideraret immemores, ſacrum illud uſurpavit: *Scribantur hæc in generatione alterà*. Cardinalis *Montaltus* Baronii zelo perſpecto dixit Aldobrandino. *Sanctum hunc hominem S. Petri collocemus in ſellà*. Baronius autem tantæ dignitati imparem ſe agnoſcens, manibus, pedibuſquè Cardinalibus reſtitit, precando, vt digniſſimum eligerent. Tunc Aldobrandinus: *Cui igitur tantum munus deferemus? Burgheſio reſpondit* Montaltus. *Erat tunc cum Arigonia in ſuo cubiculo Burgheſius, ambo quòd ætate ad eam dignitatem immaturos ſe crederent, alia omnia verſantes animo, cum forte egreſſi ad Aldobrandinum, & Montaltum lento incedebant pede: & ecce repentè Burgheſium inclamant; vox momento Collegium pervadit univerſum, extemplo Pontifex ſalutatur, aſſumpto nomine Pauli V. Tres ac quinquaginta annos natus, firmo corpore, ſtaturà procerà, totius oris aſpectu Pontificalem retinens maieſtatem. Cæterum nequè publicorũ negotiorum uſu præſtans, nequè cum Principibus ſummis de rebus agere aſſuetus, civili conſuetudini parum deditus, ingenio potiùs ad res privatas, quàm ad publicas gerẽdas idoneo* (Hic ſibi contradicere videtur Andreas Maurocen. l. 16. Hiſtor.) *licèt Pontificalibus veſtibus amictus, momento Pontificiam maieſtatem vultus ſeveritate, gravitate, totiuſquè oris habitu repreſentare videretur. In eo inexpectato lætitiæ ſenſu obſervare licuit, quòd præter aliorum morẽ, qui ad ampliſſimam in terris dignitatem evecti, effuſiſſimi in omne liberalitatis genus iis, per quos ſublime illud faſtigium attigere, nihil ferè pernegare audent: ipſe efflagitantibus* Purpuratis *nihil conceſſit. Non id tempus eſſe, quo aliquid decerneretur, dictitans: æſtuante animo, pleraquè iniuſta, quæquè minus deceant tribui; in repentinà commotione, non ſatis quæ petantur, vel quæ cõcedantur, expendi poſſe: munificum tamen in iis, quæ incolumi iuſtitià, atq. conſcientià elargiri poſſet in omnes futurum. Illud enim palam aiebat, ſecumquè reputabat, non mortalium ſuffragio, ſed Dei Optimi M. impulſu munus illud ſibi delatum eſſe. Magna cunctorum de novo Pontifice expectatio, quo ſe verteret, in quod potiſſimum incumberet, cum in turbulenta tempora, vigente inter Turcarum* Regem, *ac Cæſarem bello incidiſſet: Nequè minus vivida ætas ſollicitabat, quòd ad apicem illum tendentium Purpuratorum ſpes præter ſolitum morem reciſa viderentur; atquè ipſemet* Pontifex *vel rei novitate, vel inopinato ſperatæ vix amplitudinis eventu, ſtupore veluti defixus, mæſtuſquè cernebatur;*

Burgheſius Papa eligitur.

Mores.

Omnia negat in die creationis.

A multaquè illi moleſta animo obverſari rumor erat, à privato ad regium vitæ genus tranſitus, mortis metus, veneficii timor, at quotidiano victu parata à ſororiis tontum obſonia ſumeret. Ea Aſtrologorum vocibus aucta, antè Septembris exitum, vitam amiſſurum, quibus permoti eius fratres (quorum maior natu Franciſcus, minor Io: Baptiſta erant) tres ac viginti eius profeſſionis homines intrà ſuas ædes cogunt, qui naſcentis Pontificis, *Cælique ſitum ſcrutentur, quidquè vaticinentur de eius vità, exprimant, vel ex inanis artis arcanis, vel aſſentationis gratià, in decimum atquè octavum* Annum *vitam prolaturum prodidere.* Die 29. eiuſdem menſis Maii, coronatus à *Franciſco Sfortià* Card. aſſumpſit in ſymbolum, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Æſtus cauſa cæremoniam Lateranenſem in diem 6. Novembris reiecit. Primo Iunii gratias egit Cardinalibus: *Io. Garſiam* Millinum Nuntium in Hiſpaniam declaratum, Epiſcopum dixit Coloſſenſem. Poſtridiè in aulà ducum, *Ginnaſium, Zapatam, Madrucium, Doriam* à Clemente 8. Cardinales electos pileis exornavit. Mox Iubilæum, divinam opem petiturus pro fœlici regimine indixit. Venère poſtcà Oratores Principum, Lucenſes, Helvetii, Veneti quatuor Æquites miſerunt: Melitenſes: Ianuenſes. Dux Feriæ pro Hiſpanis. Dux Niverniu pro *Henrico* 4. Gallorum Rege. Io: *Goulividus* Ep. Bambergenſis pro Cæſare. *Paulus Vuolazzius* prò Polonis. *Alex. Vindecimirnſis* prò Ludovico XIII. Gallorum Rege. *Paulus Sabellus* pro Ferdinando Imperatore. De Congianis, & Perſis dicam infra. Die XVIII. Iulii, *Scipionem Caffarellum* ex ſorore nepotem, purpurà, cognomine, inſignibus Burgheſiæ gentis donavit, Cardinalem dixit titulo S. Chryſogoni. *Octavium Cardinalem Aquavivam* Neapolitanis Antiſtitem dedit. *Bernandum Maczieiovski*, Cardinalem Polonum, Apoſtol. Sedis Legatum ad Poloniæ Regem inſtituit, ut cognitum affinitatis impedimentum inter Regem, & ſororem uxoris deleret defunctæ.

Timet veneno infici.

Aſtrologorum vaticinia de eo.

Symbolum.

Die 6. Novemb. in Lateranenſi Baſilicà de more claves accepit, argenteam, & auream ab *Aſcanio Columnà* eiuſdem Baſilicæ Archipresbytero: deindè hominum humeris devectus in aulam *presbyterium* ſolvit (ſingulis ſcilicet Cardinalibus nummiſmata duo, aureum, & argenteum) ea habes in tabulà n. 1. In Sixto exultantem populum benedixit, apparatuquè non ſolemni vià Tranſtiberinà ad Vaticanum rediit. A cultu divino exorſus Pontificatum, cum ſciret Orationem perpetuam vel ſolam eſſe rebus præclaris auſpicandis idoneam, eius uſum in horas quadraginta diſtributum, & per omnia Vrbis templa dietim toto Anno à Clemente 8. introductum, lege firmavit perpetuà, aſſignatis templis, præſcriptis ritibus, ut diebus continuè ſuccedentibus perennaret.

3. *Bello Veneto*. Indè ad reparandam converſus Eccleſiaſticam immunitatem, accedentibus Legatis Principum cum gratias ageret de Eccleſiaſticà libertate ſemper verba miſcebat, teſtatum volens ſe pro eà libentiſſimè ſanguinem effuſurum. Prima in Ianuenſes ſollicitudo, a quibus nonnulla decreta, ut abrogarentur, impetravit. Indè facilè in Venetos, in quos rumorem excitabant temeratæ immunitatis æmuli; cum audiſſet *Vicentinum Canonicum*, è familià *Saracenorum* à Decemviris in ius vocatum; per

Paulus V. defenſor libertatis Eccleſiæ. Contentio cum Venetis

Legatum Ordinarium poſtulavit, ut *Saracenus* ſuo remitteretur Antiſti. Erat iſte nondum maioribus ſacris initiatus, & cuiuſdam matronæ amore captus affinis ſuę, cũ minis, nec precibus in ſuam ſententiã pellicere potuiſſet, amore in rabiem verſo, fores illius Domus noctu turpiſſimè fœdaverat. Matronâ autem ad pedes Decemuirum cõvolante, & lachrymis vindictam exigente; inquiſitio declinari haud potuit. Quâ cum *Saracenus* plurium teſtium dictis reus appareret non ſolum de injuriâ matronæ illatâ, ſed & per ſummum ſcelus publicâ abraſiſſe ſigilla in iudicium vocatur. Huius occaſione adfuere, qui inteſtino in Venetos odio æſtuantes: duo Senatus Conſulta ad Pontificem pertulerunt, alterum Anni 1605. 17. Kal. April. quo cavetur, ut quod à Maioribus Anno 1536. in Venetiarum Civitate, & Ducatu ſancitum fuerat, id in toto Dominio ſervaretur, *Ne inconſulto Senatu Eccleſiæ, vel loca pia acquirere poſſint bona immobilia titulo perpetuo. Legata ſi ei fuerint ex teſtamento, vel alio titulo vendantur, & pretium ſolvatur Eccleſiæ; quod poſteà in cenſum, & fœnus locari poteſt*. Alterum Anni 1603. 4. Idus Ianuar. quo *nè Xenodochia, monaſteria, religioſi cœtus, Senatu inſcio, induci poſſint, pœnis prohibetur graviſſimis*. His cum imminutam crederet Eccleſiæ libertatem Pontifex, deleri mandat. Acceſſit per eos dies, quòd *Brandolinus Abbas Nervæſiæ* ob nefaria ſcelera, quę ob atrocitatem ſilere pręſtat, iuſſu Decemvirũ in carceres coniectus fuerat. Et hunc unà cum Saraceno remitti apud *Horatium Matthæum* apud Rempublicam Nuntiũ petenti Pontifici. Patres reſpondent, nil novi feciſſe Rẽpublicam, leges ſolummodò inſtauraſſe antiquas. Legem latam Anno 1536. De non alienandis laicorum bonis, Principe inconſulto, vigere adhuc in maioribus Comitiis, tercentis ab hinc Annis decreto vetitum; nè Republicâ inſciâ, novæ inducantur Eccleſiæ. Morem autem iudicandi quodcumquè genus hominum in graviſſimis criminibus, unà cum Republicâ exortũ fuiſſe, ſummorum Pontificum diplomatibus, ac privilegiis confirmatum. Propterea rogare, nè turbulentiſſimis temporibus, quibus Barbarorum arma in foribus ſtrepebant Italiæ, filios turbaret obſequentiſſimos. Maioris obſequii gratiâ quatuor Oratores Romam miſerunt, *Scipionem Burgheſium*, Pauli nepotem, *Franciſcum*, ac *Io: Baptiſtam* fratres inter patritios (ſummus hic honos, & Regibus expetitus) cooptarũt, ad promerendum amorem Pontificis. Nil tamen actum. Leges abrogari iterum poſtulatus, adiicit: *Quod ære alieno difficillimis temporibus antiquitùs contracto, ſe abſolvere nihil erogando Senatus decreverit; id non parvo ſacrorum virorum detrimento futurum; Quod mutuis pecuniæ commerciis, Ferrarienſibus negotiatoribus ſit interdictum: quod ſuis in Adriatico ſinu navigatio tuta, liberaquè non ſit; Quòd Phari Antiſtes è Venetis ditionibus ſit ejectus*: Iis cum Oratores exactè reſpondiſſent: quę prætereà à Senatu in mandatis habebant, exponunt: ac primum, *nè nuper electus Antiſtes Romam examinandus accedat*, petunt. Id ſe apertè conceſſurum Paulus negat, *Sacerdotum decumas ad Rempublicam graviſſima impenſarum mole, aliquà parte levandam, nunquàm pernegatas* flagitant. *Quid ſibi in eà re decernendum ſit, cogitaturum*, reſpondet. *Cenetenſium controverſiæ, quæ iamdiù inter Apoſtolicam ſedem, ac Rempublicam vigebant, ut tandem definiantur*, rogãt,

Pauli queſtus in Venetos.

A *Immaturum eſſe negotium*, inquit. Sic nullà re impetratà Oratores diſcedunt. Intereà Maphæus in Principis, ac Patrum Collegio, gravi, ac ſevero ſupercilio enunciat æternæ damnationi obnoxios, qui leges condidere: Clericos in iudicium vocare, nefas eſſe, Ni quàmprimùm Reſpublica obtemperet; acturum Pontificem, quod Libertas exigit Eccleſiaſtica. Reſpondit Senatus, *quod licèt poſt Deum nullum in terris Iudicem, aut Cenſorem agnoſcat; prò ſuà tamen in S.S. Sedem reverentià, dicere; non ex odio in viros Eccleſiaſticos, vel eorum bona ſe fuiſſe excitatum; cum in colendà pietate, ac Religione retinendà, nulli unquam ceſſerit: ſed ad civitatis cõmodum, maiorum exemplo leges condidiſſe. Non enim impedire Eccleſiarum conſtructionem, quę plures, ac ſplendidiſſima conſpiciuntur in Venetorum Imperio; non Religiones prohibere novas, quorum perfugium ſemper extitit Civitas Veneta; id tantùm nè Inconſulto Senatu fiat, & invito. Nihil ab* B *Eccleſià peti; ſed ut Religioſi iis, quę poſſident, quę ſanè ampliſſima ſunt, contenti; laicis, quę ſuperſunt relinquant immobilia; & non auferant ſaltem inſcio* Principe. *Religioſos in ius vocare, ex vetere Reipublicę more, Pontificum repetitis decretis adprobato, in cauſis graviſſimis non denegari Decemviris, à quibus ob publicam tranquillitatem nullus eximitur in Republicà*. Plura addidere ad leniendum Pontificem, & cunctis ſuffragiis Senatus licèt frequentiſſimus eſſet, adprobavit reſponſum, miſſis exemplaribus diplomatum Pontificiorum, quibus veritatẽ *Nanius* oſtenderet. Adiungebat, *nil damni inferri* Religioſis, *ſi bonorum pretium, quæ eis ex teſtamento contingant, ſolvatur. Idem ſervari in Gallià, Luſitanià, Sarmatià, & plerisq. locis Italiæ. Sic Clementem ſanctiſſimum, ac prudentiſſimum* Pontificem, C *Domum Lauretanam in dies fidelium undiquè donis congeſtis, ſe ſe efferentem compreſſiſſe, nè vè agros circumiectos ad ſe traheret, impoſterum. Principi non ſolum conducere, ſed ipſis Religioſis, nè quid novi inducatur, religionis prætexta. Novum forſan ut templi ſpetie ſeditioſi poſſint arces moliri contrà Principem; & hæreſes ſpargere ſpetie pietatis?* Ad ea Paulus: *Quod veteri conſuetudine Reſpublica utatur, id potiùs ei officit. In re ſummè momenti hucuſquè erratum. Qui eiuſmodi condidere decreta, æternis torquentur cruciatibus. Si Clemens Domui Lauretanæ ultrà immobilium poſſeſſionem extendere prohibuit, potuit, quia Princeps, & Pontifex. Id ſi aliæ ſunt æmulatæ Nationes, nunquàm abſquè Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſimilia attentarunt. Idem Senatus petat. Re inſpectà, ſi nobis videbitur, forsàn non denegabimus. Quæ enim ad Eccleſias, ſacratoſquè viros pertinent, non Regii, ſed iuris ſunt Pontificii.* Demũ Nanius D ad Clericorum iudicia tranſgreſſus, diplomata protulit Pontificum *Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri* VI. *Clementis* VII. *Pauli* III. quæ Venetorum conſuetudinem probant, & inſtituta laudibus efferunt. Ad hæc reſpondit Pontifex *Rempublicam terminos exceſſiſſe legitimos; Ius in Vrbe Venetà tantùm, ac Ducata ex Pauli* III. *obtinere decreto. Id cum per inſolentiã ad alias civitates extenderit, excidiſſe privilegio. Proptereà vel* Reſpublica *leges abroget; vel muneri ſuo Põtifex licèt invitus, non odio excitatus, ſed Deo impellente, non deficiet*. Harum diſſenſionum rumor non modò Italiam, ſed totam ferè Europam pervaſerat. Cęſar Pannonico bello diſtentus pacem optabat, nè ſibi Italorum ſubſidia deeſſent. Nutabant Hiſpani:

alii

alii ſperãtes ex hiſce diſſidiis Regiã augendã Potentiã. Diſplicebãt aliis, nè optima pars Italię, quã poſſidẽt Hiſpani, bello exorto in diſcrimẽ vocaretur. Galli ad bellum proclives, quorum arma pace tabeſcunt, bello flagrabant externo. Regi quaſſatam provinciam, novis tentare tumultibus diſplicebat.

Legatio Veneta ad Papam.

Venetiis interim novus delectus Orator *Leonardus Donatus*, qui novo obſequio ſiſteret conſilia Pontificis. Cum Natalis Servatoris die, dum Senatores *Grimano* ægrotante Principe conveniſſent, ut Sacro adeſſent ſolemni, eccè *Matthęus Legatus* binas afferens literas hortatorias, ac comminatorias: non obtemperanti Senatui minatur graviſſima. Reſponſum breviter: *Mirari die tam ſolemni, ac gaudii; propè inter Miſſarum ſolemnia, quibus cum Legatis Principum adeſſe debet Senatus, nuntium tam feralem attulerit. Opportunè lectis literis reſponſurum Senatum.* Nocte inſequente moritur *Grimanus* Princeps. Literæ Pontificis nè reſignarẽtur, antè Ducis electionem, decretum. Grimani obitum Regum Oratores cum Conſiliariis dolent: unus *Matthæus* Nuntius Apoſtol. ab eo abſtinuit officio. Eidem præceperat Pontifex, ut quadraginta Senatoribus, qui ex veteri inſtituto Principem eligunt, denunciaret; quòd excommunicati nullum poſſent in locum demortui ſufficere, quod vacante Collegio exequi haud potuit: undè *Leonardus Donatus* ſuffectus literas Pontificias illicò legi curavit, quibus ad leges revocandas excitabatur Senatus, vel anathema expectaret. Ad leniendũ Pontificem *Petrus Duodus* Orator delegatus eſt: Certatum officio, meritorum de Eccleſià memorià; ſed conſtanter urgente *Paulo* prò legum revocatione, omnia in caſſum. Nutantem Cardinalis Arigonius confirmaſſe dicitur, nè à ſententià recederet. Proptereà 16. Kal. Maii poſt minoris momẽti peracta negotia, obſervatis foribus graviter de Repub. conqueſtus *violata à Venetis* Eccleſiæ *iura, everſã libertatẽ, ſpreta Põtificum, Conciliorumq. decreta, latà lege, iudiciis adverſus bona, & perſonas Eccleſiaſticas: maturè omnia perpẽdiſſe, Theologos, I. Conſultos adhibuiſſe, Senatum ſæpius monuiſſe, adhortationibus uſum, minis deterruiſſe, ut leges abrogaret, reos Clericos remitteret, petiiſſe, nequè per Ordinarium, nequè per Extraordinarium Oratorem quidquam impetraſſe: ad remedia tandem iuris confugere decreviſſe, anathema in Ducem, ac Senatum intorquere, Interdictum in Veneto Imperio, ni tempore pareant ſtatuto; promulgare ſtatuiſſe. Sententiam Cardinales & ipſi proferrent ſuam.*

Anathema in Venetos.

In eius ſententiam convenere omnes, Venetis *Delphino*, ſcilicet, ac *Valerio* exceptis. Baronius, qui anteà diſſentire videbatur; mutatà ſententià, laudavit, & ad aſtra conſilium extulit. Promulgatur itaquè, & in compitis Vrbis affigitur. Summa erat. *Ni leges abrogentur, ni Clerici remittantur, poſt elapſos 24. dies, Venetos excommunicatos pronuntiare: aliis tribus tranſactis, omne Imperium Venetum Eccleſiaſtico ſubdere Interdicto.* Hinc quà ratione, Pontificio edicto obſiſtendum, diverſis ſentẽtiis diſceptatum. Placuit tamen ſola Obteſtatione fulmen declinare datis literis nomine Leonardi Donati Principis ad ſubditos, quibus omnium certiores faciebat proteſtando *mentem firmam eſſe Senatus, his non obſtantibus, in vetere avità Catholicà, atquè Apoſtolicà Religione perſiſtere, & conſuetum in* Romanos *Pontifices ſtudium, atquè obſequium, Maiorum exemplo exhibere. D.O.M. exorarent, ut Pontificis flectat animum, & ad æquitatem cognoſcendam permoveat.*

A Dum hæc fiunt; Feſta Aſcendentis in Cęlum Chriſti dies illuxit, maritimo prælio victi Othonis, filii Ænobarbi Imperatoris, reſtituti Alexandri III. pacis Venetiis initæ Anno 1177. inter Eccleſiã, & Imperiũ memorià celebris, quo Bucentaurum cõſcendit unà cum Senatoribus, Regum Oratoribus, ipſoquè *Matthæo Nuntio Apoſtolico* Princeps. Solemnitas plena lætitià, et plauſu. Solus Nuntius diſſimulare neſcius, triſtia verba miſcendo, cunctorum oculos in ſe trahebat. Obteſtatione Senatus, credentes ſubditi Pontificio ſatisfactum Interdicto; maximè quòd aperta eſſet proteſtatio, nè præſenti diſſidio Religioni detraheretur Avitæ, nequè obſequio Pontificibus debito, minimè ceſſarunt à Sacris. Ex Religioſis Soli *Ieſuitæ*, *Theatini*, *Capucini*, Pontifici non ſatisfactum autumantes, neq; ſupplici Reipublicæ obteſtatione Interdicti dilatam executionẽ,

Venetorum huius proteſtatio.

B Vrbe receſſerunt: Eorum bona ad templi cultum ſpectantia, notis excepta. Bibliothecæ Index confectus; veſtimenta, libros, privataquè ſcripta ſecum ferre permiſſa. Sexto Idus Maii, duabus excepti naviculis (Decemuirum Accenſis, ne quid incommodi paterentur in itinere, comitantibus) noctu Ferrariam versùs vela dedere: Populo (mulierculis quibuſdam exceptis) ad diſceſſum eorum plaudente, probris, maledictis, & pęnè lapide. Domos adierãt privatas, cęnobiaquè rogantes, nè permitterentur abire. Antè diſceſſum ſcripta plura dedere flammis. Pretioſa capſulis obſignatis *Inico Cardineo Philippi Legato* cuſtodienda depoſuere. Capucini Crucis vexillo præeunte, æris campani funibus deligatis, indignantem civitatem ſeceſſerunt. *Tolentini* noctu abiere. Bellum

Capucini ſecedunt, Tolentini, Ieſuitæ.

C poſt hæc excitatum literarium ingenti ſcriptorum copià, in quibus nè quid contrà Catholicam Religionem irreperet, ſedulò obſervatum. Cum autem *Ieſuitæ* non contenti ſeceſſu obtemperaſſe Pontifici, ſed infenſi publicis cõcionibus totam Italiam in Venetos concitarent, à Patribus hoc fuere caſtigati decreto. *Cum Ignatiani ab eorum primordiis in Civitatem recepti, magnà cum privatim, tum publicè beneficia acceperint; ingrati atquè in Rempublicam infenſi animi complura argumenta, eaquè non obſcura ediderint, placere, nè inpoſterum Venetis ditionibus excipiantur, niſi priùs intercedat Collegii decretum, univerſorumque eiuſdem Ordinum conſenſus, nullo diſſentiente, atq; diſcrepãte: deindè res integra ad Senatum deferatur, in quo non pauciores, quam 180. Senatores conveniunt, & ſenis è ſuffragiorum partibus, quinæ adſentiantur.* Verùm eo vehementius voce, & ſcriptis in Venetos Ignatiani

Ieſuitæ proſcripti.

D invehebantur. Mantuæ *Ludovicus Galliardus* Patavinus cum acerrimè prò ſuggeſtu linguam in Venetos acuiſſet; indignatus *Vincentius Dux Mantuanorum*, qui præſens aderat, ſeverè admonitum, ſex horarum ſpatio, ditionibus ſuis ſecedere iuſſit. Per eos dies Pontifex Iubilęum publicavit, quo Chriſtianos omnes ad erratorum expiationẽ participatione Eucharistìcà, precibus pro præſenti Eccleſiæ ſtatu excitabat, Venetis tamen exceptis. Ea res Reſpublicam graviter commovit, quòd non tam ad opem divinam implorandam, quàm ad notam Venetis inurendam vulgatum crederet: præſertim quià Paulus enixè cõtendiſſet, ut Venetos inter ſacra Reges non admitterent. Pragæ Nuntius Põtificis Cæſarẽ expugnaverat,

nè *Franc. Superantium* Venetorum Legatum admitteret, ab eiuſquè conſuetudine Oratores principum abſtinerent. Et tamen in eà civitate liberum erat cuiquè de Religione ſentire. Sub id tempus pacem cum Pannonibus eà conditione inierat ut omnibus eſſet Religionis arbitrium. Nuntius totus intentus in Venetorum diſſidia, nè verbo quidē Rudolpho repugnaverat. Ex adverſo in Sarmatiā à Rege decretum; nè Interdictū in Venetos promulgaretur: quod cauſa nō eſſet Religionis. Idē in Hērici IV. Galliæ Regum, atquè Cæſaris Eſtenſis caſu ſervatum. In Galliā nullis Legati Apoſtolici officiis Hēricus averti potuit à veteri in Rempublicam benevolentiā, liber Veneto Oratori ad templa aditus, nihil de priſcā conſuetudine immutatum. Dux Allobrogū nè ſupplicationibus, quæ pro indicto Iubilæo habendæ erant, *Petrum Contarenum* Legatum excluderet, filiarum principum interventu, ab invitandis Principum Legatis abſtinuit. In Britanniā audito anathemate pluta adversùs Pontificiam maieſtatem ſancita, iniqua quidem, ſed à fluctibus. Italiæ enaſcentia. Res interim eo loco erat: urgentibus hinc indè partibus, ut ſinè ferro, & incendio, ſæviſſimoquè bello componi haud poſſe videretur. Romę Halincurtius Gallorum Legatus, unà cum Eboricenſi Cardinali, Pontificem adeunt, rogant, urgent, Interdictum abroget; tum locum fore conſiliis. Sabaudus Gallum ſubſecutus, eadem obnixè, ſupplexquè petit. Pontifex à Principibus ſe deſertum acriter queſtus, Venetos in ordinem redigere, ad obſequium cogere oportere reſpondet. *Halincurtius* exemplo *Clementis*, qui in Henrici Galliarum, & Navarræ Regis cauſā idem feciſſe conſtabat, ut in re graviſſimā ſuadebat, conſilia perquirere Cardinalium publicè, & privatim. Diſſentiebant iſti, quorum pauci revocandum decretum exiſtimabant, inſiſtendum reliqui. In hac perplexitate dum fluctuaret Papa; eccè *Philippi* Hiſpaniarum Regis literæ, quibus regna, vires, ſeipſum Sedi offerebat ſanctiſſimæ. Lectis literis, vix lachrymas præ gaudio potuit *Paulus* cohibere. Villienæ Marchio Orator Hiſpanus promiſſa Regis extollebat petens, publicæ lætitiæ ſigna in Vrbe edi, literas in Patrum Collegio recitari, in publicas tabulas redigi, nè ampliùs cum Gallis negotium hoc agitetur. Hæc tamen in ſpeciem promiſſa, prævalente Batavo, claſſe naufragio abſorptā, Eſcluſę irritā oppugnatione. Ad oſtentationem tandem Hiſpanicam confictas literas oſtendit *Philippus*, cum in Hiſpaniā feſtis D. Io: ac Petri diebus, nè Legatum Venetum excluderet, à ſacris abſtinens publicis, in Excurialem ſeceſſit, eodēq; tempore ſequeſtrem pacis ſe offerens, Venetis promittebat apertè, arma minimè laturum, niſi Veneti primi ſigna intuliſſent adversùs ditionem Pōtificiā. Dū hęc fiūt, ingens inter Reges ęmulatio augebatur; Vter confectæ pacis palmam referret. Oſtentationem mitigabat Hiſpanam *Iacobus* Rex Angliæ, datis ad Senatum literis, quibus cauſam Reipublicæ ſuſcepiſſe ſignificabat, & pro eà opes regni offerebat, non odio Pontificis, ſed ut Principum auctoritatem in re communi tueretur. Tantum patrocinium cœpit Hiſpanis negotium faceſſere, veritis, nè ſpecie Veneti patrocinii Angli denuò irati pacem turbarent, quam nuper inierant. Pace itaq. deſperatā, cum omnia in bellum erumperent; eccè *Franciſcus Car-Adinolis Ioieuſa* natalibus, virtute inſignis Venetias miſſus ab *Henrico* IV. Gallorum Rege, ut pacem omni meliori modo reſtitueret. Hiſpanis ipſis non diſſentientibus: dum tamen ſinguli palmam ferre contendunt, negotium magis implicabant. Cardinalis poſt longa conſilia, Patribus ſignificat, nil ſibi opportunius videri, quàm citato itinere Romam proficiſci. Ita factum. Vbi poſt varias concertationes tandem conventum, *ut Religioſi qui vinculis detinebentur, in gratiam Regis, Pontifici traderentur. Pontifex Interdictum revocaret. Legatum Veneti Romam mitterēt, qui de amotis cenſuris, dequè viā ad amicè tractandum patefactā, Pontifici gratias ageret. Quicumquè in hiſce contentionibus Rempublicam ſcripto defenderint, nihil detrimenti patiantur.* Sic omnia in priſtinum reſtituta præter Ieſuitas, quos remittere intercedentibus Hiſpanis, & Gallis Senatus apertè negavit. *Andreas Maurocenus. Brietius.*

Regum diverſa ſtudia in cauſā Venetorum.

Pax inter Paulum V, & Venetos.

Ieſuitæ excluſi.

B

Contigit autem non longè poſt, ut *F. Paulus Servita*, unus ex iis, qui calamo Venetos propugnaverat, acinacibus appetitus, atquè ſclopetis a coniuratis *Rudolpho Poma. Michaele Vito* (ſacerdos iſte qui Venetiis in æde S. S. Trinitatis, ſacra faciebat) & *Alex. Parraſio Anconitano*, tribus ictibus in facie, in collo ſaucius, ſtylo uno in plagā relicto (quem adhuc ex voto appenſum videmus Chriſto Crucifixo in Eccleſiā *Servitarum* cum epigraphe *Servatori ſuo*) diploſiſq; ſclopetis ad ſummovendam turbam, quæ undiquè ad facti atrocitatem currebat in navigium ſe receperunt, quo citato remige venère Ferrariam à Ieſuitis recepti, excitatā apud Venetos opinione, facinus fuiſſe abſolutum ex mandato Curię Romanæ. Cum tamen ex actibus iudiciariis (teſte *Thuano* l. 137. apertiſſimè conſtet, omnia patrata inſcio & ignorante *Paulo* V. *Rom. Pontifice*. Vndè Senatus cautè, & iuſtè procedens omnia curauit, quæ exiſtimationem ſummi Pontificis ſalvam facerent, ſeverè prohibens, nè quid diceretur, fieretquè, quod Pontificem offenderet, vel vulnera refricaret. Omnia hæc ex Ieſuitarum conſilio fuiſſe patrata, quibus Poma liberos ſuos Venetiis ſubductos obſides dederat cum promiſſione recipiendi præmium pactum in Apuliā, *Thuanus* ſcribit

Paulus Servita ad mortem petitus.

C

Cura Venetorum de famā Pontificis.

4. *Roma ſolido renata marmore.* Principis Apoſtolorū Baſilica à *Iulio* 2. inchoata, & à ſubſequēribus Pontificibus, pręſertim *Gregorio* 13. & *Sixto* 5. nō minimū aucta eſſet iuxta ideā à *Bramāte* primū, deindè *Bonaroà* excogitatam, quæ tamen ambiendo veteris Baſilicæ ſpatio ſatis non eſſet; Paulus magno animo opus molitus vaſtiſſimum, reliquum Baſilicæ corpus à ſacello Gregoriano uſquè ad extimam faciem, Chorū, ſacella, Porticum inferiorem, & ſuperiorem benedicendis populis, Turres Campanarias à fundamentis ædificavit, atquè inaurato fornice templi, Porticu inferiore plaſtico opere item inaurato, quòd vitam, res geſtas Principum Apoſtolorum admirandā maieſtate exprimeret, infernè ſanctiſſimorum Pontificum, ſupernè in faſtigio Baſilicæ impoſitis Chriſti ſervatoris, & Apoſtolorum coloſſæis ſtatuis, ampliſſimum, ac magnificentiſſimum Templum abſolvit. Quinque percuſſis nummiſmatibus; Quorum primū ſub anno 1613. templum exhibet cum epigraphe, *In honorem Principis Apoſtolorum*: alterum cum epigraphe, *Templum D. Petri in Vaticano. Et porta inferi*

Ædificia Pauli V.

D

non

non prævalebant. Tertium exhibet Petri Confeſſionem ſub titulo; *Petri Confeſſio exornata*. Quartum, & quintum exhibent *Palatii Vaticani Portam reſtitutã*.

Inſcriptio in templo Vaticano.

Paulo V. *Pontifici M.*

Vaticanum Templum à Iulio II. incboatum, & uſquè ad Gregorii, & Clementis ſacella aſſiduo centum Annorum Opificio perductum tanta molis acceſſione Vniverſum Conſtantiana Baſilica Ambitum confecit.

Ad conſtructionem Porticus S. Petri cum Innocentii VIII. ædes pro Datarià extructas ſolo æquaſſet, alias eidem conceſſit, ad cuius valvas.

Dataciæ ædes concedit.

Paulus V. Pont. Max.

Datariam ex Innocentii VIII. *Palatio ad Baſilica amplificationem exciſo, hunc in locum tranſtulit. Pont. Anno* 5.

In medio buius Auguſtiſſimi Templi ſacram Confeſſionem, in quà Petri, & Pauli cineres requieſcunt, aperuit, columellis auro textili perſimili lapide, fores circumdedit: gradns marmoreos, quibus ad intima deſcenderetur, collocavit: parietes hinc indè inſignibus, & aliis ornamentis, ex pretioſo lapide incruſtavit: pavimentum eiuſdem ad ſtuporem admirando opere teſſellato ſtravit: oſtium intermedium æreà crate inauratà inter columnas concluſit pulcherrimas: duas ſtatuas ex metallo deauratas Petri, & Pauli in loculamentis exterioribus poſuit: lampadem argenteam ingentis ponderis, & pretii, quæ inter alias quatuor minores diebus ſolemnioribus luceret, appendit, ut ex ſequenti memoria.

Confeſſionem Petri extruit.

Sacra B. Petri Confeſſio a Paulo *V. eius ſervo exornata* Ann. *D.* 1615. *Pontif.* XI.

Pavimenta veteris Baſilicæ Conſtantianæ ex parte, quà à ſacello Gregoriano tholum, & eius periſpherium vergit, fornicem, quem nunc ad aram maximam pedibus terunt, ſuperinduxerat I*ulius* II. nè memoriæ tot divorum, qui ibidem conditi interirent fornix ſuperinductus Baſilicam ſubterraneam effecit religione venerabilem, eius aditum aperuit, gradibus utrinquè poſitis marmoreis deſcenſum facilem fecit, cryptas interiores multorum corporibus ſanctorum divites exornavit: antiquatæ Baſilicæ ſacras imagines ſculptas, cælatas, & ſivè muſivo, ſive penicillo depictas eodem intulit, pulcherrimoq. ordine diſtributas parietibus inſeruit. Polyandrium oſſibus omnium ſancta opinione defunctorum, quorum corpora è loculis ſuis, novi Templi gratià, erui oportuerat, ut communi conditorio requieſcant conſtituit. Memorias veteres, aut devotione, aut antiquitate, aut artificio præſtantes, aptiſſimè collocavit; inter quas iconem Virginis Deiparæ, quæ ſecundùm traditionem antiquam, inter columnas Porticus veteris Baſilicæ impià manu, in facié percuſsà ſanguinem fuderat, cultui fideliũ expoſuit. Sanctorum pignora, quæ iſthic condita iacent, aut aliquando condita fuerant: nec nõ miraculorum, quæ in hac aliquandò contigere Baſilicà, typos coloribus exprimi curavit. Clathris ferreis Confeſſionem Principis Apoſtolorum intrinſecùs clauſit. Magnam vim lapidum pretioſorum ad eius arcam, interioremquè receſſum ornandum reliquit, atquè lampadarum argentearum multitudine locum illuſtravit. Sacra Divorum pignora, è veteri Baſilicà in Sacrarium illata, D. Gregorii M. S. S. Simonis, & Thadæi Apoſtolorum: S. S. Leonum. I. II. III. IV. S. Petronillæ: S. Io: Chriſoſtomi: S. Bonifacii Papæ: S. S. Proceſſi, & Martiniani arcis munitiſſimis concluſa, in aris peculiaribus novæ Baſilicæ recondidit. De tranſlatione S. Bonifacii Pàpæ hæc eſt memoria in Vaticanà Baſilicà.

Pavimentũ Baſilicæ Conſtãtinæ.

Epitaphium S. Bonifacii Papæ IV. cuius ſacrum corpus proceſſionis pompà illatum eſt ad apſidem vergentem ad Meridiem, die 27. Ianuarii MDCVI. Iubente Paulo *V.* P. *M. è ſacello veteris Baſilica à Bonifacio VIII. eius honori dicato, ornato, & dotato.*

Memoria S. S. Leonum R. P.

Hic iacuerunt ſacra corpora S. S. Leonum 1. *à tempore Sergii Primi, II. III. &* IV. *à tempore Paſchalis II. uſquè ad S.* D. N. Paulum V. P M. *cuius iuſſu proceſſione ſolemni tranſlata fuerunt, & in* Altare *Deiparæ Virginis in* Columnà *huius ſacri Templi honorificè recondita. Dominica infra Octavam Aſcenſionis.* 27. *Maii An.* 1608.

Sacrum Sudarium Vultu Redemptoris inſignem; Lanceam, quà latus Chriſti aperuit: Calvam S. Andreæ Apoſtoli in locum eminentiſſimum, ex quo ſtatutis diebus venerationi exhiberentur, extulit.

Memoria Lanceæ

Sacrum Ferum Lancea

E Baſilicà veteri in novam ſub Paulo *V. transfertur.*

Portam æneam omnium è vetere Templo maximam, rebus ab Eugenio III. geſtis, in ea fuſili artificio expreſsis conſpicuam, ad magnitudinem Valvarũ novæ Baſilicæ, auctis supernè, & infernè ex fuſo metallo tabellis aptavit, intermedioquè oſtio impoſuit. Aream ſuperiorem, & inferiorem, quà aditus ad Baſilicam eſt, complanavit, amplificavit, paraſtatis definivit, ac lapide Tiburtino conſtravit. Iconem naviculę fluctuantis, muſivo opere à I*otto* pictore antiquo, & celebri expreſsam, ex veteris Templi ruinis integro in pariete conſervatam, muro, qui à parte Palatii areæ imminet ampliſſimæ, inſervit. eidemquè fontem quinquè tubis aquam eructantem commoditati peregrinorum ſuppoſuit; veterum ſcalarum gradibus amotis, ſcaliſquè antiquis reſtitutis aſcenſum ad Baſilicam commodiſsimum inſtauravit, vt ex memorià ſequenti.

Paulus V. P. *M.*

Veterum ſcalarum gradibus amotis

N*ova Baſilica reſtituit*. A*n. D.* 1617.

S. S. Petri, & Pauli marmorea ſimulacra olim à Pio II. ſcalis impoſita expoliri curavit, eiuſq. Pontificis nomine repoſuit. Vt ad eamdem Baſilicam è Vaticano Palatio prò Pontificia maieſtate eſſet deſcenſus, novas ſcalas lapide extruxit Tyburtino; quarum in veſtibulo aſcendentibus è porticu Baſilicæ, ſtatua offertur marmorea S. Petri, vt ex memoria ſequenti.

Paulus V. P. M.

Scalas, quę è regione ſunt, gradibus auxit, & ornavit. Anno 1615. *Pontif.* X.

In novæ Baſilicæ conſtructione cum multa antiquorum Pontificum ædificia omninò eſſent deperdita, nè cum eis eorum periret memoria, eorumdẽ imagines coloribus expreſſas, vel ſaxo ad eam tranſtulit, notiſquè illuſtravit. Ad imaginem S. Petri muſivo opere, à Ioanne Papa VII. in ſuo Oratorio

ex-

expreſſam, hæ ſunt notæ.

Imago B. Petri prædicantis Romanis ex ſacello Io: VII. Papæ, Paulus V. P. M.

Sub lapide, in quo Orationes tres pro animâ Gregorii Papæ III. erant inſculptæ.

Iſtæ tres Orationes erant in Oratorio S. Gregorii P. M. in veteri Baſilicâ: hîc ad memoriam repoſitæ. Paulo P. P. M.

Ad delineationem Oratorii Io: Papæ VII.

Exemplum Oratorii Dei genitricis Mariæ Virginis in veteri Baſilicâ cum ciborio S. S. Sudarii variis hiſtoriis Ieſu Chriſti, & B. Petri vermiculati operis mirificè decorati à Io: Papa VII. hic, & in archivio huius Baſilicæ. Pauli V. P. M. iuſſu aſſervatur. Anno 1609.

Ibidē ad exēplū Atrii Porticus Gregorii P. P. IX.

Exemplum Atrii Porticus cum anteriori facie Baſilicæ veteris à Gregorio Papa IX. muſiuo ornata in demolitione Anni 1606. Pauli V. iuſſu aſſervatum.

B Ad imaginem B. Virginis Mariæ.

Hæc ſacra Deiparæ Virginis imago erat in antiquiſſimo ſacello S. Mariæ Prægnantium nuncupatum, dudum ab Illuſtriſſimâ Vrſinorum gente ſumptuosè erecto, & aliquot poſt ſæcula à Iordane Vrſino Card. Subinenſi Maiori Pœnitentiario huius Baſilicę Archipreſ. An. 1434. magnificè dotato, è veteris Templi ruinis ſervata ſupra hanc arā pię venerationi exponitur. Anno D. 1606 *Paulo V.* P.M.

Ad Damaſi Papæ carmina in tabulâ marmoreâ expreſſa.

Paulus V. P. M.

Carmina à S. Damaſo Papa 1. antè Annos 1250. *ob exſiccatā ab ſe humiditatem in vetere huius* Baſilicæ *pavimento, multorum in Chriſto quieſcentium memorias labefactantem edita, ſuoquè iuſſu hoc marmore inciſa ad venerandæ antiquitatis monumentum piè ſervatā ex Tēpli eiuſdem ruinis hîc reponi mandavit.* An. D 1607.

C Vaticanas etiam Pontificum ædes peramplis auxit conclavibus, ſcaliſquè quibus Horti Vaticani ſecreto ad animi relaxationem adiri poſſunt. Hortos ipſos aquæ à ſe ab agro Braccianenſi deductæ ingenti copiâ amœniores reddidit. In Atrium Vaticanum, quod Bibliothecæ, & Pontificiis Conclavibus intercipitur, ingentem craterem operis egregii, quē Iulius II. è Veſpaſiani thermis aſportarat, temporum iniuriâ malè acceptum reſtituit, aquiſquè ditavit, ut ex inſcriptionibus ſequentibus.

Paulus V. P. M.

Palatii Vaticani multis in locis inſtaurati, atquè amplificati ſplendorem, Hortorum adiacentium amœnitatem perenni Salubris Aquæ *copiâ de ſuo nomine nuncupata revocavit, auxit* An. D. 1614 *Pontif.* VIII.

Paulus V. P. M.

Ad augendum Palatii *proſpectum, & Hortorum decorem fieri iuſſit. Pontif. An. IV.*

Craterem loco deiectum, quo Iulius II. *erutum è ruinis Thermarum Titi Veſpaſiani conſtituerat, renovatā, exornatāquè baſi reſtituit.* Pontif. Anno 5.

Paulus V. P. M.

Craterem *Annis amplius* XL. *terrâ obrutum ad huius ampliſſimi theatri vetus ornamentum, effodiendum, erigendumquè mandavit.* Pontif. An. 5.

Secretariam Vaticanam anguſtam ampliavit.

Secretaria Apoſtolica

Pauli V. *P.* M.

A *Providentia opportunioribus ſedibus collocata, ædificio aucta, inſtructa, & ornata.* Pontif. An. 5.

Vaticanæ Bibliothecæ anguſtiis, multis in illius uſum ædificatis conclavibus, ornatiſquè opportunè ſubvenit.

Paulus *V.* P. *M.*

Bibliothecæ Vaticanæ hanc partem addidit, ornavitquè An. 1611. *Pontif.* 7.

Inter illius ornamenta ſunt illuſtrium virorum imagines, ſunt conditorum Bibliothecarum varia ſimulachra cum inſcriptionibus ſuis. Archivium adiunxit, in quo omnia monimenta ſecretiora Sedis Apoſtolicæ hinc indè diſperſa, concluſit: picturiſquè appoſitè inter arcum fornicum depictis, quid in cenſu, quidvè in iure Romana Eccleſia poſſideret, oculis obiecit adſcripta ſingulis iconiſmis indicatione.

B Liberianam quoquè Eccleſiam auxit, exornavitquè. Et primo illius turrim Campanariam repetito ictu fulminis concuſſam inſtauravit, plumbo operuit. Campanam ingentis ponderis eximiè vitiatam, aucto pondere refecit, ac ſequentia inſcripſit triplici ordine.

✠. *Mentem ſanctam ſpontaneam, Deo gloriam, & Patriæ liberationem* ✠.

Paulus V. P. M.

Campanam hanc vitio affectam in honorem Mariæ Virginis refici iuſſit. Anno D. 1614. *Pontif.* X.

Sanctiſſ. Dei Genetrix Chriſtiani Generis Advocata pro nobis.

Sacrum veſtiarium ad ſiniſtram ianuæ maximæ eiuſdem Baſilicæ ampliſſimum, & ornatiſſimum, huicquè adiunctum auguſtiſſima fama Odæum extruxit, inquè eius parte ſuperiori commoda prò Canonicis Conclavia ædificavit. in cuius exteriori C facie, quæ Orientem ſpectat, in Pario marmore ſequētia leguntur.

Paulus V. P. M.

Anno Sal. 1605. *Pontif.* 1.

Sacellum Burgheſianum B. Virgini, ſivè amplitudinem ædificii, elegantiam operis, vel opulentiam, venuſtatemquè conſideres ad miraculum, pulcherrimū, extrinſecùs Tyburtino lapide; intrinſecus Carrarieſi, Numidico, Chio, Phrygio, Alabaſtrite mellei coloris maculoſo, in quod vetuſtiſſimā B. Lucæ Evāgeliſtę manu depictam Deiparæ effigiem transferret, à fundamentis, extruxit. Aramquè maximam cum loculamento pro eâ effigie, quatuor columnis altiſſimis ex Iaſpide circundato Topatio, Granatâ, Rubino, Smaragdo, Chryſolito, Onyce, Ametyſto, Cęruleo, Perſico, & aliis magni pretii gemmis ornatam, D Reginæ Angelorum in Cęlos Aſſumptæ, cuius imaginem auro, monilibus, torquibus aureis, gemmis variegatis, vnionibus, & lapidibus pretioſis operuit, conſervavit.

Inſcriptio

Sanctæ Virgini Dei Genitrici Mariæ

Paulus Papa Quintus.

Humilis ſervus ſacellū obtulit. A. Sal. 1611. Pont. *VI.*

Paulus V. P. M.

Celeberrimam Dei Genitricis Imaginem, ex mediâ Baſilicâ in ſplendidiorem ſedem à fundamentis extructā tranſtulit. An. Pontif. *VI.*

Concordant tres nummi, quorum duo ſacellum exhi-

exhibent abſolutum. Primum cum epigraphe *Dei Genitrici ſemper Virgini*; ſecundum cum epigraphe, *Beatiſſimæ ſemper Virgini Sacellum à fundamentis erexit*, In tertio exhibetur incompletum, cum epigrape: *Compleat Gloria Mariæ Domum iſtam*.

Columnam ibidem qualem erexerit? accipe.

Paulus V. P. M.

Columnam veteris magnificentiæ informi ſitu obductam, neglectamquè ex immanibus Templi ruinis, quod Veſpaſ. Aug. acto de Iudæis triumpho, & Republica ſtata confirmato, Paci dicaverat in hanc ſplendidiſſimam ſedem ad Baſilicæ Liberianæ decorem augendum, ſuo iuſſu exportatam, & priſtino uſtori reſtitutam, B. Virgini, ex cuius viſceribus Princeps veræ Pacis genitus eſt, donū dedit, æneamquè eius ſtatuam, eius faſtigio impoſuit. An. Sal. 1614. Pontif. IX.

Columna hæc marmorea, ſtriata, operis Corinthi, ingentis magnitudinis, in plateà antè porticum S. Mariæ Maioris erecta, de qua ſequentia carmina leguntur.

Vaſtà columnam mole, quæ ſtetit diu
Pacis prophanà in ęde Paulus *tranſtulit*
In Exquilinum Quintus, *& Sanctiſſimæ*
Pax unde vera eſt, conſecravit Virgini.
Impura falſi templa quondam Numinis
Iubente maſta ſuſtinebam Cæſare
Nunc *læta veri præferens matrem Dei*
Te Paule, *nullis obticebo ſæculis*.
Ignis Columnam *prætulit* Lumen Piis
Deſerta noctu, ut permearent in via
Securi ad arces hæc recludit igneas
Monſtrante ab altà ſede callem Virgine.

Concordant nūmiſmata duo, in quibus erecta Columna, & ſuper eam imago Deiparæ cum epigraphe prima, *Funda nos in pace*. Secunda, *Pro tui nominis gloriâ*.

Addidit præter hæc ſacello ſuppellectilem pretioſam, Crucem ſcilicet grandem argenteam ponderis librarum 128. pretii aureorum, 2150. duodecim ſtatuas Apoſtolorum argenteas pretii 6000. aureorum. Sex Candelabra argentea inaurata, cum argenteis æqualibus librarum 156, pretii ſcutorum 3000. Duo magna Candelabra argentea ad gradus Aræ ad fanalia ſuſtinenda librarum 114. pretii aureorum 1400. Sex varia ſanctorum capita argentea librarum 114. pretii 2030. aureorum. Sex brachia Sanctorum argentea cum paraſtadis, librorum 69. cum dimidio: pretii 1200. aureorum. Coronidem gemmis diſtinctam, pretii 12. millium aureorum. Lampadem argenteam librarum 31. pretii 500. nummorum. S. Agnetis V. & M. reliquiarum ferculum cum paraſtadis ex inaurato argento, octo rubinis circumdaotibus chryſtallum ad ſtellę figuram, librarum 7. pretii 300. nummorum. Sex vaſcula argentea pro floribus ſuſtinendis librarum 24. pretii 400. nummorum. Calicem aureum cum patenà adamantibus, rubinis, ſapbiris, ſmaragdis ornarum, librarum 3. unciarum 8. pretii aureorum 800. Sex calices argenteos librarum 10. pretii nummorum 200. Quatuor pollubra argentea cum æqualibus librarum 18. pretii 245. nūmorum: duas aureas roſas pretii 1000. aureorum. Quæ omnia aſcendunt ad pretium 31725. aureorū; pluribus aliis non ſupputatis, quæ eidem ſacello donavit. S. Emerentianæ V. M. reliquiarum ferculum è cryſtallo montano, maximo artificio elaboratum, gemmis, auroquè exornatum. S. Cæciliæ V. M. reliquiarum ferculum ex auro, adamantibus exornatū. Quatuor candelabra argentea cum Cruce, & lampade, pro ædiculà S. Franciſcæ Romanæ: totidemquè pro appoſità S. Caroli. Pixidem argenteam pro cuſtodià SS Euchar. Manum argenteam pro cuſtodiendà reliquià S. Gregorii PP. VII. Duo diademata aurea gemmis diſtincta. Angelorum par nobile ex auro; monilia aliquot pretioſiſſima, & torques aureos gemmis diſtinctos prò ornatu B. Virginis, quam die 27. Iao. An. 1613. proceſſione ſolemni retulit in ſacellum. Suppellectilem quoquè pretioſam, & copioſam ad altarium, miniſtrorum ornatum eidem ſacello contulit, Organum addidit. Collegium Sacerdotum, qui rem divinam quotidiè facerent, inſtituit. Muſicos conduxit, qui Sabbatho Litanias canerent. Miniſtros reliquos aſſignavit, & proventus annuos locupletes in perpetuum addixit.

In palatio Quirinali, ædes, quas olim Quirinali clivo Monachi extruxerant Benedictini, proprio ęre coemit; ſic Maphęorum ædes pro uſibus familiæ.

Paulus V. P. M.

Palatium Quirinale hac parte à fundamentis extractà amplificavit. An. D. 1610. Pontif. ſui 6.

Concordant nummiſmata. In primo ædes à Paulo extructæ, ſculptæ exhibentur cum epigraphe, *Pontificum commoditati*.

In ſecundo Sacelli porta, quod extruxit privatis ædibus opportunum.

Sanctiſſ. Mariæ Virg. Annuntiationi.
Paulus V. P. M. An. Sal. 1610. *Pontif. 6.*

Epigraphes ſecundi Nmumiſmatis: *Sacellum in Palatio Quirinali*. De Datarià in Quirinali collocatà.

Paulus V. P. M.

Datariam Apoſtolicam in his ædibus
Curialiū commoditati collocavit An. 1615. *Pontif.* XI.

Ibidem.

Paulus V. P. M.

Sacellum Pont*ificium extruxit*, Pal*atium auxit*, & *in meliorem formam redegit. An.* S. 1615. *Pontif. XI.*

Sub Quirinali

Paulus V. P. M.

Ad Quirinale à ſe auctum, ornatumquè, viam molliſo clivo dilatavit, atquè direxit. Anno Sal. 1611. Pontif. VII.

Stabulum etiam Pontificiæ familiæ levis armaturæ equitibus Pontificum cuſtodiæ deſignatis erexit. In eo ſic legitur.

Paulus V. P. M.
Anno Sal. 1611. *Pontif. ſui* VII.

Horrea etiam in Quirinali non procul ab Exquiliis laxavit; fontes uſibus deduxit quotidianis. Vias Vrbicas alicubi diſtortas, alibi obſtructas, vel anguſtas direxit, aperuit, dilatavit; & inter eas, illamquè à quatuor Fontibus ad Baſilicam Liberianam, & alteram, quæ à portà Flaioinià uſquè ad pontem Milvium ducit ſilicibus ſtravit.

De horreis ad Thermas Diocletiani, hęc leguntur.

Paulus V. P. M.

Horreis uberiori Annonæ *bono ampliſſimè dilatatis, madefactis quandoquè frumentis aream ſtravit, ſitientibus agricolis, pulverulentiſquè baiulis fontes eduxit An. Sal.* 1612. Pont. 7.

Pau

Paulus V. P. M.

Adverſus maiores Annonæ difficultates, maiora ſubſidia præparans, nova hæc horrea veteribus adiecit. An. 1609. Pontif. 5.

Cum aquæ penuriâ tota regio Tranſtyberina mirum in modum laboraret, opus molis immenſæ *Paulus* aggreſſus, incredibilem aquæ copiam ex agro Braccianenſi deductam, ac trigeſimo milliario, partim ſubterraneo ſpecu, partim arcuato opere in ſummum Ianiculum perduxit.

Paulus V. *P.* M.

Aquam in agro Braccianenſi ſaluberrimis Fontibus collectam, veteribus Aquæ Alſietinæ ductibus reſtitutis, noviſquè additis, XXXV. *ab milliario duxit,* An. *D.* 1612. *Pontif.* X.

Hanc acquam ad tres Leoninæ Vrbis fontes à ſe extructos, quorum alter in areà D. Petri Vaticani, alter ad D. Iacobi aream, ac tertius propè S. Angeli pontem conſtructus eſt, deduxit. Eamdem aquã è Ianiculo, plumbeo canali per Sixti põtem transmiſſam citeriori intulit Vrbi.

Paulus V. P. M.

Regionem Leoninam *perennium* Aquarum *inopià laborantem,* Aqua *ab ſe in Vrbem deducta, uberi deſignatione variis fontibus attributa locupletavit,* An. Sal. 1613. *Pont.* 8.

Concordat nummiſma, in quo aquæ ſub epigraphe: *Publica commoditati reſtituit* An. 1609.

In fronte ad Sixti pontem.

Paulus V. P. M.

Aquam munificentià ſuà in ſummum Ianiculum *perductam, citrà Tyberim totius Vrbis uſus deducendam curavit* An. *S.* 1613. *Pont.* 8.

Extrà portam S. Pancratii.

Paulus V. *Romanus* P. O. M.

Aquæductus ab Auguſto *Cæſare extructos, avi longinquâ vetuſtate collapſos, in ampliorem formam reſtituit* An. *S.* 1609. *Pont.* 5.

In viâ ad Braccianum.

Paulus V. Romanus P. O. M.

Priori ductu longiſſimi temporis iniuriâ planè diruto, ſublimiorem, firmioremquè à fundamentis extruxit An. *Sal.* 1609. *Pont.* 5.

Ibidem in viâ

Paulus V. P. M.

Formis Aquæ Alſietinæ *olim ab* Auguſto *Cæſare extructis, mox collapſis, ab Hadriano I. P.* M. *inſtauratis, iiſdem rurſus vetuſtate dirutis, opere ſubterraneo, & arcuato reſtitutis,* Aquam *ex agro Braccianenſi ditionis Vrſinorum, ſalubrioribus fontibus derivatam flexuoſo curſu* 35. *milliarium in Vrbem perduxit* Anno Sal. 1611. Pont. 8.

Ad Campum Martium

Paulus V. P. M.

Viam privatis ædificiis occupatam direxit, & laxavit Anno *S.* 1613. Pont. 9.

Vbi ligna exponuntur.

Paulus V. P. *M.*

S. S. Agnetis & Emerentianæ oſſa un. *Vetere lignis exponendis areâ ſublatâ, novam murorum ſepto muniendam, publicaquè utilitati ampliandam Hoſpitali Mendicantium attribuit, proventum adiunxit. Curatores arc Hoſpitalis coemptis, aquatiſqꝫ ſolo ædificiis præſtiterunt An. Sal.* 1615

Præter hæc Paulus SS. Virginibus, & martyr. Agneti, & Emerentianæ aram ex pretioſiſſimis lapidibus in earum Templo extrà Vrbem erexit, earumqꝫ ſacra pignora in areà argenteà pretii quinquè milliũ aureorum recondidit, & arcam ſub arà collocavit. De hoc nummiſma habes cum epigraphe. *S. S. Agnetis & Emerentianæ Oſſa honorificata.*

Paulus V. P. *M.*

Vt S. Agnetis & Emerentianæ corpora honorificentiùs conderentur Arcam *hanc argenteam fieri iuſſit, in eàquè Sacras reliquias collocavit* An. *Sal.* 1615 *Pont. XI.*

Lyceum Romanum *Sapientia* vulgò dictum amplificavit: SS. Benedicti, & Franciſci monaſteria, portamquè Portuenſem apertis viis ampliſſimis, & directis in nobiliorem dedit proſpectum: Cœnobium pœnitentium mulierum in viâ Curſus incendio penè conſumptum reſtituit, & viâ apertâ à vicinis ędificiis ſeiunxit: Ædem in honorem S. Romualdi extruxit: B Domum Lauretanã pretioſis donariis locupletavit: Portum Fanenſem, *Fanum Fortunæ* vocant civitatem aperuit, purgavit, munivit; quà ratione Picæno, Vmbriæ, Aemiliæ annonam cumulavit. Concordat nummiſma, in quo *portus* cum epigraphe: *Portu Burgheſio à fundamentis extructo. Colonia Iulia Faneſtris.* Dicitur illa civitas *Colonia Iulia Faneſtris*, quòd Iulius Cęſar in eà coloniam Romanam inſtituerit, ubi Templum olim *Fortunæ* famoſiſſimum extabat. Portum, Arcem, oppidum ad Centumcellas reſtituit, auxit, Navigantium ſecuritati conſulens erecta Pharo, igneſquè pervigiles in illa ardere iuſſit.

Paulus V. P. M.

Publica navigantium ſecuritati Pharum erexit, Ignes in eà pervigiles ardere iuſſit An. Sal. 1608. *Pont. IV.*

Paulus V. P. M.

Portum hunc multis partibus planè dirutum, omnibus C labefactatum iactis mollibus inſtauravit An. S. 1608. *Pontif. IV.*

Pontem etiam reparari curavit ad publicum commodum in villà Ceperani ſuper fluvium Lirim, vulgò *Garigliano* dictum, qui inſulas Iſolam, & Iſolettam cingit, & Latium à Samnio, & Campanià ſeparat, ut ex nũmiſmate, in quo pons cum epigraphe *Ceperani Pons ſuper Lirim reſtitutus.*

Ferrariam Vrbem cum Eccleſiaſticæ ditioni reſtituiſſet *Clemens VIII.* Arcem in eà ad ſecuritatem publicam iam inchoatam, munitiſſimis propugnaculis, aggeribus, & foſſis undiquè cinctam conſtrui curavit: in cuius memoriam ſequentia eius ſepulchro inſculpta fuere.

Ferrariam Vrbem

Ditionis Eccleſiaſticæ *nobile propugnaculum extructâ validiſſimâ arce munivit.*

D Concordat nummiſma, in quo *propugnaculum* cui inſcripta ſunt, *Securitas Populi:Ferrariæ.*

5. *Annona* ſingulariter procurata eſt à Paulo V. eiuſquè ſtudio 800. nummùm aureorum millia effudiſſe plures prodidere. Prælatorum, & aliorum virorum præſtantium cœtum ad ubertatem propagandam in ditione Eccleſiaſticà inſtituit. Operam agriculturæ dantes privilegiis munivit, & ad eam propagandam leges tulit perutiles. Quarè in eius funere Annonæ ſignum, & hæc verba conſpecta, *Promptuarium eius eructantia ex hoc in illud.*

De Horreis hoc voto extructis en nova inſcriptio, præter eam, quam habes ſuprà n. 4.

Pau-

Paulus V. P. M.

Ad Pontificię claſſis Annonam, externaſquè merces reponendas, Horrea hæc à fundamentis extruxit An. Sal. 1610. Pontif. 6.

6. *Eleemoſinà* In pauperes mùnificus Paulus. Expoſitis pueris, puellis nubilibus, mulieribus honeſtè natis, nè egeſtate earum expugnaretur pudicitia, clam menſtruam ſubminiſtrabat pecuniam. Peregrinis egenis annuatim centum myriadas auri diſtribuebat. Qtoties in publicum prodibat, pauperibus obviis ſtipem diſpertiebat. In pauperes ſexdecim Pontificatus ſui Annis, nummùm millia quiodecies centenna, & ſuprà erogaſſe Paulum ſcripſit Andreas Victorellus. Civium neceſſitates, ac vivendl difficultatem frumento, veſtibus, pecunià ſublevabat. Scotos, Anglos, Hibernos (inter quos Hugo *Tsromius*, & *Io: Barclaius* cum totà familià) qui ab hæreticis vexati in Vrbem auſugerant, B aſſignato eis annuo proventu, in fide Catholicà retinuit. Romæ in cœnobio Carmelitarum diſcalceatorum ſeminarium, nomine S. Pauli ad Hęreticorum converſionem inſtituit. In Religioſorum Accademiis linguas Gręcam, Hebraicā, Arabicam doceri præcepit, vt faciliùs procurarent ſalutem Gentium. Hinc typos Chaldaicos, Breviarium Caldaicum excudi curavit. Librum Rituale Romanum ad ſacramenta ritè adminiſtranda conſcribi iuſſit. Plures Hæreticos ſolo aſpectu illuminavit. *Bzovius c 55.*

Ornamenta Pauli V. 7. *Ærarium auro* iuvit Pontificium, & auxit novies centennum aureorum millibus: Sacris Pontificiis cum maieſtate faciendis Thiaram Epiſcopalem adamantibus, & unionibus ditiſſimam, pretio LXX. millium aureorum comparavit.

8. *Iuſtitià*. Romanæ Curiæ tribunalia cum reformaſſet Paulus, miniſtrorū ſtipendiis metà conſtitutà, C Factioſorum licentià coercità, ſceleſtorum furore compreſſo, ſicariis, graſſatoribus ablatis; Iuſtitiæ ſimulachrū in pompà erexère funebri, Davidico illo adſcripto carmine; *De Cœlo auditum fecit iudiciū, terra tremuit, & quievit.* Laudibus ipſe ſuis dicitur vivens illud adnumeraſſe Davidicum *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini, omnes operantes iniquitatē.* Eà tamē modeſtià floruit, ut poemata, panegyrim operum ſuorum laude præſtātē publicari non permitteret. Pontificatus eius acta ſcribere geſtienti *Abrahamo Bzovio*, quamquam tunc Anno XIV. adminiſtratæ Eccleſiæ, præclaris actionibus Orbem impleviſſet Vniverſum, *ſe nihil ad hæc temporis ſcriptu dignum geſſiſſe*, *obortis lachrymis*, reſpondit.

Pauli V. modeſtia, & laudibus alienus.

9. *Eccleſiam cultu* quali, & quanto ornaverit Paulus, lege quæ ſupra ſcripſimus *n. 7.* Auge Cætum Sacerdorum Oratorii Ieſu Chriſti ad Catbolicam fidem in Galliis augendam inſtituiſſe: Cætum Clericorum Matris Dei ad Scolarum Piarum onus perferendum. Libros, Miſſales, Calices; veſtes ſacerdotales miſsas ad Maronitas habitatores Montis Libani, qui ut grati memoriam rependerent, ſtatuam eius erexerunt in æde Patriarchali. Prætereo Ordines religioſos eo vivente inſtitutos, vel reformatos, in Gallià Ordinem militarem *S. Mariæ de Monte Carmelo*. In Vrbe Aniciensi Ordinem fęminarum *Viſitationis B. Mariæ* Pariſiis. *Vrſulinarum* Burdegalæ, *Congregationem B. Mariæ*. Congregationē F. *Prædicatorum Reformatorum* à Io: Michaele in Galliis Inchoatam, à Paulo V. confirmatam. *Ciſtercienſes* in Hiſpanià ab uno Vicario regendos, Congregationem *Fratrum Ioannis* Dei prò infirmis viſitandis, ad vota Religioſa conſtrictam. Omnia hæc promovit Paulus non tàm legibus, quàm exemplo. Quotidiè antequàm Hoſtiam litaret Auguſtiſsimam, genu antè Sacerdotem poſito, noxas, ſi quas contraxerat, humiliter accuſabat, atquè ex Sacerdotis præſcripto ſatisfaciebat. Mox orationibus præparato animo quotidie publicè, vel privatè ad ſacram aram accedebat corpore tam compoſito, & oculis, ut membra omnia pietatem ſpirarent. Præter ſacrificandi, & horas diurnas, nocturnaſq; ſummà cum attētione recitandi toto tempore Pontificatus conſuetudinem nunquàm intermiſſam, alia pietatis exercitia adiungebat, & privatis orationibus ferè in ſingulas hòras divinam B clementiam ſupplex implorabat. Cura poſteà paſtorali, ut Chriſtianorum Principum animos benevolentià coniungeret, excitatas inter Sabaudiæ, & Mantuæ Duces diſcordias extinxit. Antonium Caietanum, & mox Cardinalem Millinum ad ſedanda diſſidia inter Cęſarem, & Matthiam fratrem eius in Germaniam legavit. Ad Indos, apud quos ſedes erexit Epiſcopales, teſte *Surrico l. 6. Hiſtor. Ind.* Ad Sinas, ad Perſas, ad Regnum Conganum, ad exteras alias regiones, Evangelicæ doctrinæ Magiſtros miſit. A Rege Voxii apud Iaponios regnante, à Rege Perſidis, à Rege Congi legatos excepit, audivit, iuvit. Congi legato Romæ defuncto ſolemni pompà funus Paulus ſuà preſentià decorans cadaver comitatus ad S. Mariam Maiorem, tumulo ſequens adſcripſit epitaphium.

Pauli V. pietas.

D. O. M. Paulus V. P. M.

C *Antonio Emanueli Funeſtæ Marchioni; primo Regis Congi ad ſedem Apoſtolicam Oratori, quem itineris difficultatibus feſſum, & ægrum, ſociis omnibus amiſſis, muſtum in Vaticano exceptum, ac decumbentem inviſit: Legationis ſummam exponentem, Regiſquè ſui nomine Regnum Sedi Apoſtolicæ offerentem benignè audivit, moribundum Apoſtolicà benedictione munijt, mortuum funebri, quaſi Regià pompà honorificè in ſuum ſacellum efferri voluit, paterni amoris monumentum poſuit Anno* 1608. *Pontif.* 3.


Vrbanus poſteà VIII. nigricans huius viri caput è Lydio marmore in veſtibulo ſacrarii Baſilicæ Liberianæ cum inſcriptione collocari iuſſit, Anno 1629.

Marchioni Antonio Nigritæ Regio Congi Oratori.

Quem Paulus V. nondùm peractà legatione, in Vaticano mortuum: In Exquiliis funeravit. Vrbanus 8. Qui D *primus Romanorum Pontificum à Regibus Congi, per Oratorem Io: Bapt. Vives Solemne Chriſtianæ Obedientiæ Iuramentum excepit, ſepulchrum extruxit, Pontificiæ Charitatis monumentum An. Sal. 1629. Pont. 6.*

Huius legationis memoriam ſervat nummiſma, in quo Legatus ad pedes Pontificis cum epigraphe: *Et Congus agnoſcit paſtorem. Bulengerus l. 12. Hiſtor.*

Chaldæorū unio. Exordio Pauli V. Pontificatus, cum nonnulli Orientales erroribus immerſi, in ferià 5. maioris Hebdomadę, poſt pedum ablutionem, quam Pontifex piè, & religioſè peregerat, menſę pauperum accubuiſſent, cui Pontifex deſerviebat; Religione victi poſtquàm in patriam rediiſſent, & tantam charitatem prædicaſſent; horum vocibus commotus Patriarcha Babylo-



LEONIS . XI . NVMISMATA.



Ionins, protinùs legatos eum legibus Romam miſit, implorando, vt ſicut ipſi ſe ſubditos fatebantur Eccleſiæ Romanæ; ſic leges eorum Pontifex dignaretur ab erroribus expurgare. Curam ex Pauli mandato ſuſceperunt *Petrus Strozzias*, & *Fr. Andreas Iuſtinianus* Ord. Prædicat. Comiſſarius Generalis S. Officii à quibus Adam Arcbidiaconus Cameræ Patriarchalis, Monachorũ Cbaldæorũ Archimandrita myſteria edoctus S. S. Incarnationis contrà hęreſes Neſtorii, & Pauli Samoſateni, tantũ profecit, vt ſermones vulgaverit *de Primata Sedis Apoſtolicæ*; *De Trinitate*, De generatione æternà Verbi Dei, De Incarnatione, De duabus voluntatibus, & duabus Chriſti operationibus; de Diſsentientibus ab eccleſià Romanà, quos Paulus non indignos iudicavit, vt unà cum dogmaticà profeſſione Fidei Catholicæ, & literis miſcerentur Pontificiis; ad aperiendos errores, in quibus decepti miſeri verſabantur. Apud Civitatem Amed congregavit *Elias* Patriarcha ſynodum Epiſcoporum, Archiep. Monachorum, Cleri, populi, & lectis literis Apoſtolicis Sedi ſe permiſerunt Apoſtolicæ, abiuratis erroribus, cum Sacramento, *Et ſi fuerit aliquid, quod non placet vobis ex his, quæ miſimus, faciemus, ut placeat vobis*. Subſcripſit Patriarcha cum quinque Archiepiſcopis, & uno Epiſcopo. *Bzovius in vità Pauli* V.

Armeniorum unio.

Venere etiam Legati à *Melchiſedech* Armenorum Patriarchà, qui *Catholicon* titulum in ampliſſimis Perſarum Regnis, præſertim in Armenià ſuperiore, & inferiore ſibi vindicat, inter quos *Zacharias Vattabed Prædicator*. Legationes has ad vivum depictas habes in Regià Quirinalis aulà, palatii Apoſtolici. Benignè Paulus acceptis legatis, reſpondit, paternè admonens, vt vinum aquæ ſacro miſceret in calice; Concilio ſubſcriberet Chalcedonenſi, ex formulà Arabico tranſmiſsà idiomate, Fidem profiteretur. Conciliorum lectioni ſtudioſè incumberet, & in dubiis Eccleſiam Romanam Matrem, & Magiſtram omnium conſuleret Eccleſiarum. Præter hæc, Crucem auream cum ſegmento ligni ſacroſancti, veſtes ſacerdotales dono miſit. Eumdem Patriarcham, & vniverſos Armenos Chriſtianos Regi commendavit Perſarum. Hinc tanta neceſſitudo prodiit inter Paulum, & Patriarcham, ut ab hoc iterum poſt trienniũ ſecunda ſit expedita legatio. *Bzovius*.

Prodigus in ſubſidium.

Vigilantià non minori adverſùs Hæreticos rebelles Bohemos, & Vngaros, Ferdinandum II. iuvit Imperatorem, impoſitis Clero totius ditionis Pontificię in ſex Annos decimis, in ſtipendia millitum, quibus XXX. millia nummorum in ſingulos numerabat. Ad depellendam Turcarum tyrannidem, qui totam Pannoniam devaſtabant; publicas primò ſupplicationes ipſe unà cum populo Romano pedes ad Vrbis Baſilicas inſtituit: dein communicato in Orbem Chriſtianum Iubilæo Vrbico; excitatis Regibus Chriſtianis, immò & Perſarum Rege, tandem III. M. M. militum, ſtipendiis Sedis Apoſtolicæ Rudolpho tranſmiſit Imperatori: vtquè pro neceſſitate Chriſtianę Reipublicæ militem domeſticum haberet in promptu, ſubditos omnes ditionis recenſuit Eccleſiaſticæ, armamentarium inſtauravit, leges condidit militares, gladio ſpirituali materialem adiunxit propulſandæ iniuriæ à cervicibus Chriſtianorum.

10. *Conſanguineos*. Paulus V. (ita Andreas Victorellus) *ſi una caruiſſet notà, largitione nempe in ſuos, Beatiſſimis comparandum fuiſſe omnes fatentur. Eam tamen notam ille perrexit ſuorum Theologorum doctrinà*. p. 391. 2. *in vità Pauli V. editionis Romanæ* 1677. Ex paternà hæreditate licèt ei mille tantum aureorum obtigiſſet proventus (teſte *Andreà Mauroceno*, p. 646.) Palatia tam excelſa extruxere fratres, Nepotes eius in Campo Martio, extrà Vrbem in colle Mondragonio, extrà Portam Poncianam, in Villà Tuſculanà, vt Reges ipſi impares tanto oneri crederentur. Hinc Orator Hiſpanus à quodam Burgbeſio Pontificis conſanguineo excitatus in laudem illius ſuperbi ædificii reſpondit: *Sanè Rex meus tantam molem excitare non auſiſſet Madriti, maximè ad corporis oblectamenta*. Soli *Sulmonæ* Principi, nepoti ſuo creditur donaſſe proventus tercentum millium aureorum annuos: ultrà theſauros auri ſignati, quos poſſidebat. Nec mirum; *Scipionem Caffarellum* ſorore nepotem, quem *Burgheſiam* dici voluit cum in conſortem evocaſſet Pontificatus, & ſuæ mentis interpretem, quidquid vacabat in aulà, conferebat familiæ. Hinc odia Principum. Anno 1608 cum in Rhodiginæ Peninſulæ ditione, Sacerdotium magni momenti vacaſſet titulo S. Mariæ Vangadizzæ propter obitum *Franciſci Lauretani*, ſtatim ei Paulus *Scipionem Burgheſiam* nepotem ſucceſſorem dedit, inſcio Senatu. Durum hoc Patribus, qui cum Pontificem à ſententià dimovere non poſſent; Poſſeſsionem (quam Temporalem vocant) negarunt. Intereà Religioſi Camaldulenſes, *Leonis* X, privilegio innixi, qui ſeptemdecim cœnobia, tunc diſsipata, ac ferè everſa Religioni denuò ſubiecerat, & ſi quæ ad eam pertinuiſsẽt, in poſterum ſervitio exempta, tribuebat; *Fulgentium Atela* Abbatem eligunt, qui ſtatim Rhodigium profectus (neq; enim impedimento eſſe Patres voluerunt) ſolemni ritu inauguratus, ſacerdotii vacantis gubernacula ſuſcepit, atquè Romam miſit Procuratorem, qui ius priſcum defenderet: licèt vel metu, vel maiorum offenſione deterritus, patrocinium ipſorum ſuſcipere nemo vellet. Papa nè potius violentià, quàm iure agere videretur, Camaldulenſium cauſam Rotæ cõmiſit, cuius Auditores nullum ius eſſe Camaldulenſibus in Vangadizzæ ſacerdotio decreverunt: & illicò Nuntius Apoſtolicus apud Rempublicam enixè poſtulavit, ut Fulgentium è poſſeſsione depelleret, anathemate propoſito in Abbatem, ſi obſtinatè perſiſteret. Senatus circà Fulgentium nil immutari voluit; nè quid de Camaldulenſium rationibus deperiret. Ipſe Abbas imperterritus in ſuſcepto munere perſeverabat: donec Monachis pręteritis, Abbatiam diviſerunt Pontifex, & Reſpublica; *Mocenico* Veneto patritio Sacerdotium ſcilicet permiſerunt tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quinquè aureorum milium Burgheſio nepoti Pontificis reſervatà penſione. Camaldulenſium iura minimè abrogata, integra perſeverarent, quemadmodum fuerant, *Lauretano* obtinẽte Sacerdotium. *Andreas Maurocen. l.* 18.

Contentio cum Venetis de Abbatia Vangadizzæ.

Camaldulenſes occupant Abbatiam.

11. *Iubilæum*. Anno 1617. Paulus *V.* P. R. Iubilæo piè promulgato, ad placandum Deum, ac pacem ineundam inter Gallos, Venetos, Germanos, Sabaudos. Memoriam credo ſervari numiſmate, in quo Petrus cum clavibus, & epigraphe, *Claudit, & aperit*. Licèt hoc nummiſma etiam ſub Anno 1607. percuſſum inveniam ni forrè, error intercedat, & le-

gere debeas, 1617.

Iubilæũ Lutheranorũ.

Hoc eodem Anno *Io: Georgius* Saxo Elector ſuum quoquè Iubilæum indixit, quià Annus centeſimus recurreret ab Apoſtaſiâ Lutheri: curavitquè cudendam monetam auream, & argenteam, cum epigraphe, *Sæculum Lutheranum* 1617. Quod diſputationibus frivolis, & compotationibus celebrarunt. *Brietius.*

Canonizat Carolum Borromæum & Franciſcam Romanam. Plures beatificat.

12. *Carolus Borromæus*, & *Franciſca Romana* in Sanctorum catalogum relati ſunt à Paulo V. Anno Sal. 1608. De hac, quæ à familiâ ſuâ Burgheſianâ ortum traxerat, percuſſo nummiſmate, ſub epigraphe. *Et tu Franciſca vocaberis*. Gemino etiam in honorem Caroli. Epigraphes primi: *Inter Sanctos refert Cardinalem Borromæum*. Epigraphes ſecundi, *Dei ædificatio eſt, S. Carolus*. Quià non ſolùm inter Sanctos retulit; ſed ei ſacram ędem in viâ *Curſus* conſtrui curavit. Retulit etiam inter Beatos *Ignatium Loyolam, Franciſcum Xaverium, Philippum Nerium, Theresiam, Ludovicum Beltramum, Thomam Villanovam, Iſidorum Agricolam, Ioachimum Senenſem*; Plurium Divorum feſta reſtituit. Officia in Breviario repoſuit.

Obitus Pauli 5.

13. *Diſſolvi voluit.* Tantis curis, atquè laboribus confectus Paulus, ad excitandam mortis memoriam, ſepulchrum ſuum cum ſæpe inviſeret; die martyri Sebaſtiano ſacrâ, eius Ædem à Cardinali Burgheſio reſtitutam, poſtridiè S. Agnetis extrà mænia luſtravit. Die proximo ad ſuum ſacellum in Exquiliis lecticâ vectus conceſſit. Die 24. Ian. Agnum immolavit: die 28. Sole ad Occaſum vergente, circà horam 24. levi lethargo correptus, ſacramentis vallatus animam efflavit. Sacerdoti linienti Oleo ſacro, & ſacras preces pronuntianti, ſemper reſpondit, formulam Fidei recitavit; verba repetendo Pauli Apoſtoli, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Christo*.

Corpus in Vaticano humatum eſt, tumulo temporario. Laudatur in funere à *Marcello Pallonio.*

Anno vertente, die 30. Ian. apertũ eſt ſepulchrũ, & integrum repertum Pauli corpus, eodem die ad ſacellum Deiparæ in Exquiliis translatum: eiuſq; tumulo ſequens adiectum eſt epitaphium.

Paulus V. P. M.

Mortis memor, vivens ſibi poſuit. Scipio Cardinalis Burgheſius funus duci, iuſta ſolvit, Corpus inferri curavit.

Paulus V. P. M. patriâ Romanus ex Burgheſiâ familiâ, cui perpetua vitæ innocentia, & ſpectata virtus ad inſignes quoſquè honores gradum fecit. Bononiæ Prolegatus præfuit. Mox à Gregorio XIV. Cauſarum Cam. Apoſt. Auditor creatus & à Clemente VIII. ad Philippum II. Hiſpan. Regem de graviſsimis rebus legatus, in ampliſſimum Ordinem cooptatus inter Generales Inquiſitores adſcriptus, & Vrbis Vicarius electus cum omnes tantorum munerum partes ſumma cum laude obiiſſet, ad ſummum Pontificatum Leone XI. è vivis erepto; florens adhuc ætate, incredibili Patrum conſenſu evectus eſt; Cumquè vigili ſollicitudine ſecuritatem, Annonæ copiã, Iuſtitiam, & quietem populis Eccleſiaſticæ ditionis concordiam verò, & pacem univerſo Chriſtiano Orbi ſemper præſtitiſſet, Religionem ſummâ pietate coluiſſet; Vrbem magnificentiſſ. ædificiis ornaſſet, atquè egregiis omnium virtutum officiis aditum ſibi ad immortalitatem aperuiſſet: è mortalibus raptus, grave cunctis ſui deſiderium reliquit, Sedit in Pontificatu Annos XV. Menſ. VIII. Dies XIII. Obiit An. Sal. 1621. Die 28. Ianuar.

Ad dexteram.

Franciſcam Viduam Romanam, & Carolum Borromæum S. R. E. Card. vitæ innocentiâ, & miraculis claros, ritè in Sanctorum album retulit, Rodulphum Rom. Imperatorem electum adverſus Chriſtiani nominis hoſtes in Vngariâ bellum gerentem auxiliaribus copiis adiuvit.

Ad lævam.

Congi, Perſidiſquè Regum, & Iaponiorum ad Sedem Apoſtolicam de re Chriſtianâ Legatos honorificentiſſimè excepit. Ferrariam Vrbem ditionis Eccleſiaſticæ nobile propugnaculum, extructâ validiſſimâ arce munivit.

Caput Pauli æneum Lateranenſes Canonici, erexerunt in Lateranenſi ſacratio, cum elogio ſequenti.

Paulo V. Pontifici Maximo.

Eccleſiaſticæ Libertatis vindici, virtutis remuneratori, ob redemptum à ſpoliorum onere Clerum Romanum, grati animi monumentum.

Lateranenſis S. S. Baſilicæ Canonici poſuere.

De Spolio intelligas, quod Clerici patiebantur in morte. Huic Baſilicæ Paulus donavit Roſam auream, quam Dominicâ IV. Quadrageſimæ benedictam Principibus Pontifices donare ſolent.

Inferiora nummiſmata electionem annuunt factam afflante Spiritu Sancto, *qui ubi vult, ſpirat*. Et Symbolum à Paulo aſſumptum, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*.

Statuas magnas æneas Paulum V. referentes, antè Liberianum veſtiarium, unam à Canonicis Liberianis: Ariminі alteram in foro erectas aſpicimus.

Eius geſta, præter Oratores Principum, & eos qui ſuas dedicarunt lucubrationes, ſcripſerunt Andreas Victorellus, Abrahamus Bzovius, Lucas Vvadingus, Hilarion Coſtæus, Iuſtus Ricbius, Leo Allatius, & alii quos recitat Ludovicus Iacob à S. Carolo in bibliothecà Pontificià.

Pauli V. ſcripta.

Scripſit Paulus epiſtolas varias, quarum legitimus auctor *Gregorius Portius*, teſte Allatio. Io: de Orbata ſcripſit epiſtolam Paulo V. quæ ex decreto 3. Iulii Anno 1623. eſt interdicta.

Conſtitutiones quamplurimas, quas habes in Bullario Magno. *De Conceptione Virginis Deiparæ* decretum ſingulare, ne quis inpoſterùm in actibus publicis aſſerere audeat Mariam Virginem conceptum fuiſſe in peccato originali.

Gravi illi controverſiæ, quæ ſub *Clemente* 8. agitata fuerat, *De Gratiæ auxiliis*, & *Libero arbitrio* inter Dominicanos, & Ieſuitas, ſilentium impoſuit, donec aliud decernatur à ſede Apoſtolicâ.

Cardinales *Paulus* creavit numero Sexaginta, de quibus ſuo loco.

GREGORIUS XV.
PONTIFEX ROMANVS CCXXXVI.



HEbræi à Chriſto Redemptore, qui panibus, & piſcibus ſaturati, volebant facere eum Regem, Romanos annunt; qui Annonâ recreati à *Gregorio XV.* ex hac ſolâ causâ in eum dicuntur minimè obloquuti.

Eligitur An. Sal. 1621. die V. Idus Feb. Obiit An. Sal. 1623. die 8. Iulii. Sedit Annos 2. Menſes 5. D. 29 Vacat ſedes dies 20.

ELOGIVM.

EXtincto Paulo, Anni Sal. Gr. 1621. 12
Noviſſimus comitiis adeſt Ludoviſius.
Indecens enim apparere Rectorem,
Priuſquàm eſſent, quorum gereret Principatum.
Alterà ab ingreſſu die Pontifex dicitur;
Nolens inpoſterũ fatigari Deus hominũ lenociniis.
In Gregorium mutavit Alexandri nomen;
Vt recordaretur praeeſſe Domui Dei,
Non tabernaculis peccatorum.
A cõſiliis nullũ hominẽ vocavit, Deũ invocavit:
Perfice greſſus meos in ſemitis tuis.
Gregorii ſymbolum. Electioni Univerſitas plauſit Bononienſis;
Quòd à ſuo diſſentire non poſſet alumno. Anni Sal. Gr. 1621. 12
Plauſit Ieſu ſocietas:
Quæ eum Muſis lactaverat Chriſtianis.
Plauſit Rota,
Quæ errando, non erravit: moderante Gregorio
Plauſit Capitolium:
Quò cum preſagio miſſus à Gregorio XIV.
Ut indè recederet Gregorius XV.
Plauſit Bononia:
Quæ à ſuo Paſtore didicerat,
Augere opes inopi diſpergendo:
Plauſit Europa,

Cui

Anni Sal. Gr. 1621 1 Cui penè deſperatam,& deploraram pacem, A
Inter Hiſpanos,& Sabaudos reſtituiſſet.
Bellum ſolùm in Hæreticos meditabatur,
Quorum Principem [2] *Lesdiguierium*
Non ferro domuit,ſed pacto: (*douiſius.*
Vt Catholicus fieret Leſdiguerius,ſi Papa foret Lu-
O Infinitæ Bonitatis theſaurus,
Quæ unius hæretici pœnitentiam
Pretio mercatur Pontificis arbitrarii!
In Germaniâ cũ Ungaro,& Bohemo diademate
Aquilã deplumaſſent Bethlenus, & Palatinus,
Quia cum Hæreſi regnare Cæſar nollet:
Cum Cæſare Hæreſis non poſſet:
Eam Gregorius fulmine armavit aureo,
Menſtruo [3] deſignato ſtipendio B
Quo phalanges aleret pro Sanctorum tutelà.
Pragæ Divorum ſublatis omnibus ſimulachris
Vnius Deiparæ casũ, cuius imago in põte ſupererat;
Plebs ipſa miſerata Lutherana,
Regios ſiſtit apparitores.
Impiè autem adiurante PſeudoReginà,
Se illac nunquàm tranſituram,
Donec Chriſti,& Deiparæ cõſiſterẽt ſimulacra.
Ab uſurpato regno fugere
Eſt cũ pudore compulſa, ſtantibus Simulacris.
Eà die Cæſari, Deo eſt reſtituta Bohemia,
Quà, Eccleſia canit:
Reddite quæ Cæſaris Cæſari: Quæ Dei, Deo.

A Palatinus è Rege nihil,qui ex Palatino Rex, Anni Sal. Gr. 1622 2
Bavaro [4] Electoratum ceſſit in ſpolium.
Eius bibliotheca,ex Germaniæ cõflata cœnobiis
Domino reſtituta ſuo Romano Pontifici.
Movit indè cum Polonis [6] in Turcas,
Et ſub Chocimo quadringentis Turcarum,
Centũ viginti Tartarorũ millibus profligatis,
Sexaginta hoſtium millibus in acie cæſis,
Ex Barbarorum mole cadaverum (cas
Inexpugnabile Chriſtianis vallũ obiecit in Tur-
Ad cuius cuſtodiam Gregorius Indigetes auxit
Iſidorũ,Ignatiũ, Xaveriũ,Thereſiã, Philippum:
Unoquè puerperio quinos [7] fœtus ſacravit.
Noviſſimum Gregorii Decretum:
B *De Canonicà electione* [8] *Pontificis.*
In tumultu nè amplius cogeretur adeſſe Deus,
Sed *per ſecreta ſuffragia* deſcenderet,
Eà maieſtate, quam decet Spiritum Sanctum.
Sexdecim ſæculorum opus
A tot Pontificibus tentatũ,& nunquã abſolutũ
Unus Gregorius XV. perficere voluit,& valuit.
Biennium tenuit Pontificatum
Si faſtos numeres, non facta
Rogatus moriens [9] Cardinales eligere: 1623 3
Rogandum (reſpondit) *Deum, non homines.*
Indè convocavit amicos, ut votis publicis
Non vitã intercederent longiorẽ,ſed æternam;
Ad quam triduò pervenit.

ADNOTATIONES IN GREGORIO XV PONT. ROM. CCXXXVI.

Gregorii XV. natalia. 1. LVdoviſius, Alexander Ludoviſius patritius Bononienſis,natus 5. Id.Ian A S. 1554. parentibus Comite *Ludoviſio Põpeio*,& *Camillà Blanchinà* Romæ in Romano ſeminario liberalibus imbutus diſciplinis, Bononiæ Iuriſutriuſquè lauream ſuſcepit. Romam reverſus, à *Gregorio XIII.* primus Capitolii judex electus eſt, non inani præſagio principatus futuri, quòd munus illud, ſibi quoquè fuiſſet primus ad Pontificatum gradus. (Primus Iudex Capitolii.) Indè à Clemente VIII. utriuſquè Signaturæ Referendarius dictus,poſteà prò Cardinali Ruſticuccio Vicario Pontificio, locum in civilibus renuit, mox inter Romanæ Rotæ Patres adſcriptus (Hoc idem munus *Ludovicus Ludoviſius* antè annos 159, adminiſtraverat) ſinceritate, ac iuſtitià omnibus gratus, ab eodem Clemente Beneventum deſtinatus unà cum *Maphæo Barberino* collegà, & poſteà Pontificatus ſucceſſore, prò confinibus decernendis cum Rege Hiſpano, negotium ità curavit, ut indè ſit occaſio remota diſſidii Demùm a *Paulo V.* Bononienſis Archiepiſcopus declaratus,Clero,Civitati & Diœceſi Bononiẽſi epiſtolam ſcripſit,quæ tãquã paſtoralis ſollicitudinis documẽtũ, typis eſt data Bononiæ. Excitato deinde bello inter Regem Hiſpaniæ, & Ducem Sabaudiæ, eò pacificator immiſſus, virtute non minor, quà Romæ iudicia tractaverat, legatione durante, Presb. Cardinal. abſens eſt renuntiatus. Pileum purpureum tradidit ei *Paulus V.* in aulà Quirinalis Palatii, Anno 1618. Die XX. Novemb. & III. Decemb. titulum C S. Mariæ Tranſpontinæ. Bononiam regreſsus, tam diù ſubſtitit, donec *Paulo V.* è vivis erepto, Romam venit, ad comitia, in quibus Cardinales in partes diſtracti, & Principum ſecularium vinculis illigari, rem ſacram profanabant. Verum Chriſtus, qui ex pacto (*Vobiſcum ero uſquè ad conſumationem ſæculi*) tenetur ex arcanis ſuæ Providentiæ humana confundere, & hominum diſſipare conſilia; licèt Cardinalis *Burgheſius* nepos defuncti Pontificis,omnibus nervis contenderet prò electione Cardinalis Camporæ Cremonenſis, cui uti ſubdito adhærebant etiam Hiſpani; repentè mutato conſilio, ipſi penè promotores inviti, eàdem die, quà Cardinalis *Ludoviſius* ingreſſus erat comitiã, in Pontificem proponunt, ſimul probant incredibili omnium Patrum conſenſu, & altero ab ingreſſu Comitiorum die 5. Idus. Feb. An. 1621. Pontificem adorant nomine *Gregorii*.XV. D aſſumpto ſymbolo, *In ſemitis tuis perfice greſſus meos.* Inſolito Romanorum gaudio ob fœlicem memoriam *Gregorii XIII.* (teſte Baptiſtà *Nanio Hiſtor. l. 5.*) Qui patrià *Bononienſis*, verè pater fuerat Chriſtianæ Reipublicæ. Die ab electione tertio creavit Cardinalem *Ludovicum Ludoviſium* nepotem ex fratre: (Conſanguineis cõiulit.) eàdemquè die *Horatium* fratrem ſuum exercitui præfecit Pontificio: nec ſinè ſcandalo: quod priùs de familià cogitaret,quàm de Eccleſia. Iubilæum poſteà indixit univerſale,ad implorandum divinum auxiliũ, (Iubilæũ indicit.) prò ſalutari Eccleſiæ regimine: deindè Vallis Tellinæ procellam,inter populares illos exortam ac Galliæ,

Hiſ-


GREGORII XV PONT MAX NVMISMATA
GREGORIVS XV PONT MAX
CAVSA NOSTRAE LAETITIAE
AN I
AN II
AN III
AVREA
ARGENTEA
ET AENEA
XV P. M. PERFICE GRESSVS MEOS IN SEMITIS TVIS.
CANDOR ILLAESVS
Romae ex Museo
Francisci Gualdi Ann.
Milit.

Hiſpaniæquè Regum, fulcitam diſſidiis, comprimere aggreſſus:primùm diſtrahendo Regum animos; Hiſpanum, ut omiſſa Induciarum mentione in Batavos bellum potiùs renovaret, quà in Valtellinæ diſſidia foveret; pacemquè eo maiore fiduciâ rogabat, quòd prima hæc ad Regem Catholicum, Pontificis recens inaugurati petitio. Redditæ literæ Principi quà die expiravit, opportuno ſanè gratię obtinendæ momento, quam hominibus impertiri hominem etſi ſemper, tum maximè decet, cum Deo ſiſtitur iudicandus. Mādat filio moribundus pater, pacem vt quoquo modo procuret Valtellinos inter, & Rhætos. *Bartholom. Gramondus*. Venere interim Romam Veneti Oratores *Hieronymus Iuſtinianus* Procurator S. Marci, *Antonius Grimanus*, *Franciſcus Contarenus* Eques, & Procurator, & *Hieronymus Superantius* Eques, qui ultrò prǽſtādam novo Pontifici obedientiam, Vallis Tellinæ diſcrimina exponerent. Huic articulo ſatis fecit *Gregorius* genericè, ad Ieſuitas declinando, quos enixè petebat reſtitui à Republicâ Venetorum. Eodem tempore pro Ieſuitis vrgebat Gallorum Rex *Ludovicus*, Nuntius Apoſtolicus tam nomine Pontificis, quā Cardinalis Nepotis. Obiecta omnibus lex patria, quę violari nequit ſinè periculo. Artem hanc nonnulli credidere Hiſpanam; ut Veneti (rugiente bello Rhętico) negando, Gallum offenderent, & Pontificem. Patri tamen cum ſucceſſiſſet *Philippus IV.* vix ſexdecim Annos natus, paci non adverſus ſequentibus acquievit articulis. *Hiſpanus miles tota Valle Tellinà abeat. Munimenta diruantur recentia. Valtellinis rebellio in Rhetos, & vis illata foret impunis. Catholicę Religionis exercitium, quale fuerat Anno 1617. reſtituatur. Mittantur in poſſeſſionem Vallis Tellinæ Rhæti.* Hæc ſumma fœderis, quod ſtatim irritum fuit: negantibus Helvetiis legi ſubſcribere, de quà Legati convenerāt: paci clàm adverſante duce Ferriæ, Mediolanenſi Pro-Duce, qui pecuniâ diſtributâ per pagos, ſuffragia corruperat, tædio ereptæ ſibi victoriæ, quam immenſo gentis Auſtriacæ adventu, de Rhetis reportaverat. Planè Valtellinis exitioſæ erant leges, quibus palàm Rhętos pro Dominis agnoſcebant, non eo tantùm articulo, quo Rhęti in poſſeſſionem Vallis Tellinæ mittebantur: ſed & eo, quo Rebellionem in Rhætos impunè ipſi fore continebatur. Rebellio enim nonniſi in dominos eſt. Noxiæ etiam Catholicæ Religioni, quæ in eum ſtatum reſtituebatur, in quo fuerat An. 1617. quo tempore Rhætis, ſummo iure dominantibus, precarium in Valle Tellinâ fuerat Catholicæ Religionis exercitium. Hæc in Concilio Hiſpano propoſita, iunctis Valtellinorum lachrymis, irritas faciunt dictas prò pace leges. Accedebat, bellis in Calviniſtas Gallum implicitum, imparem fore ſubminiſtrando Rhætis ſubſidio, eoquè certam Hiſpanis victoriā, & Valiſtellinæ poſſeſſionem ab omni tempore Auſtriacis expetitam. Regi Ludovico cum plura paruiſſent oppida hæreticorum, Gregorius ſequētem ſcripſit epiſtolam teſte *Gramondo p. 439.*

Gregorius 15. petit à Venetis reſtitui Ieſuitas.

Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo. Gregorius XV. PP.

Cariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Regiæ fortitudinis tuæ præclara facinora, quæ totius Orbis Chriſtiani mentem in ſe convertunt, paternæ noſtræ ſollicitudinis oculos militaris glorię ſpectaculis; & A *triumphorum ſpe non mediocri te oblectant: et enim cum hæreticam impietatem alibi conquieſcentem, alibi crudeliter dominantem mærentes conſpicaremur: nunc exercituum Deo gratias agimus, quòd tempeſtivo ad præliandū tempore Maieſtatem tuam ad Catholicæ dignitatem Religionis aſſerendam armaverit. Præclarum Regalis militiæ tyrocinium, & Chriſtianiſſimo Rege dignum! quam ætatem alii deliciis, & luſibus per ſoccordiam, & inſcitiam conterunt, tu procerum diſcordiis componendis, exercitibus ductandis, hæreticorum arcibus oppugnādis glorioſè iuxta, ac fœliciter tranſigis. Neque enim ſinè Dei conſilio, in cuius Regno Reges regnant, credibile eſt ineunte adoleſcētiâ, & tantum opus, & tam arduū te eſſe aggreſſum, ut quæ alios pericula, & rerum difficultates retardarunt, ea ipſa invictam animi tui magnitudinem incitavint. Fruere, CARISSIME FILI, tàm præclara famà nominis tui, ac Deum tecum prǽliantem ſequere, ut qui Iſrae-* B *li fulmen, & clypeus eſſe videris, laus Iſrael, & gloria univerſæ terræ propedię habearis. Nos quemadmodùm ex hoc altiſſimo Apoſtolicæ dignitatis faſtigio, quò nos licet viribus impares, miſerantis Dei dextra deduxit, exercitibus tuis præſenti animo interſumus, ita & divina accuratiſſimis precibus paramus ſubſidia. Tametſi quę cohortante Pōtifice, & rogante virtute tuà cœpiſti, nō veremur quin conſtanter perfecturus ſis, patere te tamen noſtris cohortationibus inflammari, ſaltem ut de verę religionis dignitate ſollicitis eſſe, & tuæ glorię favere videamur. Multa ſanè hactenùs debes divinę beneficentię, atque ut ſpes, & votum noſtrum eſt, plura debebit: ſed profectò excelſum iſtud ingenium non humanę, ſed cœleſtis ſapientiæ præceptis imbutum credi par eſt: cum ſeriò intellexeris regnorum fundamenta uni ortodoxæ fidei veritati inniti, neque enim Domino civitates non cuſtodiente, ullus* C *unquàm principatus ſecurè conquieſcet. Quàm fideliter Regis ſolium propugnabunt, qui Sanctos ſuis templis deiecerunt, cœloquè, ac numero Beatorum eximere tentarunt? qui inſtituta maiorum, Regum mores, Pontificum ſcita, Sacerdotum cæremonias impiâ crudelitate condemnant. Hæc Reipublicæ Chriſtianæ turbamenta, & Galliæ dedecora Imperator Regum Deus, glorioſæ iſti iuventuti tuæ comprimenda, atque extinguenda reſervavit, cogita nunc univerſam Europam, ex tuorum præliorum eventibus ſuſpenſam, expectare quàm celeriter Oceanum te duce tutiſſimus belli impetus naviget; ut quod hæreticorum perduellium aſylum, & propugnaculum eſt, præclariſſimum in omnem poſteritatis memoriam oſtendatur victoriarū tuarum monumentum. Scimus te neque formidine, neque inconſtantià ab incæpto opere poſſe revocari: reminiſcere tamen, Principi religionis cauſam tuenti, Sanctos ipſos quorum dignitas vindicatur, commilitones adfutu-* D *ros; profectò in his aquis Deum adiutorem invenies, cuius pedibus fluctus in terra morē obduruerunt, cuius exercitibus undæ utrinquè diviſæ, atq; in parietum ſpeciem lapideſcentes aditum præbuerunt. Tunc enim in ſpem certiſſimam adducemur, te regno benè conſtituto, & domita iſtic impietate, poſſe aliquandò Orientem, Occidentemquè victoriis Gallicis coniungere, maiorum tuorum gloriam æmulatum, qui Pontificum cohortationes, non ſecùs ac Dei iuſſa venerati ſunt. Id te hortatur ſanctiſſimus Ludovicus, cuius nomen refers, & actiones imitaris; id gentis tuæ auctores, qui Apoſtolicà autoritate in religione propagandà firmiſſimum Regiæ tuæ domus iecere fundamentum.*

Sequere, Cariſſime Fili, orbis decus, cœleſtia iuſſa, effun-

effunde iram tuam in gentes, quæ Dominum non noverunt, ut æterna miſericordiæ theſauros cōpares Maieſtati tuæ, cui Apoſtolica autoritate amantiſſimè benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatotoris 10. *Iulij, Anno* M. DC. XXI. *Pontificatus noſtri Anno primo.*

Ludovici triumphos unus moratus eſt *Mons Albanus* cuius in obſidione cæſo *Meduano*, qui copias ducebat Catholicas, Hæreticis pacem dedit, vel ſpetie pacis decepit: ut interim Valtellinos erigeret. Avenione convenere Veneti, Galli per legatos, Dux ipſe Sabaudiæ per ſeipſum: ſtrepentibus Hiſpanis, atquè minantibus Madriti coràm Nuntio Apoſtolico, ex huiuſmodi fœdere nonniſi funera præparari. Conventum tamen inter Gallos, Venetos, Sabaudos prò reſtituendà Valtellinis libertate, claſſicum canere adversùs Hiſpanos, qui larvà Religionis ſpolium velare meditantes, *Gregorio XV.* Romano Pontifici caſtra, oppida obtulerunt cuſtodienda, donec iis in pagis cautum eſſet, de Catholicà Religione obſervādà, cuius ſolo voto ſe in Valtellinos moviſſe proteſtabātur. Oblatio tamen viſa eſt Cardinalibus plena periculis. Semel enim oppida illa per Papam occupata, reſtitui ampliùs non poterāt prioribus dominis, cum quibus ut hæreticis Pontifex non permittebatur paciſci. Reſtitutionē negare, idē erat, ac in gratiā Hiſpanorū fœderatos in Eccleſiā cōcitare, & Crucis vexillū ludibrio exponere Proteſtātium, qui ad ſpolium Vrbis anhelabant. Veneti propterea *Hieronimum Superantium* Romam miſerunt, ut Pontifici palàm faceret, Hiſpanorū munus plenum inſidiis, & non incerti diſcriminis. Hæc omnia in caſſum; nàm auro Hiſpano illigati Nepotes Pontificis, penſionibus, proventibus, matrimonio tandem cum *Venosa* Dominà, Regis Hiſpani ſubditā, *Gregorius* depoſito acquievit; monita Fœderatorum credens ad terrorem conficta, nè tumulum coronaret glorià ſervatæ Pacis, ac Religionis reſtitutæ. Immiſſo itaquè *Horatio Ludoviſio Tiani Duce* cum egregià militum manu, occupāvit arces, firmavitquè præſidiis, donec tempus validiora offerret remedia. *Gramondus. Baptiſta Nanius.* Nummiſma, habes pag. 527. in quo *Religio, & Pax. Pacis, & Religionis Amor.*

Gregor. Valtellinam recipit in depoſitum.

Leſdiguerius Calvinum eiurat.

2. *Leſdiguieriam.* Cum pacis interpretem apud Sabaudos ageret *Ludoviſius* unà cum claro Duce, *Leſdiguerio* Galliarum Regis miniſtro; & plura ſæpiùs de Romano Pontifice, atquè hæreſi Calvinianà miſcuiſſet cum *Leſdiguerio* (erat iſte labe infectus Calvini) colloquia, eà altercantium voluptate, ut in re maximà ſeriò iocatus promitteret *Leſdiguerius* ſe Calvinum eiuraturum, adoraturum Pontificem; cum ipſe tamen *Ludoviſius* Pontifex crearetur. Impletum vtrumquè. Dictus Pontifex *Ludoviſius* pactum obiicit *Leſdiguerio*. Vota iſte ſolvit tantà hæreſis conſternatione, ut in Duce velut amiſſo capite videretur exanimis: tanto Regis gaudio, ut magnum Galliæ dixerit Comeſtabilem. Eodem hoc Anno 1622. *M. Antonius de Dominis*, quondàm Societatis Ieſu, poſteà Segnienſis Epiſcopus, ac deniquè Spalatenſis in Dalmatià Archiep. homo levis, ac vanus neſcio quo æſtro percitus, Anno 1616. fugerat in Angliam benignè ſuſceptus à Rege doctiſſimo, ipſe non ignarus, duo concinnavit vægrandia volumina, *De Rep. Chriſtianà*, in quibus multa ſtolidè effutiit adversùs Eccleſiæ adminiſtrationem. Viſum hæreticis opus palmare: quod tamen ipſe reiecit ad ſanam mentem, ac lucidum ſaltem intervallum revocatus, Anno præſenti reconciliatus ſummo Pontifici, à quo veniam obtinuit, & recinuit Palinodiam, homo magni ingenii, ſed maioris levitatis, cui plus, & Eccleſiæ carcer profuit, quàm conceſſa libertas. Feliciùs migravit ad Deum *Robertus Cardinalis Bellarminus*, ferè octuagenarius, qui virtutibus ſuis, & eruditione plus honoris addidit ſacræ purpuræ, quàm ab illà receperit: futurus etiā maior ſi in tempora incidiſſet ſanctiora. Morientem inviſit *Gregorius* XV. ac benedictionibus cumulavit. Eius Controverſiis licèt Eccleſia clypeum debeat, quo ſe tegat; & arma quibus hæreſes vincat; eius tamen *De Civili Summi Pontificis poteſtate* liber iniuriam effugere non valuit ei illatā ex ſententià Curiæ Pariſienſis, vt liber manu carnificis, ad Sequanæ arenas, publico cremaretur ſpectaculo. *Bulenger. l.* 13.

M. Antonii de Dominis apoſtaſia, pœnitentia

Bellarmini mors.

Eius liber crematur.

3. *Menſtruo deſignato ſtipendio.* De cladibus Germano Imperio illatis à Gaborre Calviniani, Græciq; ſchiſmatis promotore uſurpatà Vngarià, à Palatino Electore Bohemià, ſupervacuum repetere ea, quæ abundè deſcripſimus in Aquilà noſtrà *Auſtriacà*. Studium minimè præteream *Gregorii* XV. Romani Pontificis, quo auctore Catholicorum Principum fœdere ſtabilito perpetuo, ad perſequendum communē hoſtem, menſtruali cenſu in eum uſum liberaliter attributo ex ærario Eccleſiæ (quæ aurum coacervat, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus) atquè ex Italià expedito milite, quibus ſuffultus *Maximilianus Bavarus*, copiarum duce *Tillio*, Hildebergam Palatinatus Rheni caput expugnavit. Palatinus è Rege nihil

Gregorii auxilia in rebelles Cæſaris

4. *Bavaro Electoratum ceſſit in ſpolium.* In comitiis namquè Ratiſbonenſibus exauctorato Palatino, quià *capiti Cæſareo inſidias ſtruxerat, ac regnis evertere tentaverat, adſcitis in ſocietatem ſceleris Turcis*, Maximilianus Dux Bavariæ, qui ad ſalutem Imperii, tot tantaſquè periculoſas ſuſceperat expeditiones, proprio vitæ diſcrimine, & grandibus impenſis, quæ aliquot argenti myriades excedebant, ſolemniter inauguratus eſt à *Ferdinando II.* Imperatore Anno 1623. V. Kal. Martii. Acceptæ dignitatis *Maximilianus* Gregoriū XV. certiorē fecit literis ſuis, quibus lectis die 6. Martii An. 1623. in ſecretiori Purpuratorum Senatu, Pontifex ita reſpondit: *Triumphat tandem Religio Catholica* (Fragmentum hoc recitat Io: Adlzreitter *par.* 3. l. 8. Hiſtor. Bavar.) *in novà dignitate nobilitatis tuæ, quæ ut fidelium populorum votum fuit, ita Fides propugnaculum eſt, & lætitia Eccleſiæ univerſæ. In eo enitet fœlicitatis tuæ magnitudo, quòd eam Pontifex, atquè Imperator, Chriſti ipſius triumphum, Caleſtis regni gaudium arbitrantur. Excutiat tandem cinerem mœroris è capite ſuo filia Sion, & induatur veſtibus iucunditatis. Certè nos tanto ſolatio cumularunt poſtremæ tuæ literæ, digna, quæ perpetuis Annalium monumentis conſignentur, ut cum eas legeremus, manna Cæli, & torrente voluptatis inundari cor noſtrum videretur. Proindè tantæ lætitiæ expertes eſſe noluimus fratres noſtros S. R. E. Cardinales, qui illas, dum publicè in Conſiſtorio legerentur, dignitatis Electoralis nuntias, & Bavaricæ pietatis teſtes, animis exultationibus audiverunt. Nos autem ſcientes omnem victoriam Bellatoris*

Bavariæ Dux in Electorem Imperii deligitur

Omnipotentis beneficium eſſe, publicas ſupplicationes pro tanto militantis Eccleſię triumpho dedimus ad baſilicam Principis Apoſtolorum. Quo autem tempore choris laudãtium Deum illud divinitatis ſãctuariũ perſonabat, cętus hominũ cõticeſcere non poterat, Bavarici Ducis victorias, ac virtutes in tantà Eccleſiæ gratulatione prædicantium. Sane nos qua vota miſericordiarum patri, pro iſtarum provinciarum incolumitate nuncupare conſuevimus, & ſuſcipimus in præſentià pro Nobilitatis tuæ dignitate, ac vita, quæ cò gloria progreſſa eſt, ut nè inimici quiri quicquam audeant, niſi de magnitudine tuà.

Bibliotheca Palatina.

5. *Bibliotheca.* Captà Hildebergà à *Bavaro*, huius urbis *Bibliothecà*, quam Palatinus conflaverat ex omnibus penè Germaniæ Monaſteriis, eorum ſimul & ſemel præcipuo Domiño Romano Pontifici reſtituitur, ſed non tota, non tam militum avaritià, quã Leonis Allatii deſerentis incurià, qui à Pontifice miſsus Codices exquiſitiſſimos diripi paſsus eſt, eãq, deferri maluit in Vrbem librorum numero, quàm delectu copioſiorem. In bibliothecam Vaticanam illati libri, & inſignibus Ducis Bavari nobilitati, cum inſcriptione ſequenti.

Sum de Bibliothecà, quam Heidelbergà captà ſpolium fecit, & Greg. XV. trophæum miſit Maximilian. Vtriuſq. Bavariæ Dux S. R. Imperii Archidapifer, & Princeps Elector An. MDCXXIII.

Signa hoſtium capta, & Romam miſsa, Gregorio XV. inſigni ſupplicatione, & populi confluentis frequentià, ad ædem, quam S. Mariæ a Victorià appellant, detulit. Vndè nummum triumphalem, in quo Virgo Deipara, quæ *cauſa noſtrę lętitię* habes p. 527.

Gregor. XV. movet in Turcas

6. *Movit indè cum Polonis in Turcas*, qui A. 1621.) Duce *Oſmano*, numero mille quadringenti irruerant in caſtra Polonorum. Accurrit opportunè Gregorius auro, ferro impotens. Sexaginta hominum millibus caſtra propugnabat *Ladiſlaus Sigiſmundi* Regis filius, ęger plerumquè Laudi tamen morbus nihil detraxit. Nam Turca viribus primò, dein animis fractus, fruſtrà tentatis per omnẽ vim caſtris, coactus eſt pacem flagitare, & receſſum ingloriurn, Centum millibus ſuorum gladio, totidemq. morbo, aliiſq. caſibus abſumptis, Conſtantinopolim rediit; Polonis uti què quàm ſuis placatior, quos ignavos appellabat, & inertes. Anno ſequenti cum nova agitaret feroci animo, ac Ianizzeris infẽſus de mutandà militià cogitaret, ab iiſdem inaudito adhuc Turcis flagitio, regno eſt deiectus, & vità.

Sanctos Canonizat.

7. *Quinos fatus Iſidori* (fuit iſte agrorum cultor) *Ignatii* Societatis Ieſu fundatoris; *Xaverii* Indiarum Apoſtoli; *Philippi Nerii* Congregationis Oratorii Inſtitutoris; *Thereſia* (quæ Carmelitas reformavit) unà die 4. Idus Mar. An. 1622. retulit inter Sanctos. Nummum habes Canonizationis cum epigraphe: *Quinquè Beatis cæleſtes honores decernit*, pag. 527.

Pari ſtudio Sabaudiæ Ducem excitavit in Genevenſes, ut nidum illum expugnaret Hæreticorum. Cum bella prò Religione ſuſcepta, ubiquè terrarum, egregiè cederent, Conventum Cardinalium inſtituit, habendis de propagandà fide conſiliis, annuiſquè firmavit redditibus ut ex literis An. 1622. X. Kal. Iulii. *Guillemum* Epiſcopum Chalcedonẽſem Catholicis omnibus Angliæ, & Scotiæ Præſulem dedit. Hæreticos ab Italia, & Inſulis adiacentibus habitatione prohibuit. Inquinatiſſimum hominum genus, Qui *Illuminati* appellari volebant & orationi deditiſſimum, quæ ſolà mente peragitur, cui & Sacramentorum, & alia Chriſtianæ pietatis opera poſthabebant, corripuit, & in Hiſpanià ſeptem eius auctores igni tradidit Anno 1623.

Hæretici illuminati.

Decretum de electione Pontificis.

8. *De Canonicà electione Pontificis*, decretum eſt Gregorii XV. *ut per ſecreta ſuffragia* Pontifex eligeretur, ab omnibus expetitum, à multis tentatum, à nemine perfectum. Hoc ipſe ſuà manu conſeripſit, & publicavit: quod ſic uti à Gregorio conceptum, integrum, & intactum *Vrbanus VIII.* ſucceſſor eius, ut electione ſui comprobaverat; ita peculiari conſtitutione illud confirmavit. Decretum hoc notis illuſtravit Italicis *Hieronymus Ghettus* Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Generalis.

Gregorii ſtatura.

9. *Moriens.* Staturæ *Gregorius XV.* Infrà mediocris, coloris melli non abſimilis, gracilis, & macilentus, laboribus extenuatus aſſiduis, antè ætatem vitali calore deferveſcente, licèt vividi ingeni, & argutæ facundiæ, & ad diſciplinas promptus, præcipuè ad Iuris prudentiam, in quà tantum naturà, ac ſtudio profecit, ut inter primos eius facultatis interpretes, ætate ſuà meritò haberetur, curam muneris ſui Paſtoralis, adeo vigenti, conſtantiquè animo (in morte præcipuè ſubiit, quòd ubi vires deficere agnovit, vocantis Dei vocem, ſe alacri animo ſequi declaravit, ſucceſſorem ſpetans, qui pleraquè emendaturus eſſet in Rempublicà Chriſtiana. Nullum enim eligi poſſe dicebat, qui Pontificatu ſe dignior non eſſet. Relegatis itaquè curis humanis, rogatus à Cardinale Ludoviſio nepote dilectiſſimo, Cardinales creare ad supplẽdum numerum, conſtanter negavit, quaſi tunc metu ſolutus, ſolam mortem timeret, non Nepotem, cui cum liberè (teſte *Nanio*, & *Bartholomæo Gramondo*) regimen permiſiſſet Pontificatus, cuncta iſte abſolvebat inſcio Pontifice; undè ſpatium eſset Gregorio Accademicis virorum intereſse exercitationibus, quas Cardinalis Ludoviſius nepos in Vaticano, & in Quirinali palatio habendas curabat. Erant Accademici loco Oratorum, & Principum, quorum neminem Gregorius integrà quandoquè hebdomadà videbat. Hinc eſt, quòd biennio Pontificatus theſauros coacervarunt, & immenſis redditibus ex privato nobilium genere inter Principes conſcenderunt. Opus tamen fateri, Iuſtitià, & Abundantià pacis ità Populo placuiſſe Romano, quòd Gregorio non inſultaverit vivo, nec mortuo. Vno verbo Familia non perdidit Rempublicam. Roma ſumma frumenti egeſtate, unà & morborum gravitate laborans, cum ex vigilantià Cardinalis Ludoviſii, frumenti copia aliundè comportati, vilioriq. quã empti pretio diſtributi; inſuper veſte, cibo, domicilio ſublevata, novo valetudinario ultra antiqua Vrbis hoſpitia, quæ ſuo quoq; ære iuvit, aperto adversùs temporis iniurias recreata, benedixit, & nunquàm à laude ceſſabit ſacri Pontificis. Hinc diſcant Rectores, duo præcipuè eſſe neceſſaria pro fœlici regimine, *Iuſtitiã*, & *Abundantiã*.

Regimẽ Nepotibus permittit.

Iuſtitiã curat, & Abũdantiã.

Baſilicã Lateranẽſẽ reparat.

Vrbanam adminiſtrationem *Gregorii* etiam illuſtrat reparatio Baſilicæ Lateranenſis, in cuius ſtructuram, annulos Cardinalium ad triennium conceſſit; hoc exemplo *Pauli V.* & *Clem. VIII.* Aquas etiam è Vaticano in Vrbis Leoninæ commodum diſperſit, ut ex Inſcriptione.

Gregorius XV. P. O. M.

Aquas Vaticani diſtribuit.

Aquas ex Vaticano deduxit. Eremitæ Dominicæ Aſcenſionis Grati Animi Arg. 1621. Pontif. 1.

Auctor etiam fuit, ut Romæ apud ædes S. Cæciliæ, Collegium Patrum Benedictinorum, *Gregorianum* nuncupandum extrui poſſet, in quo exciperentur Monaci omnes univerſi Ordinis S. Benedicti, Romã venientes ſtudiorum, negotiorum, vel pietatis causà. Conſtantinus Caietanus Abbas eiuſdem Ordinis, primus præſidens fuit nominatus. Cœtum Clericorum Lucenſium, & Matris Dei, qui ſcholarum piarum munus curat, inter Ordines Religioſos erexit. Patribus Dominicanis mandavit, ut de Conceptione Deiparæ noniſi in privatis colloquiis diſſererẽt. *Odoardum Farneſium* Parmæ Ducem, Anteſignanum dixit Eccleſiæ Romanæ. Cardinalem *Kleſelium* Viennæ Antiſtitem Romam evocatum, facto iudiciò, priſtino ſplendori reſtituit. At mors Gregorii nos revocat. Vires ubi deficere agnovit, totum ſe æternitati cogitandę reſtituens, vitę univerſæ noxas exomologeſi primum expiavit: circumſtantium preces Chriſto propitiando eflagitavit, iterum ac tertio maculas animi confeſſione delevit. Sub Veſperam Cœleſti Viatico corroboratus, mane duo ſacra coràm ſe celebrari rogavit, & pane iterum refectus Euchariſtico, ſacro Oleo vngi voluit. Poſtridiè Miſſæ interfuit, & pretioſam Sanctorum mortem exoptans, ſpiritum emiſit in Quirinali. Corpus Baſilica excepit Vaticana tumulo temporario, traſferrendũ poſteà in Eccleſiam Colegii Romani, Societatis Ieſu, quam Cardinalis Ludoviſius Gregorii nepos, regio planè ſumptu extrui mandavit; Eccè numiſma habes pag. 527. Epitaphium appoſitum Gregorii XV. tumulo à Io: Bapt. Vrſo Ieſuità.

Gregorii obitus.

Gregorius XV. Pontifex ter Maximus.

Terrarum Orbis benemerentiſſimus, multa brevi iaculatus Imperio, Quot menſium, tot Luſtrorum aquavit Annos. Immortali dignus nomine. Rebus praeclarè geſtis Roma prò Romà; Pietatem auxit novo cultu Religionis, Religioni aras extruxit, novà Sanctorum apotheoſi, inter quos Ignatium Soc. Ieſu Fundatorem, Franciſcum Xaverium anteſignanum, Gemellum numen Cœli albo, utriuſquè Orbis gemellum veluti Caſtorem, Feſtà omniũ acclamatione intulit. Feciſſet plura, ni Fato abreptus praepropero obiiſſet. Lugendus ſemper, quòd imperaſſet parum, An. Sal. 1623.

Impudentiam, & imprudentiam hìc prætetire nõ patiar huius *Vrſi*; qui ferus non ſolùm adversùs Pontificis gloriam, ſed trium Sanctorum *Iſidori*, *Philippi Nerii*, & *Thereſiæ*, quos unà die cum *Ignatio*, & *Xaverio* Gregorius retulit inter Sanctos (ut idem Pontifex religioſè gloriatur in ſuo num iſmate) *Vrſus* iſte, tribus cum iniurià præteritis, Iſidoro, Philippo, & Thereſià, *Ignatium* ſolos recenſeat, & *Xaverium*.

Non ſic eruditiſſimus *Famianus Strada* eiuſdem Societatis Ieſu Illuſtriſſimæ ſacerdos, oratione habità in funere eiuſdem *Gregori* XV. ſed cuilibet Sanctorum ſervato cultu omnes dignè, & religioſè recenſuit. Similem Romæ dixit in eccleſià S. Io: Evangel. *Iacobus Accariſius*, dum Sodalitas Bononienſium *Gregorio* iuſta ſolveret.

Volumina plura ſcripſit. Eius deciſiones (quas *Rotæ* vocant) *Oliverius Beltraminus* I. C. notis illuſtravit, & Romæ edidit. Plures lucubrationes ſuas nuncuparunt, quos recenſere, longũ, & ignotũ. Eius geſta ſcripſerũt *Iacobus Accariſius* Ep. Veſtanus, & Fr. *Lucas Vuadingus* Ordinis Minorum, qui morte præventus vulgare non valuit. Eiuſdem laudes cecinit carmine heroico *Nicolaus Villanus: Io: Superantius* de laudibus Gregorii XV. *Virginius Cæſarinus. Hannibal. Adamus* in ſuà Pallade purpuratà. Creavit Cardinales numero 11. de quibus ſuo loco. Vltrà ſupracitata numiſmata, recurrit ſymbolum, in quo globus vitreus radiis percuſsus Solaribus, cum epigraphe, *Candor illæſus*.

Gregorii XV. ſcripta.

Qui de eo ſcripſerunt.

Creavit Cardinales.

Tria alia obiiciuntur nũmiſmata, quorum primũ inſignia exhibet Pontificia, cum epigraphe: *Aſſagium Generale*, quæ toties repeti ſolet, quoties nova cuditur moneta. Aſſagium enim ab *aſſe* deducitur, quod omnem monetam ſignificat. In ſecundo, (quod cuſum eſt Anno 1.) legitur: *Tu dominus, & Magiſter*. In Tertio: *Beati qui cuſtodiunt vias meas*. Ea habes pag. 527.

Sedente *Gregorio* XV. paſsi ſunt in Iaponià, Anno 1622. glorioſi martyres, *Petrus de Zunigà* Auguſtinianus, *Carolus Spinola* Genuenſis, & *Sebaſtianus Quimura*, ambo Ieſuitæ: aliiquè multi nobiles, lentis ignibus cremati, maioribus ſe flammis ardere docuerunt in animo. Multis etiam Infantibus Chriſtianis demiſſa ſunt capita; qui ſe conſtantià maturos Cœlo demonſtrarunt.

URBANUS OCTAVUS
PONTIFEX ROMANVS CCXXXVII.



V*Rbani* mores habes in Apibus, quarũ examẽ Sampſon invenit in ôre Leonis. Hinc *Maphæus Barberinus* Põtifex electus *Vrbanus* diei voluit, nè vel nomine vim faceret Apibus gẽtilitiis. *Eligitur Anno Salutis* 1623. *die* 6. *Auguſti. Obiit die* 29. *Iulii An.* 1644. *ſedit Annos* 21. *minus octo diebus. Vacat ſedes uſquè ad diem* 14. *Septemb.*

E L O G I V M.

EX Barberinâ Gente,
Anni Sal. Ur. Thronũ Petri *Maphæus*[1] ſcãdit, *Vrbani* nomine,
In omen fauſti regiminis.
Ex Tuſciâ, vel potius è Cœlo[2] Apes
In eius feneſtrâ conſidentes, electionis die
Futurum deſignarunt Pontificem,
Muto lemmate, vel vivo ſtemmate.
Erexit ſe illicò in ſpẽ Roma diuturnę fęlicitatis;
Quòd ſi Legatus deſperata ſperando,
1604. Ieſuitas[3] redemiſſet, etiam ubi nulla redemptio:
Tantò magis Legatus Dei.
Pontifex electus *Vrbanus*
A Moribus, & Muſis cõmunẽ cũ feciſſet elegãtiã, Anni 1621.
Caſtæ ut ex Parnaſſo abirent in Vaticanum;
Errorem inquiri voluit[4] electionis ſuæ,
Et Pontifex dici noluit, etiã cũ dignitatis diſcrimine,
Ni priùs purgaretur ſuſpicio.
Die electus, quo victus eſt *Clericorum hoſtis Fridericus*[6] *Alberſtatenſis*.
Etiam Clerici cœperunt meliora ſperare.
Electus nè ſuperbiret, Deo electionẽ attribuit, Urbani ſymbolum.
Qui facit mirabilia magna ſolus.
Vota irrigavit lachrymis
Sinè quibus Oratio vel infirma, vel infida.
Cu-

Anni Sal.IUr.
Cuſtodẽ ſui conduxit, Archangelũ ære,& arà . A
Canonem iuravit [7] *de non alienandis:*
Nè alienando peccaret in Eccleſiam,& in ſeipſum.
Urbinũ nè annoſo iã ſeni occuparetur,vel Sedi,
Manus avidas fruſtravit oculo provido .
Urbiquè Urbinum [13] addidit :
Nè Eccleſia familiæ cederet in hæreditatem.
Auctum Regnum Hadrianà munivit arce,
Quæ in Æmiliæ limite,
Eſt Romanis hoſpitium, hoſtibus præcipitium.
In Provincias poſteà remiſit Epiſcopos ;
Quòd medicus ægrotũ curare nequeat in diſtãs.
Xenodochia ipſe inviſebat, ſciens:
Chriſtum hic ſtantẽ neminem ſanaſse per Apoſtolos.
Morboſum nullum ſacris initiavit : B
Ne ei diceretur ; *Medice cura te ipſum.*
Collegia vel reſtituit,vel fundavit ;
Ut eſſet, qui petentibus panem frangeret .
Sic ſanctiùs Anno [8] Iubilæi aperto
Orbem Cœleſti, Terreſtriq. excepit congiario,
1625.12 Pluresquè mortalium retulit inter [9] Sanctos:
Quorum faſtos palàm legi voluit ,
Ut Heterodoxi teſtes plauderent eis,
Quos colere,& æmulari erubeſcunt. (mate,
Exiit prima Eliſabetha triplici coronata diade-
Arragono, Luſitano,Olympico;
Nativitatis eſt primũ,Coniugii ſecũdũ,Mortis tertiũ
Quùm loricata ciliciis , roborata ieiuniis
Viro placere ſatagens,ſed plus Deo
Aulam vertit in Sylvas; C
Ubi modicà victitans cerere,& hauſtu frigidę,
Reliqua diſtribuebat in cibum pauperi.

Nongentis ipſa miniſtrabat quotidiè, Anni Sal.IUr.
Et fœdiſſima ulcera oſculo honorabat.
Vivens tantum valuit ,
Vt matrem à flammis eximeret:
Et moriens Chriſtum habuerit conſolatorem .
Huic itaq. palmã Urbanus inurbanus negaſſet.
Socios iunxit *Andreã Vrſinũ*,& *Fęlicẽ Cappucinũ*,
Flores iſti apparuerunt in terrà noſtrà .
Additus tandem Vaticano [10] cultus,
Et Petri cineri Mauſolæum .
Huius excubias agunt Angeli ;
Nè dubites ibi quieſcere Apoſtolorũ Principẽ ;
Fuſis ad triumphum Panthei [11] reliquiis,
In munimenta, & tormenta . 1628l.5
Hæc in hoſtes eiaculatur Angelus :
Illa in Dœmones calcat Apoſtolus.
Hinc Petrus [12] non ingratus ,
Urbem ſervavit ab Urbano ſervatus .
Uſquè ad mœnia graſſata mors,
Romam ingredi non eſt auſa;
Ex arce ejaculante Urbano,ex Vaticano Petro.
Annos quaſi XX. explevit fœlix in Pontificatu;
Reliqua labor,& dolor . (iram
Alex.III. [14] antiquata inſcriptio,cũ Venetos ad
Farneſios [15] Caſtrum concitaſſet in furorem : 1635l.12
Tota ferè Italia contabuit igne,& ferro .
Cum bello Parmenſi emiſit [16] animam,
Quam ſenio afflictam,& reluctantem
Traxerunt ad arma [17] Nepotes, 1644l.21
Parvo decore, nullo fructu .
Sinè tamen aculeo obiit Urbana Apis .

ADNOTATIONES IN URBANO VIII. PONT. ROM. CCXXXVII.

Urbani VIII. natalia. 1. M*Aphæus Barberinus* familià nobili Florentiæ naſcitur Anno Sal. 1568 ex patre *Antonio Barberino*, & *Camillà Barbadorà*, lectiſſimà patritii Ordinis fęminà, ſub quà triennis genitore orbatus, in ſedulà piæ matris diſciplinà parumper vixit. Prima literarum rudimenta Florentiæ didicit, & penè puer à patruo Franciſco Protonotario in Vrbem evocatus humanioribus literis imbutus, in Collegio Romano ſtudiis Philoſophicis operam dedit. Indè Piſis Iuriſprudentiæ lauream Annos natus XX. accepit non ſinè plauſu . Inter Liberalia Poeticam coluit magno ſtudio: nec vanus labor: Luſit Poeta Grecè , & Latinè, acutè, ac doctè , dum licuit per ætatem, & otium. *Gramondus p.* 602. *l.* 13. *hiſtor.* Abſolutis ſtudiis *Maphæus* ad Vrbem rediens, à Franciſco patruo ſuſceptus loco filii , cœpit obſequia præſtare *Odoardo Farneſio* , ipſi Cardinali non ingratus; quod eloquens, promptus , opere alacer, formà decorus artibus naturam exornaret , Anno primo ſupra vigeſimum, maioris Præſidentiæ inſtitutus Abbreviator , à *Sixto V.* inter Iuſtitiæ , à *Gregorio XIV.* inter Signaturæ Gratiæ Referendarios cooptatus, mox Fanentibus regendis Præfectus, deinde Septemvirali Romanæ aulæ Protonotariorum dignitate honeſtatus, Ferrariæ Matrimoniorum inter *Philippum III.* Regem Catholicum,& *Margaretam Auſtriacam* ; inter *Albertum* Archiducem Auſtriæ,& & *Iſabellam Claram Eugeniam* Hiſpaniarum Infantem coram *Clemente VIII.* Rom. Pont. initorum, uti Septemuir Protonotarius inſtrumenta conſcripſit . Poſt alia munera , Clericus Cameræ renuntiatus , Anno 1601. à *Clemente* VIII. Legatus ad Magnum *Henricum* IV. Galliæ, & Navarræ Regem , gratulaturus de nativitate *Ludovici* primogeniti , ſummà D laude munus ſibi abſolvit impoſitum . Vrbem regreſſus, iubente Clemente , ſuperſtagnantes Traſymeni aquas coercuit , idoneo excipiens emiſſario . Indè Archiepiſcopus Nazarenus renuntiatus, in Galliam rediit Nuntius Apoſtolicæ Sedis Ordinarius, & à Rege impetravit, Anno 1604. ut

2. *Ieſuitæ*, qui poſt *Io:Caſtelli* parricidæ ſuppliciũ ex Galliâ eiecti fuerant ignominiosà erectà pyramide antè palatium ſenatorium, reſtituerentur . Anno ſuperiore Rex ſpem quidem fecerat, ſed pleriſquè contradicentibus, cum reſtitutionem procraſtinaret: *Laurens Maius* ſocietatis illius vir primarius, de datà Ieſuitæ in Galliam reſtituti.

fide

fide Regem appellabat, iocoſè eius increpans tarditatem, quæ mulieribus per novem menſes uterum geſtantibus ſegnior eſſet. Rex autem non infacetè, reſpondit, *Reges diutius parturire, quàm fœminas*. Eâ autem benignitate ſunt revocati, ut perutile adhuc exilium glorificent. *Thuanus l.* 132. Anno poſteà 1605. Die Septemb. XI. abſens dictus Presb. Cardinalis, die 30. Octob ex Gallicâ legatione reverſus, galero purpureo, ac tit. S. Petri in Monteaureo, die XII. Novemb. ornatus An. 1610. die 5. Mar. relicto primo titulo, ad S. Onuphrii tranſivit, immò & Spoletanæ præfectus Eccleſiæ, quam latis legibus, & exemplo, Monialium cœnobiis ſeveriori adhibitâ diſciplinâ, Seminario per ſuum prædeceſſorem incohato, abſoluto; duobus aliis in Viſio, & Hiſpello inſtitutis, Eccleſiaſticam reſtituit diſciplinam. Canonum nè ſtudium frigeſceret, non ſolùm in ipſâ civitate, ſed in totâ diœceſi, Congregationes erexit, in cuius conſeſſu quæſtiones explicarentur. Cathedralem etiam ſacris veſtibus munificentiſſimè auxit, de inſtaurando templo conſilia miſcuit, quæ Pontifex factus abſolvit. Verùm cum univerſalis Eccleſiæ implicaretur negotiis, ut Eccleſiam ſibi creditam non niſi per Vicarium regere permitteretur, Anno 1617 onere ſe abdicavit, non amore. Quare Pontifex renuntiatus, cum ad eum legatio honorifica quatuor primorum miſsa eſset, eo excepit affectu, ut ſplendidis honorariis oneratos remiſerit, & protectioni nepotis Cardinalis Barberini ſubiecerit: Civitas, autem in foro ſequentia poſuit.

Vrbano VIII. *P. O. M.*

Cui Vrbis vota, & ſuffragia virtutis Apoſtolicum Principatum petierunt, quem prudentia rerum uſu, & literarum artibus excultum ad iuſtitiæ tutelam, & Religionis gloriam Cæleſtibus conſiliis inſtruit Barberinæ familiæ, quæ Gentiles ſuos Hetruſcę nobilitatis ſplendoribus exornans et Chriſtianarum virtutum ſtudiis excolens tantum Pontificem Eccleſiæ Orthodoxæ tres Cardinales Apoſtolico Senatui, tres bellicos Duces Romanæ militiæ educavit.

S. P. Q. S.

Tum in ſacerdotali, tum in civili urbis ſuæ Magiſtratu Barberinam beneficentiam fœliciter expertus manſurum hoc grati animi monumentum poſuit.

Spoletino abdicato regimine, Legationem ſubiit Bononienſem, quam ei Paulus demandavit abſenti, & ignoranti. Indè à *Gregorio* XV. Collegii Græcorum in Vrbe Monachorum S. Baſilii, Græcorumquè omnium Orientalium Patronus inſtitutus, & inter Patres pro fide propagandâ relatus, nihil ex iis, quæ munera illa poſtulabant, prætermiſit.

3. *Apes.* Mortuo *Gregorio* XV. Die 29. Iulii, Cardinales numero quinquaginta duo, quibus poſteà tres acceſſerunt; ſed dempto Peretto, qui morbi causâ ſeceſſit, quinquaginta quatuor convenerunt pro electione Pontificis. Difficilis credebatur fore concordia, ob recentem Bullam *Gregorii* XV. quæ ſecreta, & libera imperabat ſuffragia. Tum quia diſtractæ apparerent ſententiæ Patrum. Verùm Deus, qui rebus utitur naturalibus ad prædicendos futuros eventus (ut ait Damaſcenus) immiſſis columbis, quę in feneſtris *Barberini* conſederunt; nec non Apum examine, quæ (inſigne iſtę Gentilitium Barberinæ Domus) ex Tuſciâ advolantes, ſuprà cellam eiuſdem Barberini quieverunt; demonſtravit, qualem *Gregorio* quæreret ſucceſſorem. Die itaquè ab ingreſſu Conclavis, in *Maphæum Barberinum* unanimes conſenſere. Secreta Cardinalium ſuffragia publicus compleverat acceſſus: verùm cum in enumerandis tabellis, una ignoto caſu deficeret, quæ nulla diligentiâ potuit inveniri: *Farneſius* credidit votum deficiens pro adverſo habendum, propterea proſequēdam electionē, cum talis acceſſus ſuâ naturâ ſubſiſteret. *Barberinus* autem ut turbas declinaret;

Papa prædicitur.

Eligitur

4. *Errorem purgari electionis* voluit, Bullamquè obſervari, quæ acceſsum imperat repetendum. Huic ſententiæ acceſſerunt omnes, & nominatim *Farneſius*, qui altâ voce, *Repetamus (inquit) acceſſum, quo maiori gloriâ perficiatur electio.* Inſtauratis itaquè ſuffragiis, nullus à ſententiâ receſſit priori, quinquaginta unanimiter conſpirantibus. Acceptâ electione, ad Altare proceſſit, ut in re tam arduâ Deo ſe commendaret, priuſquàm veſtibus indueretur Pontificiis. Oravit piè, cum lachrymis; ut ſi Deus eum minùs profuturū prævideret Eccleſię, ne vivū pateretur exire. Poſt electionem illud Davidis accepit; *In Domino ſperavi, non infirmabor.* In Deū gloriâ electionis reſundens, nummum percuſsit, inciſo lemmate, *Qui facit mirabilia ſolus.* Sculpta eſt in eo, Chriſti Transfiguratio, quià die dominico Redemptoris Transfigurationi ſacro, electus eſt. In altero nummiſmate habes

Errorē purgari mandat

5. Archangelum Michaelem, quia die 29. Septemb. D. Michaeli ſacrâ peracta eſt Coronatio, quem ideò Thiaram novo Pontifici è Cœlo offerentē effinxerunt. Dilata autem fuerat uſquè in hanc diem, ob morbum in quem à die inciderat electionis. Propterea (teſte *Victorello*) S. Michaelem, cœleſti militiæ principem præcipuâ veneratione coluit, eiuſquè imaginem muſivo opere, in Baſilicâ Principis Apoſtolorum apud aram S. Petronillę, artificis manu perfecit, ſe antè illum genibus innixum expreſſit, verbis adiectis, *Te mane, Te Veſpere invocando.* Electus eſt Pontifex Annos integros natus 55. ſpetie venerabilis, naturâ robuſtus, *Vrbanus* dici voluit, ut ſe facilem moribus non minùs, quàm nomine futurum annueret, patrem omnium, præcipuè Vrbis, nulli partium mancipatum, quo pręcipuo ſtudio, Cardinalium cauſis ſe non implicando, conſcenderat Pontificatum. Eâ die, quâ *Vrbanus* electus eſt:

Urbanus dicitur.

6. *Federicus Alberſtatenſis* pſeudoepiſcopus acerrimus clericorum hoſtis (lemma enim aſſumpſerat in inſignibus; *Amicus Dei, Hoſtis Clericorum*) in Germaniâ victus, & profligatus abiit, pro auſpicio fœlici Vrbani Pontificatus, *Victorellus.* Primum opus Pontificatus, pauperes recreare, viritim diſtributo congiario. Iuravit poſteà

7. *De non alienandis*, iuxtà Pii V. Conſtitutionē. Quadraginta Horarum preces in Baſilicis Lateranâ, Vaticanâ, S. Marię ad Pręſepe, & in duobus aliis cuiuslibet Regionis Romanę Vrbis Templis, quartis, ſextiſquè feriis, Sabbatiſquè duarum hebdomadarum habendas indixit. Ordinem Conceptionis in Turcas inſtitutum à *Carolo Gonzagâ* vel ab *Vladiſlao* 4. Poloniæ Rege confirmavit: maiori tamen pompâ quàm emolumento. Præter enim nomen Mahumetani nihil audivere, quorum in perniciem comparatus erat. 70. viris Ordo conſtabat, qui pendulam ex aureo torque ferebant imaginem Virginis Conceptæ, in medio Crucis rubeæ, dæmonem pedibus cal-

calcantem, verbis adiectis: *Vicisti, Vince, Hoc inſigni verè noſtro*. Viſitavit poſteà Eccleſias omnes, Monaſteria, Xenodochia, Collegia, vel per ſe, vel per Vicarios. Epiſcopos in ſuas diœceſes ad reſidendum remiſit. Die 19. Decemb. An. 1625. excepit Oratores Principum, Venetos, Etruſcos, Lucenſes, Genuenſes, Melitenſes, Gallos, Hiſpanos, Polonos, Helvetios.

Iubilæũ aperit. 8. *Anno Iubilæi aperto.* Die 24 Decemb. pervigilio Redemptoris Naſcentis, tres Legatos de latere, Cardinalem à Monte S. Collegii Decanum ad S. Paulũ: Cardinalem Lenium Archipresbyt. Lateran. ad S. Io: in Laterano: & Cardinalem Millinum, ad Baſilicæ S. Mariæ Maioris, fores ritu celebri reſerandas inſtituit. Ipſe ad *Portam Sanctam* Baſilicæ Vaticanæ, acceſſit, & ter malleo percuſſam reſeravit. Ingreſſurus, *Te Deum laudamus* cecinit, dexterà Crucem, lævà ceream deferens facem. Aderant Veneti Oratores *Hieronymus Cornelius*, *Franciſcus Ericius*, *Hieronymus Saperantius*, inſignes D. Marci Procuratores, & *Raynerius Zenus* Eques. Aderat Poloniæ Princeps *Sigiſmundi* Regis filius, *Vladiſlaus*, quem Papa in Vaticano exceptum Regio ſumptu alebat. Hunc in Aulà Conſiſtorii convivio excepit, enſem, galerũ nocte ſacratũ Dominicà eidem donavit. Toto hoc Anno Epiſcopis, & Sacerdotibus pauperibus ad Vrbem Religionis causà venientibus, hoſpitiũ patere voluit, in quo cōmodè habitarẽt, & liberaliter alerẽtur. Iubilæi Nummiſmata tria fuere in quolibet *Porta ſancta*, ſic dicta quia Sāctos facit, vel ad Sāctos ducit. In uno legebatur, *Qui ingreditur ſinè macula*. In ſecũdo, *Hominibus bonæ voluntatis* n. 9. In tertio *Reſeravit, & clauſit*. n. 2. Panormi autẽ cũ graſſaretur peſtilẽtia: Templum S. Mariæ Tranſtyberim pro Baſilicà S. Pauli, extra Vrbis mœnia, unum ex quatuor Templis, Iubilæi tempore, inviſendis eſſe voluit. Indè ſacris exercitationibus inſtitutis, ædem S. Rochi inviſit, populum ad placandum Deum excitavit, ſtatutas Eccleſias ſæpe luſtrando Xenodochium S. S. Trinitatis inviſendo, in quo abluit peregrinorum pedes, menſam ſacravit, cœleſtes, terrenaſquè opes impertiit, ut ex aureo Vrbani ſimulacro à Sodalitate poſito, in Triclinio maiori, cum inſcriptione ſequenti.

Vrbano VIII. P. M.

Cœleſtis Humanaque rei diſtributori Liberaliſſimo, quod Anno Iubilæi MDCXXV. apertis utriuſque munificentiæ valvis Xenodochium hoc ære plurimo iuvit. Novà ſuppellectile auxit, Præſentià ſæpiùs illuſtravit; Sodalitas grati animi monumentum poſuit.

Leopoldus Auſtriacus Romæ. Eodem Anno metu peſtilentiæ ſublato, Pontifex Portæ Sanctæ celebritatem Templo S. Pauli vià Oſtienſi reſtituit: *Leopoldum Archiducem* Auſtriæ, fratrem Ferdin. Imper. religioſis moribus inſignem in Ædibus Vaticanis magnificè excepit, & in ſacello Pontificio non ſolum eum, ſed comites, famulos refecit Euchariſtià. Poſteà in Aulà ſecretioris Conſiſtorii in Vaticano convivio excepit. Anno labente, die 24. Decemb. adſtante Leopoldo Auſtriaco, *Portam Sanctam* Vaticani clauſit, dum Legati alias claudebant. Suprà fornicem clauſæ portæ, hæc fuerunt inciſa verba.

Vrbanus VIII. P. M.

Portam Sanctam reſeravit, & clauſit. Anno Iubilæi. MDCXXV.

Sanctos Canonizat. 9. *Inter Sanctos* retulit An. Iubilæi 1625. *Eliſabetham* Reginam Luſitaniæ, undè nummus n. 15., cuius in anticà parte *Vrbani caput*; in alterà imago *S. Eliſabethæ*, cum epigraphe. *Eliſabet Regina Luſitaniæ à Deo ſantificata* Anno 1629. *B. Andreæ Corſino* Florentino, Ordinis Carmelitarum, Epiſcopo Feſulano, ſacros honores, menſe Aprili decrevit; ædemquè ſacrã ſub eius invocatione inauguravit. Nummũ habes n. 38., in quo Papa vel acta legit, vel ex Pōtificali benedicit: adiectis verbis: *B. Andreà inter Sanctos relato*. Beatos dixit *Fælicem Cantalicienſem Capucinum: Mariam Magdalenam de* Pazzis: *Ritam: Caietanum Thienæum* Congregationis Clericorum Regularium unum ex fundatoribus; *Franciſcum Borgiam Gandiæ ducem*, Generalem Societatis Ieſu. Viginti ſex martyres Iaponiæ, quorum aliqui è Sacro Minorum Ordine; tres è Societate Ieſu; & plures ſæculares in cruce haſtis transfixi triumpharant. *Victorellus*.

Templum Vaticanum conſecrat. 10 *Additus Vaticano cultus*. Vaticanum templum à Conſtantino Magno erectum, religioſà Pontificum munificentià in ampliſſimam formam auctum, ſolemniter conſecravit Anno 1626. Die 18. Novemb. ut ibidem legitur.

Vrbanus VIII. P. M.

Vaticanam Baſilicam à Conſtantino Magno extructam, à B. Silveſtro dedicatam, in ampliſſimi Templi formam, religioſà multorum Pontificum munificentià redactam, ſolemni ritu conſecrat. Concordant nummi, quos poſteris exhibeo in pag. 527.

Ædificia Vrbani VIII. Reſtauravit etiam ſacella ſubterranea in angulis tholi, & ſtatuas marmoreas eis ſuperimpoſuit. Chriſti imaginem, quæ *Veronica* in linteo ſanguineis notis conſperſo tradita fertur, cōditorio includit, addito ipſius Veronicæ ſimulachro, cũ altari, cuius inſcriptio *Salvatoris imaginem Veronicæ ſudario exceptam, ut loci maieſtas decenter cuſtodiret; Vrbanus VIII. P. M. Conditorium extruxit, ornavit. Anno Iubilæi* 1625.

In altero angulo, in quo Helenæ Imperat. marmoreum eſt ſimulacrum.

Partem Crucis, quam Helena Imperatrix è Calvario in Vrbem evexit; Vrbanus VIII. P. M. è Seſſorianà Baſilicà deſumptam Additis arà, & ſtatuà, hic in Vaticano collocavit.

In tertio angulo Andreæ Apoſtoli ſtatuam amplectente.

S. Andreæ caput, quod Pius II. ex Achaià in Vaticanum aſportandum curavit. Vrbanus VIII. P. M. novis hic ornamentis decoratum, Sacriſquè ſtatua, ac ſacelli honoribus coli voluit.

In quarto ſtat Longini ſtatua

Longini Lanceam, quam Innocentius VII. P. M. à Baiazete Turcarum tyranno accepit. Vrbanus VIII. ſtatuà appoſità, & ſacello ſubſtructo in exornatum Conditorium tranſtulit.

Sacram etiam B. Petri Confeſſionem nobili Mauſolæo ex ære Corinthio, auro ſuperinducto decoravit Architecto Bernino. Quæſtus (accuſant) non ignobilis: quod ad opus conficiendum trabes æneas ſuſtulerit antiquas ex *Pantheone*, (nunc ędes S. Marię, *Della Rotonda*) quę totiès irruentibus barbaris, adhuc ſupererant inconcuſsę. Hinc voces populi clamantis, *Quod non fecerant Barbari, fecerant Barberini*. Iniurià tamen cum

11. Pan-

11. *Panthei* reliquias non ſolum fuderit in Ornamenta Principis Apoſtolorum, ſed in munimenta Hadrianæ arcis, quam novis munitionibus, & propugnaculis firmiorem reddidit: vt ex epigraphe ei appoſitâ.

Vrbanus VIII. P. M.

Propugnaculum duo hæc intercludens ſub Pontis fornice ſpatia, inutiliter antiquitùs fabrefactum, ſolo æquauit; Fluminis lapſu ex parte reſerato, quod munitam magis arcem efficit, & exundationes ingruentes cohibet. Nè poſteri provenientis hinc utilitatis ignari, ſecus quòd moliantur. Hoc voluit extare monumentum Anno 1628. *Hinc*

12. *Petrus non ingratus* Vrbem ſervavit à peſtilentiâ Anno 1625. quæ ex Siciliâ, vſquè ad mœnia graſſabatur Romana. *Victorellus*. Hadrianæ arcis opus abſolutum eſt Anno 1633. vt ex ſequenti nummiſmate n. 39. *Inſtructa, munita, Perfecta*. pag. 565.

Portum Centum Cellarum, vulgò *Civitâ Vecchia* à prædeceſſoribus Pontificibus inchoatum, ac munitionibus inſtructum abſolvit tandem, vt ex nummiſmate n. 21. *Nunc re perfectio*.

In agro Bononienſi arcem munitiſſimam, quæ ex ſuo nomine *Vrbana* eſt dicta ad tutelam condidit ditionis Pontificiæ. Ariminenſem etiam olim *Sigiſmundam*, nunc *Vrbanam* dictam; Anconitanam, Vrbevetanam inſtauravit.

Publicæ ſecuritati conſulens, Vrbem mœnibus cinxit, ut ex inſcriptione poſitâ Portæ Ianiculenſi.

Vrbanus VIII. P. M.

Abſolutis civitatis Leoninæ munimentis, mœnibus, ac propugnaculis ad Tyberim uſquè excitatis, imminentē Vrbi Ianiculum, & Tranſtyberianam regionem circundu- C *cens, publicæ ſecuritati proſpexit An. D.* 1644. *Pont.* 21

Concordat nūmus *Additis Vrbi Propugnaculis*. n. 29.

Vbertoris Annonæ commodo, nova, & ampliſſima horrea ad thermas Diocletiani, veteribus adiunxit. Nummo n. 17. iunge Inſcriptionē ibidem appoſitā.

Vrbanus VIII. *P.* M.

Veteribus horreis à Gregorio XIII. & Paulo V. conſtructis, nova hæc tantundem ſpatii continentia, ut uberiùs Annonæ conſuleret, adiecit. An *Sal.* 1629. *Pont.* 8.

Inventis apud montem Leonis ferri fodinis, eas uſui reddidit opportunas, & vias ſtravit cuius teſtimonium nummus 35. & inſcriptio.

Vrbanus VIII. P. M.

Inventis & recluſis in Vmbriæ finibus propè Montem Leonis Ferri fodinis, ædificium, & fornacem ad excoquendam materiam, & ferrum fundendum excitavit, Pontem ac viam exportationi idoneam ſtravit An. S. 1624.

Palatio Quirinali, vulgo *Monte Cavallo*, plura addidit ædificia familiæ Pontificiæ accomoda (alio trāſlato Capucinorum Monaſterio) quæ firmis, altiſquè mœnibus ad ædium Pontificiarum ſecuritatem vallavit. Hortos amœniſſimos, arboribus conſitos, ac fontibus irriguos adiunxit, vt ex nummiſmate 30. *Ad adiū Pontificum ſecuritatem*. Die poſteà S. Franciſco ſacrâ, ad preces fratris ſui Antonii Cardinalis à S. Onuphrio, quem ex regulâ Capucinorum ad purpuram evocaverat, primum lapidem iecit novæ Eccleſiæ, quam *Virginis Conceptæ* nuncupaverant. Nummo 11. iunge Inſcriptionem in fornice interiori Templi.

A Ædem *S. Bibianæ*, & ſociarum collabentem reſtituit: Hanc *Olimpina* matrona ſanctiſſima in honorem SS. Bibianæ, Olympiæ, & Dafroſæ primū excitaverat: eandem *Simplicius* Papa reſtauraverat. Honorius III. An. 1224. conſecrarat. *Vrbanus VIII.* In elegantiorem formam reſtituit; ac Beatarum corpora ex Liberianâ Baſilicâ, ſolemni pompâ in propriâ Eccleſiâ repoſuit. Nummus concordat, cuius epigraphes, *Ædes S. Bibianæ reſtituta, & ornata*, & Inſcriptio

Vrbanus VIII. *P. M.*

Corpora S.S. Bibianæ, Demetriæ, & Dafroſæ in hac Olympianâ Baſilicâ tranſvecta, indequè priſtinam ad ſedem relata labro onnychio, aneiſq. loculis incluſa, pietati Vrbis expoſuit An. 1626. *Pontif.* 4. 3. *Idus Novemb.*

B Reſtauravit templum S. Anaſtaſiæ à *Damaſo* olim Papâ coſtructum, ab Hilaro, & Leone III auctum, vt ex nummiſmate 22, *Æde exornatâ, facie reſtitutâ* 1636. & inſcriptione

Vrbanus VIII. *P.* M.

S. Anaſtaſiæ templum à SS. P.P. Damaſo, Hilaro, & Leone III. *religione ornatum, meliorem in formam reſtituit: collapſam frontem à fundamentis extruxit. Duas turres ad molarum uſum erexit. Interiora ornamenta adiunxit* An. *S.* 1636. *Pontif.* 14.

In Eccleſiâ Lateranenſi cum inſigne ſervetur Baptiſterium, *Conſtantinianum* dictum, quòd in eo Imper. *Conſtantinus* undis ſalutaribus ablutus, regiâ conſtruxit munificentiâ. Labrum erat ex porphyretico excavatum, argento inſtructum puriſſimo, trium millium, & octo librarum pondo. In huius medio aſſurgebat columna porphyretica, cui impoſita erat lampas aurea librarum 50. in quâ balſamum iugiter ardebat. In ſummo autem fontis labro agnus aureus librarum 30. aquam fundebat. Stabat verò ad illius dexteram argentea Salvatoris imago altitudinis quinque pedum, ponderis librarum 110. Ad ſiniſtram ſtatua pariter argentea S. Io: eiuſdem ferè molis. Septem quoquè cervi argentei ſinguli librarum 80. eleganti coronâ fontem iungebant. *Sixtus* III. P. M. lavacrum hoc columnis circumdedit porphyreticis. *Hadrianus* IV. reparaſſe traditur. Vrbanus tandem VIII. auro, picturiſquè exornavit, ac ſolum marmore ſtravit verſicolore. Ecce nummus 32. *Ornato Conſtantini lavacro, & inſtaurato*.

Inſtauravit etiam ædem S. Caii P. ut ex nummo 34. ſuſpice: Adiunge inſcriptionem:

Vrbanus VIII. *P.* M.

Demùm in Vrbe S. Caii P. & D. in eccleſiam olim conſecratam, ac in titulum erectam, ſacràquè ſtatione ce- D *lebrem, vetuſtate collapſam à fundamentis excitavit: illatis eiuſdem S. Caii reliquiis.* An. 1631. *Pontif.* 9.

Arcam Porphyreticam ornatam ſtatuis æneis, Maſſiliam direxit, ut in eâ ſacri Magdalenæ cineres reconderentur.

S. Martinæ corpus in pervetuſtâ Eccleſiâ, ad carcerem Mamertinum, & ſociorum martyrum Concordii, Epiphanii, repertum, eodem loco decentiùs ritu repoſuit ſolemni, ut ex nummiſmate n. 1., *Ora pro me B. Martina*. Alium nummum percuſſit, quem habes n. 31. ovalem, atq; minutū, qui ab unâ Vrbani exhibet faciem; ab alterâ Iconem B. Mariæ, quæ propè Savonam cuidam agricolæ ſe ſe contuendam exhibuit, cum mandato, ut erigeretur ad cultum. *Mater Miſe-*

Miſericordia Savonæ:epigraphes eſt nũmiſmatis.n,13

Monaſterium in oppido *Lucches* Diœceſis Toletanæ erectum à *Gaſparo de Guzman*, & *Agnete de Zunigà* coniugibus,ſub regulà S. Dominici, cum onere Imaginem Conceptionis geſtandi antè pectus in ſcapulario,& ſub pœnà excommunicationis nunquã deponendum,adprobavit,& mille annuos aureos donavit,nummum percuſſit,in quo legitur,*Monaſterium Incarnationis Ieſu Chriſti* V.C. F.E. ideſt,*Verbum caro factum eſt*. *Habes* 14.

Collegia inſtaurat.

Collegium Illyricum à *Gregorio* XIII. in Vrbe Lauretanà inſtitutum poſteà Romam translatum, auxit,Lauretoquè reſtituit, ubi triginta ſex alumnos Domus alebat Lauretana, cum Romæ duodecim tantùm Collegium aleret Clementinum.

Congregationi Vrbanæ (quæ eſt in eccleſià S. Nicolai ad Cæſarinos, donavit Eccleſiam S.Laurentii in Fonte, & in Carcere dictam, quæ ab eàdem Congregatione reparata eſt, & vià præ foribus ſilicibus ſtrata, appellata eſt Vrbana, canente Filiucio Flaminio.

Patritium à Patribus Vicum dixere Quirites,
Vrbanum Vrbano à Principe Roma vocat.

Monaſteria.

Domum Mulierum de Penitentià, vià *Longarià*, in quam mulieres accedunt è cœno emergentes impudicitiæ, ſtabilivit nutantem, eiſq; *Laudivium Zacchiam* Cardinalem S. Sixti patronum dedit.

Monialibus diſcalceatis S. Franciſci, Madriti,inſtante *Philippo* IV. Hiſpaniæ Rege, mille aureos annuos donavit. Fuldenſe Collegium Pontificium pro natione Germanicà reſtituit, atquè Viennenſe, & Pragenſe (teſte *Victorello*) adiecit.

Bibliothecam.

Vaticanam Bibliothecam Grecis M. SS. codicibus locupleclavit, Palatinam adiecit, vt ex Inſcriptione ibidem appoſità.

Vrbanus VIII. P. M.

Complura Palatina Bibliotheca volumina, nobiles Hidelbertica victoria manubias Gregorio XV. & Sedi Apoſtolica à Maximiliano Bavaria Duce donata Romam advexit, opportunis armariis in Vatic. concluſit, Locum *rudem anteà, atquè informem in hanc ſpetiem redegit, perſpicuo ſpeculariorum nitore exornavit*. An. D. 1624. *Pontif.* 1.

Gymnaſia.

Gymnaſium Romanum,quod Sapientiam vocant, ornavit: in quo hæc inſcriptio.

Vrbano VIII. P. M.

Ob ſapientiæ gloriam, & Patrocinium.

Fontes.

Fontem ex Aquà Virgine, in *Foro Trinitatis* ad radices collis Pincii, in uſum Quiritum corrivavit. Navis hic ex quadrato lapide, quæ ex bellicis tormentis,atquè ex Apibus aquam effundit.

Bellica Pontificum non fundit machina flammas
Sed dulcem belli, qua perit ignis, aquam.

In Vaticano alium fontem excitavit,qui per Apes aquam effundit.

Quid miraris Apem, qua mel de floribus haurit,
Si tibi mellitam gutture fundit aquam.

Mathildem Mauſolæo donat.

In Baſilicam Vaticanam oſſa intulit *Mathildis* celebris Comitiſſę,quæ Patrimonii,Liguriæquè provincias,& ditionem Ferratienſem Romanæ donavit Eccleſiæ,& nobili condidit Mauſolæo.

Vrbanus VIII. P. M.

Comitiſſa Mathildi virilis animo fœmina Sedis Apoſtolica propugnatrici pietate inſigni, liberalitate cele-

Aberrima hæc ex Mantoano S.Benedicti cœnobio tranſlatis Oſſibus gratos aterna laudis promeritum Mon.Pos. Anno 1635.

Navim Petri ex muſivo lapillo (*Iotti* opus) pluviis & turbinibus ereptam,inſtauratamquè, in Vaticano, ſeu in portu collocavit: illuſtri ſimbolo, Eccleſiæ navim quidem ſæpè iactari,lacerari non nihil, inimicũ imbrem ſubire, aliquà ſui parte mergi, & ſemper emergere victricem.

Arcem Caſtri Gandulphi,ſitu gratiſſimo,aereque ſaluberrimo ſitam ædificiis ampliavit,ornavit,hortis inſtruxit amęnis,ad Pontificum ſeceſſum, & relaxationem, vt ex nummiſmate 20. in quo, *Suburbano receſſu constructo*: & Inſcriptione,

Vrbanus VIII. P. M.

Semitis complanatis, cæteriſquè ad uſum villa comparatis, ſuburbanas ædes commoditati Pontificum ex- B *truxit Anno* 1629. *Pont.* 7.

Archivum etiam Cardinalium inſtituit: quod probat Inſcriptio.

Vrbano VIII. P. M.

Quod Archivum ſacri Collegii camerarius eiuſdem interregni tempore in Vaticano deſtinaverat, Pontifex aperuit S. R. E. Cardinales grati animi monumentum poſuere 1624.

Deambulacrum Pontificium Vaticanum Coſmographicis tabulis inſigne,porticumquè antè Apoſtolicam Bibliothecam firmis tectis armans ab interitu vindicavit. Vaticanum propugnaculum inſtauravit. Propterea Senatus Rom. in templo Virginis ab arà Cœli inſigne ei geſtorum monumentum poſuit.

Vrbano VIII. P. M.

Quod Vrbem, graſſante per Italiam acerbiſſima peſtilentia lue, incolumem ſervaverit, & ſparſa alicubi con- C *tagionis ſemina propè extinxerit. Quod dominatum Eccleſia peropportuna ditionis acceſſione amplificaverit. Quod Italiã eductis iam adprælium adverſarum partium exercitibus,in ipſo pugna procinctu ſummà fœlicitate pacaverit. Quod Romam Aelià Arce in meliorem formam redactà, magno aneorum tormentorum paratu, & copioſiſſimo Armamentario, fines verò Arce Vrbanà à fundamentis excitata, Vrbeſquè alias complures firmiſſimis operibus muniverit. Quòd Traiani porta ad Centumcellas reſtituto, perfectoquè, variis opificiorum generibus ubiquè inductis,rei frumentaria inopià, ingenti ſumptu ſublevatà, quà Templis adificatis,quà refectis,ornatiſq; iuſtà,ac temperatà,verequè paternà dominatione populorũ commodis vigili cura proſpexit.*

S. P. Q. *R.*

Aeternum memoriæ, gratiquè animi monumentum D *poſuit*, *Anno Salutis* 1634.

Gregorii XV. Vrbanus ſucceſſor, ac Rhætici diſſidii, quod in Hiſpanos concitaverat Venetos, & Gallos, nè clauſis Alpibus, & ſpetie Religionis ab Hiſpano occupatis, milite prohiberentur externo, & in Hiſpanam caderent clientelam, poſt reperita certamina,Vallem depoſiti titulo,*Gregorio XV.* traditam cum modò repoſcerent fœderati,vt dominio reſtitueretur priori; *Vrbanus* (quem lactabant Hiſpani oblatis nuptiis Stilianæ Principis,quę cum ditiſsimis oppidis in regno Neapolitano, etiam Sabionedę fortalitium ferebat in dotem)eadem cauſatus, quæ anteceſſor *Gregorius*, brevi viſus eſt, in partes declinaſſe Hiſpanorum:qui nè poſſeſsione cederent de

Diſſidia prò Valle Tellinà.

Infeudandâ Valle cum Eccleſiâ Romanâ; vel Vrbani nepotibus conſignandâ verba faciebant. Neutrum cum placeret fœderatis, medio hyeme, luſtrato exercitu decem millium bellantium, irruẽtes in Curiam incautos expulerunt Auſtriacos; & indè totâ Valle propulſarunt. Pontificem autem nè irritarent, inſignia Eccleſiæ & milites honorificè teſtituerunt. Minimè tamen contentus *Vrbanus* illatas accuſabat iniurias, miſſo in Gallias *Bernardino Mario*, qui unà cum Nuntio Ordinario arces à Rege repeteret uſurpatas. Excuſabat Rex ad libertatis præſidium, contrà Hiſpanam verſutiam, Valtellinorum aſſumptam tutelam: blanditias miſcebat, Vrbani nepotem excitando ad nuptias cum *Dominâ de Rieux*, & ultrà dotem, quâ ditior non erat in Galliâ, Regias vires offerebat, ut Vrbini ducatus cederet in hæreditatem Vrbani nepotibus. Credebat namquè Vrbanum totum familiæ intentum, quòd exordio

B Pontificatus Cardinalem Vrbanus creaſſet *Franciſcum Barberinum* nepotem ex fratre: Anno ſequenti, die 5. Octob. pariter Cardinalem creaſſet *Antonium Barberinum* fratrẽ ſuũ, qui *Cappucinus* erat. Alium fratrem *Thadæum* nomine *Generalem* dixiſset S. R. E. & Romæ Præfectum; Thadæi filios cumulaſset honoribus & dignitatibus; *Antonium Barberinum* Franciſci fratrem. Anno 1628. dixiſset pariter Cardinalem, ut brevi tres eſſent Cardinales Barberini; unus frater Pontificis, & duo nepotes; qui tempore belli Rhetici, ob immaturã ætatẽ maieſtatis arcana, põdus regiminis ſubire nõ valerẽt, Cardinali *Magaloto* affinis Barberinæ domus cõmiſerãt.

Cardinales Barberini ab Urbano creati.

Hunc palpibant Galli, Hiſpani, ut traherẽt in partes. Hiſpanis tamen magis inclinabant Barberini, nuptias affectantes *Stilianæ* Principis; quod Vrbini Feudum reclamantibus decretis Pontificum, *De non alienandis*; cui & ipſe *Vrbanus* iurando ſubſcripſerat, occupari non poſſet ſinè diſcrimine (*Baptiſta Nanius*) Militem itaquè *Vrbanus* centuriare decrevit, nè ſperneretur inermis. Eodem tempore legavit in Franciam Cardinalem *Franciſcum Barberinum* nepotem cum plenitudine poteſtatis, ut diſſidentes inter ſe Gallos, Hiſpanos, & Genuenſes reconciliaret: nullo tamen operæ pretio. *Brietius*, *Nanius*. Romam reverſus in Hiſpaniam abiit, regiam prolem ex ſacro fonte, Pontificis nomine ſucepturus. Interim Montione Anno Sal. 1625. (Vrbs eſt Aragoniæ) à ſolis Regum miniſtris, inſciis, & frementibus Legato Pontificio, & Venetis fœderatis pax componitur eà conditione, *ut Vallis Tellina omnia in integrum reſtituantur; ſalvâ Religione Catholicâ, quæ ſola coleretur. Arces, propugnacula depoſiti nomine Pontifici traderentur diruenda. Certa penſio Rhætis ſolveretur à Valle Tellinâ; in reliquis foret libera, & immunis, undè ipſa ſibi eligeret radices ſuos*. Huc faciunt nummiſmata 13. & 14. quorum alterum iuſtitiam exhibet, cum epigraphe, *Fiat pax in virtute tuâ*. Alterum cum epigraphe. *Poſuit fines ſuos pacem*. Hoc Anno 1625. percuſſum; illud An. 1624.

Legatio Franciſci Barberini in Galliâ An. 1625.

Rhetorum cauſa compoſita.

Iiſdem fermè diebus convenere Pariſiis generalia Cleri Gallicani comitia, quibus interfuere tres Cardinales, octo Archiepiſcopi, triginta Epiſcopi: ex ſecundo ordine centum erant. Plura agitata in reformationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Pecuniæ vis ingens, pleriſquè Oratorum obluctantibus, dono in

Cleri Gallicani comitia.

A Regem collata. Ipſo conventus exordio vulgantur libelli incertis auctoribus, quibus in Regem, eiuſquè miniſtros querelæ. Libellis tituli erant: *Myſteria politica, & G. G. R. Theologi ad Ludovicum 13. Galliæ, Regem Chriſtianiſſimum admonitio fideliſſimè, humillimè, veriſſimè facta, quà breviter, & nervoſè demonſtratur Galliam fœdè, & turpiter impium fœdus iniiſſe, & iniuſtum bellum hoc tempore contrà Catholicos moviſſe, ſalvàquè Religione proſequi non poſſe. Auguſtæ Francorũ cum Catholico Magiſtratu. An. 1625.* Doctrinæ hæc ſumma erat. *Hereſeos extrà Galliam fautorem eſſe Ludovicum, cum Batavis Ordinibus contrà Regem Catholicum: cum Palatinum in ſua feuda reſtituere tentat; cum opem infert Reipublicæ Venetorum, & Sabaudiæ Duci contra Genuenſes, & Valtellinos: bella hæc (quocumquè colore obumbrentur) impia eſſe: iuri Divino, & humano contraria. Caſtigandos deſuper in virgà ferreà Reges*

Libelli in Regẽ Galliæ, & Venetos.

B *Galliæ, non ſecùs ac Ioſaphat* Regem *Iuda. Senatum Venetiarum, & Sabaudiæ* Regulum *hypocritas eſſe, & procul fide Catholicâ, rei ſuæ ſtudioſos pro ambitione, quæ una ipſis loco Religionis eſt.* Concludit tandem; *Regem Galliæ ipſo facto eſſe excommunicatum, quià Deo* bellum mover, cum movet Catholicis; ſi perſeverec infernum fore ipſius portionem. Exin hortatur *Vrbanum* VIII. R. P. ut gladio utatur, velut in membrum putridum. Hæc ubi innotuere Clero, placuit confutare libellum privatim, & publicè. *Leonardo, Stampeſio* Epiſcopo Carnotenſi cenſurâ comiſsâ. Adprobata cenſura fuerit? dubium. Latinam redditam, expreſsè reprobavere Comitia. *Regiam auctoritatem* (ſunt verba Gramontii) *vindicabat eleganter Stampeſius doctrinâ, quam non admittit* Roma; *undè apud* Politicos *optimè audit, malè apud Epiſcopos: Hinc magna controverſia inter* Epiſcopos, *&* Parlamentum; *hoc*

C *approbante Cenſuram, illis planè improbantibus: undè Curiæ placita contrà* coniuratos Epiſcopos pleraquè quibus Cenſuræ ſubſcribere iubebantur, aut conventum diſſulvere. Obſtitere acriter viri fortes, donec Rex gliſcente magis, ac magis diſcordia, litem ad ſe totam evocaret. Nè tamen videretur Clerus reprobato Epiſcopi Carnotenſium libro, doctrinæ contrà Regem, & miniſtros Regni vulgatæ ſubſcribere, libros verbis generalibus damnarunt *tanquam falſos, temerarios, ſcandaloſos, ſeditioſos contrà utilitatem, tranquillitatẽ regni, Regiſque perſonam, auctoritatem, & conſilium.* Cenſuram hanc adprobavit Conventus. Stampeſii autem capita, quæ plurimum laudavere Politici, erãt. *Æquum eſt, ut quæ Chriſtiana Religio de* Regum *auctoritate credenda proponit, citrà fucum adulationis, aut detrectationis invidiam*

Cenſurà notati.

D *aperiamus; Reges à Deo eſſe præter publicum omnium gentium conſenſum, etiam Prophetæ denuntiant, Apoſtoli confirmant, Martyres confitentur, nequè tantùm à* Deo, *ſed etiam deos, &c. itaquè qui vocantur, conſequitur, ut ſint, non eſſentià quidem, ſed facultate; non naturà, ſed gratià, non ad perpetuum, ſed ad tempus. Quid ergo ſi iniqui fuerint? ſi ſenſum ſcripturæ quæris, nullà ex parte rebellandi conſilium habemus, ſalvà religione parendi præceptum habemus: quamvis fortunas eripiat, libertatem tollat, ſervitio premat, & quæcumquè* Deus *poſtulantibus Regem futurum denunciat, & ſuorum ruinam meditetur, tamen parendum eſt Regi, quantumvis dyſcolo. Quid ſi religionem expugnet, ferro ſæviat, rurſus ad martyrium fideles vocet? quantumvis heretici reclament,*

ſatius

ſatius eſt, fuſo ſanguine cœleſtem victoriam reportare, quā educto gladio Chriſtianæ patientiæ famam lędere. Hanc *ſententiam improbare nemo poteſt, niſi qui Chriſti præceptum ſimul & exemplum improbet: niſi martyribus, cum rebellare poſſent, gloriam eripiat, & creſcenti Eccleſiæ ignaviam exprobrare velit, quod numero fortior ferrum Imperatoribus (quo ſæviebant) non extorſerit, Chriſtus naſcens ad edictum Cęſaris advolavit, nequè denegavit obedientiam; ſub eius prætore innocens accuſari non erubuit, patienter tulit iudicium iniquum &c. Eccleſiæ Annales revoluite, parem in Apoſtolis, parem in diſcipulis fidem invenietis. Quare alias leges, quàm à Chriſtianà diſciplinà profectas quærunt, qui ſatiùs eſſe putant rebellare, quàm pati: qui aliud credunt fidem in factionem convertunt, &c. Iniuriam Deo faciunt, qui ei de Regibus iudicandi poteſtatem, quam ipſe ſibi ſoli reſervavit, præripiunt: quapropter David adulterio coinquinatus, homicida, tantum ſe ſoli Deo peccaviſſe ſuſtinebat, quia Rex erat, & alium non timebat: quia liberi ſunt* Reges *à vinculis delictorum, nequè ullis ad pœnam vocantur legibus: quis enim poteſt principi dicere, cur ita facis, &c. Rex cum* Venetis, *cum Sabaudo, cum Rhætis contrà Valtellinos iniit fœdus, quia placuit, quià licuit: bellum ſuſcepit, quia iuſtum eſt: vel potius iuſtum eſt, quia ſuſcepit.* Hanc Srāpeſii cēſurā Clero damnāte; Nūtius Apoſtolicus acriter cōtēdens ad ſe pertinere iudiciū, inſtetit apud *Richardū Actuarium*, ſibi diętam expediri, quà Clerus condemnabat cenſurā Epiſcopi Carnotenſis: traditā Nuncio obſignavit *Cardinalis valeta* Comitiorum Præſes unà cum actuario, Nuncius Romam miſit. Zelus Cleri Vrbano Pontifici tam gratus fuit, ut nō multò poſt per literas Pontifex Clero gratias ageret. Rex (uti ſæpius in pari causà) litem ad ſe ſummo iure evocat, indicitquè Parlamento ſilentium, rogante Nuncio Apoſtolico. Libelli poſtea à pluribus ſunt confutati, & conviciis non minoribus peritus Rex Hiſpanus. Quòd ſi Gallus cum Turcà, cum hæreticis Dano, & Anglo Tranſylvanis, Palatino fœdus inierit; etiam Hiſpanus cum Mauris cum Perſà, cum Indiarum, & Calecuti Regibus, cum Saxone fœdus percuſſerit, qui omnes Mahumetani ſunt, aut pagani, vel Hæretici. Hiſce convitiis dum peterentur Reges, eodem Anno 1725. Liber novus iterum prodiit *Santarelli Ieſuitę de poteſtate Sumi* Pontificis, Romæ editus Anno 1625. apud hæredem Zanneti. Superiorum permiſſu. Articulorum ſumma erat.

Nūtius Apoſtolicus facit litem ſuā

Papa *habet poteſtatem in* Reges *directivam, & coactivam. Hinc hæreticos principes poteſt punire excommunicando, Regno privando, ſubditos ab eorum obedientià liberando.*

Papa poteſt ſinè Concilio deponere Imperatorem, ſi inutilem; Principibus dare curatores, quia Papæ, & Chriſti eſt unum tribunal. Poteſt *amovere Reges ex causà. Imperatorem deponere non ſolùm propter hæreſim, ſed etiam propter inhabilitatem, vel crimen in populo intolerabile: ſunt enim & Principes oves Eccleſię.*

Vix prodierat liber cum Collegium Sorbonæ acri cenſurà auctorē condemnat. Parlamentum manu carnificis librum comburit. Ieſuitæ Galli contra ſcribere iuſsi. Exin dicta dies Provinciali Collegii Claromōtani Rectori, & præcipuis è ſocietate Theologis. Siſtuntur in iudicio, interrogantur. *Probatur nè vobis Santarelli liber pernicioſus editus in hunc titulum; Tractatus de hęreſi, ſchiſmate,* &c.

Reſpondit pater Coto pro ſe, & ſociis præſentibus; *Improbatur, ſupprimitur, impugnabitur contrarià mox doctrinà, quam paramus dare in publicum.*

Senatus. *Quare improbatis doctrinam, quam Societatis veſtræ Generalis Romæ adprobat?*

P. Coto. *Non negamus* Romæ *à noſtris approbatam: ſed quare nobis imputabitur error Tranſalpinus, cui nemo noſtrorum ſubſcribit in Gallià.*

Senatus. *An num in ditione ſuà Regi* Gallię *ius omne in ſubditos eſt.*

P. Coto. *Ius omne eſt quoad temporale.*

Senatus. *Creditis nè vos ſummo Pontifici ius eſſe in* Reges, *adeò ut per excommunicationem ſacris ipſos interdicere poſsit, ſubditos ſacramento fidelitatis abſolvere, Regnum in prædam dare.*

P. Coto. *Abſit verbo invidia. Excommunicari Chriſtianiſſimum* Regem? *abſit omen!* Quis *credat primogenitum Eccleſię futurum aliquando matris hoſtem, quam protexit ſemper & protegit? quis excommunicandum qui continuo pugnat prò hæreſi in regno ſuo extirpandæ.*

Senatus. Ergo *diverſa vobis à* Pręp*oſito ſocietatis veſtræ Generali ſententia?*

P. Coto. Qui Rom*æ degit Præpoſitus noſter* Gene*ralis, vix eſt, ut improbare poſsit quod Roma probat.*

Senatus. *Illi ſua opinio eſto, veſtra quænam eſt?* P. Coto. *Plane illi contraria.* Senatus. *Quid ſi eſſetis Romæ?* P. Coto *mutaretur nobis cum Cœlo animus; ſentiremus ut* Romæ.

Senatus. *Præciſè (amabo, proculquè ambagibus & ſubterfugio: quid cenſet ſocietas veſtra (ut univerſa eſt) de Romanæ ſedis in Reges poteſtate?*

Ad hæc Pater Coto communicandi cum ſociis facultatem petit: datur facultas: communicant, pauloquè poſt redeunt in hæc verba. N*obis cum Sorbonà, & Galliæ Clero erit aſſenſus in idem doctrinæ univocus.*

Senatus. *Explicate apertiùs mentem veſtram, quænam eſt hæc Sorbonæ doctrina, quam probatis?*

P. Coto *Si tempus exiguum conceditis nobis: dabimus ex ſcripto ſententiam, in quam vix eſt modo, ut conveniamus per anguſtiam temporis.*

Poſtquam triduo deliberaverant, præcipui è ſocietate ad Regem miſſi palàm abdicant *Santarelli* doctrinam publico inſtrumento in hæc verba concepto.

Nos ſubſignati declaramus Santarellum perperam de Regibus & eorum auctoritate ſcripſiße, quam diffitemur doctrinam, agnoſcimus, & profitemur Regum immediatam eſſe à Deo poteſtatem, independenſq. ipſis ius eſſe in ſubditos: cui ſententiæ ut veræ, noſtro omnium ſanguine ſubſcribetur, ſi opus, nonſecùs ac cenſuris, ſi quæ à Clero Gallicano, aut Sorbonà in eiuſmodi libros edentur. Promittimus inſuper futuram nobis poſt hac unam, & eandem ſuper eà queſtione cum Sorbonà, Clero, & Regni Gallici Accademiis ſententiam. Actum Lutetiæ 16. Martii 1626. P. Coto. Ignatius Armandus. Carolus à Turre. I. *Suffrenius. Fr. Garaſſus. Fr.* Go*duſſonus. Dion. Gayatinus.* Fr. Ga*ndillonus. Dion. Petavius. I. Fillæus. I. Brouſſatius. Steph. Guerrius. Lud. Neranius Iac. Alemand. Pet. Roycrius. Steph.* Ludov. Tempeſtas hæc in Societatem concitata à Cardinale Richelæo credita eſt: ſed ubi hanc vergere in detrimentum Eccleſiæ vidit, ſapienter ſedavit. *Gramondus l. 15. Brietius.* Nec nus erat adversùs Eccleſiam, quàm contra Galliam; ſi verum, quòd *Zaccharias* Papa *Childerico* Francorū Regi depoſito propter ignaviam, *Pipinum* ſubrogaverit.

verit. Ieſuitæ tamen novi timore exilii, omnia ſubſcripſerunt, reſervatâ in cordibus exceptione timoris; quotiès cauſa recurret.

Non multò poſt *P. Coto* tędio interrogatoriæ actionis, quâ præcipui è ſocietate extrà ordinem pulſati fuerant, morbo correptus, fati legem implevit. *Gramondus*.

Vrbini Ducatū Eccleſiæ adſcribit.

13. *Vrbinum*. Mortuo *Franciſco Mariâ Ruvereo* abſquè liberis, Vrbini feudum cum ad Eccleſiam rediiſſet Romanam; ſuadebant Vrbano Principes, nepotes in hæreditatem vocare, nè augmento tanti Principatus fortior Eccleſia conſugeret; vel ut invidiam hæredibus cumularent. Cognitâ Vrbanus arte, maiorem gloriam familiæ credidit, ſi repudiaret, quam uſurparet. Huius provinciæ non armis, ſed prudentiâ redemptæ memoriam Vaticanum ſervat Iuſcriptione ſequenti,

Civitates, & ditiones ducatus Vrbini nomine comprebenſæ, quas à Romanis Pontificibus Feltria prius, deinde Ruveria Familia beneficiario iure poſsidebat, in Franciſco Maria II. extinctâ utriuſquè ſobole, in liberam Apoſtolicæ Sedis dominationem conceſſere, Vrbano VIII. Pont. Max. An. Sal. 1631. Regio autem Virorum tam Militari ſtudio, tum inſigni opificio, & doctrinæ laude præſtantium multitudine celeberrima eſt.

Concordat Numiſma 23. in quo Pallas, vel Roma armata Eccleſiam geſtat, cum epigraphe. *Auctâ ad Metaurum ditione. Roma.* Vrbani namquè ſolertiâ fines Eccleſiaſtici patrimonii protecti ſunt ad Metaurum fluvium, vulgo *Metro*, qui Vmbriam olim, nunc Vrbini ducatum alluit. Eccleſia, quam Pallas manu geſtat) cathedralis eſt *Durantis* oppidi, quod Vrbanus in Vrbem auxit, & Epiſcopatu donatam, à ſuo nomine *Vrbaniam* dixit; ut in eiuſdem Vrbis palatio ſcriptum legitur.

Vrbano VIII. Pontifici Max.

Quòd poſt auctam ad Metaurum Eccleſiæ ditionē Metaurenſe Durantis caſtrum civitatis iure donaverit, locumquè ob Cæli ſalubritatem, Vrbinatium Ducum ſedem addito Epiſcopo, ſalubriorem animis procuraverit, ac diœceſis fines extenderit Vrbanienſes, ut quoties nominentur, toties accepti beneficii admoneantur; conditori ſuo poſuerunt.

Thadæus Barberinus Præfectus Roman.

Ex ſpolio tam divite, Romana Præfectura *Thadæo* obtigit *Barberino*. Monumentum hæc dignitatis antiquæ, quæ *Prætorii Præfectura* dicebatur, nunc ſolo nomine, & inſignium antiquitate venerabilis, longo iam tempore à familiâ *Ruvereâ* occupabatur) Plus ſanè oneris, quàm honoris. Cum enim pręcedere Oratoribus Principum meditaretur, cœpit lactare Cæſarem promiſſis in Svecos ſuppetiis, ut primus acquieſceret. Negavit *Ferdinandus*; indignatus, quòd miniſtri Eccleſiaſtici ex periculosâ, & publicâ Religionis causâ, meliorem meditarentur rei privatæ fortunam. Diſſidia augebat caſus fortuitus Venetorum. Inclinato iam Sole occurrerant obuii *Io: Piſaurus* Orator Venetus, & Præfectus Romanus.

Barberina diſſidia cum Venetis

Siſtit iſte currum. Proceſſit *Piſaurus* inter tenebras inobſervato Præfecto. Et licèt *Piſaurus* non defuiſſet excuſationis officio; dolosè iterum occurrente Præfecto; auro corruptus auriga *Piſauri*, equos cohibuit, fingens colligere pileum, ut Præfectus excurreret. Domui reſtituto *Piſauro*; ſe illicò auriga fugâ ſubduxit, armatis patrocinantibus, qui eò fuerant immiſſi. Accurrerunt in vindictam veluti ad cauſam communem reliqui Oratores Principum. *Piſaurus* autem iubente Senatu, inſalutato Pontifice, in patriam rediit: ubi Nuntio Apoſtolico in aulam prohibitus iam erat acceſſus. Accedebat, quod cum decreviſſet Vrbanus Cardinales *Eminentiſſimos*, & *Reverendiſſimos* ab omnibus nuncupandos, exceptis Regibus: Reſpublica Cardinales titulis ſalutabat antiquis. Quorum nonnulli rebus abutendo præſentibus, epiſtolas reſpuerunt. De Confinibus etiam in Pado flumine atrox gliſcebat controverſia, & gladio non calamo terminos inveſtigabant; donec *Ludovico* Gallorum Rege ſequeſtre, brevi reſtitutâ concordiâ; declaravit Pontifex *ſe inſcio, omnia contigiſſe Piſauro; immò Nepotem ſuum à fugâ aurigæ immunem fuiſſe*. Præterita ſibi diſplicuiſſe ut monſtraret *Vrbanus*, reos punivit exilio. Declaravit inſuper Venetam Rempublicam iuxta antiqua ceremonialia inter Reges connumerandam; propterea ſinè titulo *Eminentiſſimi* tenerentur Cardinales epiſtolas recipere Venetorum. Confinium cauſa delegaretur Commiſſariis, quæ tamen ſemper reſurget, ex privatorum libidine, qui iacturam pecudis pluris faciunt, quàm diſcordias Principum. *Nanius*.

Cardinales dicuntur Eminentiſſimi.

Componitur cum Venetis.

Guſtavus Rex Sveciæ.

Sed maior ingruebat in Germaniam è Septentrione tempeſtas. *Guſtavus* Svecus diù collectas in regno ſuo vires, & paulò antè paratas in Pomeraniâ, tandem exeruit, iunctuſquè Saxoni, uno prælio ad Lipſiam ità Cęſarianos cecidit, ut eum iam vinci poſſe deſperarent, Sveviam, Bavariam, Alſatiam, Palatinatum, Vveſtphaliam deambulando depopulatus, unius *Tillii* cæde in tranſitu Lyci fluvii, Italiam terruit. In locum *Tillii* reſtitutus eſt anteà exauthoratus *Vvalſteinius*, illi non inferior fortitudine.

Legatio à Cæſare ad Papam.

Auxilia interim Cæſar à Principibus poſcebat Catholicis; & veluti in causâ Religionis ad Vrbanū Rom. Pontificem legavit Cardinalem *Pazmanium*, ut ipſe exemplo præiret cęteris Principibus Chriſtianis. *Vrbanus* ut legationem eluderet, obiiciebat Cardinalem S. R. E. ſæcularibus non debere implicari negotiis. *Pazmanius* vir antiquæ ſeveritatis reſpondit. *De Religione arcana recurrere, in quâ præcipuè Cardinales tenentur excubias agere. Verùm ſi purpura obſtaret Cardinalitia; eam ſe paratum eſſe, deponere, & ſolo tectum induſio verba facturum, dummodò imminenti Eccleſiæ diſcrimini occurrerent opportunè.*

Ab Vrbano recuſatur

Hiſce auditis Papa melius duxit non exaudire, quàm non audire. *Pazmanius* peroravit ſeriò, ut Pontifex Religioni accurreret labanti: *Sacerdotis officium eſſe, & munus Patris filios erigere cadentes.* Reſpondit Pontifex excuſando inopiam ærrarii, & accuſando irruptionem Auſtriacorum, qui Annis præteritis Mantuæ ſpolio, & populationibus Italiam deformaverant, ad cuius tutelam cum Pontifex coactus fuiſſet numeroſas alere phalanges; modò aurum non ſupereſset ad occurrendū Sveco irruenti. Hæc cum iracundiam partium excitarent, non miſeriam; convenere Cardinales Domui obſtricti Auſtriacæ, & Duce Cardinali *Borgiâ* ſcripturam obtulerunt in publico Conſiſtorio, quâ Vrbano improperabant, quòd neglecto Paſtorali regimine, Religionem deſereret Catholicam. *Vrbanus* ut Cardinales in ſpeciem placaret, & ſuo deeſse nè videretur officio, Iubilæum toto in Orbe Chriſtiano publicavit Italiæ Clero decimis impe-

pe-

peratis in bello Germanico diſtribuendis, Cardinales, qui in oblatâ ſcripturâ convenerant, colore iuſtitiç, pręcipuè Borgiam Romà ſecedere, in ſuas diçceſes voluit. *Nanius.*

Franc. Barberinus Gallorum Protector. An. 1633

Diſſidia augebat Vrbani in Gallos propenſio, quorum tutelam aſſumpſerat Cardinalis *Franciſcus Barberinus* Vrbani nepos, clàm conſentiente Pontifice. Hiſpani propterea duos Commiſsarios Epiſcopum *Cordubenſem*, & *Io: Chiumazzerum* Romam miſerunt adversùs abuſus *Dataria*, quibus angariati querebantur; vt ſic arcana Gallorum eluderent; vel pari moleſtiâ iniurias rependerent à Barberinis illatas, uſquè ad provocationem Concilii ut Pontificem exterrerent. Negavit Vrbanus Hiſpanos admittere tanquàm *Commiſsarios*: quià titulus eſſet moleſtus, & importunus in loco alieno. Horum autem Epiſcopū Cordubenſem corruptum à Barberinis ſpe purpuræ Cardinalitiæ *Philippus* revocavit: *Chiumazzerum* declaravit Oratorem Ordinarium: ſic ira deſerbuit. Cum Venetis diſſenſiones antiquæ ob fraudata telonia; præcipuè ab Epidauris, quorum naves, & merces Venetiis publicatæ in reparationem publici damni. Anconæ autem Venetorum Conſul, quaſi explorator, vexatus, & ad fugam coactus contrà fidem datam Gallico Legato, qui pacis agebat interpretem, iterum communicationē ſubvertit, Romà revocato Oratore; Venetiis *Vitellio* Nuntio Apoſtolico aulà prohibito. *Nanius*. Anno ſequenti, qui fuit Sal. 1635. Galli iterū, & Hiſpani cōcurrerunt ad arma. Vulneris, ac ſpolii particeps unà cum Lotharingiâ, Germaniâ, Valle Tellinâ conſors Italia: ubi *Crequius* Mareſcallus Galliæ cum Sabaudo, & Eduardo Parmenſe, *Vrbano* reclamante Pontifice (qui Parmenſis Ducatus ſupremus Dominus Duci fędus inhibuerat) fruſtrà tentatâ Valentiâ, plus terroris Hiſpano intulit, quàm damni. Non defuit Vrbanus officio paſtorali, miſſis Legatis, qui Reges ad pacem excitarent. In idem conſpirantibus Venetis, qui Vrbano reconciliati, Anconam Conſulem reſtituerant, & indè ad tempus ex compoſito revocaverant. Cum eccè in Regià Vaticani aulà memoria

Bellum inter Hiſpanos, & Gallos Anno 1635

14. *Alexandri III.* quam maturo Purpuratorum conſilio *Pius IV.* P. M. elogio inſcripſerat ſequenti ad Reipublicæ laudem, & Eccleſiæ decorem,

Novum diſſidiū cum Venetis ob mutatam memoriam Alex. III.

Alex. Papà III. Federici. 1. Imperatoris iram, & impetum fugiens, abdidit ſe Venetiis. Cognitum, & à Senatu perhonorificè ſuſceptum, Othone Imperatoris filio, navali prælio à Venetis victo, captoquè Federicus pace factà ſupplex adorat, fidem, & obedientiam pollicitus. Ita Pontifici ſua dignitas Veneta Reipublicę beneficio reſtituta M. C. LXXVII. antiquata detegitur, & loco ſupradictorum, brevis, trunca, repoſita ſequens epigraphes.

Federicus Imperator Alexandrum III. Pontificem, quem diu inſectatus fuerat: poſt conſtitutas cum eo pacis conditiones, & damnatum ſchiſma Venetiis ſupplex adorat. Quibus victoriâ præteritâ, parum, vel nihil contuliſſe Venetam Rempublicam ad reſtituendam Pōtificis dignitatem apparebat. Quantum iræ concitaverit Vrbanus in Venetiis incredibile dictu. Poſt homines, in lapides tandem evomuiſſe viru; & in mortuos evaginaſſe gladium, queſtus erant in ore populi. Religio cum gladio opprimeretur à barbaris, & hæreticis, à Catholicis ſcelere, atquè diſſidiis; Pontifex manus in manes extenderet, ut famam deleret, quæ ſola morientibus ſupervivit. Revocatis proptereà Senatus Romà miniſtris; Venetiis aulà Nuntio prohibito, coram Regibus iniuriam exagerabat illatam, quæ ſolummodò elogio poſſet reparari repoſito. Ardorem mitigavit *Vrbanus* Anno ſequenti (Salutis *1636.*) tranſmiſſo Brevi per *Cardinalem Ginnetum*, quo Senatum excitabat, ad ſollicitandam pacem inter Reges, Oratores mittendo Coloniam, ubi Orbis convenire debebat univerſus. Reſpondit Senatus honorificè, & Cardinalem Venetiis tranſeuntem Regio ſuſcepit hoſpitio. Bonum publicum intercipi haud debet vindictà privatà.

Venetos Vrbanus ad pacē excitat.

Sic Anno 1638. Superatà à Venetis prædatoriâ claſſe *Halis Picinini* in Aulonis ſtatione undè totum obſidebat mare; frementibus Turcis, quòd læsà majeſtate Turcici nominis, in portu ditionis Ottomanicæ, Veneti arcem quaſſare muralibus machinis, ipſam diruere Meſquitam non formidaſſent. Amurathes irarum plenus, ex Babylonico reverſus triumpho, in Venetos arma parabat. Vrbanus non minùs de victoriâ lætus, quàm de imminenti diſcrimine anxius, per Nuntium Venetiis morantem, officio gratulandi non defuit, & vigilantis Paſtoris munus implevit, oblatis viribus Sedis Apoſtolicæ, ſi adversùs Rempublicam Tyrannus vexilla explicaret. Decimas etiam Cleri ſpontè obtulit, quarum exactio ſingulis novenniis conceditur. Poſtulavit tandem Romam deſtinari Legatum, cum quo communicaret conſilia pacis inter Reges; & adversùm Infideles arma. Retribuit Senatus honorē, delegato *Io: Nanio*, D. Marci Procuratore eà tamen lege, ut exceptis conſiliis adversùs Turcas, & prò pace Chriſtianorum, à cæteris abſtineret, quæ ad Rempublicam ſpectarent. Probavit abundè electionem Pontifex, electum honore habuit; & in reparationem iniuriæ Venetis illatæ, elogium *Alexandro III.* ab eo recenter inſcriptum abolevit. Antiquum tamen non reſtituit, ſucceſſoribus cura relictà Induſtriâ hæc Federici Cornelii filii Ioannis Venetorum Ducis, qui Anno *1626.* cum eſſet Epiſcopus Bergomenſis, promotus ad purpuram Cardinalitiam, cū dubitaretur à Patribus, an legi ſubiaceret, quà filiis Principum interdictum, Eccleſiaſtica ſuſcipere beneficia, decreverunt: *Dignitatem tàm ſublimem legibus non coarctari*. Ex adverſo *Carolum Quirinum* electum Epiſcopum exilio mulctarunt, quòd precibus Principum externorum, Epiſcopatum impetraſſet: hinc Eccleſiam Pontifex alteri contulit. Eumdem *Federicum Cardinalem Cornelium*, cum Epiſcopum etiam dixiſſet Patavinum *Vrbanus*; negarunt admittere Veneti, quòd filii Principis lege prohiberētur. Proptereà Epiſcopatū reſignare meditanti Cardinali cū Papa non acquieſceret: perſeveravit cōtētio etiā poſt obitum ducis Cornelii; donec mortuo *Io: Thiepolo* Venetiarum Pathriarche, Senatus iure Patronatus Cardinalem *Cornelium* ſubrogavit, plaudente Pontifice, qui Patavinum Epiſcopatum contulit *M. Antonio Cornelio* fratri eiuſdem Cardinalis. Permiſſi etiam, ut quatuor millia militum in ditione ſcriberent Pontificià; Nuntios legavit extraordina-

Auxilia offert in Turcas

Veneta lex de beneficiis Eccleſiaſticis

Nova diſcordia ob electionem Cardinalium.

narios ad Principes, licèt parum gratos; quia cum In futurà inauguratione Cardinalium, Cæſar propoſuiſſet Principem *Rinaldum Eſtenſem*; Rex Franciæ *Iulium Mazarinum*; Rex Hiſpaniæ *Abbatem Perettum* neminem Vrbanus admiſerat quòd eſſent advenæ, & non indigenæ: maximà Regum indignatione, qui ſubditis Purpuram permittere recuſabant. Irarum autem non una cauſa. Æconomum Galli Oratoris Romanus Magiſtratus deportaverat, quià familiarem ſuum litoribus extorſiſſet. Hinc Galli, nequè aulam Romæ petebant; nec Pariſiis Legatis dabant Apoſtolicis, donec excuſatione Cardinalis Barberini, in domo Gallici Legati, quò Barberinus ſe receperat, viſitandi causà coniugem Regii Legati, purgaretur iniuria. Idem faciebat Orator Hiſpanus, quia Barberinus protector Ordinis Franciſcani, in Generalem aſſumpſiſſet vigore *Brevis* Apoſtolici, Monacum Regi non acceptum. Eò tandem irrupit Hiſpana indignatio, quòd ſacrà Chriſti naſcẽtis nocte, *Doreſicum natione Neapolitanum, Principem Sanſi* Romà Neapolim (Anno 1639) vinctum traxit, publicè capite pœnam luit, quia cum Gallis miſcuiſſet conſilia prodendi arces in Regno Neapolitano, conſentientibus Barberinis, qui *Thadæo Barberino* coronam imponere meditabantur. Hinc cum prò tutelà Italicæ libertatis ad fœdus Veneti excitarentur à Pontifice; ipſi autem facilè convenirent, Romam miſſo *Angelo Contareno*, qui de conditionibus paciſceretur, hæc vna cauſa fœdus abrupit. Poſcebant Barberini, ut communibus armis tenerentur accurrere fœderati in præſidium non ſolùm ditionis Eccleſiaſticæ, ſed etiam Feudorum dependentium ab Eccleſià. Reclamarunt Veneti timentes, nè Pontifex arma meditaretur contrà Neapolitanos. Sed brevi innotuit, in

Laus Franciſci Barberini.

15. *Farneſios* arma dirigere. Belli cauſa quod majori tumultu quàm fructu geſtum eſt) faſtus nepotum, qui Vrbano Seneſcente, liberè dominabantur in Vrbe. In fervidà ætate excubavit quidem prudens, & pius; ſtudio non minori cooperante *Franciſco Barberino* nepote, magno Religionis incremento, Principum ędificatione, & plauſu populi propter animi ſinceritatem, qui aulicis alienus ambagibus, purus à fraude uni ſtudebat bono communi.

Cauſa Belli Parmẽſis.

Moleſtè tulerat, *Odoardus* Princeps excelſi ingenii etiam ſuprà fortunam, quod *Barberini* bello abutentes Hiſpano, quo premebatur Parmenſis, excitaſſent eum ad alienationem agrorum, & oppidùm: Propterea cum ſæpè veniſſet uſquè ad Romana ſuburbia, ſemper ingreſſum declinaverat Vrbis. Anno tandem 1639. Caprarolam (regium Farneſiæ Domus delicium) profectus, vt cum Montiſtis rationes componeret, ab Vrbano invitatus Romam venit. Pontificem veneratus, acri, quo pollebat, ingenio adeò Vrbanum in ſui amorem pellexit, vt nunquàm vacuus intercederet. Idcircò cum Pauli III. & Clementis VIII. R.P. munificentià Petrus Aloyſius, atquè Ranutius Farneſii, Parmæ, ac Placentię Duces Menſam nummariam erexiſſent in Vrbe Romà, in quà receptis ad quæſtum pecuniis, proventus Roncilionis, & Caſtri fructus annuos per ſingula bimeſtria creditoribus in mercedem, & penſionem aſſignaverant; contigit, quòd ab *Odoardo* Ranutii filio aliquan-

A dò ſolutione dilatà, & intermiſsà; pauperes creditores, quibus interciſa ſolutio ſurripiebat vitæ alimenta, clamarent, & gemitu, atquè querelis aures Pontificis ſollicitarent, indulſit *Odoardo* Pontifex; vt Menſam ſecundam erigeret, quæ conflaretur ex diminuto lucro pecunias deponentibus. Tantum levamen obęrato Duci conceſſum, Aulicorum in eum armavit æmulationem, & invidiam, præcipuè nepotum ſuſpecta habentium cum patruo colloquia frequentia. Oblimis itaquè cum aſpiceretur oculis, ſuborto de dignatione diſſidio, debitis privatur honoribus, tandem ob illatas, & relatas mutuò offenſiunculas, in acerbas criminationes ventum, quæ ad diſceſſum cõpulere *Odoardum*. Non tamen priùs abire voluit, quàm Pontifici cauſam aperiret diſceſſus, & regimen Barberinæ Domus accuſaret acerbum. Querelas *Vrbanus* magno dolore ſubiit vſq. ad lachrymas:

Odoardus Parmenſis Barberinos inſimulat apud Papam.

B volenti autem excuſare nepotem, quaſi iniuſta ſuſpicio concitaſſet *Odoardum* adverſus *Cardinalem Patronum*, reſpondit Parmenſis, *Beatiſſime Pater alium patronũ non agnoſco, præter* *Sanctitatem Veſtram*. Quibus dictis, aulà ſeceſſit, eodem die Romà, inſalutatis *Franciſco*, & *Antonio* Cardinalibus Barberinis cum *Thadæo* Vrbis Præfectò. Hac contumelià affecti Barberini, acri odio efferbuiſſe dicuntur. Iratis, & irritatis occaſio non defuit vindictæ. Secedens *Odoardus* nihil de Farneſii mensà deliberaverat, ad leniendas creditorum offenſas: vndè plurimi lamentis, querelis poſtulabant eius bona venundari. Miſſi ergò exactores Caſtrum, qui omnem rei frumentariæ copiam, ceu vectigalibus obnoxiam in horrea conveherent Romana. At illi vacui redeuntes nuntiarunt, vniverſam annonam à Duce exactam, navigiis impoſitam,

C violatà conventorum fide, ad exteros fuiſſe traductã: Oppidum autem ſemilunaribus munimentis, militibuſquè obfirmatum. Hæc audita exaſperatis animis ſtimulos indidere ſeveræ coercitionis in refractariũ. Primùm igitur præceptis admonitus, vt intrà trigeſimam diem pręſidia dimitteret, & excitatas munitiones dirueret: aliter ultricibus armis oppugnandus. Tempore effluxo, accuſatà contumacià, de inferendo bello tulere ſententiam. Hanc vel omnino abrogare, vel prorogare tam Cęſaris, Regumq. Oratores, quam Veneta Reſpublica, Magnus Etruriæ, & Mutinæ Duces per ſuos legatos integro fermè biennio enixiùs contenderunt cum Cardinali Franciſco, ut calamo non gladio contentiones dirimerentur exortæ. Omnia tamen officia ſequenti deluſa reſponſu. *Non eſſe, cur ampliùs de Odoardi causà agatur: ſe Beneficiarium agnoſcat; Romam veniat inermis: & pe-*

D *dibus advolutus Pontificis, commiſſi criminis veniam imploret*. Profligatà ſpe pacificæ compoſitionis, poſtquàm aliud quindecim dierum ſpatium *Odoardo* datum ad obſequendum mandatis præteriiſſet, haſtæ bona ſubiecere in debitorum ſolatium; in *Odoardum* decreto anathemate, reum læſæ maieſtatis, quem Parmà, Placentià, omniq. alio dominatu exuerunt. Viterbii conſcripto militi Præfectus *Ludovicus Matthæus*, V. Kal. Octob. præmiſit *Cornelium Malvaſiam* cum nongentorum equitum agmine in plures turmas diviſo, qui Tuſcaniam primo, mox Montis Alti caſtellum, deiectis occupavit præſidiis, cæteraquè loca in Caſtri circuitu in fidem ſuſcepit. Adveniente

tan-

tandem *Matthaio* cum peditibus,ſecūdo Non.Octob. Caſtrum ignavè ac turpiter dedidit *Delphinus Angelerius* Præfectus, qui in Placentiæ arce pęnam capite ſolvit. *Odoardus* auditâ Caſtri iacturâ,Principes pęnè deſperatus concitabat in Barberinam Domum. Veneti, Hetruſci, Mutinenſes ſolliciti, nè parvâ ſcintillâ, quæ iam Caſtrum corripuerat, provincias vicinas combureret,coire decreverunt viribus, & opibus credentes Italiæ proſpicere tranquillitati. *Odoardus* hoc fędere recreatus Parmam profectus coutinuò Religioſos viros admonuit, nè in vulgus ſchiſmata diſſeminarent: Si quis dirarum iacula extimeſceret, ſolum mutaret. Non multo labore id ſibi perſuaderi paſſi omnes unâ voce fidelitatē profeſſi prompti pro Domo Farneſiâ fortunas,vitā,liberos profundere. Sic domi rebus compoſitis, brevi validiſſimam bellatorum manum eduxit in aciem. Repetito tamen officio Veneti inſtanti deprecatione Barberinos rogabant, ut placati darent Odoardo veniam: & ſatis intercepto Caſtro mulctatum reſtituerent gratiæ priori. Inanes tamen rediere preces. Immò copiis ad padi oras traductis, excitatis propugnaculis, Melaræ præſidio impoſito Venetos in ſuſpicionem excitarunt. Commotionem ſedare conabatur *Vitellius* Legatus Pontificius coram Patribus aſſerendo de Barberinæ Domus in Rempublicam amicitiâ. Cum *Ambroſius Carpineus* Thaddæi nomine à Mutinenſi tranſitum petiit ut in Parmensē irrueret: quem ſi diſſenſus adimeret, vis extorqueret. Mandavit tunc Senatus *Aloyſio Georgio*, ut cum feſtinatione cis Mincium exercitum traſmitteret: & tria millia peditum cum centum loricatis equitibus duceret in auxilium Mutinenſis, aliaquè ſubmitteret auxilia, ſi violentus fieret ab hoſte tranſitus. Magnus quoquè Dux Etruriæ pari ſollicitudine Mutinenſem turmis iuvit pedeſtribus & pecuniâ numeratâ in ſtipendia militum. Quibus Carpineus, territus abſtinuit induciarum ſpetie,quę in dies quindecim datæ, ut apud ſequeſtres de concordiâ ageret, ſed fruſtrà: eludentibus Barberinis, ut priuſquàm armarentur vicini; Parmenſem cogerent ad obſequium. Cæſarem autem, Gallos, Hiſpanos lactabat *Vrbanus* Cardinales creando, quos anteà negaverat, *Eſtenſem Principem, Iulium Mazarinum, Perettum* Pridiè autem Kal.Septemb. An.1642. fœdus hiſce legibus confirmatur inter Venetos, Etruſcos, & Mutinenſes. *Exercitus conſcribatur duodecim millibus peditum, equitum millè octingentis. Socii mutuo ſe, reſquè tuerentur ſuas. Subſidio eſſent Odoardo Duci Parmenſi, cui aditus in ſocietatem admittendus eodem ſacramento, quo fœderati.* Bellum autem in Barberinos ſuſceptum, nè adversùs Eccleſiam crederetur; publicarunt *arma tractari contrà abutentes armis Pontificis pro familiâ, non prò Eccleſiâ, ad invisi Principis perniciem. His propterea tribuenda ſacrilegia, cædes, rapinæ.* Sperabant Barberini fœdus inter plures pactum facilè gliſcente ſententiarum diſcrepantiâ poſſe reſcindi. Offerebant etiam omnia pacata; ſi obligatâ ab *Odoardo* unius ex fęderatis fide, promitteret ſe impleturum, quę decent Pontificis vectigalem. Dux arte cognita, nè circumveniretur, Barberinos tanquàm inimicos iudices recuſat. Penès amicum principem deponeretur Caſtrum; lis futuro reſervaretur Pontifici iudicanda. Bello ita-

Veneti inagun cur Parmenſi.

Italorū fœdus à

A què decidenda cauſa; Odoardus Parmâ egreſſus cum tribus ſcelectorum militum millibus, facinus aggredditur inauditum, à quo nullis unquàm rationibus, vel precibus dimoveri potuit. V. kal. Octob. in Bononienſe territorium eo irrupit terrore, ut ad famam *Thadæus* conſternatus Ferrariam, *Matthæus* caſtrorum Præfectus, Caſtrum Francum auſugerint. Dux nullis quamvis tormentis inſtructus, tam audentior ibat, ut Plumatium ſibi repugnare auſum diripuerit. Vulgato periculo, attoniti Bononienſes męnibus incluſi, egredi non ſunt auſi. Alias Romanæ ditionis Vrbes vel mitibus delinitas verbis, vel minis deterritas, patefactis portis, tutò pertranſiit, nemini iniurius, niſi contrà obnitenti; quamobrem intentatâ vi Forum-Livii prætergreſſus, Meldulam flexo itinere petit Aldobrandinæ gentis conſanguineus: indè Hetruſco
B permittente, Aretium provectus, à *Matthiâ* Principe lautè exceptus, & militibus in campis pabulo recreatis; indè reclamante Hetruſco, Caſtellam ad Lacum promovit. Oppidanos conantes illum deturbare, machinis ſpoliavit muralibus. Rumor Romam pervenerat, quæ tota intremuit, quaſi portas pulſaret Annibal. In hac trepidatione illicò miſſi Legati, qui cum *Odoardo* agerent de concordiâ. Sic currenti obiecta remora. Primus ex ſequeſtribus *Lionæus* (Crequius enim Vrbano intercedente à Rege fuerat revocatus, & Parmenſis degebat in caſtris) Galli Regis Orator Caſtellam acceſſit. Obedientiam promittebat *Odoardus*, ſi aliquis fœderatus Caſtrum depoſiti loco ſuſciperet. Lionæus ſpe conſtitutę pacis erectus, citatis equis Orepitum advolat Cardinalis *Spada* qui ibi in eundem finem deſtinatus degebat, auditis pacis
C conditionibus quaſi noviter propoſitis monſtravit, eò veniſſe non pacis miniſtrum, ſed machinatorem. Parmenſis cognitâ fraude urbē Plebis versùs adequitat, Aquilam indè, incenſo oppido Panicali, quòd ſuos laceſſiſſet pabulatores. Novo tunc terrore Barberini perculſi inducias petierunt, ut interim Duce *Valenzeo* Gallo quindecim hominum millia Parmenſi obiicerent, quos ex omni ordine collegerant. Spe fruſtratus victoriæ *Odoardus*, quam ab incuſſo metu conceperat, Aquilà diſceſsit, ne per inſidias circumveniretur per Etruſcos commeatum ſuppeditantes, perque Caſeronianam in Inſubres feſtinatò deſcendēs. Viginti peditum, & duo equitum millia jam Barberini cullegerant in diverſis locata ſtationibus. Nervus militiæ cum *Thadæo* Ferrariæ ſubſiſtebat. Parmæ, & Mutinæ Duces meditantes hoſtiū cœpta prævertere: opus ſibi diviſerunt. Ferrariam
D Mutinenſis affectabat, vrbem quondam Ateſtinæ Domus, in eâ cum aliqui intus laterent eum admiſſuri, ſi conſtitutæ noctis horâ, ſignatæ portæ ſucceſsiſſet; venit, ſed feſtinatiùs. Accedentis namquè ſtrepitum audientes excubiæ, arma movent, advocantquè propugnatores. Sic feſtinatione dux ſeipſum eluſit. Sors proſperior *Odoardo* afflavit. Bondenum, et Stelatam oppida agri Ferrarienſis ſubodoratus non firmè cuſtodiri (quibus captis, apertâ in Padum navigatione, tutus per uberem provinciam patebat excurſus) claſſicum canit, pœnâ capitis indictâ ei, qui in itinere moleſtiam ferret indigenis. Hæc effatus ſummo mane Bondenum contendit. Fama ducis advenrantis exterritus *Franciſcus Marteonus* Præfectus, admonito

Parmenſis Romanas aggreditur ditiones.

Va-

Valenzęo opem implorat. Auxilia iſte promittit in craſtinum. Parmenſis ſolertià pręcurrens, ſub primà noctis vigilià oppidum vi armorum concuſſum tenebricoſo obtinuit ingreſſu; Fęlici plenus eventu, diligentià non minori Stellatam adorſus, cum præſidii conatus uno impetu repreſiſſet, eà in deditionem receptà, credidit ſibi abundè pro Caſtro ſatisfactum. Hæc protinus munita voluit, eàdemquè curà toto belli tempore obſervavit, pro quorum cuſtodià ſæpè ſuppetias ferre renuit iis, qui pro illius cauſà decertabant. Moritur interim Cardinalis *Richelius*, eiquè in Gallico miniſterio ſubſtituitur *Mazarinus*, qui natiune Italus iu gratiam fœderatorum dum ſeriò pacificaturis munus aſſumit; nova diſcordia Gallicos Oratores aulà prohibet Romanà. *Rudolpho* Dominicani Ordinis Generali depoſito; cum in Generalibus comitiis Genuæ habitis, Hiſpani ſalvo iure Rudolphi *Ratcamoram* elegiſſent; Itali autem cum Gallis Mazarinum; Pontifex Capitulum nullum declaravit, ut iterum electionem repeterent canonicè. Doluit Orator Gallus, quaſi Pontifex promiſſo deeſſet. Iniurias cumulabāt acceptas preces Regis prętermiſſæ in cauſà Parmēſi: Luſitani Oratoris repulſa. Quæ omnia brevi Vrbanus compoſuit, dicto *Mazarino* Magiſtro ſacri Palatii: qui ſpe purpuræ facilè acquievit.

Cardin. Richelii mors.

Dum hæc agerentur: Cardinalis *Antonius* ad Lacum obſcurum, propugnaculum excitabat, ut utrumquè Padi aggerem ponte, & catenà colligaret. Senatus opus prævidens promoveri ad inundandum Rhodiginum agrum, Piſauro imperat, ut machinam deſtruat hoſtilem, obtinuitquè. Hinc mutua rabies. Epirotæ in Sagis ſinu navigia annonà onuſta ſuis dromonibus intercipiunt: contrà Barberini in iiſdem aquis mercimonia detinent. Paulò poſt deducta in Vrbem navis à Venetis piſcatorio aſtu decepta, dum à maiori in Padum parabat ingreſſum. Immiſſus etiam *Nicolaus Delphinus*, ut adverſùs fraudantes portoria, iura Reipublicæ cuſtodiret antiqua. Ceſſerunt *Delphino* turris Sagis, quæ Padi faucibus incubat, Arrianum, & Codegaurum cum locis conterminis. Eodem tempore cum Venetæ triremes Anconam infeſtarent; Cæſenaticum claſſiarii deſcenſione facta incenderunt. *Primarii* turrim tormentis à noſtris occupatam Barberini modico labore recipiunt, funditus evertunt, nè iterum à Venetis occuparetur. *Piſaurus* oppidis ſubactis Melaræ, Ficaroli, Laci Obſcuri, ac Trecentæ, ripas Padi cuſtodiebat. Ad Candam *Iacobus Contarenus* Scultennæ pontem impoſitū munierat, ut libera eſſet navigatio.

Barberini, qui uſquè modo pavidi, Ferrariæ degebant, tandem collectis animis egreſſi, contrà Bondenum direxerunt, & Finarium, quod curabat *Angelus Corrarius*, cuius in auxilium opportunè deſcendit Dux Mutinenſis, querelarum plenus adverſùs *Piſaurum* in oppoſita Padi ripa conſidentem. Expoſtulationes repreſſit Senatus iubens, *Piſaurum* Mutinenſibus tempeſtivè adeſſe. Piſaurus licèt pluribus premeretur difficultatibus, quod diviſo exercitu, incuſtoditæ fluminis ripæ Rhodiginum agrum exponebant incurſibus; tria peditum millia cum ſexcentis equitibus Padū transmiſſura *Vallettæ* cōmittit ductori militiæ honorariæ: parem Bellantium numerum *Gonzaga* tribuit caſtrorum Præfecto. Quibus moroſè p actis; *Barberini* prævisā Centenſis oppidi expugnatione, ad eius cuſtodiam convolarunt. *Matthæus* in agrum effuſus Mutinenſem, interceptis Spilimberto, & Saxuln, in montana parabat aſcenſum, ni à Duce Mutinenſi, qui cum *Corrario* Scultennæ relictis paluſtribus, hoſtilem circumveniebat exercitum, cupidus aperto campo decertare, coactus fuiſſet occupata deſerere. Sic hoſte deiecto, *Mutinenſis* in Crevalcorium arma diſpoſuit, *Valletà* præmiſſo cum duobus tormentis muralibus, & lectiſſimà manu pugnantium, qui facto impetu dum in ſubitas deditiones defenſores credit impellere; en *Valenzanus* obſidentibus imminens cæde non modicà. Aggreſſione tam repentinà *Valleta* minimè conſternatus ſuperſtites magnà conſtantià ad ſigna convocat, repugnat fortiter, ſpe etiam victoriæ, niſi loricati equites turpiter aufugiſſent; & vicinus exercitus in ſubſidium properaſſet. *Valleta* ſubſidio deſtitutus velitatim pugnando campo deceſſit, ducentis amiſſis, & maiori tormento, quod cęnoſā abiecit in foveā: undè extractū Barberini Bononiā invexere acclamationibus feſtis. Ingenti etiā gaudio Romæ exultatū eſt: ac ſi fęderatos debellaſſent: Legatis Principum abire iuſſis. Hoc exemplo Venetus Senatus Nuncio *Vitellio* imperavit receſſum. Cardinalis Antonius, ut ſecundi eventus augeret lætitiam, munito Crevalcorio, Nonantulam pergit, quà ſi potiretur, Mutinæ ipſi metum incuteret. Nox integra impenditur futuro apparatui. Sub auroram *Valenzanus* in caſtrum furenti rapitur impetu cum tormentis muralibus. *Matthæus* Navicelli pontem inſederat. Armis, vocibus omnes *Equitem fontanam* Præfectum oppidi ad deditionem provocabant. Cum repentè Dux advolat cum auxiliaribus equitum turmis. Conquiſitor *Panzetta* iam à ponte propulſarat Barberinas cohortes, quas fugientes Comes *Monte-cuculus* à Duce præmiſſus excępit. *Valenzanus*, qui foſſam incæperat implere ruderibus ſentiens impreſſionem à tergo factam, ſe fugà ſubducit. Dum hęc fiunt; Cardinalis inſcius diſcriminis, cum *Matthæo* properabat ad pontem, quaſi ad alterum triumphum, Dux certior factus de acceſſu, inſidias locat in foſſis, ut incautè tranſeuntes interimeret. Periere plurimi gravis armaturę equites, qui glandium concuſſi turbine, dum laxatis habenis fugam capiunt, peditatum oppreſſere fugientem. Sors amica Cardinali favit, & Matthæo, qui inter volitantia fulmina redierunt incolumes. Dux poſteà cum *Corrario* ut Barberinos à Montanis retraheret, ultrà Scultennam Plumatium deditione recepit, trepidante Bononià, quam ut levaret Cardinalis Antonius & damna inferret ęqualia, in Rhodiginum agrum Venetæ ditionis delubium clàm erumpere cogitans, Ferrariam proficiſcitur ſpetie muniēdæ Vrbis adverſùs ſuſpectas hoſtium inſidias, re verà ut Padum traiceret: clamquè paratis navigiis, ſex millia hominum cum impedimentis tranſmittit ad vicum, cui *Paviola* nomen, Duce *Hieronymo Roſſeto* locorum Padi peritiſſimo, certus Propugnaculum ad Lacus Obſcuri pontem, architectorum æmulatione nondum ab humo excitatum carere loricis, proptereà expugnatu facile, ſi audax impetus fieret Latuit nocturnus tranſitus Venetorum ducum incuria, & avaritià: nullus enim erat, qui opera obſervaret hoſtilia: ideò ſigna data à vigilibus de Barberino traiectu credita deliramenta ſomniantium; donec inva-

le-

leſcente per tenebras deſcendentium murmure, palàm innotuit obſeſſum litus, & in agere excitatum munimentum. Solus ad tumultum obequitavit cum ſuis cataphractis Eques *Tritonius*, ſed ab ingruente multitudine circumdatus, ſatis habuit periculum eludere. Octà die, Barberini propugnaculum, occuparunt facilè, licet per ſex horas Comes *Portus*, & M. *Antonius Strozza* cum exiguo militum numero in propinquum habitaculum recepti impigrè ſe defenderent. Revocavit illicò Corrarium Piſaurus; at dum inter fœderatos conſulitur, duo extruxere Barberini propugnacula propè pontem obſcuri Lacus, quæ fluminis utriquè litori imminerent. Cenſebant Dux, & Corrarius, Bononiam aggredi, ad cuius diſcrimẽ Barberini relicto agro Rodigino coacti fuiſsent in tutelã accurrere; & ſanè expectatio conſilio non defuiſſet. Contrà proponebãt *Deghenfeldius*, & *Gonzaga* ſubitũ impetum fieri in ipſas ſtationes hoſtium; ſed diſſentiente *Odoardo*, *Deghenfeldius* morarum impatiens ducto ex caſtris ſuo equitatu, cum feſtinatione concurrens. Propugnaculum *Rivia* dictum, ſtrenuè invadit, & ſuperato vallo ruebat in arces. Iam tota Barberinorũ acies accurrerat ad clamores; & ſi *Deghẽfeldio* nimia imperãtis cautio ſubſidiarios nõ denegaſset, eà die Venetos vindicabat. Redüt ergo confertis ordinibus in caſtra. Barberini victricibus ſignis ubiquè curſitantes, cuncta cædibus, & rapinis vaſtarunt. Patres cum accepiſſent rem infeliciter geſtam, *Piſaurum* revocarunt ad carceres, ad dicendam cauſam, ſed ita ſe purgavit, ut cunctis iudicum votis abſolutus, tandem ſupremum conſcenderit patriæ ſolium. Subrogatus Piſauro *Marcus Iuſtinianus*, inter diſcordes fœderatorum animos, nè cunctando ſeneſceret, mandavit *Valleta* cum tribus millibus militum obſidere propugnaculum Ricciæ. Impigrè egit *Valleta*, ſuper aggeſtos tumulos tormentis diſpoſitis quatiebat propugnaculum. Pari damno *Valenzaus* concutiebat aggeres, cum novo aſtu ſelecta duo millia peditum, primà noctis quiete, cis flumen, cuius erat libera navigatio tranſmittit duce Comite *Federico Mirolo*, albis præcinctos faſciis, ut inter ſe dignoſcerentur datà teſſerà à transfugà Corſo concordi conſpiratione *Gonzagæ* ſtationem invadunt, & ſomno ſepultos mactant impunè. Excitatus *Gonzaga* ad horæ ſpatium aggreſſores ſuſtinuit nocturnos, at cum ei nullum mitteretur ſubſidium, retrò cedens caſtra, & impedimenta diripi permiſit, vindictæ intentus. Ad prima itaquè Auroræ crepuſcula, prævalidà Epiroticæ gentis catervà cinctus, firmoquè inſtructus peditatu, hoſtes adhuc prædæ intentos aggreditur, & cito turbine perculſos vulnerat, cædit. Fugientes gurgitibus abſorpti fluminis, vel capti, inter quos ipſe *Mirolus*.

In Etrurià varii etiam Barberinorum conatus, ſed plerumquè irriti: nam acri prælio devicti apud Montem Iovinũ, *Marram* inter militares duces præcipuũ amiſerũt. Hoc tẽpore Venetias appulit *Cardinalis Alexander Bichius* miſſus à Gallorum Rege *Ludovico XIII.* ut remotis armis Italos reconciliaret. Annuere Patres eà ſolà conditione ſervatà, ut *Caſtrum ſuo Principi reſtitueretur*. Hac fide Romam profectus, adorato Pontifici exponit Fœderatos omnes ad pacem inclinare, quà negatà impendere totius Italiæ diſcrimen. Hucuſquè proſpero exitu agmina fœderata pugnaſſe; quòd Pontificis poteſtas privatis obſtricta affectibus nequeat fœlices habere ſucceſſus. His auditis Vrbanus obſtupuiſſe dicitur, & valdè commotus ſuis exprobraſſe geſtorum caſus, eventuſquè ſilentium. Quare Cardinalium indicto conventu, mandavit nepotibus acquieſcere Purpuratorum conſiliis; & pacem reſtituere, priuſquàm ipſe ſenio confectus migraret è vivis. Adhuc tamen tergiverſarunt Barberini, donec in agro Rhodigino iterum inter Venetos, & Barberinos inito certamine, prævalente *Valletà*, qui uſquè ad obſcurum Lacum hoſtes perſequutus fugientes, cum ſtationariis è munitione egreſſis tàm obſtinatà contentione conflixit, ut invaleſcente tumultu, Ferrarià eliceret Cardinalem forti ſtipatum agmine cum viris primariis, & *Carolo Caraffà* Vicelegato. Horùm advẽtu pugna recruduit, Venetis tamen Marte fœlici. Ingruentes enim non ſolum ſuſtinuit, ſed etiã clade diſperſit, capto Caraffà, Antonio Dorià cũ pluribus celebris nominis chiliarchis. Cardinalis curſu velociſſimi equi ſe exemit, quadrigentis amiſſis occiſis, vel captis. Sic uſquè in hunc Annum 1644. tractarunt arma potiùs ad mortalium terriculamentum, quàm ad perniciem.

Galli pacem procurant inter Italos.

Barberini ſorte diffiſi tandem dedere pacem, & Caſtro reſtituto, Farneſiæ menſæ creditoribus iura ſervarunt. Rex Galliæ pro Odoardo, errati veniam rogavit *Cardinalis Bicchius* Romà digreſſus, Etruriæ, Mutinæ, Parmæ Duces convenit. Venetias appropinquanti Senatus occurrit tanquam Caduceatori. In Ducali Palatio locus decernitur ad congreſſum. Arbitri deliguntur, excluſis Cæſareo, & Hiſpano Oratoribus. Recitatis concordiæ legibus, ſinguli Principum miniſtri ſubſcripſerunt, quæ inter Miſſarum ſolemnia in Marcianà Baſilicà Kal. Maii An. 1644. recitatæ fuerunt. Sic Bellum Eccleſiæ eſt abſolutum graviſſimum, in quo pecuniam in Arce Hadriani ab Anteceſſoribus Pontificibus depoſitam adversùs infideles, grandi ſummà diſtractam ſcribit *Nanius*.

Pax inter fœderatos, & Barberinos

16. *Cum bello Parmenſi emiſit animam* Vrbanus VIII. Nam poſt firmatam pacem Kal. Maii 1644. obiit eodem Anno, die Veneris 29. Iulii, Anno ætatis 77. Vir fuit magni ingenii, prudens, humaniſſimus. Sepultus eſt in Baſilicà Vaticanà tumulo, quem ſibi vivens ad Eccleſiæ apſidem iuxta Pauli III. ſepulchrum, ſplendidè extruxerat, *Bernino* auctore.

Vrbani VIII. obitus.

Elogium Vrbano VIII. dictum à Io: Bap. Vrſo Ieſuità.

Vrbanus VIII. Divino nuper conſilio, Terrarum adlectus Pontifex, imperare ſibi didicit, ſupremi Numinis Vicariam evectus ad ſedem, adhibere rarò fulmen, Parcere viſus ſemper; effata credas, imiteris geſta, venereris nomen; quando Divini interpres Oraculi eſt. Eius urbana te trahit comitas, aureus devincit ſermo, ter maxima moderatur auctoritas. Famulantur illi charites, aſſidet Irene lateri, Regit Aſtræa forum, Barberinas iactat in ſtemmate Apes, mel ore profert, exerit in perduelles aculeum; At qui dum ferit, linit; vulnus dum facit, fovet; Accede reus, abſcedes ſubito innocens, pollentibus afflatus verbis, balneo elutus piaculari, Committe tuis auribus patratum, conceptum nefas; Non te confeſſi ſequetur pœna mors; Abibis vita redditus, adſcriptus ſuperis. Agedum divinitati proximo, poteſtate data divinitus, Chriſti vexillifero Procumbe Roma, Ac-


VRBANI VIII. BARBERINI FLORENT. PONT. MAX.
IN VATICANO TVMVLVM
EXCITAVIT ET ORNAVIT
IOANNES LAVRENTIVS BERNINVS EQVES

VRBANVS.VIII. PONI. MAX.NVMISMATA 2





VRBANI VI. SEPVLCHRVM IN VETERI D. PETRI BASILICA OLIM ERECTVM CVIVS IN CRYPTIS NVNC EXTANT VESTIGIA.

Accurre ſupplex Orbis, precare quiſquis es, fauſtos, nitidos, Neſtoreos dies. Vivet parum, vicena ni expleat luſtra. Firmet hoc omen Deus.

Scripta Vrbani VIII.

In aliquot Pſalmos, & Canticos novi, & veteris Teſtamenti *paraphraſi, ſeu metro alligavit Poetico.*

In Chriſti, & Deipara, & aliorum ſanctorum dies feſtos Hymni, Odę.

Epigrammata in viros illuſtres.

Ode exhortatoria ad virtutem nepoti dicata Franciſco Barberino.

Vita Roberti Bellarmini Cardinalis verſu heroico.

Poemata varia Latina, quæ commentis illuſtrarunt Iulius Cæſar Cappacius; Henricus Dormalius. Thomas Campanella. Magnus Perneus. Io: Hieron. Kapſperger ea muſicæ aptavit.

Vulgavit *decreta Eccleſiaſtica.* tom. 4. Bullarii:

Tres epiſtolas habes in libro inſcripto, *Maieſtas Panormitana Franciſci Baronii.*

Pontificale Romanum; Martyrologium ſuà auctoritate recognitum publicavit.

De eo ſcripſerunt Lucas Vvadingus; Marcellinus de Piſe; Franciſcus Tomaſucius, Chriſtophor. Ferrarius; Io: Guill. Vernerey; Ianus Nicius Eritræus; Franciſcus Pona. Abrah. Bzovius, Io: Imperialis; Hieron. Ghilinus; Sebaſtian. Gentilis; Galeazzus Gualdus, Baptiſta Nanius.

Laus Franc. Barberini.

17 *Nepotes.* Hiſtoriã ſcribimus non ſatyras. Geſta nepotum *Vrbani VIII.* cum nutent inter Hiſtoricos; tu Cardinalis *Franciſci Barberini* pietatem, magnanimitatem Venetis collatam adversùs Turcas leges infrà in vità Innocentii X. & Alex. VII. Vegetæ ſanè cũ eſſet ætatis Vrbanus, rigor ipſe fuit ſinè ceſura: ut cũ *Carolum* Ducẽ Lotharingię anathemate percuſſit, quòd relictà legitimà coniuge Nicolaà Duciſsà Lotharenorum, ad ſecundas nuptias convolaſſet Beatricis à Sanctà Cruce, prętextu nõ dati conſenſus licèt ipſe diſpenſationẽ imploraſſet, & obtinuiſſet à Sede Apoſtolicà ad contrahendũ primũ matrimoniũ cum *Nicolaà*, cũ quà palã, & publicè pluribus Annis convixit.

Vrbani VIII. geſta.

M. Antonium de Dominis Archiep. Spalatenſem Apoſtatam quondàm, & ad relictos Anglos per ſummam levitatem reſpicientem, Romæ mortuum, ſacramentis omnibus munitum, & pœnitentem, nihilominùs ex Inquiſitorum conſilio, cum ſuis ſcriptis in campo Floræ cremavit ad terrorem, & quià in errores reciderat à ſe damnatos.

Damnat M. Antonii de Dominis.

Amicitiam *Cyrilli* Patriarchæ Conſtantinopolitani GræcoCalviniani, An. 1638. ultrò reſpuit oblatam Divina favente Nemeſi, quæ per Vrbis Pręfectum coniecit in carcerẽ, & ad fauces Boſphori in mare præcipitavit; ubi impius tantum aquę ſorbuit, quantum ex Calvini ſordibus hauſerat veneni. Succeſſit ei, vel in ſedem reſtitutus eſt Cyrillus alter ex Iberià, qui cum priori non pietate, ſed pecunià certaverat, ut à Turcis Patriarchatũ impetraret. Sed brevi ob turpiſſimam pecuniarũ exactionem coniectus in carcerem, ſucceſſorem habuit (Anno 1639.) *Parthenium*, metropolitam Hadrianopoleos.

Fugit amicitiã hæreticorum.

Amicitiam *Vrbanus* ex adverſo coluit cum Regibus Congi, à quibus Romanorum Pontificum primus ſolemne obedientię ſacramentum recepit, interprete *Io: Bap. Vives.* Antonio autem Nigritæ Marchioni à Congi Rege ad Paulum V. Legato, qui in Vaticano obierat, ſepulchrum à Paulo V. decretum Vrbanus perfecit, & inſcriptionem appoſuit ſequentem.

Marchioni Antonio Nigritæ, Regio Congi Oratori, quem Paulus V. nondum peractà legatione, in Vaticano mortuum, in Exquiliis funeravit, Vrbanus VIII. Qui primus Romanorum Pontificum à Regibus Congi, per oratorem Io: Bapt. Vives Solemne Chriſtianæ obedientiæ iuramentum accepit, ſepulchrum extruxit, Pontificia charitatis monumentum An. D. 1639. Pontif. 6.

Creatio Cardinalium.

Creavit Vrbanus Cardinales numero 74. de quibus ſuo loco.

Vaticinium S. Malachiæ
De *Vrbani VIII.* Pontificatu
Lilium, & Roſa.

Quibus caſtitas deſignatur in *Lilio*; & ſuavitas morum in *Roſis*. Vel Apes Vrbanas intelligas, quę Liliis paſcuntur, & Roſis.

IN-

INNOCENTIUS DECIMUS PONTIFEX ROMANVS CCXXXVIII.



COlumba portanſ Olivæ ramum virentibus foliis ſymbolum pacis eſt, quam Orbi reſtituit Columba Pamphiliana, quum Regnum Neapolitanum reſpuens oblatum, ſeditione populorum ſedatà, Regi reſtituit Hiſpano.

Eligitur Anno Sal 1644. die 14. Septemb. Obiit die Iovis 7. Ianuar. 1655. ætatis ſuæ 80. Menſe octavo. Cum ſediſset Annos 10. Menſes 3. dies 22. Vacat ſedes uſquè ad diem 7. Aprilis.

E L O G I V M.

Anni Sal. In. 1644. Ir COlũba portãs Olivę ramũ virentibus foliis,
Placatum Numen promittit; Mortales!
Quæ diluviũ repreſſit antiquũ, arcebit & novũ.
Libera quæ eſſe noluit naufrago Orbe,
Sed rediit fidelis ad arcam;
Et nunc communem accedit ad ſortem.
Signum Pœnitentiæ adventus eius.
Cubavit olim ſuper aquas, nunc inter Lilia;
Pamphilii [1] regiminis præludens delicias.
Rotam olim movit Romanã, ſed æquabiliter,
Ut totum Orbem haberet auditorem:

Quem rexit conſilio, nunc recturus imperio. Anni Sal. I In 1644. Ir
Operà ſane ſuà, ſed opibus [2] fratriæ,
Cuius fortunis debuit fortunam ſuam.
Ergà Deiparam prima Pontificis ſtudia:
Vndè venit auxilium mihi.
Hæc prima vox Innocentii, & Innocentiæ.
Indè prævidere, & providere ſollicitus,
Annonam [3] auxit ſinè tributo.
Opes namquè Principis Populorum eſt opulentia.
Olivæ ramo cũ arcum tetendiſſet in nubibus,
Etiam cum Mortuis pacem coluit:

Anni Sal. Hu.

Memoriã Alex. III. Veneris [4] reſtitutã,
Qui non ambitu, ſed gratitudine,
Tutelam ſuſceperant defuncti Pontificis.
In iudicium evocati Mortui, nil mirum;
Si per lapides reſponderint ſinè timore;
Quod Vrbanus inurbane abſtulit:
Innocentius innocenter reſtituit,
Clava illi velut Herculi [5] Olea pacifica,
Numinis cultor, & ultor
Epiſcopũ Trevirenſem [6] carcere ſolvit Hiſpano;
Pacem reiecit [7] Oſnabrugenſem,
Quæ Bellũ nõ auferebat, ſed inferebat Eccleſiæ.
1648.15 *Caſtrum* [8] Epiſcopi ſui cæde pollutum
Igne purgavit, poſteà delevit;
Ut Caſtrum in Caſtro quæras, nec invenias,
1649.16 Quã ex columnà pẽdulũ quĩq, alligatũ ſyllabis;
Hic erat Caſtrum.
Ut Urbes nõ minùs funẽ formidẽt, quàm flãmã,
Iuſtitiã Innocens Leges timens, non Reges
De tribus ProRegibus triumphavit
Gallo, [9] Hiſpano, [10] Romano [11]
Noluit tamen experiri quantum poſset
Adverſus eos, per quos cœperat poſse.
Solis eum proditoribus ferro actum:
Quos tamẽ mãdavit ſepulchro, cõmẽdavit Cœlo,
Maſcambruno [12] fidei adultero, & miniſterii
Securi perculſo fuit pro magno funere,
Piiſſimi Pontificis miſeratio
Iuſtitiam reſpiciens, non vindictam:
Bella reſpuit, quæ etſi honeſta, abſquè ſcelere non peraguntur
Fortuna ſæpè tentavit eum iis illecebris:
Quibus irretiretur Deus, ſi Deus tentari poſſet,
Furente [13] Parthenope,
Invitatus ad regnum ſuum, non alienum,
Syrenes audiit, ut Uliſses.
Iuſtum dedignatus, & utile, ſi inhoneſtum. Anni Sal. Hu. 1647.14
Peccare nè poſset,
Arma avertit, cũ Venetis convertit [14] in Turcas,
Qui iniuriæ iure Cretam invaſerant.
Horribilem Beſtiam Togati Patres
Sprevère minãtẽ, tulère ruẽtẽ, fregère pugnãtẽ.
Hoc uno docuere bello, quod erat ignotum
Turcas vinci poſse,
Si ſaltem plures adverſentur omnium adverſario.
Reliqua bella pacis artibus vertit in triumphũ.
Excolendæ intentus oleæ ſuæ,
Lautos intexuit proſtratę [15] hæreſis;
Ut alterà manu profligaret hoſtes,
Alterà ædificaret Eccleſiam.
Renatũ in *Iãſenio* [16] Calvinũ pręfocavit in cunis;
Quo Duce,
Cęperat Gallia malè vivere, & peſſimè credere. 1653.17
Religionem ut augeret, religioſos [17] minuens,
Irregulares Regulares fecit,
Cum ex anguſtis in auguſta traduxit cœnobia.
Romam ut ſibi ſimilem redderet,
Eius expolivit mores, [18] & ſaxa [19].
Ganges, & Nilus peregrinari coacti,
Mutuarunt imbres ſuos fontibus Romanis;
Ut ſicco Cœlo pluviam Terra regurgitet.
Cardinalibus [20] dignitatẽ oſtẽdẽs, quã ignorabãt;
Titulo ſpreto Regali,
Contentos voluit purpurà Chriſti.
In fęminam [21] etiã honeſtam bellũ noviſſimũ,
Olympiam
Quam minùs timens, quàm calumniam,
Ab aulà relegavit;
Ut qualis venerat, abiret *Innocentius*.

ADNOTATIONES IN INNOCENTIO X PONT. ROM. CCXXXVIII.

Innocẽtii X natalia. 1 PAmphilius, Innocentius huius nominis *Decimus*, Pontifex Romanus, anteà *Io: Baptiſta Pamphilius* filius *Camilli*, & *Flaminiæ de Bubalis* Anno Sal. 1574. Nonis Maii, naſcitur Romæ, natalibus claris, quòd eius majores ex Germaniâ oriundi Eugubium Vmbriæ civitatem, antè annos ſeptingentos extruxerint. Viros clariſſimos togâ, vel armis huius familiæ recenſet Ludovicus Iacobillus *tomo 3 Sanctorum Vmbriæ, in vità B. Ludolphi*. Proavùm ergò laudes ut augeret *Io: Baptiſta*, literis operam dedit in Romano Collegio, indè in præcipuis Italiæ Accademiis, ſtudia aſſequutus majora, Anno ſuæ ætatis vigeſimo laureâ donatus, Advocatus Conſiſtorialis primò, deindè Auditor Rotæ Romanæ à Clemente VIII. renunciatus; 750 deciſiones mirâ facilitate, & ſingulari doctrinâ exaravit: quæ tribus voluminibus (Doctrina.) deſcripta ſervantur apud pronepotes hæredes. A *Gregorio XV.* Nuntius Apoſtolicus Neapolim miſſus, ab *Vrbano VIII.* à ſupplicibus libellis Præfectus (*Datarium* dicunt) datus Cardinali *Franciſco* (Legationes.) *Barberino* ad Gallos & Hiſpanos Legato, poſteà Patriarcha Antiochenus dictus, & ad *Philippum IV.* Regem Catholicum Legatus, cum omnia prudenter adminiſtraſſet, ad ſacram purpuram deſtinatur Anno (Purpura.) 1627. eamquè induit An. 1629. 13. Kal. Decemb. quo abſens publicatur. Anno autem 1630. die 6. Iulii Romam reverſus, rubrum galerum in Quirinali recepit. Pręfuit presbyter Cardinalis Eccleſię S. Euſebii; Congregationibus Immunitatis, Tridentini Concilii, S. Inquiſitionis, ubiquè laude, & animarum fructu. Mortuo tandem *Vrbano VIII.*, obſeratoquè Conclavi, die 9. Auguſti, adfuerunt Cardinales numero quinquaginta ſex, ex quibus quadraginta octo creati fuerant ab *Vrbano VIII.* undè difficile eſſet, diſſentientibus Barberinis, eligere ſucceſſorem. Ipſi tamen Barberini fratres *Franciſcus*, & *Antonius* ut moribus, ſic voto diverſi apertè diſſentiebant. Antè Vrbani obitum, Romam miſerat P. Rex Neapolitanus, ut (Tumultus Principum.) Sede vacante cogerentur Barberini arma deponere, oblatis in tutelam Conclavis viribus Regis. Auditâ poſteà morte Pontificis phalanges locavit armatas in confinibus Regni, Gallico frement Legato, qui Cardinalibus obtulit claſſem Gallicam evocare ad littora Italię, & militem ſcribere contrà irruentes

His-

Motus Parmēſis.

Hiſpanos. Etruſco autem fideiubente Duce, timendum non eſſe de Hiſpanis; mandarunt Romanſi exarmari Præfectum, permiſſo Barberinis Generalis S. R. E. munere, cui tamen aſſociarunt duos Cardinales ex ſenioribus. *Odoardus* Parmenſis irruptione factâ cum equitibus quadringentis Caprarolam uſquè, excitavit *Barberinos* fortiùs excubare ſuper agros ſuos. Primum experimentum in gratiam Cardinalis Saccheti, quem deſiderabant Galli, excludebant Hiſpani. Galli neminem excludere valentes numero inferiores *Antonium* prænſabant *Barberinum*, qui extincto *Vrbano*, erexerat inſignia Gallica in ſignum protectionis. In *Pamphilium* conſpirabant Florentini, ipſequè *Franciſcus Barberinus* clam tamen, licet familiarem agnoſceret hoſtium ſuorum, immò ſuſpectum *Antonio* Cardinali fratri, propter homicidium nepotis eiuſdem Cardinalis *Pamphilii*, quod *Mazarino*, & Antonio adſcribebant *Barberino*. Palàm ergò omnem movebat lapidem in gratiam *Sacchetti*, ut tandem concluderet prò *Pamphilio*. Cardinalis *Albornotius* arcani executor Hiſpani, apertè uni obſtabat *Sacchetto*, clàm à cæteris diſſentiebat, ut unum promoveret *Pamphilium*. Opus tamen erat, in partes trabere *Antonium Barberinum*, & Gallos decipere. Omnia expugnavit Cardinalis *Pancirolus*, datâ ſpe nuptiarum inter filiam *Thaddæi Barberini*, & *Camillum Pamphilium* nepotem unicum Cardinalis *Pamphilii*; non ſinè angmento Gallicæ coronæ, cuius in partes deſcenderent Barberini: purpurâ etiam *Michaeli Mazarino Fr. Dominicano Iulii fratri* promiſſâ. Hæc omnia inſcio Cardinale Pamphilio. Specioſis promiſſis aequievit incautè Marchio *Schiamontius* Orator Gallus, quem alii dixere corruptum auri ſame, oblati, ſed non ſoluti à *Theodulo* Marchione S. Viti. *Bicchio* ergò, & nonnullis Gallis ſolummodò contradicentibus, in Pontificem eligitur Cardinalis *Pamphilius* die 14. Septemb.

Io: Bap. Pāphilius Papa.

aſſumpto nomine *Innocentii* X. nummoquè percuſſo *Replevit Orbē terrarū*. Columba ſcilicet Spiritus Sancti, quā cusā habes in nummiſmate 13. pag. 589. & quià feſtum recurrebat Exaltationis S. Crucis, aliud percuſſit nūmiſma, in quo Crux cū epigraphe: *Fructū ſuū dedit in tempore*. n. 18. Concordat S. Malachiæ vaticinium, *Exaltatio S. Crucis*. Ad B. Virginē, quā à teneris coluerat *Innocentius*, tandē confugiens, tertiū nummū percuſſit, cum epigraphe, *Vnde venit auxilium mihi*. n. 1. Cultum hunc ſervavit uſq. ad ultimā vitæ periodum, preces ſolvendo quotidiano tributo.

Nummiſmata.

Eius pietas ergà Deiparam.

Fuit Innocentius ſtaturæ proceræ, validis ornatus viribus, naturâ igneâ, ardenti, virili, ac magnanimo pectore, cultuquè ad maieſtatem, & ferè ſeveritatem compoſito: frontem habuit rugoſam, amplam, oculos ſubalbos, barbam raram, & colore ſanguineo genas ſubrubentes. Eius electionem laudarunt Principes; ob eius illuſtres virtutes, Iuſtitiam, Conſtantiam, Prudentiam, ac Zelum nominis Eccleſiaſtici, & ad maxima quæquè negotia capaciſſimum. Literatorum amator, veritatis ſollicitus, in rebus agendis conſtans atquè magnanimus in ſpem maximam excitabat. *Nanius*. Timebant alii, quia

Statura.

Virtutes.

Olympia Maldachina.

2. *Fratria* obſtrictus *Olympia Maldachina*, cuius parentes cum bonis non abundarent fortunæ, eam Religioni deſtinaverant. *Olympia* autem matrimonii cupida, *Pamphylio* nupſit, ex quibus nati ſunt vnicus maſculus, *Pamphylius*; & plures ſœminæ. Convixere pacifici, amore coniugali per decennium; poſteà maritum ità abhorruit, vt etiam thorum divideret. Mortuo tandem marito, curam aſſumpſit domeſticam domus Pamphiliæ, cuius omnes proventus, dotiſquè ſuæ in honorem impendit cognati *Io: Baptiſtæ*, vt ſplendidè munera obiret Eccleſiaſtica. *Emanuel Theſaurus in notis elogii prò Innocent*. X.

Coronatur Innocentius.

Poſtquàm ergò primis ſui Pontificatus diebus, magna ſuæ humanitatis, prudentiæ, & religionis experimenta dediſſet Innocentius in omnibus excipiendis, & negotiis pertractandis, die 4. Octob. S. Franciſco ſacrâ decimâ octavâ ab electione, de more coronatur ad ſcalas Vaticanæ Baſilicæ à *Carolo Card. Mediceo*. Lateranū adiit 24. Novemb. & Deiparę ſuā referens electionē olim ei pręedictam à B. *Fælice Cantalitio Capuccino*, aſſumpſit pro ſymbolo, *Da ſervo tuo cor docile, ut populum tuū iudicare poſſit*. In eius honorē erecti fuerūt à Senatu, Populoq. Romano arcus ſymbolis, ſtatuis honorem referentibus, atquè lætitiam.

Papa prædicitur.

3 *Annonam auxit ſinè tributo*. Peractâ coronatione ad publica, & privata componenda converſus, Congregationem inſtituit, cujus eſſet Cameræ Apoſtolicæ conſulere ære alieno gravatæ. Panem in pauperum commodum ampliari mandavit.

Annonā procurat.

4 *Alexandri III.* memoriam in Regiâ Vaticani aulâ, ſedente *Vrbano VIII.* ſublatam, ne vim faceret antiquitati, purè, & ad ſyllabam reſtituit. *Thadæum Barberinum* ſolio prohibuit, & Oratores Principum revocavit: quorū gratiâ Veneti, non ſolùm Oratores *Obedientiæ*, ut de more legarunt *Petrum Fuſcarenum*, *Io: Nanium* Equitem Procuratorem S. Marci, *Aloyſium Mocenicum*, *Bertucium Valerium*; ſed etiam *Angelum Contarenum* Equitem, & Procuratorem D. Marci ex templò miſerunt, ut gratias ageret Summo Pontifici, eiuſq. familiam dixere Patritiam. Innocentius autem inter Purpuratos aſſumpſit *Io: Carolum Mediceum*, & *Camillum Pamphilium*; hunc vt nuptiis cum Barberinâ pactis ſe inſcio, ſubtraberet: illum, vt grates rependeret M. Etruriæ Duci, qui pro eius electione omnem conatum impenderat.

Reſtituit memoriā Alex. 3.

Cardinales creat.

Expectabatur interim quomodò Gallia acquieſceret Pontifici, quem ipſa excluſerat. *Mazarinus* cum decumberet, cognitâ electione Pontificis, ægrotavit ad mortem ex dolore animi, quod Romæ exiſtimatio deficeret, & fortuna. Super omnia cruciabatur, quòd Cardinalem Pancirolum æmulum ſuum à ſecretis ſibi aſſumpſiſſet *Innocentius*. Propterea Marchionem *Schiamontium* Legatum (quem auro corruptum credidit) Romā revocatum, juſſit Rege inviſo, in campeſtria ſecedere. *Antonio* autem *Barberino* mandavit Lilia deponere, & tutelam Gallicæ coronæ. Cardinali *Theodulo* penſionem revocavit. Electionem ſuam Reginæ dominatrici literis ſuâ manu exaratis Pontiſex ſignificaverat: cui reſponſum verbis æquivocis; quaſi ex futuris lætitia electionis penderet præſentis: & timore amor extorqueretur Pontificis. Hæſitantibus itaquè animis, volens *Mazarinus* experiri quid poſſet; Romam miſit *Gremonvillium*, ut prædivitem Abbatiam, quâ ſeipſum ſpoliaverat, dono daret Cardinali *Pamphylio*, qui beneficiis vinctus fratri ipſius Mazarini purpuram impetraret à pa-

Mazarinus male affectus ergà Innocētium.

Abbatiā dono dat nepoti Pōtificis.

patruo. *Gremonvillaus* autem aulicæ artis ignarus, vix ſalutato Pontifice, projecit munera, & *Pamphylio* reſignatà Abbatià vacuus rediit in Galliam, re nulla impetratà. *Nanius*.

Eccleſiaſticã redimit immunitatem Innocent.

5. *Oleam.* Herculis clava ex Olivæ trunco, qui terræ impactus fronduit; Pontificis innuit gravitatem, quà ſimultatem inter *Cardinalem Eſtenſem*, & *Caſtelle Architalaſſum*, Oratorem Hiſpanum compoſuit, Hiſpanos, qui in Cleri Luſitani delegato Pontificiam maieſtatem, ac publicam pacem armis publicè offenderant, ablegavit Rege conſentiente Catholico: Violatores Eccleſiaſticæ Immunitatis, qui per ſummam audaciam palatium Legati inſultaverant Apoſtolici, coegit flexis genibus ad Legati pedes pœnitentiam publicè poſtulare, & accipere. Similes in ditione Beneventanà carcere punivit. ProRegem Neapolitanum multa per contemptum agentem Sedis Apoſtolicæ, removeri à *Philippo* impetravit.

Electorem liberat Trevirenſem

6. *Epiſcopum Treuirenſem* Electorem S. R. I (qui à pluribus Annis Hiſpanorum captivus, quià ſtudioſus Gallici nominis) obtinuit Innocentius à *Ferdinando III.* Imper. libertati reſtitui, & ſedi ſuæ.

Pacem damnat Oſnabrugenſem.

7. *Pacem Oſnabrugenſem* Imperio probroſam atq; Eccleſiæ, cum Anno 1648. Die 24. Octob. Germani ſignaſſent, quà (ut Gallum omittam) Svecus, Haſſius, Brandeburgicus aliquid decerpſerunt, expilaris Eccleſijs, ampliatà Hæreſi, eique veluti in præmium, & in dotem bonis diſtributis Eccleſiaſticis; ſui muneris duxit *Innocentius* per legatum ſuum Apoſtolicum, *Fabium Chiſium* (Alex. iſte VII. futurus) pacem illam refellere verbo, & ſcripto depoſito in manu Cæſaris; quod iſte non invitus accepit, ut dato tempore, & occaſione poſſet abſquè iniurià à conventis recedere. *Nanius*.

Caſtrũ in cinere.

8. *Caſtrum.* Licèt exordio ſui Pontificatus *Innocentius* Farneſiæ familiæ ſe non adverſum oſtendiſſet, confirmato munere Vexilliferi S. R. E. Duci *Odoardo* Parmenſi, qui interprete *Appio de Comitibus* Poli Duce, fidelitatis ſacramentum perſolverat; Immò *Franciſcum Mariam Farneſium* eiuſdem Ducis fratrem germanum Purpurà donaſſet: Caſtri tamen fœnus diſſidia ſuſcitavit antiqua, quibus Civitas ipſa in cinerem abiit. Tantum funus fuit, qui *Olympiæ* adſcriberet *Maldachinæ*, quæ *Principiſſæ Roſſani* infeſta *Innocentium* excitavit adversùs Ducem Parmenſem tanquàm affinem æmulatricis ſuæ, ut vel obliquè injuriam ſibi vindicaret illatam. *Hieronym. Bruſon, l.* 17. Verius eſt, ex violentià inſurrexiſſe Parmenſis militiæ, à quà prohibiti Apoſtolici Comiſſarii in oppido Borgheti, ſententiam exequi Romæ latam adversùs Ducem Parmenſem, in gratiam Principiſſæ Nerulæ, Romam pleni ignominià redeuntes, Pontificem excitarunt ad vindictam. Accedit; quòd cum venerabilis *Chriſtophorus Giarda* Caſtri electus Epiſcopus, reclamante *Odoardo*, ad reſidentiam deſcenderet, per ſummum nefas, ſicçariorum manu ſublatus fuiſſet ex mandato *Marchionis Gaufridi*, tunc temporis in aulà Parmenſi adminiſtri, iuſto Zelo commotus *Innocentius*, Caſtrum malorum omniũ fontem, & caput delendum in pœnam tanti ſceleris decrevit. Horrendo primùm perculit anathemate; indè conſcripto expeditiſſimè exercitu, mandavit *Gabriellio*, & *Vvidmanio* viris præſtantiſſimis, arctà obſidione Caſtrum cingere. Et nè ex agro Bononienſi Parmenſes accurere poſſent in ſuppetias Vrbi obſeſſæ; alium cogi exercitum mandavit Pontifex, qui Duce *Aloyſio Matthio* hoſtem eà ex parte fatigaret. Votis reſpondit eventus. Marchio quippè *Gaufridus*, qui prò ſuo arbitrio aulam moderabatur Parmenſem, collecto equitatu Caſtrum ab obſidione vindicandum feſtinabat. Sed eccè miles occurrit Pontificius in confinibus agri Bononienſis, juxtà oppidum *S. Petri in Caſale*, datoquè pugnæ loco, illinc *Gaufrido*, hinc *Taſſono* Eſtenſi agmen generosè ducentibus; brevis, ſed cruenta victoria fuit penès Pontificios. *Gaufridus* fugatus, & victus mandato Ducis Parmenſis, in arcem Placentiæ abducitur, multiſquè detectis criminibus, quibus ſui Principis nomen implicaverat, præſertim de cæde Epiſcopo illatà reus factus, pœnas ſcelerum luit capite, boniſquè ſpoliatus, quibus ſe largiſſimè cumulaverat. Credidit *Odoardus* Gaufridi nece placare Pontificem, Iſte bella timens futura, ſi Caſtrum ſupereſset, civitatem eradere, & evertere ſtatuit. Accepto mandato *Iulius* Spinula civitatem diruit à fundamentis, erectis quibuſdam Crucibus in locis, ubi erant Eccleſiæ, & cæmeteria, quæ mandante Pontifice profanavit; Nomine Cameræ Apoſtolicæ poſſeſſionem accipiens, Caſtri, & Roncilionis, eà conditione ut Camera Apoſtolica uſuras ſolveret creditoribus, ſalvo iure Parmenſi Duci redimendi, ſolutis debitis. Sedem autem Epiſcopalem Caſtri ad proximam Aquæpendentis cum omnibus iuribus tranſtulit, & prærogativis. Redemptionem Parmenſis vel ſpontè neglexit propter onera, vel prætertiit; quià vires deficerent. Vbi erât civitas; erexere columnam, cui inſcriptum. *Qui fù Caſtro*. Nanius; Hier. Bruſonus. Oldoinus.

Diſſidia inter Pontificem, & Mazarinum.

9. *Gallo.* Ægre cum accepiſset *Mazarinus* electionẽ Pamphilii in Pontificem (ut ſuprà habes *n.* 4.) peſſimè habuit auditâ geminà creatione Cardinalium, primà factà Anno 1. Pontif. Sal. 1644. Die XIV. Novem. Secundà Die 6. Martii, An. 1645. inter quos *Mazarinus* intelligens fratrem ſuum planè deſertum, contemptis Reginæ precibus, quæ per literas ſeriò ei purpuram poſtulaverat, nè ipſe, ac miniſterium ſuum fabula foret Romana; cœpit inſimulare omnes promotos, Hiſpanos eſse obedientià, vel affectione: proptereà Pontifex, eiuſquè miniſtri tanquàm Gallis ſuſpecti in comitiis Monaſterienſibus evitandi donec meliora producant. Eodem tempore ut Pontificem fatigaret, requirebat nomine Regio, Romæ Luſitanus admitteretur Orator; Beneficiorum Eccleſiaſticorum iura in Catalaunià, aliiſquè locis bello quæſitis, darentur Regi: *D. Baupius* ex Romano carcere in Gallias traduceretur captivus, ut ibi cauſam diceret, cur *Mazarino* mortales orditus fuiſſet inſidias. Omnia cum negaret *Innocentius* clarè, & conſtanter: Regina revocato *Gramonuillao*, Abbatem S. Nicolai ſubſtitit virum apprimè callidum, & ad turbas natum.

Papa agitat Barberinos.

Innocentius verò cum in Barberinos Reginam concitatam non receſſuram crederet ſinè vindictà; meditatus & ipſe eorum oppreſſione non ſolùm rem gratam facere Gallis, aliiſquè Principibus, ſed etiam familiæ; cœpit rationẽ exigere præteriti miniſterii, libellis plaudere expoſtulantium contra flagitia patrata ab Antonio Cardi-

dini-

dinali Barberino, quum in bello Parmenſi legatum ageret cum liberâ facultate. Barberini ut imminens declinarent naufragium excitatum potiùs in bona, quàm contrà ſcelera, Cardinalem clàm miſere *Valenzeum*, ad implorandam Gallicam tutelam, ſperantes facilè ſibi reconciliari *Mazarinum* diſſidii avidum adversùs Pontificem. Romà itaquè *Valenzeus* diſcedens inſalutato Pontifice, inſperatò Pariſios venir, ſed inviſus, ingratus, & quià inquieti animi *Mazarino* ſuſpectus. Verum arcanis patefactis Barberinis; exultavit *Mazarinus* quòd ab hoſtibus, habiturus eſſet vindictam, quà facilè diſſiparet Hiſpana conſilia, & vota confunderet Innocentii. Tutelà itaquè propoſità Barberinæ Domus; diſſentientibus, & indecoram accuſantibus regiminis inconſtantiam, ſatisfecit dicendo, *Reges non regere vulgi opinione, Privatorum hæc patrimonium. Decorem regiminis utilitate penſari, Poſſe Galliam armis ſuis hoſtes debellare fortiſſimos, Romano excepto Pontifice; qui ex cauſâ religionis, omnibus venerabilis, haud gladio vincitur, ſed conſilio. Innocentius in promotione Cardinalium excluſis Gallis, cum arbitros futuri Conclavis meditetur Hiſpanos; hoc unum ſupereſſe, eos in ſinum recipere, quorum factio numero prævalens, nos participes faciat electionis futuræ.* Nec tacuit fœdera, & amicitias, quas Barberini in Regno fovebant Neapolitano, arcanis Gallicis non inutiles. *Innocentium* etiā accuſavit, quòd interprete *Arſenio* Doctore Sorbonico Ducem tentaſſet corrumpere Aurelianenſem, & adversùs Reginam excitare. Hiſce commota Regina, evocato Nuntio Apoſtolico, mandavit per ſupremum Regni Cancellarium verbis, & literis cauſas recenſeri diffidentiæ, immò aulam admoneri Romanam, nè Barberinos vexaret, quia in tutelam Regiam receptos, præcipuè Cardinalem *Antonium*, quem ipſa Pariſios evocabat. Horum teſtes cùm iovitati fuiſſent Oratores Venetus, & Etruſcus; excuſante Veneto Barberinam cauſam minimè ad Rempublicam pertinere, etiam Mediceus abfuit. Non propterea laxabat iudicium Pontifex, vel rigorem. *Vladiſlao* namquè Poloniæ Regi purpuram exigenti pro *Mazarini* fratre (qui nuptiarum paranymphus inter Polonum, & *Mariam Gonzagam*, fratrem Regi commendaverat) apertè negavit, dicens: *Non deeſſe in Poloniâ, quos Rex purpurà honoraret; extraneos quærere, ſed cum iniuriâ*. Eodem tempore in judicium vocato Cardinali *Antonio Barberino* (qui clàm in Galliam aufugerat) eius munera, & dignitates Cardinalibus commiſit adminiſtrandas. Hæc cum Venetis diſplicerēt, Turcà fortiter ingruente in Cretico ſolo; miſſus eſt *Petrus Foſcarenus* Orator extraordinarius, qui diſſidentes reconciliaret; iam enim Galli claſſem inſtruebant Italiam versùs, non ſinè Principum pavore, & Turcarum incremento, qui Chriſtianorum diſſidiis fortes, non ſolùm Cretam, ſed Romam irruere cogitabant. Exhibenti tunc Papę Nuntios legare extraordinarios ad Reges, qui pacem urgerent, & in Turcas ſuppetias exigerent: obiecit Gallia legationē intempeſtivam, & præcocem. Cum enim Monaſterii Oratores de pace præluderent: ex legatione extraordinarià Pariſios miſsà, iure Proteſtantes fœderati Gallos arguiſſent ſuſpectos, quaſi ſeparata miſcerent cum Romanis conſilia. De Suppetiis in Turcas, ipſe *Innocentius* præiret exemplo; quià ſolis verbis Barbari irritantur, non vincuntur. Interim ornatà claſse (cuius imperium declinavit oblatum Dux *Anguinius*; quià huius pater *Condæus* princeps minimè probaret *Mazarini* vota) eiquè ſpe Italicæ coronæ præfecto *Thomà Sabaudo*, qui communicatis viribus *Mazarinus*, & conſiliis, in Montem Argentatium vella dirigere convenere. Eſt iſte vnus ex Alpibus, per quem tranſitus è Galliâ in Italiam, in limite Marchionatus Salutiarum, excurrens in mare inter portum Herculis, & Telamonis, in orâ Auſtrali. Hoc freno Italię iniecto, meditabatur *Mazarinus* non tā Gallorū phalangibus ianuā aperire in Italiā, quàm obliquè auctoritatem ſibi in aulà vindicare Romanà, metumquè incutere Etruriæ Duci, quem promotorem *Pamphylii* Mundus agnoverat, & contrà Barberinos inſtigatorem. *Antonius* jam Romà diſceſſerat: *Franciſcus* oè Fortunæ exponeretur ludibrio, noctu fugiens cum Præfecto Romano, totàquè familià navim conſcendens onerariā, Narbonā venit penè naufragus, indè Pariſios mæſtus, & humilis, ipſis compatientibus, qui alià damnaverant faſtum eius; quùm legatus à latere, & nepos regnantis Pontificis nemini cederet. Ad colloquium admiſſus, blādiri viſus eſt *Mazarino* ſpe mutuà nuptiarum inter nepotes: pro celeri autem expeditione claſſis, fœdus, & aurum. Ob hanc fugam iratus Pontifex diploma vulgavit contrà Barberinos, pœnà pecuniarià propoſità ni redirent, quæ augeretur ad menſuram contumaciæ. Diploma Apoſtolicum obliteravit Lutetiæ Parlamentum, & tanquàm abuſum condemnavit; lege Barberinis impoſità ex Regis Imperio, nè Lutetià diſcederent. Interim *Thomas Sabaudus* ejuratis Hiſpanis, cum ingenti claſſe, vrgente *Mazarino* Archiep. Aquæ Sextiæ, qui in ſpolium purpuram extorquere ſpetabat, Narbonà ſolvens, ad littora Etruriæ appulit, vbi occupatis Portubus S. Stephani, ac Telamonis, Orbitellum urbem obſidet munitiſſimam; ſed eam Hiſpano propugnante *Carolo Gattà*, donec in eius auxilium deſcenderet Neapolitana claſſis: coactus eſt *Thomas* copias reducere in Pedemontiū, amiſſo Architalaſſo *Breſſao*, maximę ſpei adoleſcente, & ſuprà ætatem forti, atquè ſapienti. Paulò poſt mareſchallus *Melleraus*, lectiſſimis inſtructus copiis, & pulcherrimo belli apparatu Portum longum (*Porto Longone*) in Ilvà inſulà occupavit, & Populonium (*Piombino*) in continente die 29. Octob. A. 1646. Quo ictu geminum percuſſit hoſtem, Hiſpanum, & Romanum. Populonium enim cum ſuo principatu ad *Ludoviſium* ſpectabat nepotem Pontificis. Tremens Pontifex ad novæ expeditionis ſonitum, accito Cardinali *Grimaldo*, qui Gallis nomen dederat, *Barberinos* reſtituit unà cum honoribus, & dignitatibus, eà conditione, ut Avenionem pergerent, & indè obſequium ſolverent debitum Chriſti Vicario. Poterat *Mazarinus* ſpolium Populonii declinare; cū autem agnoviſſet interpretem opportunum cum Pontifice eſſe timorem; irruptione permiſsà, ſe excuſavit, citiùs non valuiſſe revocare mandatum. Nec longè Archiep. Aquæ Sextiæ Romam regreſſus, ac ſibi reconciliata familià Pontificis, immò ipſo Pontifice, ſpe oblatà Populonium reſtituendi *Ludoviſio* nepoti, purpuram tandem impetravit. Gratias egit Pontifici *Mazarinus* electi Cardinalis frater, ſobriè tamen, & quaſi in pęnam dignitatis

ſe-

Galli patrocinium ſuſcipiunt Barberinorū contra Pontificem.

Papa Barberinos ſpoliat.

A Gallis deluditur.

Innocent. Barberinos revocat in aulā.

Sabaudi conſpirant cū Gallo.

Pamphiliis reconciliantur Barberini.

ſerò collatæ, implere negavit quod frater ſinè auctoritate promiſerat. Hinc indulgentiâ, & reſtitutione *Barberinis* promiſsâ, ſuſpensâ iterum; exules abiere octo annorum ſpatio; donec *Olympia* ut ſe armaret adversùs nurum, *Roſſani* dominam, nuptias obtulit *Olympiæ Iuſtinianæ* ſuę proneptis *Maphæo Barberino*, eâ conditione; ut prò dote nubentis reſtituerentur *Barberinis* fructus dignitatum, qui octo iam Annis iacebant in ſequeſtro. Ità poſt varios turbines, penè naufragi *Barberini* redierunt in patriam pleni divitiis, & dignitatibus. Pęnam tanti diſſidii innocens Italia ſubiit, fræno accepto Gallorum, quod PortuiLongo, & Populonio *Mazarinus* impoſuit. *Nanius.*

10. *Hiſpano.* Vide ſupra n. 5.

11. *Romano* nempè Mazarino, vide ſupra n. 9.

Iuſtitia Innocentii X.

12. *Maſcambruno*: Franciſcus iſte dignitate Canonicus, officio *Subdatarius* pecuniæ avidus, literas adulteravit Apoſtolicas. Vulgato crimine, & teſtibus abundè comprobato, mandavit Iudicibus *Innocentius*, legibus agerent, à quibus capite damnatus, toti Vrbi ſpectandus patuit, ut in eius ſupplicio violata fides, & corrupta iuſtitia revireſceret. Alia non defuere in *Innocentio* exempla iuſtitiæ, nullo habito perſonarum diſcrimine præcipuè in Legatis, & miniſtris; indignum ducens, cum populis præeſſe, qui populo iuſtitiam ſervare neſciebat. Hine Iudicem rerum Criminalium in foro Gubernatoris Romani, præ ſuâ odioſum avaritiâ carcere primùm, mox in pænam maioris flagitii ad triremes damnavit. Firmanum populum, qui *Vberto Maria* Vicecomiti eius Vrbis Prætori ſeditioſè mortem intulerat, immiſſo armatorum agmine, punivit carcere, triremibus, morte.

Turbæ Neapolitanæ.

13. *Furente Parthenope*. Anno 1647. Tumultuatum in utriuſquè Siciliæ Regno, A Panormo Siciliæ ſeditionis exordium: Neapolitanæ autem turbæ graviores, & diuturniores. Exortæ ſunt illæ propter vectigalia impoſita rebus minutis, ut pomis, oleribus: quæ ut aboleret, & privilegia Caroli V. ſervaret, ſe patriæ liberatorem vilis homuncio *Thomas Anielus* (vulgo *Maſaniello*) profeſſus, plebe ſtipatus vectigalia ſuſtulit omnia, & ut idem præſtarent ProRex & Archiepiſcopus, vi impulit & armis. Rebus autē cōpoſitis cū dementiâ agitaretur *Anielus* poculo a ProRege procuratâ, vel ex mole negotiorum enatâ, cęſus eſt à quatuor nobilibus. Eo mortuo nihiloſeciùs duravit tumultus, dum nobilitas quoquè imminui vectigalia poſtulat: quarè ad turbas fovendas emiſſus è Gallia *Guiſius*, qui popularitate innatâ familiæ ſuæ, feſtivam nactus populi acclamationem fovit eas, quandiù potuit, donec ſtationem ſibi concreditam cum libertate deſeruit, Hiſpanum traductus in carcerem. Convenerant Populus, Nobiles, ac Neapolitani Primates, ut Pontifex evocaretur Romanus, ſupremus Feudi dominus, qui eos clypeo Religionis, & armorum gladio defenderet. Multa erāt, quæ Pontificem impellebant, ut populo reſponderet vocāti, & manus porrigeret auxiliatrices, ut Eccleſię Regnum reſtitueret Neapolitanum occaſione tam opportunâ, & gloriâ domus Pamphiliæ, ſi tantum Regnum nullo ſumptu, nullo cruore ad Eccleſiam retraheret. Hæc licèt plurimis, validiſquè ſuffragiis confirmata ſuadere non valuerunt *Innocentio*, ut Nea-

Galli fovent ſeditioſos

Innocentii X. moderatio reſpuentis Regnū ſibi oblatum Neapolitanum.

politanos probaret tumultus. Ætatem reſpiciens ſeneſcentem, tantumquè opus confici haud poſſe ſinè milite externo, cui tandem cederet armorum fructus, ob Pincipum invidiam; raro moderationis exemplo, mandavit ſeriò *Aemilio Altierio* Legato ſuo, ut toto animi conatu tranquillitatem curaret. Et quia novus ProRex (Romæ iſte degebat Orator) Neapolim miſſus *Comes de Ognate* eâ pecuniæ copiâ deſtitutus erat, quam ſumptuum neceſſitas, & pericula poſcebant; non dubitavit magnanimus Pontifex quinquaginta aureorum millia illi ſuppeditaro, maiora etiam daturus auxilia, ſi res poſtularet. Hæc cauſa fuere, ut tandem populus ab incœpto furore reſipiſcens, ſpontè damnaret, quæ ardore præcipiti patraverat contrà Regem ſuum. *Nanius.* Nummus conſonat. . . ., in quo *Salvator* cū epigraphe. *Fiat Pax in virtute tua.* Hæc fuere Innocentii vota, donec reſtitutis Barberinis, ipſis inſtigantibus cœpit ſenex concupiſcere, quæ in viridi ætate prudens reſpuerat. Fœdus namq. (ſcribit *Nanius*, ſed negāt Barberini) initū inter *Olympiā*, & *Barberinos* eâ condtione, vt iſti decem millia militū cōſcriberēt, & alerēt ære ſuo, donec Eccleſia regno potita Neapolitano, Principatū Salernitanū liberè cedere familię Barberinæ. *Olympia* aurum ſubminiſtraret pro tāti belli mole, eâ ſpe quòd filiis, & nepotibus ſuis in ampliſſimo Regno defuturi non eſſent Principatus. Arcana hæc cū meditarentur, excluſo *Camillo Cardinali Aſtallio*, quem Pōtifex adoptaverat in nepotem; indignatus *Aſtallius* rem totam Hiſpanis aperuit, vndè in pęnam miniſterio depulſus, in villam ſeceſſit.

Nūmus pacis.

Seneſcētis ambitio.

Subſidia in Turcas.

14. *In Turcas.* Vix Annum Pontificatus impleverat *Innocentius* X. cum Turcica claſsis ſexaginta hominum millibus fortis, in triremes diſpertita octoginta, decem roſtratas naves, totidem Anglicas mercede conductas; ultra tres Tunetanas, duas quinqueremes, Sulthanam unam immenſæ magnitudinis, atquè ducenta diverſæ formæ navigia, An. 1545. Idib. Iunii, tenet littora Cydoniæ. Cauſa belli, libido regnandi. Fœdifragis barbaris occurrere Veneti ſupra vires, eâ conſtantiâ, ut niſi ſcriptores externi fidem facerent, fabulam diceres non hiſtoriam. Apud eos ergò Bellum invenies, quo priorum comparatione nullum vel temporis diuturnitate, vel rerum ſucceſſu calamitoſius. Miſſis ad Reges Legatis, *Innocentius* adfuit verbo, & exemplo cum XI. triremibus ſuis, & Melitenſium, quibus Princeps præerat *Ludovifius* cum Eccleſiæ vexillo. Anno ſequenti (qui fuit ſalutis 1646. arma in Turcas meditanti *Vladiſlao* Poloniæ Regi quingenta millia talerorum cum obtuliſſet Reſpublica, & veluti in arrham viginti millia ſolviſſet; Romam venit Comes *Magnus* ut Pontificem in fœdus alliceret, cui promptè triginta millibus nummorum ad inſtruendum bellicum apparatum oblatis; licet fędus evanuerit. Anno 1647. urgente magis Turcarum turbidine, amiſſâ Cydoniâ, Novigrado in Dalmatiâ, Rethimo in Regno; Congregationem Pontifex Cardinalium inſtituit, qui in Turcas ad tutelam excubarent Chriſtianę Reipublicę. His Cardinalis *Caponus* cum ſaltem quatuor millia militum ære Eccleſiaſtico alēda proponeret; *Pancirolus* autem, cui erat ſumma regiminis, accuſaret inopiam ærrarii; mille pedites ultrà triremes, in Dalmatiam traiecti

Bellum Creticum

Auxilia Venetis collata in Turcas.

ſti fuere. Anno 1648. ultrà triremes, centum millia nummorũ obtulit exigenda à Clero Veneti imperii permiſſis iterum triremibus uſquè in Annum 1652. quo aliqua in Italiæ finibus monaſteria Regularium, in quibus Obſervantiæ rigor vix poterat obſervari, extingui mandavit. Obedientiam declinavere Veneti, & nè ſubditos conturbarent, quibus Regulares erant veluti paſtores in agro, qui ſacramenta, & panem frangebant ſpiritualem; Vel ſuſpicari quòd redditus in Commendas erigerentur, & Abbatias. Hinc ſimultas, & Zelotypia. *Innocentius* cũ Epiſcopatus impleviſſet vacantes, eorumquè nomina in publico Conſiſtorio Cardinalibus externis nõ nationalibus vulgari delegaſſet; negavit Senatus permittere poſſeſſionem civilem. *Electo* tamen promovente Legato, quód ſi rem parvi momenti Reſpublica præteriret; Pontifex officio non deficeret Apoſtolico, in bello communi: acquievit Senatus eà conditione, nè in poſterum gravaretur.

Diſcordia cũ Venetis generosè compoſita.

Innocentius autem collationem duarum Eccleſiarum cum præconizandam mandaſſet iterum Cardinalibus alienigenis: commotus Senatus præſentium, atquè præteritorum executionem ſuſpendit. Pontifex verò ſuppetias denegavit. Senatus tandem, ne prætextu violatæ Iuriſditionis Pontifici anſa daretur deſerendi cauſam communẽ; Collationes omnes eius permiſit arbitrio; ipſe verò animo plenè ſuperior, delegatis omnibus Collationibus Cardinali *Ottobono* Veneto, ipſe ad maiorem Reipublicæ gloriam in publico Conſiſtorio, Veronenſis Eccleſiæ proviſionem expoſuit. Familiam tunc Barberinam connumerarunt Veneti inter Patritios, quia interprete *Franciſco* Cardinali, aures tandem *Innocentius* benignas donaſſet Reipublicę interceſſionibus (*Andreas Valerius*) Permiſit etiam ut ex ditione Eccleſiaſticà conſcriberent duo millia peditum, & ex Clero ſubſidium exigerent extraordinarium. Anno 1654. cum agmen Pontificium in Dalmatià ad internetionem Turcæ concidiſſent, ut ſoli ſeptuaginta pedites ſupereſſent (*Nanius*) ex conſilio

Franciſcani cur non permiſſi arma ſumere in Turcas.

Cardinalium permiſit, ut Franciſcani Minoris obſervantiæ arma inducrent, ex clauſtro in caſtra tranſirent, & Venetis miniſtrantibus alimoniam, gemino pugnarent gladio adversùs infideles. Ancona, Apenelte, Meſiana, Maſilia, Tergeſtum, Teuroentium, Venetię loca fuere, quò ſacri milites convenirent. Obiiciente tamen Hiſpano Oratore *Duce Terrę Nova* verbo primùm, deindè ſcripto Cardinalibus propoſito, diſcrimen S. S. Sepulchri, ſi Franciſcani (quibus erat commendatum) arma ſumerent in Infideles; conſilium evanuit ſanctum, & utile. *Andreas Valerius*.

Hæreticos damnat

15. *Proſtrata Hæreſis.* Vigil in Hæreticos *Innocentius*, nè fidei Chriſtianæ candorem inficerent erroribus ſuis; à primordio Pontificatus cum è Gallià liber quidam anonymus prodiiſſet, qui Eccleſiaſtici nominis Monarchiam à Chriſto in Petro inſtitutam evertere conabatur; examinari mandavit à graviſſimo Cardinalium, & Theologorum cætu; ubi autem conformi omnium ſuffragio doctrina illa, quæ omnimodè Paulum aſſerebat æqualem Petro fuiſſe, ſinè ulla Pauli ad Petrum ſubordinatione, in ſupremo Eccleſiæ regimine, fuit reprobata tanquam evidenter falſa, & erronea; ipſe etiam calculum adiecit Pontificium, & tanquàm hæreticam condemnavit, die 25. Ianuarii, An. 1635. Decretum hoc laudarunt lucubrationibus ſuis *Io: Aug. de Bellis* Clericus Regularis. *Theophylus Raynaudus* è Soc. Ieſu. *Petrus de Marcà* Archiep. Tholos. *Petrus à S. Ioſeph.* Fulienſis.

Ianſenii errores.

16. *Ianſenio.* In Gallià & Belgio cum in dies ſerperent validius errores *Cornelii Ianſenii*, ex eius libro deprompti, qui *Auguſtinus* inſcribitur: licet Vrbanus VIII. adversùs *Ianſenii* librum Bullam pronuntiaſſet, & decreta Pii V. & Gregori XIII. in *Michaelem Baium* confirmaſſet, gravi adhuc animarum periculo, magis invaleſcerent turbæ; Galliarum Epiſcopi *Innocentio* X. R. P. ſequentia ſcripſerunt.

Beatiſſime Pater.

Maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquàm deficiens perpetuò retineri pro iure ſuo poſtulat. Æquiſſime huic legi obſequentes, de graviſſimo circà Religionem negotio Sanctitati Tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commovetur, ob librum poſthumum, & doctrinam Reverendi Cornelii Ianſenii Iprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini authoritate, tum Bulla illius, quam Vrbanus VIII. fel. m. adversùs Ianſeniani dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. & Gregor. XIII. in Baium edita confirmavit. Huius quidem Bulla veritatem, ac robur novo diplomate vindicaſti; ſed quia nulli ſingillatim Propoſitioni certa cenſura nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cavillis, & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus: ſi, ut precamur, S. T. quid hac in re ſentiendum ſit, clarè, diſtinctequè definiat. Obteſtamur ergo, ut has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, S. T. expendat, ac certam de unaquàquè ſententiam ferat.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoquè illis gratia, quà poſſibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur.

III. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſsitate; ſed ſufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, ad ſingulos actus, etiã ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum eſt dicere; Chriſtum prò omnibus omnino mortuum eſſe, aut ſanguinẽ fudiſſe.

Experta eſt nuper Beatitudo Tua, quantum Apoſtolicæ Sedis in gemino Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit authoritas; continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, ut clarà, firmàquè de Propoſitionum iſtarum ſenſu prolatà ſententià, cui Reverendus ipſe Ianſenius morti proximus opus ſuum ſubiecit, caliginem omnem diſcutiat, animos fluctuantes componat, diſſidia prohibeat, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremquè reſtituat. Dum hæc ſpes mentibus noſtris affulget, S. T. multos, & proſperos Annos, ſæculoquè beatiſs. æternitatem Rex ſæculorum immortalis adiiciat

op.

optamus, ac vovemus. Subſcripſerunt Epiſcopi octoginta quinquè.

Damnat errores Ianſenii.

His acceptis Innocentius Congregationem inſtituit quinque Cardinalium, cui adiecit *Franciſcum Albicium*, qui poſteà ob labores egregiè in hac re præſtitos, purpurà eſt ornatus Romanà. Adiunxit Theologos XIII. magni nominis, qui præmiſsis ad Deum precibus (ipſemet ſacram hoſtiam Deo ſæpè litavit) veritatem indagarent. Aliquos ejus doctrinę ſectatores, qui Romam venerant ad tuendam, excepit libens, eorumquè rationes prolixo ſermone conſcriptas legit, & Theologis tradidit diſcutiendas. In plures menſes protractum examen, cui idem intereſſe voluit *Innocentius* teſtis, & iudex, Theologorum ſuffragia per duas, treſve horas indefeſſus audiens, interrogans. Tandem convenientibus Cardinalibus, & Theologis, Anno 1653. pridie Kal. Iun. quatuor primas propoſitiones, ut temerarias, & hęreticas iudicavit, damnavit: *Quintam* falſam, temerariam, ſcandaloſam; eoq. acceptam ſenſu, ut *Chriſtus prò ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*, impiam, blaſphęmam, divinę pietati contumelioſam, hęreticam judicavit, damnavit: & ut Epiſcopi, Inquiſitores damnarent, mandavit, implorato etiam Brachio ſæculari. Adiecit ex damnatis quinque Propoſitionibus, non propterea adprobari reliqua, quę continentur in prędicto *Ianſenii* libro. Conſtitutionem fulcivit geminà epiſtolà ad Regem, & Epiſcopos: quarum poſtremam.

Innocentius PP. X.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſt. Bened.

Innocentii epiſtola ad Epiſcop. Gallic.

Rectè atquè ordine fecit Fraternitatum V. pietas, qua cũ in Ecclesiis iſtis Propoſitionum, de quibus ad Nos ſcripſiſtis, occaſione turbas ingentes excitari cerneret, aſcēdit ad locum hunc ſanctum, quem elegit Dominus, ut Catholicam ſuper his veritatem à Nobis *quæreret. Nos igitur poſt longam accurati examinis indaginem, & preces humilimas Patri Deo enixè porrectas, quid ſentiendum ſit de Propoſitionibus illis declaravimus, ac definivimus hac Conſtitutione, quam cum his literis ad Vos mittimus. Ex eà ſententiam Ortodoxæ fidei in gravi hoc negotio à Nobis audietis, nec dubitamus quin futura ſit cùm populis Chriſtianis ſalutaris, tum ſummoperè grata inſigni Zelo* Fraternitatum *Veſtrarum, quibus bened. Apoſt. permanentes impartimur. Romæ apud* S. *Mariam* M. *ſub Annulo Piſcatoris* 31. *Maii* 1653. Pontif. *N. An. IX.*

Rex acceptis literis gratias egit per ſuum Oratorem *Dom. De Valencè*. Epiſcopi ſequentia reſcripſerũt.

Reſponſum eorum.

Sanctiſſimo Patri D. N. Innocentio Decimo. Summo Pontifici. Beatiſſime Pater. Optata pervenit ad nos tandem Conſtitutio illa, qua Veſtrà Sanctitatis auctoritate quid ſentiendum ſit de controverſiis quinque propoſitionum, quæ ſunt excerptæ è Cornelii Ianſenii Iprenſis Epiſcopi libris, perſpicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti, & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis Veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat. Agebatur de re magni momenti, de aditu ſcilicet ad ſalutem per neceſſaria Chriſtianæ gratiæ præſidia, & humanæ voluntatis adiumentis illis excitatæ, ac fotę conatus liberos, atquè de divinà Chriſti pietate, ac beneficentià in univerſum genus humanum. Huius doctrinæ lucem recentioris illius Auctoris diſputationibus obſcuratam, priſtino nitori reſtituit iuxtà veterem fidei regulam ex ſcripturis, & antiquà Patrum traditione in conciliis olim, & nuper Auctoribus Summis Pontificibus conſtitutam prolatum à Sanctitate Veſtrà, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis, Decretum, quo in negotio illud obſervatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. auctoritate ſuà proſcripſerit. Enim verò vetuſta illius ætatis Eccleſia *Catholica, ſolà Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulti, quæ in Decretali* Epiſtolà *Innocentii ad Africanos datà elucebat, quamquè dein Zoſimi altera ad univerſos Orbis Epiſcopos* Epiſtola *ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſquè cunctatione ſubſcripſit.* Perſpectum *enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini Noſtri pollicitatione Petro factà, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adversùs* Apollinarium, *& Macedonium, nondùm ab ullà Synodo* Oecumenicà *damnatos, à Damaſo paulò anteà ictis, Iudicia pro ſanciendà regulà Fidei à ſummis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) divinà æquè, ac ſummà per univerſam* Eccleſiam *auctoritate niti; cui* Chriſtiani *omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.* Eà *nos quoquè ſententià, ac fide imbuti, Romanæ* Eccleſiæ *præſentem, quæ in ſummo Pontifice* Innocentio *X. viget auctoritatem, debità obſervantià colentes, conſtitutionem divini Numinis inſtinctu à* Beatitudine *Veſtrà conditam, nobiſquè traditam ab Illuſtriſſ.* Athenarum Archiepiſcopo, *Nuncio* Apoſtolico, *& promulgandam curabimus in* Eccleſiis, *ac* Diœceſibus *noſtris, atquè illius executionem apud* Fideles *populos urgebimus. Nequè verò pœnæ deerunt adversùs temerarios illius violatores, quæ à iure hæreticis infliguntur, quibus iuxtà* Conſtitutionis *tenorem, & Breve Sanctitatis* Veſtrę *nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum, vel ſtatuum diſcrimine facto perſtringemus, præſertim cum in* Galliis *ad* Epiſcopos *in ſolidum hæc cura pertineat, ubi nullos hæreticę pravitatis Inquiſitores conſtitui patitur mos antiquus ex iure communi profectus. Sanè ſpondere poſſumus* Beatitudini *Veſtræ, nihil fore, quod Decreto* Apoſtolico, *noſtrăquè in eo exequendo ſollicitudini moram afferre poſſit.* Præcipuè *cum piiſſimus, ac Chriſtianiſſimus* Rex *noſter, cui Breve Apoſtolicum unà cum exemplo* Conſtitutionis *Illuſtriſſimus D. Nuntius tradidit, interpellato quoquè Regiæ Maieſtatis præſidio, nos ad illius* Decreti *executionem* Edicto *ſuo ad nos dato pro eà, quam debet* Eccleſiæ *conſtitutis tuitione, conſtanter horteturs; & Magiſtratibus univerſis, atquè cæteris ſibi ſubditis tùm ad vim arcendam, tùm ad amputandas, quę fortè poſſent ab hæreſeos reis excitari de foro competenti cavillationes, pręcipiat, quatenus executionem illam omni ſtudio, & operà iuvent, atq; tueantur. Quare cum* Rex *cæleſtis hac in causà fœderatum habeat* Regem *terrarum (ſi fas ita loqui cum Sixto III.* Sanctitas *Veſtra per* Petræ *ſoliditatem, tam confuſis veritatis hoſtium animis, ſecuros ab omni externà perturbatione de novà hæreſi triumphos aget. Porro nos Inno-*

nocentio X. cuius ore Petrus locutus eſt, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc divinam lauream gratulati, ſacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus: cui optatiſſimam in longæva vita fœlicitatem adprecantur, qui ſunt cum eâ quâ par eſt veneratione.

Beatiſſime Pater Sanctitatis veſtræ, Devotiſſ. & addictiſſ. filii Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi Urbe congregati Pariſiis die 15. Iulii 1653.

Subſidia mittit Hibernis.

Hæc contrà Galliæ Novatores. In Hiberniam etiã ſtudio ſervandæ Religionis Catholicæ, *Io: Bapt. Rinuccinum* Archiep. Firmanum morum integritate, ac doctrinæ præſtantiâ Præſulem ſpectatiſſimum, cum auro, & argento legavit, ut vires repararet Catholicorum. Ex Rupellâ navigans *Rinuccinus*, poſt evitatas Anglorum inſidias, qui per centum milliaria eum ſunt perſequuti, Kilmarium appulit, indè Kilcheniam in provinciâ Lageniæ, magno omnium plauſu; ære Pontificio firmavit exercitum, qui in Anglos bellum gerebat *Pro Deo, Rege, & Patriâ*. Lemmata hæc in ſigillis Senatus, & vexillis. Donec ſancitâ pace cum *Ormonio* ProRege, in Italiam reſtituto *Rinucino* Regicidâ *Cromvellus*, ac Religionis inimicus Catholicæ fructum pacis intercepit. Prævalentibus namquè rebellibus, coactus Rex *Carolus* ad Scotos confugere, ab his pecuniâ venditur Angliæ rebelli, eâ tamen conditione, ut Regno reſtituerent. Agebatur interim cum eo de conditionibus pacis: militiæ Principes, atquè ex iis duo Angliæ funera *Farfaxius*, & *Cromvellus* libello ſupplici ad Parlamentum Regem accuſarunt bellum excitaſſe civile, Parlamentum opprimere voluiſſe, cæremonias Papiſticis ſimiles induxiſſe, graviſsima impetraſſe vectigalia, Scotis Provincias promiſiſſe Boreales, ſi tollerent Parlamentum. Eodemquè tempore cum exercitu Londinum advolantes, urbe recepti ſibi ſuſpectos Parlamento deturbant. Quid plura? in Regem capitis latâ ſententiâ publicè per tortores perſonatos *Cromvellum*, & *Farfaxium* Regi caput abſcindunt. Indè Parlamenti parte primâ, & meliore ſublatâ, quæ dicitur *Domus Superior* ex proceribus Regni cõflatâ, retinetur *Inferior*, quæ Legatos Urbium continet, & populorum. Ex iis delecti quadraginta viri conſtituendæ Reipublicæ gratiâ, eiſquè præfectus *Cromvellus*, qui in ſui criminis pretium ſi non nomine, diadema retulit. En finis, ô Principes, abrogatæ Religionis antiquæ. Tanto in turbine non defuit *Innocentius* partibus ſuis, pluribus aureorum millibus ad ad Reginam Angliæ *Henriettam Borboniam* tranſmiſſis, per *Equitem Dominum Digbis* Anglum Catholicum, ut iis in ſubſidium ſuum, & Catholicorum levamen uterentur. Rependit Deus zelum Pontificis, converſione plurium Principum in Germaniâ, & dynaſtarũ, quales fuerunt *Odoardus Comes Palatinus; Vldaricus Dux Vuirtembergicus: Dux Holſatiæ lundetburgenſis: Io: Fridericus Dux Brunſuicenſis, & Luneburgenſis: Erneſtus, & Heleonora uxor* Haſſiæ *Langravii: Vuolfangus Frider. Hoſmannus Baro Moravus: Chriſtophorus Ranzovius Eques Holſatus: Erardus Comes Truxis*. Ex his aliquos ſummâ cum voluptate ad pedes excepit, eorumquè pietatem ſacris muneribus fovit. Collegii Germanici, & Ungarici alumnos Romæ educatos ſacerdotiis in Germaniâ vacantibus ornavit, & contrà hæreticos immiſit. *Chriſtinam* Svecorum Reginam

Turbæ in Angliâ.

Rex Angliæ capite plectitur.

Hæretici conversi.

cum accepiſſet à *Picolomineo* Societatis Ieſu, quamprimùm abdicatis regnis, ad fidem Catholicam publicè profitendam Romam acceſſuram, eo gaudio ſuſcepit, ut paulò poſt, morti proximus, immaturam ſibi accuſaret mortem, quòd nec videre Catholicam Sveciæ Reginam, vivens potuerit, nec pacem Orbi redditam Catholico. Conatus eſt etiam Redemptoris, Deiparæ, ac Sanctorum Reliquias, quæ in Paleſtinis poſſidẽtur à Turcis, auro redimere: ſed cum *Ibraimus* Turcarum tyrannus pretium exigeret intolerabile; inopportunũ credidit *Innocentius* tanto auro hoſtẽ in Chriſtianos excitare. Zelo nõ minori Cappucinos legavit ad Gentes in regno Africano Congi, ad Oceanũ Æthiopicum: Ieſuitas ad Indos Orientalis, magno Religionis fructu. Ex Miſſionariis *Alphonſus de Ovallià* Ieſuita ex ultimâ in littore Occidentali Chili provinciâ, in grati animi obſequium pro beneficiis à
B Pontificia manu receptis, deſcriptionem Geographicam Chilenſis provinciæ, Innocentio dicavit.

Flagrat Innoc. converſione Reginæ Svecorum.

Conatur redimere ſanctorum reliquias.

Miſſionarii ad Gentes.

17. *Religioſos minuens*. De minoribus monaſteriis, quæ ſupprimi mandavit *Innocentius*, vide ſuprà *n.* 14. Ordinem Religioſorum, quos Vulgus *Apoſtolellos* vocabat, alterum S. Baſilii Armenorum, quòd à primo vitæ inſtituto dicerentur receſſiſſe, extingui mandavit. Religioſos verò Infirmis miniſtrantes legibus munivit ſalutaribus. Clericorum Regularium Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutum à *Caſare Bus* Avenionenſi fundatum confirmavit. Sodalitium Viduarum Dolæ in Burgundia ſub titulo Immaculatæ Conceptionis confirmavit, ut earum foret inſtitutum, Deiparæ ſine labe Conceptæ cultum, ac venerationem augere: orante autem *Ferdinando III.* Imperatore ieiunium indixit pervigilii Conceptionis
C in Auſtriâ ſub præcepto ſervandum.

Regulares ſupprimit, vel reformat.

18. *Mores* Reparaturus honeſtos liberos voluit concionatores, quorum concionibus ſæpiſsimè aderat, præcipuè *Aloyſii Albritii*, & *Pauli Oliva* Societatis Ieſu, quos eo ampliùs excipiebat, & commendabat, quo magis ſacræ facundiæ nervos in reprehendendis Romanæ Curiæ moribus acuebant. Exemplo ſint eorum conciones in Palatio Apoſtolico recitatæ, poſteà typis datæ eâ libertate, quæ forsàn coram minutâ plebe odioſa eſſet, & plena diſcriminis. Ea erat Innocentii pietas ergà Deum, & Sanctos, ut etiam oppreſſus mole regiminis, nullam præteriret diem, in quâ Virgini Deiparæ preces ſolveret quotidiano tributo.

Concionatores vult liberos.

Devotio ergà Deiparam.

19. *Saxa*. Quantis privilegiis ornarit Innocentius Urbem Romanam, teſtis accedat Inſcriptio in Capitolio poſita. *Innocentio X. Pamphilio. P. O. M.*

D *Qui poſt reſtitutam Urbis Conſervatoribus diu intermiſſam adſiſtendi Pontificio ſolio prærogativam, Capitolium ædibus ad dexteram à ſe magnificentiſſimè inſtructis aductum inviſere, ſua gentis Magiſtratum recognoſcere, Principis maieſtati, Civis, ac Parentis miſcere humanitatem dignatus eſt. Ut raro Pontificiæ benignetatis exemplo, poſteritas quoquè gauderet.*

S. P. Q. R. Monum. Poſ. An. 1654.

Senatori enim Urbis gentilitia ſtemmata coronare, equoſquè curtum vehentes nigris floccis pendentibus more Magnatum exornare permiſit. Conſervatores etiam ad tertium gradum Solii Pontificii ſedere ad dexteram voluit; iiſdemquè permiſit, ut per Urbem incedentes, more Magnatum equis uterentur phaleratis.

Privilegia Romanis data.


VARIA INNOCENTII X. PONT. OPT. MAX. NVMISMATA.
INNOCENTIO DECIMO
PAMPHILIO.
PONT. OPT. MAX &c.
Vt supra in pag. 651.
AGNETI VIRGINI ET MARTIRI SACRVM
MDCXLVII
TV DOMINVS ET MAGISTER
EXEMP. DEDI VOBIS

Innocentii beneficentiam ut etiam carcerati experirentur: carceribus disiectis antiquis, ampliores extruxit, ex inſcriptione ad fores appoſitâ:

Iuſtitiæ & Clementiæ Securiori, ac mitiori Reorũ cuſtodiæ novum carcerẽ Innocentius X. *P*.M. *poſuit* An. 1655

Concordat nummiſma n. 12., in quo *Iuſtitia*, & *Clementia complexæ ſunt ſe*.

Ædificia. Mœnia ab Vrbano VIII. Ædificata Tranſtyberim, ſub Pontificatus exordio ad integram Vrbis defenſionem perfecit, ac Portam abſolvit Portuenſem. Fontem in Vaticano aperuit ex aquis olim à B. Damaſo collectis, quas deperditas, & latentes, tum in plebis commodum, cum in Pontificis memoriam inveniri, & reſtitui curavit cum hac epigraphe.

Aquam Vaticani collis olim à capite deerrantẽ; à B. Damaſo inventâ ſcaturigine ad lavacrum novæ regenerationis, in fontem corrivatam rurſus amiſſam, Innocentius X. P.M. *conquiſitam, repertamq., ac mire probatam, Fonti recens extructo reſtituit, ut in Vrbe aquis peregrinis affluente, Aedes Vaticanæ ſuam hanc haberẽt Geminæ ſalubritate gratiùs hauriendam*. A.S. 1649. *Pont*. 5.

Lateranenſem Baſilicam, quam omnium primam Conſtantinus excitavit Imperator ad honorem Religionis Catholicæ, eâ ex parte, quà in longum porrecta reſpicit mœnia Vrbis, pulcherrimè reſtauravit. Parietes autem nè dirueret Conſtantinianos, ingenioſo opere, illis integris remanentibus novam superaddidit formam, quà ſervaretur vetuſtas, & adderetur venuſtas, ut ex epigraphe poſitâ ſuprà portam maximam. *Innocentius* X. *P. M.*

Lateranenſem Baſilicam Conſtantini M. Imperatoris Religione, ac munificentiâ extructam, ſummorumquè Pontificum pietate ſæpiùs inſtauratam, vetuſtate iam fatiſcentem, novâ molitione ad veterem ex parte adhuc ſtantem conformata, ornatu ſplendidiore reſtituit Anno *Iubilæi* 1650. *Pont*. 6.

Concordat nummiſma n. 11., in quo Baſilica Lateranenſis, cum epigraphe, *Decor Domus Domini*.

In collateralibus pavimenti partibus, quod Innocentius vario marmore ſtravit, hæc leguntur.

Innocentio X. *P.O.M. Strata marmoribus variis Laterum pavimenta* 1652. In ciborio eiuſdem Baſilicæ, ubi ſacra Petri & Pauli ſervantur capita.

Innocentius X. P. *M.* Anno *Iubilæi* 1650. *Pontif*. 6.

Venientibus ad Romanum Iubilæum ut itinera ſterneret; viam extra portam Lateranenſem refecit: ut ex monumento ibidem poſito.

Innocentius X. P. M.

Prætereuntium commodo, ac ſecuritati. An. 1645.

Templum Vaticanum quàm magnificè abſolverit; lege inſcriptionem in mediâ Portâ Maiori collocatam à Famiano Stradâ Ieſuitâ.

Baſilicam Principis Apoſtolorum in hanc molis amplitudinem Multiplici Romanorum Pont*ificum ædificatione perductam. Innocentius* X. *P. M.*

Novo cælaturæ opere, ornatis ſacellis interiectis in utràquè templi alâ marmoreis columnis ſtrato è vario lapide Pa*vimento Magnificentiùs terminavit*.

Nummus conſonat n. 4. cum epigraphe: *Vaticanis ſacellis inſignitis*.

Eccleſiam etiam S. Pauli extrà Vrbem, turpi ſquallore deformatam, in parte reſtituit.

In oppido Sancti Martini, quod in Patrimonii ditione ad ſuæ familiæ decus coemerat, & titulo ornaverat Principatus, præter ædificia, quæ vel ad loci ornatum, vel ad populi inhabitantis commodum excitavit, in templo maximo S. Martino dicato, nõ modicã inſũpſit vim auri: ut ex epigraphe.

Antiquiſſimum S. Martini cœnobium Temporum diuturnitate, iniuriiſquè collabens Pa*mphiliæ genti pretio comparatũ, in ampliorem Caſtri formã redactum, Incolis auctum, ædibus ornatum Rigatum fontibus, mœnibus munitum* Innocentius X. *P.O.M. Abbatiæ titulo, aliiſq. novis beneficiis, & ſuâ præſentiâ decoravit*. An. 1651.

Cum autem avita Pamphiliorum domus polita in Agonali foro, ubi olim Agnes Virgo Sanctiſſima martyrii palmam inter flammas in eodem foro ſuccenſas excepit, ibiquè eiuſdem Virginis templum exiguum iaceret vetuſtate deformatum, illud ad B. Virginis decus, & Vrbis ornamentum elegantiori arte à patruo, & patre iam inchoatum, quantum potuit decenter complevit Innocentius. Nummus conſonat n. 12. cuius epigraphes, *Agneti V. & M. Sacrum*.

Ipſum forum Agonale in totâ Vrbe primarium, & olim ad Agonales ludos repræſentandos capaciſſimum pulcherrimè nobilitavit, plateam ſtravit, domos, quæ eius rectam æqualitatem impediebant, funditùs evertit: fontes duos ab utroquè eiuſdẽ capite ſurgentes expolivit, aquis locupletavit, ipſorumquè medium alterum fontem elegantiſſimum veteres, ac recentes magnitudine, & venuſtate ſuperantem conſtruxit in ſcopuli undiquè prærupti formam, largo, varioquè aquarum labentium divitem curſu. Simulacra huic quatuor incumbũt ingentia, marmore cælata Liguſtico, quæ veluti quatuor Mundi flumina cum quatuor Mundi partibus, Danubius cùm Europâ, Ganges cum Aſiâ, Nilus cum Africâ, Argentum cum Americâ aquas derivare videntur in obſequium Pontificis, & in Pontifice Chriſti Vicario adorare Dominum Ieſum. Animalia, plantæ, vel mineralia ſimulacris appoſita Regionem ſecernunt. Hinc ad Meridiem,

Innocentius X. P. M.

Niloticis ænigmatibus exaratum lapidem A*mnibus ſubterlabentibus impoſuit. Vt ſalubrem ſpatiantibus amœnitatem, ſitientibus potum, meditantibus eſcam magnificè largiretur*. Ad Orientem.

Noxia Ægyptiorum monſtra Innocens premit Columba, quæ pacis oleam geſtans, & virtutum liliis redimita obeliſcum pro trophæo, ſibi ſtatuens Ro*mæ triumphat*.

Ad Occidentem. *Innocentius* X. P. M.

Natali domo Pa*mphilia, opere, cultuque amplificatâ liberatâquè inopportunis ædificiis*, A*gonali area Forum urbis celeberrimum Multiplici maieſtatis incremento nobilitavit*. Ad Septentrionem,

Obeliſcum Ab Imp. Ant. Caracalâ Ro*mam advectum cum inter Circi Caſtrenſis rudera Cõfractus diu iacuiſſet.*

Innocentius X. *P.* O. M.

A*d fontis, Foriquè ornatum tranſtulit, inſtauravit; erexit*. A*n. Sal.* 1651. *Pontif. VII.*

Nũmus concordat n. 8., in quo Obeliſcus in medio Circi cum fonte, ac lemmate; *Abluto Aquâ Virgine Agonalium cruore*. Alia habes nummiſmata n. 9., in Pamphiliorum Palatium cũ epigraphe, *ædificat, & cuſtodit*.

Capitolium Romanum cum unâ ex parte tantùm, Michaelis Angeli Bonarotæ ingenio, perpolitâ ædium facie ornaretur; ex alterâ etiam parte iuxtà eandem

dem Bonarotæ formam, ædes alias voluit aſſurgere, Magnis hoc factum ſumptibus: quod præter Tyburtina marmora ad columnas, extruendas, ad vehere oportebat: opus etiam fuit monticulum diſiicere, qui in arà Cœli tumeſcebat. Adiice vias publicas, quas cœno invias, vel ſcrobibus obſitas, vel ex anguſtià incõmodas ampliavit, & pervias fecit, præcipuè Tuſculanam. Vndè S. P. R. benefactori ſuo ſtatuam poſuit in Capitolio, hac epigraphe,

Innocentio X. *Pamphilio B. O. M.*

Ob Capitolium, Agonale Forum, ædibus, fontibus, Obeliſcis ornata, Ob principes Baſilicas magnificentiſſimè inſtauratas, ob invectam difficili tempore Annonam, Eccleſiaſticam dignitatem fœliciter vindicatam, diuturnæ quieti brevi bello conſultum, Publicam utilitatem abſq. publico onere procuratã, Fas iuſq. ubiq. ſervatum. S. P. Q. R. Romano Principi meritiſſimo poſuit.

Ravennæ, quæ Gothorum olim Regum, & Longobardorũ Exarchorũ erat ſedes, & nunc Flaminiæ caput, non procul à mari ſita, fluvio irrigante: canalem adiecit Innocentius, qui è proximo fluvio aquas excipiens, mercibus modò naves onuſtas vel ex proximo adducit littore, vel ad illud ex urbe educit maximo totius Flaminiæ commodo. Hinc ad Ravennæ portam, quà Canalis fluit, recenter Dalmatico conſtructam marmore ſequentia leges.

Innocentio X. *P. M.*

Columba novum Mare, Columbus novam Terram invenit Neptunus Cereri, *Naves ſuccedunt aratro, ubi olim Neptunus Ceteri, Naves ceſſerunt aratro.* Ad Siniſtram. *Romanà Columbà imperante Liguſticà Aquilà exequente ad nominis Pamphilii æternitatem* An. 1654 *Io: Steph.* Card. Donghio *Legato*.

Anno 1649. cùm propter Tyberis eluvionem, & frumenti caritatem populus laboraret Romanus, curà graviſſimà piſtores ipſe inviſendo per Vrbem, frumentum ex agro Picæno, è *Sicilià*, etiam ex Polonià aſportando, Populi neceſſitati abundè conſuluit, Lateranenſi aperto Palatio, ubi cibo ſufficienti ſingulis diſtributo contrà penuriam optimè pugnavit. Artifices autem, vel cives ſobole prægravatos numeroſà deſcriptos cum haberet in abecedario, ſingulis hebdomadis pane recreabat; ſubſidio etiam non imminuto centum millium aureorum quos Romani Pontifices ſolent in pauperes annuatim erogare.

Anno ſequenti (Sal. 1650. præparatà frumenti, & vini copià, indictàquè mercede, nè cauponum, vel mercatorum avaritia peregrinos fatigaret; Portam Sanctam aperuit, nummis percuſſis XVI. in quo eſt Petrus ſuper nubes, cũ clavibus, & epigraphe, *Vt Theſauros Anni ſanctioris tecum aperiam.* In alio eſt *porta clauſa.* In 10. Pontifex ianuã aperit, cuius epigraphes: *Oſtiũ Cœli apertũ in terris.* In quarto adſtãtibus Angelis, eam peregrini ingrediuntur. Peregrini ad pedes Põtificis, inter quos Etruriæ Principes Matthias, & Leopoldus, cum epigraphe. *Laudent in portis opera eius* n. 5. Enituit ſane hoc An. Innocentii pietas eleemoſinas diſtribuendo, peregrinorum pedes abluendo, menſis miniſtrando, cuius exemplo Principes excitati Romani vel domos commodarunt, ad recipiendos peregrinos, vel pecuniam obtulerunt. Archiconfraternitas S. S. Trinitatis ut grati animi debitum Pontifici teſtaretur, æneam eius effigiem in publico ſtatuit Cœnaculo, cum epigraphe.

Innocentio X. *P. M.*

Quod inſigni eius liberalitate, difficillimis Xenodochii temporibus Vetus in excipiendis peregrinis mos & laus retineri, atquè florere potuerit, Beneficii monumentum Sodalitas poſuit An. Iubilæi 1650.

Huic Xenodochio Hoſpitium urbanum Bohemorum adiunxit, ut confluentes toto Anno peregrinos commodiùs aleret, & exciperet: ut ex inſcriptione adiectà marmori parietino,

20. *Cardinalibus* maieſtatem ſervavit. Cum enim titulum *Eminentiſſimi* Vrbanus Cardinalibus indulſiſſet; ex his autem, qui Regali, vel Ducali fulgerent natali vellent pileũ Ducali, vel Regali ornare coronà; mandavit *Innocentius*, ut Cardinales omnes nullo admiſſo diſcrimine, titulo contenti *Eminentiſſimi*, quantacumquè generis dignitate fulgerent, æqualitatem ſervarent, nè dignitas diſtinctione vileſceret.


21. *Olympia.* Fœmina nobilis, & honeſta, fratria *Innocentii X.* Imperii tamen avida ſuprà modum, & ſupra ſexum, calumniarum materiam (ait *Brietius*) in ſuſpicioſà gentè nõ ſatis declinavit. Vnicum cum haberet filium maſculum purpurà inſigniri voluit, prolis ſucceſſione poſthabità, vt Cardinalem *Panzirolum* non affinem, nec conſanguineum à Pontificio removeret miniſterio, obiecto filio, qui iure ſanguinis patruo adſtaret Pontifici. Verùm cum *Camillus* Olympiæ filius ſtatum abhorreret clericalem inſcià matre, vxorem duxit *Roſſani* Principem viduam excelſæ indolis. Fremens *Olympia* cognitis nuptiis, curavit vt Romà relegarentur filius, & nurus. Adoptatus tunc à Pontifice *Camillus Aſtallius* (cuius fratri nupſerat neptis Olympiæ) iuvenis Annorum XXVII. nomine & inſignibus communicatis familiæ, dictus eſt etiam Cardinalis. Brevi tamen accuſatus conſpirare cum Hiſpanis, dignitatũ ſpolio exilium ſubiit: Ipſa etiam *Olympia* ab aulà iuſſa, & palatio abſtinere Apoſtolico; ſollicitus *Innocentius* vità, & nomine ſervare innocentiam contrà ſcommata hæreticorum, qui verbis, ſcriptis ludebant, atquè nummiſmate. *Valerius*, *Nanius*, *Brietius*, *Gualdus*.

Olympia Maldachinã

Obiit *Innocentius* Sacramẽtis ritè procuratis vocatis ad ſe Cardinalibus veniã rogans, de Põtificatu malè adminiſtrato. *P. Io: Paulum* Olivam Concionatorem ſuum ad ſe accerſitum, nè diſcederet, imperavit, ſed ad piè moriendum inſtrueret, & preces alternatim recitando iuvaret. Tercentos aureos in celebratione Miſſarum ſibi numerandos impenderet: Aliqua etiam aureorum millia pauperibus diſtribui voluit. Inviſerunt eum Cardinales *Mediceus*, & *Franc. Barberinus* cum Collegio Apoſtolico, & ſimul B. Virginis Litanias *Cardinali Ludoviſio* chorum ducente, recitarunt. Temporarium habuit in Vaticano ſepulchrum. Eius in funere oravit Comes *Vbaldinus*. Sexcenta aureorum millia in pecunià numeratà ſucceſſori ſuo reliquiſſe ſcribit *Oldoinus*, quæ congeſſit undecim fere Annis pacifici Pontificatus.

Adiunge duo alia nummiſmata. In altero ſub n. 6. Chriſtus lavat pedes Petro, cum epigraphe: *Tu Dominus, & Magiſter.* Subtus, *Exemplum dedi vobis.* Cuſo Ann. Iubilæi, quo peregrinis ſolent Pontifices lavare pedes. In altero dicitur eſſe Redemptor: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Cuſo forsàn cum errores damnavit Ianſenii. Nummum tamen ego non vidi.

ALEXANDER VII.
PONTIFEX ROMANVS CCXXXIX.



REgina Saba quæ ad audiendam venit Sapientiam Salomonis *Chriſtina* eſt Regina Svecorum, quę ad Alex. VII. R. P. ſe contulit, ut Fidem audiret Catholicam.

Eligitur Sal. An. 1655. die 7. Aprilis. Obiit. An. Sal. 1667. die 22. Maii Cum ſediſſet Annos XII. Menſ. 1. dies XVI. Vacat Sedes uſquè ad diem 20. Iunii.

E L O G I V M.

Anni Sal. l AL 1655 li

F*Abius* en *Chiſius*, cũctatione ſuà factus *Alexander* A

Cuſtos Montium,

Præterire haud poterat Montem Eccleſiæ.

Nũquã veriùs adulata nomini, & homini Fama

Quàm cum Pontificem dixit, antequàm eſſet.

Verè addita auctoritas, non dignitas,

Dignitas meritis, non merita dignitati.

Gradus illi ad ſolium, qui ad Solem

Impubes mores libello illo direxit,

Quem *Thomæ Kempis* Virgo dictavit Mater.

Chiſius urgente matre ex Italico latinum fecit.

Dumquè verba regulis alligaret,

Vitam ad Chriſti imitationem compoſuit. Anni Sal. l Al 1655. li

Novæ, ac veteris eloquentiæ magiſter

Servavit veterem, novam invenit,

Voceſq; quas natura neſciebat, arte docuit.

Muſæ illi virgines, ac caſtæ

In caſto corpore cuſtodiere animã uſq; ad ſepulchrũ

Monaſterium [a] miſſus, quò Orbis convenerat

Univerſis placuit, licèt Univerſos increparet

Et ſolus improbaret, quod omnes probaverant.

Tẽporũ calamitati ĩputantes errorẽ; redarguit.

Hominum eſse vitia, non temporum.

Zelum adeo probavit Innocentius X.

Vt

Anni Sal. | Al. 1656. | 12 Ut redeuntẽ nõ ſolũ ornaverit purpurà Chriſti;
Sed moribundus .
Eo tempore, quo animus eſt penè propheta
. Succeſſorem dixerit, & prædixerit.
Princeps dixit [4] Luteranus:
Deus vel Homo Pontifices eligat, Chigiũ eliget Deus
Homo forsàn non eliget, ſed cum errore.
Verbum itaquè hominis adprobãte Verbo Dei
Locum Innocentii occupavit Alexander.
Nec alius ſuccedere poterat
Quã qui per oculũ 3 & oſculũ ſpiritũ hauſerat Innocentii.
Ab eo namquè morituro non diſceſſit,
Donec piis manibus parentaret,
Manu ſuà oculos claudendo defuncti.
Põtificatũ [5] nemo adiit nec meliùs, nec ſanctiùs B
Sedem in medio Altari de more collocatam
Ipſe retrahẽs ĩ cornu Evangelii, ſedere negavit
Ubi Chriſti corpus immolatur, & ſanguis.
Sarchophagum lecto ſubſtravit
Memoria diù, noctuquè futura,
Quòd per ſomnũ ſẽper deſcẽderet in ſepulchrũ.
Contrà Affines ſuos evocans pauperes
Conſanguineos [6] reſpexit à longè;
Nè regimen exordiretur iniurià Chriſti:
Cuius familia eſt inopum, & mendicantium.
Ita ſuffragiis Sanctiſſimus, operibus Sanctus
Pontificatum incępit, ubi ſolent finire Sancti.
Oraculum Regum, Echo Reginarum,
Etiam in gelido Mare excitavit flãmam Fidei. C
Chriſtinam, Suecorũ Reginam, Annorũ XXVII.
Novo ſpectaculo, & penè miraculo,
Per calcata diademata properãtẽ Romæ excepit
Et ſacro Chriſmate
Tribus Coronis quartam Fidei ſuperimpoſuit.
Exul nobilis veritatem Fidei Svecià exulantem
. Ut quæreret apud Cathedram Petri
Undè olim in Sveciam venerat;
Credidit parvi emere,
Si trino diademate, emeret Chriſti ſervitutem.
Salomon modo erit, vel Alexander?
Implevit utrũq; maieſtate, & veritate doctrinæ.
Plura Regina didicit, quàm quæſierit
Plura retulit, quàm obtulerit:
Ex *Chriſtinà* Chriſtiana

A Ubi olim Regina fuit, facta veritatis magiſtra
Exulem Chriſti fidem remiſit in patriam. Anni Sal. | Al. 1657. | 13
Sed heù; quid Mortalibus tutum!
Palpantibus *Alexandrum* Legatis Principum,
Nè aulam apertã hoſtibus, [8] affinibus clauderet,
Peccavit ut ſolent peccare Principes
Indulgendo.
Ab hac die Romani cœperunt hominẽ dicere
Ieſuitæ [9] Deum:
Deus nobis hæc otia fecit.
Eo namque intercedente Venetiis reſtituti
Munificentiùs habitãt, & coluntur humaniùs.
Reipublicę ſint retributa diſſidia, vel beneficia?
Veneti digladiantur, & Alexander.
Iſte ſuo ſatisfeciſſe nomini:
Illi ſe à *Chiſio* deceptos nomine Alexandri.
Geſta quęris? Roma dabit,
Quam more, & marmore [10] reformavit.
Portam ad Populum, Portum ad Pontum
Porticum ad S. Petrum produxit portentoſum.
Angulos ità expolivit Urbis, ut Angelos reciperẽt
Caſulas caſũ minantes in palatia vertit, evertit.
Plateas anguſtas auguſtas fecit:
Prava in directa, & aſpera in vias planas.
Fontibus, Obeliſcis omine nominis,
Septimus ſeptẽ Mundi miracula æquavit, ſuperavit.
Inter hæc Pyramis [11] una grandis,
In quà ad Galli cantum,
Iterùm Petrus egreſſus foras flevit amarè.
Nec mireris, undè tanta ad ędificãdũ materies?
In ipſo per Lithiaſim crevère [14] lapides.
Ipſo duriores marmore.
Cũ iſtis ſępe cõflixit, & ſtravit; ſed prò ſepulchro
In Paſchate *Mors* & *Vita* duello cõflixere mirãdo
In arenam deſcendit Alexander in Parcas
Ut olim Macedo decertaturus cum Perſis.
Arenà, calculis, lapidibus involutus.
Victus cum crederetur, & victus, victor rediit
Undè ſermo abiit inter fratres,
Diſcipulus ille non moritur.
Obiit tandem Alexandro maior 1667. | 12
. In ore habens, & in corde Deum.
D Verbo cũ ãpliùs docere nõ poſſet exẽplo docuit
Conſtanter Mori.

ADNOTATIONES IN ALEXANDRO VII. PONT. ROM. CCXXXIX.

Alexander VII natalia. 1 FAbius *Chiſius* Senis naſcitur Idib. Feb. Anno Sal. 1599. ex *Flavio Chiſio*, & *Laurà Marſilià*, utroquè latere patritius, & antiquitate nobilis. Maceretum oppidum ditionis Senenſis, quatuor ab hinc ſæculis familia tenuit. Nunc præter ruinas, & balnea ſalutifera nihil ſupereſt. Inter claros viros familia recenſet *Ranuccium*, qui Anno 1200. Anſelmum, qui Anno 1248. Macereti domini floruerunt. Anſelmus enim vnus ex 50. nobilibus Senenſibus, qui electi fuere ad aſſiſtẽdum *Friderico* Imperatori in bello Parmenſi, filium habuit *Chiſium* nomine, à quo poſteri *Chiſii* dicti ſunt.

Marianus Senenſis Orator Reipublicæ, ad *Carolum* VIII. Galliæ Regem; indè ad *Alex.* VI.; eiuſdem Caroli iuſſu Rempublicam in integrum reſtituit. Scipio Senas ab exercitu Cæſareo obſidione cinctas, Militiæ Princeps defendit. Sigiſmundus Patrimonii Petri Theſaurarius, Auguſtinus iunior Rector Senenſis Xenodochii, Catharinæ Ducis Mantuæ, ac Mediceorum Principum *Mathiæ*, & *Leopoldi* ſummus Præ-


VIVO EGO IAM NON EGO
AB VNO OMNIA AD VNVM OMNIA
MDCLXI
IMMACVLATAE VIRGINI VOT.
ROMAE
DIVO NICOLAO MYRAE EPISC.
MDCLIX
DILEXI DOMINE DECOREM DOMVS TVAE.
S NICOLAO
ROMAE
MDCLIX
REGIA AB AVLA AD DOMVM DEI
ROMAE
S ANDREAE APOSTOLO
ROMAE
MDCLXII
IVSTITIA ET PAX OSCVLATAE SVNT.
ROMA
PAX VOBIS
OMNIS SAPIENTIA A DOMINO
ASSAGGIVM GENERALE

Nobilitas Chiſiæ domus.

Præfectus, ac primus Conſiliarius. Eandem familiam illuſtravit B. *Io: Chiſius* Ordinis Eremitarum. Floruit etiam affinitatibus, ductis in uxores *Sulpitiâ* Pâ. dolfi Petrucii dynaſtæ filiâ; & *Baptiſtâ de Gattâ Viterbienſi. Marius* Sigiſmundi filius uxorem habuit *Claudiam Columnam*; *Virginiam* ſororem ſuam *Iulio Alidoſio* Fori Cornelii Principi locavit *Auguſtinus* ſenior *Margaritam* filiam *Sciarræ Columnæ* in primis nuptiis, in ſecundis *Iulio Caraffæ* tradidit. *Camillam* alteram filiam *Iuliano Salviato-Coſimo* Florentiæ Duci arctâ propinquitate iuncto in nuptias dedit. *Laurentius* eiuſdem Auguſtini filius *Lauram Capiſucchiam* nobilem duxit Romanam. Auguſtinus ſenioris nepos *Hortenſiam* ex Dominis Eugubii ſplendidis natalibus ortam ſibi iunxit. *Iulius* II. P. R. Auguſtinum Chiſium magni fecit, eiquè credidit omnes Theſauros Eccleſiæ; quos cum rectâ fide, & totius Orbis plauſu tractaſſet, in præmium retulit eiuſdem Iulii II. inſignia gentilitia, nempe Quercum, quæ uſquè in hodiernam diem miſcentur cum montibus Gentilitiis Chiſiorum. Ædificia in variis Italiæ urbibus ab hac familiâ extructa, eiuſdem oſtẽtãt nobilitatem. *Franciſcus* Palatium Viterbii. *Scipio* Vici villam. *Auguſtinus*, & *Sigiſmundus* Senenſe Palatium, ubi inhabitarunt *Paulus III.* & *Iulius III.* Auguſtinus Romanum, cuius viridarium propè Tyberim *Paulus III.* occupavit, & Senas Chiſios redire coegit mulctatos bonis, atq; fortunâ. Aliud palatium dicitur ædificaſſe idem *Auguſtinus* in portu Herculis Etruriæ, olim ad Chiſios ſpectante. *Chriſtophorus* Fanenſe, Aramquè maximã Eccleſiæ Eremitarum S. Auguſtini Senis extruxit. *Sigiſmundus* in eodem templo erexit Altare, Petri Peruſini tabulâ, & marmoreis illuſtre monumentis. Angela. B. Io: neptis patrimonium ſuum Eremitanis Senenſibus, marito vidua conceſſit. Aurelius Cœnobium Refugii pro ſacris Virginibus conſtruxit, annuiſquè redditibus ditavit, eiuſdemquè cœnobii templum ornavit.

Hac gente genitus *Fabius* duos fratres habuit *Marium* majorem natu, & *Auguſtum*: ultrà ſorores.

Alexandri VII ſtudia.

Diſciplinis deditus liberalibus, in patriâ linguam Latinam, Poeſim, Philoſophiam, Theologiam, Iuriſprudentiam avidè perdidicit, Naturâ ipsâ ad ſtudia excitante. Duodecim annos natus intra privatos parietes theſes propugnavit Philoſophicas. Duobus ſequentibus Annis vacavit à ſtudiis, ſtomachi imbecillitate laborans, intereà literas recoluit humanas. XVI. ætatis anno voti reus Lauretum venit, & XX. Annos natus, Senis publicas Philoſophiæ theſes defendit. Ætatis XXI. publicas de jure civilili propoſitiones Senis ſuſtinuit. XXVII. de Vniversâ Theologiâ publicè diſputavit. In Latinâ Poeſi clarus, Hymnos, Epigrãmata, Odas, Elegias ſcripſit, quæ cum titulo, *Muſæ Iuveniles Philothæi*, publici iuris faciens, *Flavio* nepoti nuncupavit. Lauream Philoſophicam adeptus Anno 1623. ætatis 24. die 6. Septemb. die XIV. eiuſdem Menſis, & Anni, Iuriſprudentiæ. Anno 1626. die 6. Septemb. Theologiæ doctor dictus eſt à Senenſi Accademiâ; & trium facultatum Collegio adſcriptus. In patriâ Ancaranum, Chiſiorum villam, non procul ab urbe, opportunum Muſarum receſſum ſepè adibat; & in eâ admodum adoleſcens *Pompeii* tragœdiam ſcripſit. Dotibus animi non diſſimile corpus, vividum, ſalubre, ſed ob lapidem in

Corporis qualitate

Colonienſi legatione in veſicâ diſſectũ, infirmius poſteà, membris gracilibus ad uſum aptis, & inter ſe congruentibus. Manibus tanta vis inerat, ut cuius manum comprehendiſſet, nullâ is vi quantumvis validus, & robuſtus poſſet ſe expedire. Staturâ paulò infrà mediocrem, colore ſubpallido, facie oblongâ, nigro, ac protenſo capillo, vix extremâ ætate leviter albicãte, ſummâ oris ſuavitatẽ, & dignitatẽ habuit ad amorem, & venerationem conciliandam. Eloquentiâ gravis, qualis decet in Vniverſæ Eccleſiæ Senatu, Pronuntiatione harmonicus, quãquàm dentium morbo, & quaſi defluvio dentibus uteretur ſuppoſititiis; Pietatis amator, & ſacrorum librorum lectioni, ab ineunte ætate aſſuetus, ieiunio, cilicio corpus macerabat. *Lauræ Marſiliæ* matri ſuæ id referebat acceptum, quæ puerum librorum avidum in exercitio libelli, *De Imitatione Chriſti* eâ ſpe fatigavit, quòd libellum quaſi Italicè ſcriptum ab authore, ſi in Latinum ſermonem verteret in gratiam nationis Tranſalpinæ, grande lucrum ſperaret, quo ſibi de libris provideret. Quâ ſpe lactatus *Fabius* incredibili ſtudio provinciam occupavit, & brevi abſolvit, egregiâ fraude ſerò intellectâ. Franciſci Saleſii virtutes, & ſcripta præ cæteris ſanctis viris colens, eius monita pro regulâ habens, illud inculcabat: *nihil petendum, nihil recuſandum*. Cumquè magni nominis Præſul conqueſtus alicubi eſſet, primam quidem eius dicti partem in ſuâ eſſe poteſtate, ſequè ei libenter iampridem ſatisfacere: alteri verò, quæ ad Pontificem ſpectat, non eſſe adhuc ſatisfactum: ubi id *Alexander* reſcivit, iuſſit Præſuli renunciari: geminæ Saleſii regulæ addendam eſſe tertiam, quâ præcipitur *nihil dolendum*. At nos revocat Alexandri iuventa; qui nè in patriâ deliteſceret, impellentibus conſanguineis: cum obiiceret amicos ſibi deeſſe, & pecuniam, diviſo patrimonio inter fratres, & ſorores: *Auguſtus* frater eius, oblatâ portione ſui patrimonii, animum addidit, petendi Romam, datâ ei epiſtolâ commendatitiâ ad *Sfortiam Pallavicinum*, quo interprete, *Vrbano VIII.* R. P. cognitus, & charus, gratiam conciliante Poeſi, præcipuè Horatiano carmine, quod Vrbanus ab adoleſcentiâ excultum, inter Pontificatus curas aliquandò recolebat; cum non minùs tractandæ Reipublicæ, quàm Poeſi idoneus fuiſſet repertus, utriuſquè Signaturæ Referendarius creatus; poſteà Prolegatus Ferrariæ Anno 1629. eâ ſolertiæ, ac prudentiæ laude munus geſſit, Veneros cum Pontifice conciliando prò finibus regundis diſcordes; lue per Circumpadanas regiones ſędè graſſante, provinciam egregiè muniendo; ut poſt Annos quinquè illius regiminis *Vrbanus Melitam* Apoſtolicum miſerit Inquiſitorem, nec longè poſt, Epiſcopum dixerit Neritonenſem. Poſt quinquennium Melitæ ſummâ cum Vrbani, ac totius Aulæ commendatione tranſactum, legatus ab eodem Coloniam Agrippinam, ad reparandum Religionis ſtatum, hæreſi Lutheranâ, ac recentibus bellis labefactatum; Reginæ Galliarum morienti adſtitit, & ad piè moriendum iuvit. Cum autem ſpes pacis inter Principes affulgeret, magno tamen Eccleſiæ diſcrimine, quod in eâ Hæretici petituri eſſent Religionis libertatem, atquè Eccleſiarum ſpolium; virum ſummæ virtutis atquè prudentiæ meditatus Vrbanus, meliorem *Fabio Chiſio* non invenit.

Pietas.

Româ venit.

Prolegatus Ferrariæ.

Melitenſis Inquiſitor Ep. Neritonen

Legatur ad pacem Monaſter.

2. *Mo-*

2. *Monaſterium* miſſus, ubi totius Europæ Prin- A cipum Legati ad pacem Orbis convenerant, eà famà innotuit, ut non ſolùm Catholici, ſed ipſi Hæretici *Chiſii* virtutem, ſcientiam, maieſtatem laudarent. Omne illius ſtudium erat, ut pax componeretur, & nihil de Eccleſiæ iuribus remitteretur in gratiam Hæreticorum. Verum ubi id aſſequi ſe poſſe diffidit, liberà (quod unum conclamatæ rei ſolatium potiùs, quàm præſidium erat) & priſcæ fortitudinis, ac pietatis plenà oratione pacem Religioni infenſã Catholicæ inſectatua, atquè Pontificis nomine execrari profeſſus, id inter eiuſdem Pacis publica monumenta voluit regiſtrari. Revocatna in Vrbem in gravioribus Eccleſiæ negotiis, post obitum Cardinalis Panciroli, fuit *Innocentio X.* à ſecretis, à quo Cardinal. Presbyt. creatus tit. S. Matiæ de Populo, atquè Congregationibus adſeriptus S. Inquiſitionis, de Fide propagandà, Rerum B Conſiſtorialium, aliarumquè tam generalium, quàm particularium, præcipuè contrà Ianſenium, eà diligẽtià ſe immiſenit, ut magiſtratu abfuiſſe nunquã dicaturſ eàq. libertate, ut Potentiorum offenſiones nihili faceret, ſoli intentua iuſtitiæ, & Religionis magnà quidem glorià, quæ ſi non ampliorem, illuſtriorem ei viam munivit ad Pontificatum.

Officia, quæ Romæ ſubiit.

3. *Per oſculum.* Moriens Innocentius X. ex Cardinalibus ſibi ſemper adeſſe voluit *Fabium Chiſium,* & *Decium Azolinum*, quorum fidem & operam in arcanis Pontificiis ipſe diutiùs fuerat expertus. Mortuo Pontifici oculos laudabiliter Fabius clauſit; præiudium in eo Regiminis futuri. Coacto Conclavi, quoties recurrit *Chiſii* nomen; nemo fuit, quis exempla vitæ auderet inficiari præteritæ. Ipſi Galli licèt apertè *Chiſium* unà cum nonnullis aliis exclusiſſent, quia in Comitiis Monaſterienſibus nationi ſubiiſſent adverſum: ſingulariter interrogari, reſiſtere erubuerunt; tamen cum vota eis ad excluſionem deeſſent, donare ſimularunt quod auferre non poterant. Cardinalis *Saccbetus* (quem excludebant Hiſpani) raro modeſtiæ exemplo, rem *Chiſii* promovebat, Mazarinum rogando, nè diſſentiret. *Chiſius* autem quaſi alienus, nemini infenſus, & publicæ utilitatis ſolummodo cupidus, cum Chriſtianorum Pax, & Bellum in Turcas curę dignę crederentur futuri Pontificis; *Fabius* pacem urgebat, veluti pretium laborum ſuorum; Bellum autem uti ſcopum, in quem vota ſua collimarent. Hinc auctor eſſe voluit illius decreti, quod ipſe manu ſuà exaravit ſtylo ſanè gravi, & Apoſtolico, quo Pontifex teneretur futurus ad Cretæ tutelam vires impendere Eccleſiæ; unà cum Melitenſibus triremes annuatim D mittendo Pontificias, & peditum tria millia ſcribendo, & alendo, ære ſuo, ultrà ſuppetias, quas exigere teneretur præcipuè à Principibus Italiæ; undè ſaltem acies integra peditum quinquè millium excubaret in præſidium illius urbis, quæ Chriſtiani Orbis eſt propugnaculum. Die ergo ſeptimà Aprilis, An. 1655. octuageſimà poſt incępta comitia *Fabius Chiſius* cunctis ſuffragiis, nemine diſſentiente in Pontificem renuntiatur nomine *Alexandri Septimi*, impleto vaticinio S. Malachiæ, *Caſtos Montium*, quòd mõtea ferat in ſtẽmate. Habuit pro ſymbolo ut ex 1. num. *Vivo ego iam non ego, vivit verò in me Chriſtus*: adni-

Adſtat morienti Innocentio X.

Decretum exarat de Bello in Turcas.

Eligitur Papa Alex. VII.

tentibus *Franciſco Barberino*, & *Iulio Saccheto*, cuius potiſſimùm causà Comitia moram trahebant. Audità electione, obſtupuerunt omnes Conclaviſtæ dicentes. Res planè nova, & admirabilis. In hac electione Hiſpani gratis conveniunt: Probant Galli quem iam excluſerant: Iuvenem Senes: Iuvenes probum: Seneſem Medicei. Barberini virum alienũ. *Manus Domini erat cũ illo.* Historia *Andreæ Valerii Bapt. Nanii*. Alterum nummiſma conſonat n. 2. in quo triangulus figura Divinitatis cum epigraphe, *Omnia ab uno, omnia ad unum*; à Deo ſcilicet receptum principatum, velle etiam ad eius gloriam adminiſtrare.

Eius ſymbolum.

4. *Princeps dixit Lutheranus* (teſte Pallavicino *lib. 24. c. ult. Hiſtoria Concil. Trid.*)...... frater iſte potentiſſimi Regis ſuperſtitione Lutherani; *Si Chiſius Pontifex crearetur; dimidium Regni fratris mei ad Eccleſiam rediret Romanam.* Reliqui hæretici, (cum pro futurà electione Cardinales invocarent Spiritum Sanctum, irridebant, dicentes: Ad quid precibus fatigare Spiritum Sanctum? Chiſium habetis, quem poſtulat Spiritus Sanctus.

Acclamatur etiam ab Hæreticis

5. *Pontificatum* nemo adiit meliùs, nec ſanctiùs. Eius vitæ exemplo ad reformationem cùm Hæretici ſe ſe componerent, unitatem omnes ſeriò ſperabant Eccleſiæ: adeò tantæ dignitatis rectè adminiſtrandæ ſpem concitaverat. *Ceremoniarum magiſter, ſedem eius in medio altari, de more cum collocaſſet, eam ipſe retraxit ad cornu Evangelii, negavitquè ſe ea ſeſſurum loco, ubi Corpus, & Sanguis Chriſti conſecrentur. Tum quoque ſibi ſarcophagum parari iuſſit, ut mortis cogitatio ſemper oculis eius obſervaretur. Affines ſuos, pauperes dixit, quibus ut Chriſto ita ſibi propinquiores, & coniunctiores eſſe nullos aſſeruit: Sic deniquè exorſus eſt, ut ſi finis reſpondeat initio,* C Sanctitatis *nomen ſibi cum aliis ſummis Pontificibus commune, peculiare faciet & proprium, nec vita innocentiſſima, atquè prudentiſſimè terminis continebitur.* Brietius. Anno 1655.

Sanctũ Pontificatus exordiũ

Negat ſedere in medio Altaris.

Sarcophagum ſibi præparat.

Affines non admittit.

Vix Pontifex creatus literas ad utrumquè Regem manu ſuà exaravit, ad communem ſuadens concordiam, quà Turcam noſtris diſſidiis elatum, & intento in Europæ iugulum gladio furentem, iunctis viribus coercerent: iniunxitquè Nuntiis Apoſtolicis, ut omne in id ſtudium, induſtriamquè intenderent.

Principes in Turcas excitat.

6. *Conſanguineos* ſuos cum dixiſſet pauperes, fratrẽ *Marium*, & nepotes *Auguſtinum*, & *Flavium*, qui iam Romæ appropinquabant, interdixit accedere. Opera ſua ut ſuprà ſortem humanã ad æternitatẽ dirigeret, feretrum ſibi aptavit in pulvinare; undè in cubili, & in menſà ubiquè occurrerent mortuorum calvaria. Pocula ad ſpeciem erant, voces æternitatis, ſtudia innocentię, indagatio erant geſtorũ Pontificis ſancti. Vota omnia circà Rempublicam, nil circà familiàm. *Nanius*. Anguſtiæ licèt undiquè premerent, omnes invito animo excepit, & incredibili labore, ac ſapientià ſuperavit. Catholicos Helvetiorum pagos adverſùs Hæreticos, nec non *Carolum Emmanuelem* ducem Sabaudiæ, contrà inalpinarum Vallium Hæreticos accolas conſilio, officio iuvit, & pecunià. Eandemquè liberalitatem maiore conatu extendit ad Poloniæ Regnum, quos Svecorum armis veluti ſubito turbine correptum, ad ultimum propè

Helvetios iuvat Catholicos

Polonos

Sſ ex-

excidium erat adductum, proſpero obiquè eventu. Vrbi magnâ annonæ penuriâ laboranti ſaluti ingens fuit frumentum à Batavis pretio convectum imani, modico civibus diſpertitum. *Famos, peſtilentia Romæ.* Famem excepit peſtilentia, nondùm evoluto primo Pontificatus Anno, Neapoli advecta, cuius in auxilium Indigites Sancti advenere è Cęlo, à quibus lue ſublatâ, aoimis eſt maior infuſa pietas, atquè religio. Cum autem vetito commercio, plebecula diurno aſſueta vivere quæſtu, inopia conficeretur; præter eleemoſinæ largiora ſubſidia, inſtitutâ ſubſtructione Porticus Vaticanæ, quam 150. fermè ab hinc Annis, unâ cum ipſo Principis Apoſtolorum templo deſignatā nullus anteceſſorum aggredi auſerat, ipſe à fundamentis inceptam ad umbilicum pœnè perduxit: ſic eodem tempore plebem pavit, & templum ornavit. *Porticū erigit Vaticanam.*

Huc facit IV. nummiſma, in quoimago Alexandri Deum precibus invocantis, ut à peſtilentiâ populum liberaret Romanum. Vndè epigraphes, *Vt umbra illius liberarentur*. Iunge tabulam marmoream, in qnâ.

Alexandro VII. P. M.

Cum ſtatuam publicè ſibi decretum, ob ſervatam urbē à peſtilentiâ, Honoris ſignificatione contentus, erigi vetuiſſet. S. P. Q. R. *Quo ſui ergà Principem Optimum grati animi, Reiq; tanta monumentum aliquod extaret. PP. An.* D. 1658

III. Religionem exhibet cum Cruce, & frœno in dexterà, tenet ſiniſtra Evangelium, calcat pedibus Mortem. De Chriſto enim dictum, *ò Mors ero Mors tua, morſus tuus ero Inferne.* Fręnum dextera exhibet, quia Religio frœnum eſt Populorum, ſed leve atquè ſuave. Vndè merito habet epigraphes, *Populum Religione tuetur*, non dominatur, ſed tuetur.

Iunge VI. & XXI., in quibus porticus Vaticana, cum epigraphe, *Fundamenta eius in montibus Sanctis. Vaticani Templi area porticibus ornata.* Hanc fabricam erexit Alexander, ut plebem paſceret inopiâ confectam. Ibidem etiam ſculpta leges verba ſequentia.

In umbraculum diei ab æſtu

In *ſecuritate à turbine, & pluviâ.*

Aliud habes n. 32. in qno templū extructū B. Marię in Porticu, vt votū emiſſum ſolverer, ob peſtē ſublatam. Poſuit ipſe lapidem primarium, in quo legitur

S. P. Q. R. Votum S. Alex. VII. *P. M. S. Marię in Portico ad fundam. Pos. A.* M. DC. *LXV.* Quæ ſic legi debes. *Senatus Populuſquè Romani votum ſolvens Alex.* VII. *P.* M.

Lateranenſe Valetudinarium cum ſæpè inviſiſset, pecuniam ægrotantibus diſtribuendo, nè pietatis memoria periret cum ſonitu; hoc cuſtodes poſuere monimentum.

Alex. VII. P. O. M.

Qui cum Baſilicam Lateranenſem *inviſeret, peracto ad Altare DD. Apoſtolorum Sacro, in gemina hæc Valetudinaria humana miſeria, & miſericordia Theatra ingredi dignatus eſt. Vt in egeſtatis, & ægritudinum umbris aureum Pontificia charitatis coruſcaret, longo ordine hic, atquè hinc decumbentes, Auguſta* Maieſtatis *præſentiâ, benigno oculorum aſpectu, & impoſitâ in articulo mortis Indulgentiâ conſolatus. In* Mulierum *verò Xenonodochio, ad agentis animam fœmina lectum ſubſiſtere, Pontificia Crucis ſigno Cęli aditum aperire, morientis cuſtodiam lectiſſimis Purpuratorum commendare; at in Regnum Beatorum recepta, nuntiare poſſet. Noſtri ſæculi ſub* Alexandro *Pontifice fœlicitatem, nè tanta humanitatis exemplum futuri Principes ad imitandum, ad admirandū populi ignorarent. Hoc monumentum ereximus.*

Paulus Marcevanus, Hyacinthus de Bubalis, Ludovicus Caſalius, Cuſtodes. Ioſeph de Anibaldenſis Camerarius.

In Æde S. Mariæ de Populo, quam vt diximus reſtauravit, ornavitquè.

Alexander VII. *P. M.*

Fabii Chiſii Olim Card. Titulari Æde Ornatâ ſui Pontificatus primordia antiqua pietate in Beatam Virginem conſecravit. A. D. MDCLV.

In Baſilicâ Lateranenſi, Alexandri III. Pont. Max. Patriâ Senenſis cineribus, tumulum poſuit cum ſeqnenti Elogio.

Alexandro III. P. *M.*

Nobili Bandinellâ Gente Senis nato, qui difficillimis temporibus eximiâ Pietate, *ſummâ Prudentiâ, ac Doctrinâ Eccleſiæ præfuit Annis XXII. invictâ Fortitudine, atquè Conſtantiâ Apoſtolica Sedis Iura Auctoritatem, Dignitatemquè retinuit. Et poſt immenſos labores, ac ſollicitudines Pace partâ; Oecumenicum Lateranenſe Concilium celebravit. Sanctiſſimas de Eligendo Summo Pontifice, deque vi, & ambitu coercendo Leges tulit. Thomam Cantuarienſem* Antiſtitem, *Bernardum Claravallis Abbatem, quos viventes amiciſſimos habuit,* Odoardum *Angliæ,* Canutum *Daniæ Reges, Sanctorum numero adſcripſit.* Plurimiſquè *aliis maximis rebus geſtis, vita demum, & gloria curſum confecit.* Anno *Sal.* 1181. *Kal. Septemb.*

Alexander *VII. P. M.*

Nominis, & muneris in Eccleſiâ Succeſſor Pontifici tanto, Cvi ſuę pios cineres veneratus poſuit.

Munificentiæ ab Alexandro collatæ erga Eccleſiā *S. Maria de Conſolatione* ac proxima Valetudinaria, teſtimonium erit perenne in lapidibus poſitum ad angulum Eccleſiæ.

Alex. VII. P. O. *M.*

Qui ut corporum valetudini paternâ charitate conſuleret quemadmodùm Paſtorali *ſollicitudine pro animarū ſalute quotidie vigilat huic Xenodochio ſuo Diplomate cōceſſit Annexam viam nocturno tempore Tranſverſis catenarum repagulis cuſtodiri, nè prætereunte ſtrepitu, quies amica ſilentii omninò ab Ægrotantibus exularet.*

Franciſcus Capiſucchius, Achilles Maffeius, Carolus Gavotus, Cuſtodes. Curtius Baccapadulius Camerarius.

Ad æternam beneficii memoriam lapidem P P.

Anno Dom. MDCLXI. *Pontif.* VII.

In fronte S. Andreæ de Valle

Alex. VII. *P.* M.

S. Andreæ Apoſtolo An. Sal. 1665.

In Eccleſiâ Congreg. Propagandæ fidei de novo extructâ.

Alex. *VII. P.* M. *Anno XI.*

Ad fores ſacrarii S. Mariæ Gratiarum.

Alex. VII. *P.* M. *iuſſu*

In die feſto Nativitatis Deiparæ Virginis S. P. *Q. R.*

Offert quot Annis huic Eccleſia Conſolationis Calicem, *& quatuor cereas faces. Vt ex Brevi Apoſtol.* 11. *Septemb.* 1666.

In angulo eiuſdem Eccleſiæ S. Mariæ Gratiarum, quam cuſtodibus S. Mariæ Conſolationis commiſit.

Alex. VII. P. O. M.

Ad fidelium pietatem in adverſis promovendam, reſtitu-

tituta ex S. P.Q. R. voto An. 1657. in Vrbe peſtilen- A *tiâ*, Deiparæ liberatricis imaginem *ab æde S. Mariæ in porticu, ad eiuſdem in Campitello decentiùs tranſtulit, & collocavit, eiuſquè curam cuſtodibus, & Camerario Templi huius SS. Virginis de Conſolatione confirmavit. An. Sal. 1662.*

Eccleſiam S. Nicolai, & Blaſii, Baſilicæ S. Marci ad palatinas cum univiſſet, Canonici grati hanc poſuere epigraphem.

D. O. M. Alex. VII. P. O. M.

Cuius glorioſa beneficentia, ut Canonicorum fortuna maiori ſuſtentaretur honore, Eccleſiam S. Nicolai, & Blaſii curam animarum unà cum redditibus huic Baſilicæ matrici indulgenter univit. Capitulum, & Canonici grati animi poſuere Anno Domini M. DC. LVII.

Eccleſiã S. Nicolai cum Archiconfraternitati SS. Vrſulæ, & Catharinæ conceſſiſſet, ad fores hæ ſunt appoſitę notę. *Alex. VII.* P. O. M.

Quod Eccleſia olim Parochialis S. Nicolai de Funariis Baſilicæ S. Marci ſuà munificentià unita, ut Archiconfraternitati SS. Vrſulæ, & Catharinæ in uſum perpetuum concederetur ad beneficia propenſior annuerit.

Ordine ſuppreſſo Cruciferorũ, Domum, & Templum cum accepiſſent Clerici Regulares infirmis miniſtrãtes, grati ſuprà fores Eccleſiæ poſuere ſequentia.

Alexandro VII. Pont. Max.

Ob Templum Conceptæ Deiparæ ſacrum unà cum Cœnobio olim Cruciferorum, Clericis Regularibus, Crucem quoquè prò ſigno geſtantibus infirmorum Miniſtris creditam ad inſtruendos Tyrones ob privilegia iiſdem reſtituta, & aucta Ordo univerſus, & Sanctes Caeciamanus Præf. Generalis Beneficiorum memores Parenti Optimo poſuerunt Anno D. M. DC. LVII. *Iulio S.R. E. Card. Sacchetto* Epiſc. *Sabin. Protectore.*

Domum cum Vicario deſtinaſſet apud Baſilicam Lateranenſem. *Domus prò habitatione Vicarii, curam animarum habentis; iuſſu, & munificentià ſimul Alex. VII. deſtinatà, ampliataquè.*

In peryſtilio Vaticano à ſe excitato.

Alex. VII. P. M.

Intrà. *In umbraculum diei ab æſtu, in ſecuritate à Turbine, & pluvià.*

Ibidem. *Venite aſcendamus in montem Domini: adoremus in templo ſancto eius.*

In parte adverſà.

Alex. VII. P. M.

A *fundamentis extruxit* Anno *Sal.* 1661.

Ibidem. *Venite procidamus antè Deum, & nomen ſanctum eius invocemus.*

In Mattheiorum plateà ad fontem reſtauratum.

Alex. VII. *An. Pontific.* IV. *reſtauravit, ornavitquè.* D

Chriſtina Sveciæ Regina Romam venit.

7 *Chriſtinã Svecorum Reginã*, eiuratà hæreſi Lutheranà, abdicatoquè regno, Fidem amplexam Catholicam Æniponti, Alexander ad Vrbem invitavit Anno 1656. miſſo *Lucà Holſtenio* Hamburgenſi, cuſtode bibliothecæ Vaticanæ; venientem regio recepit apparatu, præmiſſis quatuor Nuntiis Apoſtolicis, *Annibale Bentivolo* Archiep. Thebano, *Lucà Torrigiano* Archiep. Ravennate, *Innico Carracciolo* decano Cameræ Apoſtol. ac *Philippo Ceſarino* clerico eiuſdem Cameræ; deindè duobus Legatis à latere, *Io: Carolo Mediceo*, ac *Federico Haſſię* Lantgravio Cardinalibus. Romam cum veniſſet à Pontifice ſacro Confirmationis oleo delibuta, eius quo- A què nomen ſuſcepit; ut eius eſſet in Chriſto pater, qui eſſet Orbis terrarum. Fęlicis ingreſſus teſtis nummus accedat triumphalis n. 5. cum epigraphe: *Fœlix, fauſtuſquè ingreſſus.*

Conſanguineos in aulà ſuſcipit

8. *Admiſsis affinibus.* Senis reſtitutus *Marius Chiſius*, ut ibi à fratre *Alex. VII.* leges acciperet; ſupervenère miſſi à M. Etruriæ Duce cum muneribus, ſequeſtrẽ ſe offerente, ut in aulã fratrẽ Põtifex evocaret. Idẽ fecerũt plures Cardinales, & magnates Italiæ. Veneta Reſpublica cũ eos aſſumpſiſſet inter Patritios, (munus quidem regale) *Io: Piſaurum* Equitem Procuratorem D. Marci, *Bertucium Valerium* Equitem, *Aloyſium Contarenum, Nicolaum Sagredum* Equites, Procuratores legavit in Vrbem, qui poſt ſalutationis officia efficaciter urgere cœperunt, nè fidem falleret, quam *iuraverat, & veluti in arrhabonem ſcrip-* B *pto exaraverat manu ſuà. Verbis non diſſonarent exempla, cum calami vota protinùs à Deo fuiſſent thiarà repẽſa, & ſtolà Apoſtolatus.* Inopia tamen fatigatus ærarii, belloquè Gallico (in quo Parmenſis arma tractabat adversùs Hiſpanos) quatuor commodavit triremes fortiorem expeditionem in Annum remittens ſequentem. Excitavit interim Rẽpublicam reconciliari Sabaudo: ſuppetias petere à Liguribus. Redditus non ſpernere *Conventinorum* (eos ſupprimi mãdaverat *Vrbanus VIII.* in quibus ſaltem ſex Monaci ali non poſsent) non enim *Vrbanus* in Commendam erigere, ſed in Turcas impendere cogitaverat. Colloquium tandem abſolvit, inſtando pro reſtitutione *Ieſuitarum* in ditionem Venetam. Obſtupuit Senatus, quòd Pontifex ob communem cauſam, quam ipſe antè ſuam promotionem ſpontè ſuſceperat defendendam, de ſupetiis nil poſitivè decerneret. C Hæc miſceri odioſa Reipublicæ, credidere Veneti nè indè ſuppetias in hoſtem repoſcerent: quaſi ardor evanuiſset Apoſtolicus, & exiſtimatio futuri regiminis, quam ſibi Principes promiſerant ex Fabii vità privatà. *Valerius. Nanius Hiſtor. Venet.* Interim *Marius*, *Auguſtinus*, *Flavius* eius conſanguinei omnem movebant lapidem, ſequeſtribus Legatis Principum, Romæ à Pontifice admitti, ut partito labore, regimen commodius ſubiret Eccleſiæ, & aures præberet facilius clamoribus pauperum. Sfortiæ Pallavicino, qui Pontifici à ſacramento Pœnitentiæ erat, cum nimiùm *Alexandrum* urgeret, ut eos aſsumeret in partem regiminis, reſpondit: *veſtrum eſt, nos à peccatis retrahere, non ad peccata compellere.* Hæc & maiora exaravit *Pallavicinus* ipſe ad perpetuam *Alexandri* laudem non ſolùm in *epiſtolà dedicatorià*, ſed pluribus in locis illius libri, cui titulus, *Iſtoria del Concilio di Trento* primæ editionis Romanæ, Angelo aſſimilando veluti immunem à carne, & ſanguine. Pondere tamen oppreſsus regiminis, & nè ſpernere videretur repetitas Principum interceſſiones, elapſo primo Pontificatus Anno, *Marium* fratrem, *Flavium* eius filium, & *Auguſtinum* Auguſti fratris filium ad Vrbem evocavit. Priuſquàm tamen eos in conſpectum daret, & Reipublicæ gubernaculis admoveret, Cardinales conſuluit, id nè Sedi Apoſtolicæ crederent profuturum? Purpuratorũ alii putantes in ſpeciem quęri; alii tantum onus ſinè propinquorum miniſterio haud credẽtes poſse ſuſtineri; alii erubeſcentes, quòd ipſi conſilio ſpontè oblato, immò precibus quotidianis Pon-

A Venetis ſollicitatur in Turcas.

Ieſuitas à Venetis reſtitui urget Alex. 7

Conſanguineos Romę negat admittere.

tificem tandem expugnaſſent invitum, annuerunt. Proindè minimè notandus eſt Pontifex ſi illecebris irretitus Cardinalium, Principibus aſſerit ſupplicantibus. Licet agnatis Romam venientibus, A quaſi à Pontifice nullo flagitante evocatis ſtrepere cæperint excitari faſtum, lemmate expoſito in compitis viarum, *Homo & ipſe factus eſt*,

Conſanguinei Pontificis

Marius Generalis exercitus Pontificii, cui uxor *Berenix Ciaia* moribus, & ſanguine illuſtris	Alex. VII. Papa	Auguſtus	Antonius Bichius Card. S. R. E. Ep. Auximanus, Urbini Legatus.
Flavius Cardinalis S.R.E. Præfectus Firmanus, Tiburtinus, Legatus Avenionenſis Præfectus Iuſtitiæ, Archipresbyter Lateran. Bibliothecarius S. R. E. Patronus Congregationis Vallis Umbroſæ, Silveſtrinorum, ac Fratrum S. Franciſci de Paulà, & Sodalitatis Crucifixi S. Marcelli de Urbe.	Sigiſmundus Card. S.R.E.	Auguſtinus Princeps Farneſii cui nupſit Filia viduæ Roſſani Principis, cum dote ducentorum millium aureorum.	

Agnatos porrò priuſquā admitteret, teſte *Nania*, nè Roma eorum timeret adventum, largitionem proſcripſit; Officia vacabilia Cameræ applicavit Apoſtolicæ, ut eam ære liberaret alieno. In urbē admiſſi ut legem cogerentur ſervare modeſtiæ, tumultu caſu exorto inter Comitem *Columnam*, & Equitem Ciaia ſororium *Marii*, Pontifex magnà laude hunc voluit leges ſubire Iuſtitiæ.

Agnatos revocat ad modeſtiam

Mario ipſi fratri ſuo gladium exaranti ad iurandam defenſionem S. R. E. cum inſignibus exornaret Imperatoriis dixit Papa; *Mitte gladium tuum in locum ſuum: alias non habebis partem mecum*. Volens hiſce verbis legem imponere Clementiæ; nè frater gladio abuteretur in vindictam privatam. Hinc quidam Hiſtoricus negare haud potuit *Alexandrum*, vitæ candorem ſemper illibatum ſervaſſe, etiam cum eum notavit de ſtudio inani, & vanis ædificiis. Eius eloquentiam qui audierunt, rebus dixere gravidā nō vocabulis. Latinè loquebatur ex tempore tam propriè & dilucidè, ut nemo meditatè limatiùs ſcriberet. Quæſtio quandoquè cum recurreret de vocabulis, Paulum Iovium, Petrum Bembum alioquin ſcriptores clariſſimos, ridebat; qui ad explicandas res novas in artibus, Bello, Republicà inventas, nè novis uterērtur vocibus, circumlocutionibus vagabātur ineptis. Vitio Cœli humidioris, Monaſterii dentium morbo contracto, quaſi defluvio, dentibus utebatur ſuppoſititiis, nullo tamen rotundæ vocis incōmodo, quam excellenter pronuntiabat. Sermones familiares licet Apologis, dictiſquè facetè exornaret, pudorem tamen itam ſervavit, ut eius in ore, moribus, vultu, oculis nil unquàm quis notare auſerit impudicum. In Monaſterienſi conventu urbanitatem privati miſcens cum maieſtate Legati, aulicos pià cautione devicit, cæteros ſibi ſincerà humanitate devinxit. Sanguinis fervore æquè ad benignitatem pronus, & iracundiam, hanc ab adoleſcentià conſuetudine ità perdomuit; ut ſæpè ſeipſum dicto redargueret Prophetico *Iraſcimini, et nolite peccare*; illà uſquè ad extremum vitæ ſpiritum conſtanter retentà, anſam dedit calumniādi prodigalitatis; quaſi humanitas Principis ſit recenſendà more privati. Viros Literatos cū literatus plurimi faceret, corū conſuetudine quotidiè utebatur horis pomeridianis, ſomniq; impatiens etiā in ſummà æſtate, præcipuè *Leone Allatio*, *Lucà Holſtenio*, ſacrà, ac profanà antiquitate; clariſſimæ apud exteros famæ, *Sfortià Pallavicino*, quem Cardinalem dixit; *Franciſco Nerlio*, *Bonà Ciſtercienſi*; cum quibus de Hiſtorià ſacrà, de veteris Eccleſiæ diſciplinà, deſcendendo quandoquè ad Oratorum, & Poetarum delicias; Codices conquirendo antiquos ad illuſtrandam obſcuriorum temporum eruditionem. Poeſim, in quà etiam maior natu inter graviores curas magnà laude floruerat, Pontifex factus, in honore habuit, & præmio excitavit; ipſe tamen nunquàm attigit. Vltima eius carmina, viginti dicuntur fuiſſe hexametra, quæ è Vaticanis comitiis ad *Ferdinandum Furſtembergium* iocabundus ſcripſit elegantiſſimè, de formà, & ſtatu Comitiorum. Tanta erat eius animi moderatio, & tranquillitas, dum cæteri vel ſuà, vel amicorum causà, ambitu iactarentur.

Clementiam fratri ſuadet.

Alex. 7. candor illæſus.

Studia in Pontificatu.

Virorum etiam collegium inſtituere cogitabat ſacrarum literarum eruditione præſtantium ex omnibus Chriſtiani Orbis provinciis, quorum conſilio uteretur in definiendis Fidei controverſiis, & ad retundendos calamos Hæreticorum. In eorum alimoniam attribuere decreverat fructus Monaſteriorum, quæ collapsà diſciplinà, à priſtino defecerant inſtituto. Verùm Gallorum ingruente diſcrimine, in aliud tempus reiicere coactus, ubi ſerenitas reddita eſt, morbo fatigatus acerbo, egregium opus poſteris abſolvendum reliquit.

9. *Ieſuitæ*. Cùm Regulares exautoraſſet, & S. *Spiritus* qui in Italià ditiſſima poſſidentes monaſteria; cum agris ampliſſimis, & latifundiis divitiis impinguanti à moribus declinabant antiquis traſmigrarent in aliud inſtitutum ab Eccleſià adprobatum, vel religiosè viverent inter presbyteros ſæculares; Cruciferi penſione acceptà ducatorum ſexaginta annuà; Regulares verò S. Spiritus, ducatorum centum: quæ quamvis piè concepta, non uno tamen voto ſuſcepta, ut apud hiſtoricos *Naniam*, *Valerium*. Eodē permittēte *Alexandro*, bona etiā *Conventinorū* ſub haſta expoſita (venditioni proſedente Legato Apoſtolico cū tribus Senatoribus) trāſierunt ad laicos.

Regulares ſuppreſſi.

Hiſce auxiliis Venetos delinitos *Alexander* rogari mandavit per *Carolum Caraffam* Ep. Averſanum, & Legatum Apoſtolicum, ut ſigna amoris rependerent Pontifici benemerito, Societatem Ieſus ab omnibus Venetæ ditionis urbibus à die exorti diſſidii inter *Paulum* V. & Venetam Rempublicam, exulem reſtituendo. Spes iacebat ob ſeveritatem edicti, quo rigidis, & penè inextricabilibus conditionibus cautum erat à maioribus, nè Ieſuitæ redirent. *Alexandri* tamen, & *Ludovici* Gallorum Regis officiis, *Caraffa* eloquentià, qui ſpe fœderis in Turcas Venetos lactabat,

Ieſuitæ Venetiis reſtituti.

bat, diſruptis vinculis, quæ magno conatu ſed ſemper in caſſum frangere tentaverãt Pontifices ſuperiores, redierunt tandem Anno 1658. Turcę pacem offerenti ſi reliquias Veneti cederent Regni Cretenſis, videbatur inclinare Senatus, quod milite, & ærario conſumpto per Annos tredecim, nulla ſpes affulgeret à Chriſtianis inter ſe dimicantibus: cum perorante *Io: Piſauro* pro gloriâ, pro libertate, *Valerio* Principe pacem ſuadente; Senatus iterum arma decrevit, & pecuniam ex oblationibus civium colligendam adversùs barbaros. Flevit Pontifex pręlætitiâ auditâ Venetorum conſtantiâ; vocatoſquè ad ſe Cardinales, & Principes Romanos ſeriò excitavit, ære privato publicam iuvare expeditionem. Auxiliũ ſanè opportunum naufragæ Venetorum claſsi. Adfuit enim *Bicchius* cum duodecim triremibus fœderatorum, & decem navibus, quas inſtruxerant Magnates Romani. *Card. Franc. Barberinus* donavit quinquè millia ducatorum. An. 1661. idem Barberinus quinquè mille cõtulit frumenti tumulos. An. 1665. donatis iterum frumenti tumulis octo mille, in privatâ fortunâ regiam exercens liberalitatem, donavit tertiò ducatorum bis millia, & quadrigenta, nonnulliſquè creditis, ut Principibus exemplo eſſet, quid agendum communem in hoſtem. Etiam Cardinalis *Bernardinus Spata* decedens decem millia nummorum legavit in Turcas.

Nova in Turcam auxilia.

Magnanimitas Franciſci Card. Barberini.

Alternabat fortuna, & Principes Chriſtianos inutilibus fatigabat diſſidiis, quibus fortes Barbari tandem prævalerent. Archiep. Ebrodunenſis Gallus Venetias Orator venerat à Rege *Ludovico*, carbaſinam ferens præſularem non tectam palliolo, (Hunc coram Regę Epiſcopi ſervant in Galliâ morem) quod cum æmularetur *Nuntius* Apoſtolicus *Altovitus*: negante Senatu, aulâ abſtinuit, donec ſecedẽte Gallo, ſpontè rediit habitu, & more vetuſto. Accedebat, quod pace reſtitutâ inter Hiſpanos, & Gallos, interpres Pontifex non fuiſſet admiſſus tanquã ſuſpectus, re verà quia non conveniret cum *Mazarino*. Gloriæ iſte cupidus, poſt initam cum Hiſpanis pacem Regio nomine obtulerat Venetis quatuor millia peditum, qui Duce *Almerico Principe Eſtenſi*, ſumptibus Regiis navigarent in Turcas; ut hoc exemplo non ſolùm Principes excitaret, & Cardinales, ſed Pontificem redargueret clamans Infidelium *ruinam theatrum fore magnificentius, quàm lapides Romanos, in quibus iam ad ſaturitatem erat inſculptum nomen Alexandri*: Iniuriam *Alexander ut Mazarino* rependeret; poſtulantibus Hiſpanis, & Gallis Caſtri reſtitutionem, cępit lactare Parmenſem ſpe futuræ tranſactionis cum eò ſingillatim paciſcendæ, donec abſolutis iudiciariis perendinationibus, repentè vocatis Cardinalibus, Caſtrum declaravit Pontificum ſubiectum decretis, *de non alienandis &c.* diſſimulavit *Mazarinus* vindictam, ſed brevi furor erupit. Anno namquè 1660. Aquis Sextiis Regi ſolemniter in Cathedrali Eccleſiâ Deo gratias agenti, pro initâ pace, volens adeſſe *Piccolomineus* Legatus Apoſtolicus cum carbaſinâ præſulari, ſinè palliolo; quemadmodũ Venetiis adfuerat *Ebrodunenſis*, non eſt admiſſus, magno mętore Pontificis, quod in inſtrumentis pacis ſuo ſuppreſſo nomine, modò Legatus eius excluderetur ab Eccleſiâ. Ingruentibus itaquè in dies ſimultatibus *Innocentium de comitibus* Romanum in caſtra Venetorum deſcendere parantem, à Gallis timens, ſubſiſtere iuſſit. Sic Anno ſequenti coactus abſtinere expeditione triremium; Regularium ſuppreſſionem propoſuit, ut redditus agri Veneti, bello cederent Cretenſi; dummodò Veneti legem abrogarẽt, quâ nova poſſeſſio Eccleſiaſticis interdicitur: & quià aures negarunt, ab hac die diſſentire cœperunt mutuo navium ſpolio, Pontifex libertatem quærens Maris Adriaci: Veneti ut poſſeſſionem retinerent antiquam, quam tandem navibus per Alexandrum reſtitutis ſervarunt incolumen.

Mos Gallorũ Epiſcoporum utendi carbaſinâ aperta.

Lis eorum cũ Nuntio Apoſtol.

Æmulatio inter Papam, & Mazarinum.

Diſſidia cum Venetis.

Obiit hoc Anno Cardinalis *Mazarinus* datis literis cum eſſet in carnis procinctu ad *Alexandrum* Pontificem plenis obſequio, legatiſquè ducentis millibus nummorum in communem hoſtẽ perſolvendis manu Pontificis. Priusquàm obiret, Apoſtolicam be-B nedictionem flagitavit à Nuntio Pontificio, coràm quo, vivo cordis affectu; reverentiâ expoſitâ ergà Sedem Romanam, tam ſeriò, tam piè arcana mentis expreſſit, ut Regem ipſum (qui retrò cortinam attentus omnia rimabat) cum cæteris adſtantibus ad lachrymas excitaret. Novum bellum in Tranſilvaniâ cum Turcæ perfidè inchoaſſent, Claudiopolim obſidentes Anno 1663 Adfuit Alexander theſauro primùm Indulgentiarum; indè ſex decimis à Clero ſolvendis Italiæ. Contulit etiam centum millia nummorum, quos moriens legaverat *Mazarinus* in Turcas manu Pontificis diſtribuendos. Pecuniam item numeravit ex ęrario Pontificio; quamvis à Gallis ſibi timeret iratis. Turcæ verò Varadino expugnato: dum flumen Rab (ita incolæ vocant) traiicere conantur, ut in Italiam irrumperent, ripas ſtrenuè pro-C pugnantibus Gallis, atquè Germanis, ſexdecim mille periere, igne, aquâ, ferro. *Nanius. Valerius.*

Mors Cardin. Mazarini.

10. *More, & Marmore*. Vltra ea quę ſuprà habes n. 6. Vrbem pluribus in locis, viarum anfractibus informem, ac veterum ædificiorum mole deformem, miro artificio ad laxiorem, ſplendidioremquè formam redegit.

Alex. 7. ædificia

Pantheon clariſſimum, veteris Romæ templum à M. Agrippâ conſtructum, à Bonifacio IV. B. Virgini Dicatum, cum humo congeſtâ iaceret pœnè ſepultũ, in lucem revocavit, foro adiuncto.

Pantheon.

Forum Antonianum, & illud quod adiacet ædi S. Callixti, horridum anteà, & incultum ad ſplendorem traduxit.

Forum Antonianum

Palatium Caſtri Gandulphi ad Lacum Albanicũ, D quo ſecedere ad animi remiſſionẽ verno, & autumnali tempore ſolebat, auxit, & commodius effecit, reparatâ Eccleſiâ etiam Parochiali D. Nicolao ſacrâ; ut ex duobus ſequentibus nummiſmatibus.

In Palatio Quirinali (vulgo *Monte Cavalo*) cum perampla conſtruxiſset ædificia *Vrbanus* VIII. Pontificiæ familiæ accomoda; eâ amplitudine, & elegantiâ auxit Alexander, quâ in hoc nummum deſcribitur ac inſcriptione iſtâ declaratur.

Quirinale auget

Alex. VII. P. M.

Vt familia Pontificia maior eſſet de proximo apparendi commoditas, Palatium Quirinale novâ ędificiorum acceſsione ampliavit An. Sal. 1659.

Vt ſedes Apoſtolica navibus conductitiis, atquè triremibus, quas ingenti pecuniâ, nec minori difficultate

Navale extruit.

tate comparare ſolebat, inpoſterùm non indigeret, *Navale ad Centamcellas* (vt in nūmiſmate habes 11. & 14.) vulgò *Cività Vecchia* inſtituit, & neceſſariis ad naviū inſtructionē munivit. Portū quoq; temporis) ac maris iniuriis labefactatū, immiſſis mollibus munivit.

Ædem erigit B. Thomæ de Villà Novà.

In caſtro Gandulphi ædem erexit B. Thomæ de Villà Novà, eleganti opere conſtructam, quem nuper inter Sanctos retulerat.

Cathedram ornat Petri.

Ligneam S. Petri cathedram à tot ſæculis in Vaticanà Baſilicà ſervatam, ære, ſuperinducto auro, incluſam à duobus Græcæ, totidenquè Latinæ Eccleſię doctoribus ſuſtenratam opere tam molis, quàm artis equitis Bernini mirando, in abſide templi Vaticani conſtituit. Eſt nummus XXIV. operis teſtimonium, cum epigraphe *Primà ſedet Fidei regula; Eccleſia fundamentum*.

Gradus amplificat S. Petri,

Gradus, qui à porticu S. Petri, ad Palatii Vaticani aulam regiam ducebant, cum anguſtiores eſſent, & tanti templi dignitati non conſoni, ad ſummam magnificentiam reſtauravit, ut ex nummiſmate 25. *Regià ab aulà ad Domum Dei*. Inſcriptio apud cænobium Monialium S. Catharinę Senenſis.

Arduo lenito clivo facilior ſtrata ad Quirinalem via. Sal. A. 1660. Ad Vrbis mœnia.

Vrbis mœnia à Portà Pincianà ad Flaminiam uſquè Inſtaurata An. Sal. 1661.

In Porticu B. Mariæ in vià latà, vltrà nummum hic poſitum lege inſcriptiones ſequentes.

Alex. VII. P. M.

Locus antiquà veneratione ſacer, & nobilis, in quo S. Paulum Apoſtolum diù moratum, non ſemel unà cum ipſo Eccleſia capite S. Petro, de rebus Chriſtiana fidei deliberaſſe. Vbi S. Lucam Evangel. & ſcripſiſſe, & Deipara Virginis imagines depinxiſſe: Iam idem à primis temporibus traditum, congeſta terra olim depreſſus, & inacceſſus, facili ſcalarum deſcenſa, immiſſoq; feneſtris lumine perpurgatus, exornatuſq. pro fidelium cultui reſtitutus eſt. An. 1661.

Altera quoq; in eodē templo legitur epigraphes.

Inſtauratur ædē S. Mariæ in Và latà.

Eccleſia S. Maria in Và Latà, olim Baſilica nomine, inter cateras Vrbis vetuſtate, & Canonicorum collegio inſignis à Sergio Papà, Primo diaconia titulo conſecrata, ſub altare corpore martyris S. Agapiti collocato, à Leone IX. multis Sanctorum ditata reliquiis, ab Eugenio IV. Monaſterio, & Eccleſiis SS. Cyriaci, & Nicolai ipſi unitis aucta, & locupletata, ab Innocentio VIII. Novo ædificio in ampliorem formam redacta, atquè ab aliis ſummis Pontificibus, donis ſpiritualibus cumulata, demum ab Alex. VII. magnificè inſtaurata eſt, & ornata. An. Sal. 1662.

S. Andreæ.

Eccleſiam quoq. S. Andreæ de Valle collabentem, & ruinas minantem non ſolùm reparavit, ſed & venuſtiſſimam reddidit; vt inter Vrbis elegantiores poſſit recenſeri. Nummiſma habes 29. pag. 599.

Ædes S. Mariæ de Populo.

Aedes B. Mariæ de Populo, cuius titulum Cardinalis occupaverat, elegantiùs reparavit.

Alex. VII. P. M.

Fabii Chiſii olim Cardinalis titulari æde ornatà, ſui Pontificatus primordia, antiqua pietatis in B. Virginem conſecravit An. Sal. 1655.

Eiuſdē plateam

Plateam, quę [illegible] ducit ad Eccleſiam, ampliorem reddidit, & ędificiis ornavit elegantioribus, vt ex nummiſmate in quo platea ipſa, cum epigraphe: *Sapientia plateis dat vocem ſuam*.

Pacem cum ſummè deſideraret inter Chriſtianos, vota Deo plurima ſudit, & alii pro eà impetrandà, prout nūmi reſtantur 22. Pręſidiū Deiparę ut mereretur, Templū Pacis ſub eius auſpiciis dicatū, ſe reparaturum vovit: ſtatimquè manum admovit, cū inter Reges eſt pax publicata; tēplo magnificè reſtituto, & elegāter ornato, ut ex Inſcriptione foribus appoſitā:

Templū Pacis.

Virgini Pacis

Vota pro Orbis Chriſtiani concordià, ac tranquillitate dudùm ſuſceptà, ęde illius auctà, & exornatà, Alex. VII. P. M. ſupplex repetit. An. 1656. Pont. II.

In valvis externis. *Quòd votis repetitis ad Chriſtianæ Reipublica tranquillitatem cœlitùs impetratam, Templum Magna Virginis, Pacis arbitra à Sixto IV. erectum inſtauraverit, ſacellis illuſtratis, & magnificentiùs excultis, excitatà porticu, & nobiliori fronte, Areà, Viiſque amplificatis auxerit, ornaverit.* Concordat nummus 15. in quo *Iuſtitia deoſculantur & Pax*. 16. votivum eſt in quo Templum Deiparæ Pacis, cum epigraphe, *Da pacem Domine in diebus noſtris*. In 22. Salvatoris imago Pacem diſcipulis annuntiantis, *Pax vobis*.

Gymnaſium Romanum.

Romanum archigymnaſium, Sapientiæ nuncupatum, eiuſquè templum, eà amplitudine, & magnificentià extruxit, ut ſplendidiora Vrbis ſuperet ædificia. Bibliothecam etiam omnis generis libris luculenter inſtructam, ingenti aulà, ac thecis magnificè extructis, publicæ aperuit commoditati. Nummiſma habes n. 17. in quo Archigymnaſium cum epigraphe, *Omnis Sapientia à Domino*. Inſcriptio.

Alexandro VII. Pont. Max.

Quòd poſt Vrbem à peſtilentià vindicatum, & ad ſummam elegantiam, nitoremquè multiplici opere perductam poſt emendatos Populi mores, & Cleri diſciplinam, divinumque cultum Sanctiùs ordinatum, aliaquè complura liberaliter poſita, & ſalubriter inſtituta, nè quid vel ad Civium commoditatem vel ad amplitudinem Vrbis deeſſet Liberalibus diſciplinis, & bonis artibus publicè ædes, excolendiſque Gymnaſii ædificationem abſolverit Bibliothecam inſtituerit, inſtruxerit, dicaris Sac. Conſiſt. Aula Advocati Poſ. Anno ſal. M. DC. LXI.

Ibidem. *Libros omnigena eruditionis à Franciſco Maria II. Vrbini Duce, ſummo ſtudio conquiſitos.*

Alexander VII. Pont. Max.

Vt ſplendidiori illorum cultui, & Reipublica literaria bono conſuleret, cum hiſquè conſociatos, & permiſtos in Romanæ Sapientię Archigymnaſio, à ſe conditā, inſtructàquè Bibliothecà publicà luce donavit.

Bibliothecam exornat

Literarum volumina, quæ à Nuntiis exarantur Apoſtolicis de arcanis Chriſtianæ Reipublicæ, cum nullo certo loco aſſervarentur, ſed à conſanguineis morientis Pontificis quaſi hæreditaria ad lares aſportarentur paternos, ex variis familiis Pontificiis ſollicitus expiſcatus, in Vaticano Palatio, Archivio extructo, ad memoriam futurorum diſpoſuit. Eadem ratione actis conſuluit Congregationum, quæ ab earumdem ſecretariis domi aſſervabantur, Archiviis prò numero Congregationum erectis.

Literarum volumina.

C. Ceſtii ſepulchrum.

C. Cæſtii Epulonis ſepulchrum ad portam Trigeminam ſumptu reſtituit ingenti. Propè hortos Vaticanos officinam. *Alex. VII. P. M.*

Monetariam erigit officinā.

Monetariam officinam, in quà novo artificio, præcipitis Aqua impulſu verſatis rotis, magno temporis, operiſquè compendio Nummi affabre, celeriterquè ſignentur, publica utilitati conſtruxit. S. An. 1665.

In baſis Obeliſci apud S. Mariam ſuper Minervâ.

Veterem Obeliſcum Palladis Egyptia monumentum è tellure erutum, & in Minerva olim, nunc Deiparæ Genitricis foro erectum, Divinæ Sapientiæ Alex. VII. dedicavit A. S. 1667. In eiuſdem baſis adverſo latere.

Sapientis Ægypti inſculptas Obeliſco figuras ab Elephanto belluarum fortiſſima geſtari quiſquis hic vides, documenta *intellige robuſtæ mentis eſſe, ſolidam ſapientiam ſuſtinere.*

Aricie templû erigit Deiparæ.

Templum elegans *Ariciæ* (Chiſiæ gentis modò oppidum eſt) conſtrui curavit, illudquè Deiparæ ſacravit Aſſumptæ. Nec procul ab ipſo oppido ſacram ædem B. Mariæ Gratiarum, totius Latii religione celebre inſtauravit, ornavit; ut ex nummo 18. *Oſtendit Dominus miſericordiam in domo matris ſuæ. Aricia.* & 33. *Fundata eſt domus Domini B. Virgini Aricinorum.* Cathedralem patriæ ſuæ diſiectis domibus adiacentibus, aucto miniſtrorum numero auguſtiorem effecit. Ædem Monialium *de Refugio*, quam olim *Aurelius Chiſius* à fundamentis extruxerat, marmore ornavit Lurienſi.

B. Franciſcum Saleſium Ep. Gebennenſem Sanctis adſcripſit, ut ex nummiſmate feſtivo, *B. Franciſco Epiſcopo inter Sanctos relato*, & Thomam de Villâ Novâ Hiſpanum Archiep. Valentinum.

Noſocomium.

Noſocomium S. Spiritus non ſolùm ædificiis ampliavit, ſed eiuſdem œconomiam, & diſciplinam, quæ miniſtrorum incuriâ deperierant, in melius redegit. ut ex nummo 28., in quo Noſocomium, & deſuper Columba Spiritus Sancti figura, cum epigraphe, *Ædibus œconomiâ, & diſciplinâ reſtitutis.*

Fontem in plateâ B. Mariæ Tranſtyberim, vnâ & plateā reſtauravit, ornavit, diſiectis ædibus, & in formā elegantiorē reſtitutis, vt ex nummiſmate 31. *Nobilius per te ſitus fluam inhexauſtus.* Inſcriptio ad fontem. Alex. VII. *P.* M.

Fontem in plateâ S. Mariæ.

Poſt diuturnæ ariditatis ſqualorem ob Aquā Fœlicem Pontis Gregoriani ruinâ interruptam Aqua Paula unciis XXXVI. *ſalientem mediâ in areâ ſilice ſtratâ ad uſum, ornatumquè publicum reſtituit Anno* DC.LIX. *Pont.* IV.

Ad ſontem Aquæ acidæ extra portam Flamineam.

Alex. VII. *P.* M.

Vt acidalem ſalubritatem nitidiùs hauriendi copia, & loci amenitas cõmendaret repurgato Fõte, additis ampliore ædificatione ſalientibus, umbrâq. arborum inductâ publicæ utilitati conſuluit. A. *S.* 1661.

Fontem Aquæ Acidæ.

Ad S. Spiritum in Saxiâ. *Alex. VII. P.* M.

Ad commoditatem, & ornamentum huius Sacrę Apoſtolicę Domus Canonicorum Regularium Cœnobium ſeptis Religionis incluſit. Sacularis famulitio indè amoto, & in aliis ædibus recens extructis collocato. Puellas ut Lanificio, & diſciplinæ incumberent à Monialium cœtu ſeiunxit aucto, ornatoquè Pantheone. Annoſas Virgines, ac morbo inſanabili laborantes Monialibus in decentiorem locum tranſlatis commendavit. Lactētibus, & lacte depulſis infantibus, pueriſquè Orphanotrophiū, domicilium, & Tirocinium cõſtituit. Noſocomio addictos homines ſparſim olim habitantes, ornatâ Portico, & ſuperinductis Cubiculis magno infirmorum bono in unū collegit. Ne uno quidē obulo ex redditibus ſacræ Domus inſûpto. A. *S.* 1664.

In Saxiâ

Ad ſontem in atrio S. Spiritus in Saxiâ.

Alex. VII. P. M.

Marmoreū è fonte Pauli V. in limine Patriarchii Vaticani ſublatū; His exornandis ædibus dono dedit A. 1667

In Stadio Romano ad arcum Domitiani, quem fun-

A litûs evertendum mandavit.

Alex. VII. P. M. *Viā latā feriatæ Vrbis Hippodromū, quā interiectis ædificiis impeditam, quā procurrentibus deformatam, liberam, rectamquè reddidit publica commoditati, & ornamento* A. *ſal.* 1665.

Pacem procurans infeſtum habet Mazarinum.

ee *Pyramis* una ſola (ita exigente Gallo) Romæ erecta, cuius originem *Galeacius Gualdus l. 6. Hiſtor. Leopoldi* ita deſcribit. Initio Pontificatus ſui omnē lapidem moverat Alexander repetitis Legationibus, ut Gallos reconciliaret Hiſpanis, & quia ſemper incaſſum, credebatur abhorrere Cardinalem *Mazarinum* veluti auctorem diſſidii. *Mazarinus* autem ut Pontificem fatigaret, cœpit Cardinalem Imperialē acerbè tractare; Pariſiis Nuntium Apoſtolicum minùs colere; tandem Pace ad Pyrenęos cum Hiſpanis cõpoſitâ, in quâ nulla eſt facta mentio Pontificis; da-
B tis literis ad Card. *Antonium Barberinum*, mandavit, ut unà cum Cardinalibus Gallis, & Hiſpano Oratore, nomine *Mazarini*, & *Aloſii de Haros* Pontifici pacem nuntiarent initam. Fremuit *Alexander* audiens eam ſibi *Mazarinum* auctoritatem arrogaſſe, ut nomine ſuo arcanum tàm grande per octo Cardinales, & Hiſpanum Legatum, omiſſo Regum officio ad quos ſpectat, & non per miniſtros, Pontifici ſignificarent, gravi iniuriâ ſedis Apoſtolicæ, quā ut repararet, audire negavit. Galli autem ut rem facesſerent, *Alexandrum* paci tàm adverſum vulgabant, ut nec caduceatores audire ſuſtinuerit, magnâ populi indignatione, quam ut Pontifex declinaret, 17. Decemb. 1660. auditis Cardinalibus ut nullum omitteret ſignum lętitię, poſt Miſſam ſolemniter à Nepote celebratam, Hymnum intonuit, *Te Deū laudamus* ignibus etiam Romę excitatis feſtivis.

Diſſidiū in Corſis.

Non propterea ceſſabat *Mazarinus* inſultare Põtifici. Nam 13. Kal Septemb. 1662. Romam miſſus
C Dux *Crequius* elati animi vir, ut acerbè agentibus inurbanè reponeret, cœpit illicò nova excitare diſſidia, occaſione ſalutandi nepotes Pontificis. Votis etiam Fortuna adfuit.

In tabernam aquariam (ubi ad auram degebat Caniſta natione Gallus, cum aliis ex *Crequii* Ducis familiâ) cum deſcendiſſent quatuor milites qui tranſeuntibus excubiis à turmâ ſeceſſerant, lictores exiſtimati, & birrones tumidis primò Gallorum verbis impetiti, tandem exarmati Præfectum excitarunt ad inſtruendum iudicium, quo magiſter Gladiatorius coactus ſub pœnâ capitis, urbem deſerere. Milites quia vexillum reliquiſſent, & arma, more puniti militari. Hinc irati Vigiles, & turmâ roborati *Corſorum*, diſciplinam ſervare iuſſi, & nemini
D vim inferre; appetiti verò vim propulſare. Sequenti Dominicâ, quæ fuit 20. Auguſti, duo Galli ex quatuor fontibus redeuntes, cum obſervaſſent in tabernâ vinariâ ſtare tres Corſos, cœperunt iſtis illudere tanquàm birronibus. Hinc mutua [illegible] avitia, tandem poſt verba verbera, prevalentibus Corſis uſq. ad Sixtinum pontē. Stabularii Galli Oratoris (qui non longè erant, videntes ſuos contubernales gladio fugere evaginato, arreptis armis accurrerunt in ſuppetias, & militem fortè repertum, qui ab olitore acetarium emebat, vulnere deformarunt lethali. Socii, qui ſtationem propè habebant in vico SS. Trinitatis claſſicum canentes, ad Farneſiorum irrumpentes palatiū, (quod Gallorum eſt habitatio) exploſis ſclopetis in omnes, quos Gallos crederēt, duo cecidere unus no-

Corſorum facinus.

diſ-

diſſequus,& alter famulus bibliopolæ adſign um S. Pauli,caſu iuventi in plateâ Farneſianâ. Dux *Crequius*,qui domum redierat accurrens ad feneſtram,repetitis globulis tentatus fuit. Birrones tumultu excitati, in campo Floræ Pedemontanum, Gallum creditum, ictu percuſſere ſclopeti. Ducis coniúx domum rediens, nec ipſa pertranſiit immunis; amiſſo puero honorario ſclopeti glande, veſtibuſquè perforatis domicellæ primariæ. Hinc confugere coacta in domum Principis Cardinalis Eſtenſis fuit ab eo honorificè Domum reducta. Puer honorarius poſt expiationem peccatorum expiravit. *Corſi* ad ſtationē redeuntes, cum Gallum offendiſſent morientem, eiquè adſtantem baiulum, qui ad invocationē Deiparę excitabat, fœmora traiecere tormento, in pęnâ, quòd baiulus alienum uſurparet officium. Sparſo rumore facinoris cum in reparationem Iuris Gentium, *Corſi* Arce S. Angeli ſperatētur incluſi ſtationibus ſolummodò egredi prohibiti, nec exarmati, noctu receſſerunt incolumes, Hippoperam ferentes in humeris. Die ſequenti poſt prandium per tabellionem interrogatis innocuis, duodecim carceribus ſunt mãcipati. Eodem mane deſcendit Pontifex in Conſiſtorium, intereſſe renuentibus Cardinalibus *Eſtenſi*, *Aragonio*, *Mancino*. *Vrſinus* quia acceſſit prohibente *Crequio*, Regiam ſubiit indignationem. *Chriſtina* Svecorum Regina, interprete Cardin. *Azzolino*, ſequeſtrem pacis ſeipſam offerens, literas dedit ad *Lodovicum* Regem die 29. Auguſti, & primâ Septemb. ſed Gallo ingratas, quòd præcedentibus literis ſub die 21. Aug. omnem movere lapidem promiſiſſet ad vindictam.

Eſtenſis.

In Vrbem interim evocata quatuor millia peditum ſtationem habuere in gyrum domus Farneſiæ quaſi ad excubias, nè quid in eâ moliretur in Vrbem. Mandatum etiam lanionibus, & panificis dietim pandere quantum panis, & carnium Gallis venderent, vt ſic facilè numerus ſupputaretur virorũ ibi degentium. Iniuriam hanc primâ attrociorem æſtimantes Galli, in Thuſciam ſecedere cum Cardinali Eſtenſi decrevere Regia expectaturi mandata. Excanduit *Lodovicus* accepto tabellario; & Nuntiũ Apoſtolicum in Pariſinum remiſit Suburbium, tãquã obſidem ibi cuſtodiendum, vſquè dum *Crequius* ſeſe in tutum reciperet. Literis tamen receptis *Alexandri*, quibus Pontifex iuſtam non negabat reparationem iniuriæ, viſus eſt Rex deferveſcere, donec certior factus, receſſiſſe *Crequium*, nè turpius, & atrociùs in eum peccaretur, *Piccolomineum* Legatum Pontificium 30. cuſtoditum equitibus, nè cum Gallis miſceret colloquia, ex Galliâ ad pontem Bellovacenſem, Sabaudę ditionis limitem, quamvis invitum, & reluctantem remiſit. Scripſit *Alexander* ad *Lodovicum* verbis elegantibus, ſed generalibus. Cum *Crequio* per interpretem *Abbatem Roſpiglioſum*, nepotis nomine ſe excuſavit: ſed homo militaris, genere, opibus, ac tanti Regis miniſterio clarus cum initiùs, quàm rei atrocitas, ac Regis dignitas poſceret, cum Corſis actum videret, ſequè à Pontifice, Chiſiaquè domo ſpretum putaret, Regem incendit contrà Chiſios, & Alexandrum. *Facinus accuſabat non fortuitum, ſed datâ operâ patratum imperio eorum, qui Gallis infenſi Regi non ſolùm omnia negabant, ſed inofficiosè agentes, ipſius Oratores coniugem inviſere fuerant dedignati. Malignitatem conſilii ſatis apparere ex lege impoſitâ (ineunte* A *Auguſto) occidendi Gallos, ex quacumquè occaſione querelas: & Nuntius ipſe* Piccolomineus *Pariſiis accuſando Gallorum inſolentiam, à quibus exarmati fuerant quatuor vigiles, palàm adiiciſſet*, non alios paſſurum Papam Romæ Dominos. Propterea abundè proviſum, nè inpoſterùm ſimilia contingerent. *Conſultò etiam, non fortuitò facinus apparere patratum die 20. Auguſti; ex pœnâ quatuor illis excubitoribus illatâ, exauctoratoquè decurione eâ de causâ, quòd militibus interdixiſſet tormenta explodere. Sic die 20. Auguſti, tres milites Corſi à Cardinali Imperiali correcti, quia à Gallis iniuriam prætermiſiſſent illatam. Publicam Oratoris Domum in obſidione poſitam, & familiam cibariis prohibitam, vel malignè oblatis, fame coarctatam. Marium Pontificis fratrem Corſis ad curiam evocatis ſtragem mandaſſe Gallorum. Delinquentibus ſpatium, & facultatem indulſiſſet fugiendi. Ducem Cæſarinum male habitum, ſolummodò quia Gallis propenſum. Omnia conſtare ex depoſitione delinquentium, qui Florentiæ exprobrati ſe excuſarunt, omnia de mandato patraſſe Dominorum.*

His reſpondebant Romani, omnia negando. Laniones, & Panificos iuſſos quidem aperire quantum panis, & carnium Gallis venderent, vt numerus ſupputaretur coeuntium, non prohibitos panem ſubminiſtrare, vel carnes. Teſtes falſa depoſuiſſe auro corruptos ab eis, qui in Sedem Apoſtolicam Regem concitabant. Cum igitur nulla ſpes appareret reconciliationis; cum Hiſpanis Galli convenere primùm, vt per Inſubriam aditus pateret eis in agrum Pontificium. *Petrus Baſadonna* Venetorum Orator, Cardinalis Aragonenſis, Orator Hiſpanus, Dux Etruriæ Pontificem vrgebant, nè perendinationibus Gallos magis concitaret, ſed ſincerè offenſis conſuleret; nè pari calliditate, & ferociâ à Gallis expugnati, vltimã C cogerentur ſubire fortunam. Crequius enim Maſſiliam receſſerat proteſtando, *niſi* Marius *Frater Pontificis Senis relegaretur*; Flavius *Cardinalis Pariſios veniret ſupplex*; Cardinalis Imperialis *purpurâ exueretur Cardinalitiâ*; *Corſica natio Romà deportaretur, in Foro Farneſio Pyramis erigeretur ad infamiam facti*; *Farneſiis Caſtrum*, *Eſtenſibus Comaclum reſtitueretur*; *irruptio expectaretur in agrum Pontificium*. Hoc autē non tàm in vindictam iniuriæ ſibi illatæ, quàm vt repulſam Galli redimerent, & Hiſpani, quibus contradicentibus *Alexander* Caſtrum Iuriſdictioni adiecerat Apoſtolicæ. Suſtinuit Pontifex conſtantiam pro viribus, paratus vitam exponere, & imperium pro iuſtitiâ, & dignitate nominis Apoſtolici. Homines ſi ei deficerent, legiones imploraturus Angelorum. Increpabat acriter, quòd ab Eccleſiæ capite, & paſtore Principũ Rex conaretur exigere prò caſu fortuito, quod ipſi D non ſolverent proditores; quùm à barbaris catenis vincto Legato ſuo, iniuriâ neglectâ legationem ornabat ad Turcas quaſi ad amicos. Galli autem, quià Cardinalē Imperialē abdicato Romano regimine, *Alexander* in Flaminiâ legaverat; interpretati in prœmiũ facinoris, munere ditiore rependi, per Ianuēſes ſaltus ſex millia peditũ, & duo millia equitũ immiſerunt, vt caſtrameti in ditione Parmenſi, tubę ſonitũ expectarent. Pontifex vt Gallos placaret, *Flavium* nepotē Cardinalem legatum declaravit à latere, vt Pariſios pergeret. Cardinalis Imperialis Legatione depoſitâ in Liguriam receſſerat, vbi literis plenis obſequio ſe inſcium oſtentabat facinoris. Collegium Cardinaliũ epi-

epiſtolà non diſſimili cauſam iuvabat communem. Hęc quia ſerò propoſita Regem magis concitabant, nè parceret, vel acriùs vindicaret. Brevibus propterea receptis, quæ Regi obtulerunt Veneti, & Sabaudi, alia reiecit. Pro Imperiali aures negavit; hinc Ligures timore correpti eiecerunt eum extra civitatem. Sacro Cardinalium collegio reſpondit minùs honeſtè. Avenionenſes arreptà occaſione diſſidii abiectis Ecclesiæ inſignibus, eiecto *Laſcaro* Gallica crexerũt Lilia. Vrbẽ Rex in depoſitũ ſuſcepit, quouſq; Caſtrũ Pontifex reſtitueret. Decrevit tunc *Alexander* cõfinia firmare 20000. peditũ, 2000. equitũ, ultrà cohortes externorũ, quos in Germaniâ Cæſare permittente conſcribi mandaverat. Pecuniam etiam coacervavit ad ſummam nummorum 1500000. Aliã recepit ad uſuram; aliam exegit à Regularibus Italiæ ad ſummam nummorum 300000. Cæſari, Hiſpano Regi, Venetis vim ſibi inferi exponebat, ſuppetias poſtulans, & militibus tranſitum. *Leopoldus* Imperator omnia promittebat, fovebatquè. Veneti, Hiſpani officio gravi pacem ſuadebant; hanc pietate quæreret, religione, non armis. His victus *Alexander* Cardinali *Aragonenſi* ſcripto promiſit, pro Caſtro, & Commaclo ſe Farnenſibus, & Eſtenſibus iura redditurum. Volebat Rex à Mediatoribus non ſolùm cauſam cognoſci, ſed finiri Hiſpanis, & Venetis conſentientibus, licèt inconſulto *Alexandro*, qui ut daret rumoribus tempus, miſit ad colloquiũ Cardinalem *Raſponum*, Crequio non ingratum. In confinibus Sabaudię cõvenere *Raſponus*, *Crequius*, *Grimanus* Venetus & *Turriesa* Hiſpanus pacis miniſtri. Prò Mutinẽſibus, facile fuit paciſci. Parmenſibus cũ negaret Raſponus *liberũ eſſe Põtifici, ſpretis anteceſſorũ legibus, Caſtrum iam Petri adiectum patrimonio, ſeparare*: Iudicium eſſe *inſtruendum coràm* Rotà Romanà, *vel Cardinalium Congregatione, ut ius fieret Montiſtis*; re infectà diſceſſerunt. Ad pacem tamen propendere videbantur Galli; cum miſerabilis videretur omnibus cauſa Põtificis; vel inutilis foret victoria cuius ſpolia eſſent vi, vel pietate reſtituenda. Propterea Rex *Ludovicus* Italis, & Hiſpanis palàm faciebat, ſe minimè inhiare Caſtro, nec ſe pecuniam pro redemptione daturum Parmenſi; hoc unum in voti habere, ut intra tempus legitimum facultas daretur Parmenſi, Caſtrum redimendi ære ſuo. Conveniebant in hoc articulo Cardinales, exceptis *Corrado*, *Pallavicino*, *Pallotà*, qui vim vi repellere, liberè ſuadebant. Conſilium Eccleſiæ ſanè honorificum, ſed familiæ odioſum, & inutile. Turcarum in Cęſarẽ irruptio *Alexandrũ* impellebat ad novũ colloquiũ, proteſtãtibus Hiſpanis, ſe à Gallo nõ diſſẽſſuros, ni Põtifex reconciliaretur. Acceptà ergò liberà Cardinalis *Raſponus* facultate; An. 1663. Piſis conveniens cum *Aloiſio Burlemontio* Gallo Rotæ Auditore Romanæ, ſequẽtibus ſubſcripſit articulis. *Permitteret Papa cum Collegio Cardinalium, ut intra octo Annorum ſpatium Dux Parmenſis redimeret Caſtrũ ſolutione faciendà Camera Apoſtolica, nummorũ 1629750. In causà Mutinẽſi, Romæ in ſe ſuſciperet MontẽEſtenſem nummorũ 300000 & ultra fructus elapſos ſolvendos, numeraret etiam nummos 40000. vel Romæ Palatium concederet Mutinenſibus, ac titulo iuris Patronatus Abbatiam Pomposę, & Bondeni Duci permitteret Mutinenſi.* Cardinalis Chiſius *tanquam Legatus à* Latere *Lutetiam pergeret, ut factum excuſatione purgaret. Gallorum fœderatis plena fieret indulgentia. Cardinali Imperiali pariter permitteretur ingreſſus in Galliam, ut ſe expurgaret.* Marius *Romà egrederetur, & ab eà longè degeret, donec Legatus Apoſtolicus Lutetia Pariſiorum admitteretur ad præſentiam Regis.* Marius *ſcripto affirmaret, ſe inſcio, Gallis inſultaſſe Corſos. Idem Brevi Apoſtolico confirmaret Papa.* Auguſtinus *alter nepos Pontificis Duci* Crequio *occurreret redeunti, eumque certiorem faceret ingemuiſſe Pontificem, diſcrimine cognito. Idem faceret erga uxorem* Crequii *Ducis fratris neptis Pontificis. Corſica natio declaretur indigna ſervitio Apoſtolico, non ſolùm Romæ, ſed in totà ditione Pontificià. Erigeretur Pyramis in foro Farneſio ad perpetuam facti memoriam. His ritè obſervatis, Comitatus* Avenionenſis *Pontifici reſtitueretur. Die 12. Feb.* An. 1664. Inſcriptio Piramidis

Pax reintegratur cum Gallis.

Pacis conditiones.

Piramis in Corſos erecta.

In Execrationem damnati facinoris contra E.D.C. *Crequium Oratorem Regis Chriſtianiſſimi à militibus Corſis XIII. Kal. Septembris Anno M.DCLXII. patrati Corſica* Natio *inhabilis, & incapax ad Sedi Apoſtolicæ inſerviendum ex Decreto Iuſſu SS.* D. *N. Alexandri VII. P.M. ediso in executionem Concordiæ* Piſis *inita ad perpetuã rei memoriã declarata eſt* An. *M.DCLXIIII.*

21. *Lithiaſim* morbo ſæpè conflictatus Alex. VII. poſt invictà Chriſtiani animi fortitudine, obdormivit in Domino; in Vaticano ſepultus tumulo temporario. Eius ſollicitudinem præcipuè indicant pugilares, & commentarii, in quos omnia referebat, ut miniſtros ad ſe redeuntes de iiſdem rebus interrogans, in officio contineret.

Officiũ Subdiaconorũ tollit.

Officium Subdiaconorum Apoſtolicorum in ſacello Pontificio, quod nullo perſonarum delectu, venale erat, abolevit: eoquè miniſterio inſignivit S. Rotæ Romanæ Auditores, tributo colore violaceo, & ſportulis Palatinis. Tribus Vrbis Baſilicis in ſacello Pontificio locum dedit; ſingulis ſingularum Canonicis ſacro Pontificio miniſtrare iuſſis, quos Prælatorum inſignibus, & Palatii familiaritate ornavit. Cardinalibus, qui in ſuorum funere, veſte utebantur attratà, eum id parum è tanti ordinis dignitate videretur, interdixit, quæ paſſim in Vrbe, & extra Vrbem occurrunt ædificiis excitatis ab *Alexandro VII.* appoſitæ ſunt.

Damnat matrimoniũ Santinelli cũ Ducisſà Ceri.

Moriens matrimonium nullum declaravit celebratum inter *Marchionem Santinellum*, & *Duciſſam Ceri*. Inhoneſtum cum Roma accuſaret ob diſparitatem natalium. Pontifex damnavit ut clandeſtinum.

Creavit Cardinales 38. de quibus dicam ſuo loco.

Scripſerunt de Alexandro VII. Card. *Sfortia Pallavicinus*; *Baptiſta* Nanius; *Andreas Valerius*; *Bruſonus*; *Galeacius Gualdus*. *Franciſcus à S. Auguſtino Macedo*; Auguſtinus Favoritus *laudavit in funere*.

CLEMENS NONUS
PONTIFEX ROMANVS CCXL.



NOva Rachel plorans filios ſuos, & nolens conſolari, quia non ſunt inter *Innocentes*, qui Martyres ceciderunt prò Chriſto; Clemens eſt IX. qui ex dolore obiit, cum audiſset à Turcis occupatam Cretam, ſalvo *Vincentio Roſpilioſa* nepote ſuo, quem miſerat in ſuppetias.

De inſignibus Roſpilioſis vide Fr. Franciſcum à S. Auguſtino *Macedo* in panegyrico ad Clementem IX.

Eligitur Anno Sal. 1667. die 20. Junii. Obiit Anno Sal. 1669. die 9. Decemb. cum ſediſset An. 2. Menſ. 5. dies 19. Vacat Sedes uſquè ad diem

---

ELOGIVM.

Anni Sal. ICl. 1667 1. Mundi calamitas.

PRovidentiam [a] ſuſpice non prudentiam
In creatione, & adminiſtratione [1] *Clementis*;
Romã cũ premerent inopia, dolores, ærumnæ;
Ex Cretà Turcæ imminerent Italiæ;
Pax ipſa ſuſpecta Germaniæ:
Doctrinis diviſa Gallia
Luſitania in bello timida, ſinè paſtoribus mœſta
Ambigua ſub anxio Rege Polonia;
Orbis ipſe diſſonaret ab Urbe;

Anni Sal. ICl. 1667. I.

A Iulius Curiam ingreditur affecto corpore,
De ſalute magis, quã de exaltatione ſollicitus [a];
Cõvenère in eo Patres, quaſi cõvenirẽt in Deo.
Cæſarem nè redoleret cæſo natũ matris utero,
Ex Iulio *Clemens* dici maluit.
Cuius ſymbolus *Pellicanus* pectus eviſcerãs roſtro;
Quòd aliis, non ſibi Clemens.
Hinc oblatà Annonà, ablato Vectigali,
Seniores in vota vocavit

Vt

Anni Sal. Cl. 1667.11 Ut aberrantem redarguerent inconſtantiæ.
Die electus *D. Sylverio ſacrâ;*
Hunc ſibi propoſuit conſtantiæ magiſtrum
Notatis miſſilibus,
Conſtantia Silverii ad imitandum propoſita:
Ut in eum actio foret popularis.
Cęlavit [5] plura: nomen autem celavit.
Ut põpã fugeret, etiã ſua adſcripſit *Alexandro*.
In monimentum hoc ſibi parato monumento,
Ut ex ſolio in ſolo iaceret,
Communi contentus Terræ [6] ſepulchro.
Humi adhuc laterent magni cineres;
Ni Clementi IX. Clemens X. iuſta feciſſet.
Verè paſtor pecus tondens, non populos,
Quæſivit lanam, [7] & linum,
Artem Lanificii inſtituit Romæ. *Vt Roma operaretur conſilio manuum ſuarum.*
Refloruit ſic in Urbe ars illa ruralis,
Sinè quâ ſylveſcunt urbes.
Familia [8] nè gravaret Rempublicam,
Opera non opes teſtes reliquit Pontificatus,
Pietatem, Religionem [9], Clementiam.
Frequens in templis pars ipſe templi
Sic Cęlum pulſabat precibus,
Ceu claves illius non haberet.
Divina pati videbatur, cum ageret. (mines
Partes hominis apud Deũ agens, Dei apud ho-
Ita aures [10] accomodabat, ut miſeris ambas aperiret
Sollicitudine præveniens miſerias, inquirebat, ut tolleret
In pupillis pupillos, in genu egenos
Manu ferens, cum eis pedes ablueret,
Noſocomia [11] *Xenodochia* frequentavit ut hipocauſtum
In quo dietim convivas peregrinos voluit;
Iuſtitia eius in foribus:
Faciliùs erat citare iudicem, quàm debitorem
XII cũ ſint horæ diei; noctẽ ipsã feriari haud paſsus,
Tribunal aperuit etiã in tenebris, & umbrâ mortis
Litigantes cũ non eſſent; audiebat [12] pęnitentes,
Et fatigatus ſedebat ſuprà fontem
Horâ ſemper quaſi ſextâ,
Quà Samaritanam venatus eſt Chriſtus.
Poſt meridiẽ deambulabat in cryptis Martyrũ
Ubi ſæpè eum convenientes [13] Hæretici,
Revertebantur percutientes pectora ſua,
Ex clementià iuſtitiã arguentes Sedis Romanę.
Doctrinæ inimicus, quæ nõ ſaperet antiquitatẽ,
Novas ut nothas reſpuens, & ignotas,
Fidẽ ſolvit nõ tam à vitio, quàm à ſuſpicione,
Cũ *Auguſtinũ Hipponenſẽ* ſegregavit [14] ab *Ipprẽſi.*
Sic liberavit
Galliã à tumultu, Hiſpaniã à metu; Germaniã à periculo
1668.12 Oves Luſitanæ [15] Añis 30. nec aditæ, nec auditæ
Vocẽ audientes Paſtoris balarũt, nõ bellarunt.
Sex luſtris cum pulſaſsent ad oſtium foris,
Vix Clemens appulit, quòd aperiit

A Nè claves Eccleſiæ ſubiicerentur Cęſaris clavo. Anni Sal. C
Irarum plenus effudit in [16] Turcas,
Quorũ arma idem eſt, Cretæ, vel Romæ geri. 1668.12
Veneti rem agunt Catholicam, cum agunt ſuã:
Copiis proindè iuvandi Romanis.
Volebat ipſe ad Reges tabellarius pergere,
Nè in Marco etiã Petrũ proderẽt magiſtrũ eius,
Galli [17] primi ſingulari portẽto acciniere Leoni.
Immò in Leones cõverſi Marco dedere manus,
Tam concordes, ut exuiſse videantur & nomẽ.
Clemens auro, claſse, Nepote dicatis,
Pugnabat conſilio, auctoritate, pietate.
Tanto labori non defuiſset triumphus,
Si eadẽ Superis, quæ Mortalib9 mẽſura fuiſset. 1668.12
B Eà die Gallus militarẽ deſcendit in pulverem,
Quà Metellus iniit domitæ Cretæ triumphos.
Proh quanto diſcrimine!
Virtus, & Fortuna, quę Romanũ erexerũt imperium
Altera ut Cretam aſsereret, altera ut perderet,
Contendiſse videntur.
Invidit, & incubuit Fortuna Virtuti
Placuit Gallis, in partem noctem aſsumere,
Nè inſidiis pugnare dicerentur adverſus Lunam.
Par ingentibus auſis aridebat eventus,
Ni Turcarum, vel Furiarũ facibus accenſus nitratus pulvis
Belfortium preſſiſset veriùs, quàm viciſset.
O Faces verè ſepulchrales!
Quę infauſto pulvere victoriã tumularũt adultã.
C Vltra Fata ſors ſæviit, cadaver occulendo;
Nè tanti ſceleris teſtis ſupereſset.
Orbis totus ei tumulus, cui urna defuit;
Cęloquè tegitur, cui Mors vitam,
Raptoquè corpore abſtulit ſuprema ſepulchri.
In cretam hoc uno ictu concidit Creta:
Unoquè in *Belfortio* Gallorum fortitudo.
Regnum Annos habens 25 in infirmitate ſuâ,
Ad Galli cantum expiravit.
Ludouicus [18] verè *Iuſtus* nè cõſpiraſse videretur,
Redeuntem *Navalliam* ducem expeditionis,
Inauditũ, & indefenſũ relegavit in campeſtria.
Clemens [19] lachrymari non deſtitit,
Donec per oculos animam efflaret,
D Spirans cædis, atquè minarum in nepotem 1669.13
Vincentium Roſpiglioſum,
Quem in creatione octo Cardinalium,
Quos creavit, quando luctabat cum Morte,
Non præmiſit, ſed prætermiſit.
Ut pullatus nænias caneret illius Regni,
Quod crudelis antè obitum dereliquerat.
In hac nobili urnâ
In quâ ultrà 150. milliones auri,
Sepulta ſunt centũ millia militũ, vel martyrũ,
Noluit conſolari *Clemens*, quia non eſset.

Clemẽtis IX. natalia.

Studia.

Liberalis in pauperes.

1. CLementis, qui anteà *Iulius Roſpigioſus*, natione Italus, Piſtoriinatus An. Sal. 1600. Die 27. Ianuar. ex *Hieronymo Roſpigioſo*, vel *Roſpilioſo*, & *Catherinà* Piſtorienſibus patritiis, operam dedit in Romano Collegio liberalibus ſtudiis, ac Philoſophiæ ſub *Famiano ſtradà*. In Piſanà deinde Accademià, Cæſarei, Pontificiique iuris curſu peracto, laureà doctrinæ mores exornavit, in pauperes præcipuè munificentià, quà imbutus fuerat in educatione maternà. Si quis enim Iulio adhuc puero aliquid ſuadere volebat, hac unà ratione impetrabat, ſi obedientiæ præmium, nummos propoſuiſſet pauperibus erogandos. Romam reverſus, & in Antonii Barberini Cardinalis familiam adſcitus, literatos coluit, à quibus pariter cultus magnam apud omnes excellentis ingenii famam eſt conſecutus, ob ſingularem elegantiam, & nitorem in Etruſcà Poeſi, præſertim Drammaticà, in quà novo ſcribendi genere, Chriſtianæ pietati inſtillandæ ſemper intentus, Græci Cothurni gloriam æquaſſe creditus eſt. Quare ab *Vrbano VIII.* Pontifice, in his quoquè literis maximo, liberaliter, & magno in honore habitus, utriuſquè Signaturæ Referendarius creatus fuit, ac Secretarius Congregationis ſacrorũ Rituum: mox Canonicus, & Vicarius Liberianæ Baſilicæ, Iudex à latere legationis Avenionenſis, ab epiſtolis ad Principes Pontificio nomine ſcribendis, ſummi Pœnitentiarii Sigillator; ac demùm Tarſenſis Archiep. in Hiſpaniam legatus eſt Nuntius. Vbi non ſolùm Sedis Apoſtolicæ iura, dignitatemquè in graviſſimis caſibus, qui *Innocentio* X. P. M. acciderunt, præclarè ſuſtinuit, ſed Regis illius animum ità ſuæ virtuti devinxit, ut à Regià liberalitate annuam, ac perpetuam quatuor aureorũ millium penſionem Baſilicæ Liberianæ impetraverit. Diſcedenti inter cętera amoris ſui pignora Regiã ad Cardinalatum commendationem iteratò obtulit. Hanc tamen eàdem virtute, quà meruerat, recuſavit. Mortuo *Innocentio* X. unanimi Cardinalium conſenſu electus eſt Gubernator Vrbis, Interregno durante, quo electus *Alex. VII.* ab arcanis voluit, ac biennio poſt Presbyterum creavit Cardinalem S. Sixti, habuitquè ſucceſſorem die 20. Iunii Anno 1667. unanimi nationum plauſu, (Gallis ipſis convenientibus, licèt Nuntium apud Hiſpanos egiſſet Apoſtolicum) poſt 16. dies ab ingreſſu conclavis, poſtquàm divinà Providentià, à morbo convaluiſſet lethali, ac ſeptuagenario maior invidiam reliquis ademiſſet ſenectute. Aſſumpto ſymbolo, *Dominus poſſeſſio mea*; in publico Conſiſtorio ita dicitur perotaſſe. *Primum agimus, ac ſemper acturi ſumus humillimas gratias Omnipotenti Deo, qui noſtram humilitatem reſpexit ſuprà meritum, ſuprà votum. Deinde ut Leonis M. verbis utamur, veſtra quoquè humanitatis arbitrium debità gratiarum actione concelebramus, qui nullis præcedentibus meritis tale de nobis iudicium protuliſtis. Hinc imbecillitatis Noſtræ gemina exoritur in tanti oneris diſcrimina ſubſidii ſpes, altera ex præpotentis Dei patrocinio, ex conſilio veſtro altera. Certum enim eſt, Nos non modo agere non poſſe aliquid, ſed nè cogitare quidem à nobis, tanquàm à nobis metipſis, ſed omnem ſufficientiam noſtram eſſe à Deo, Ideoq; gaudemus freti hac ſpe fore, ut clementiſſimus Dominus, qui ad oſtendendas divitias Omnipotentiæ ſuæ vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea, quæ ſunt, Nobis abundè impertiatur eam divini Spiritus auram, quà fœliciter in tot ſæculi fluctibus Eccleſiæ navim regamus. At nunquàm navis regitur à ſolo nauclero. Prævidere is poteſt pericula, curſum ordinare, vela inſtruere, ſed eget conſilio, & ope multorum. Igitur veſtra conſilia Nobis eſſe perquàm neceſſaria intelligimus, nàm ex Oraculo Spiritus Sancti, ubi multa conſilia, ibi ſalus, ideoquè uti par eſt, vos in conſortium laboris advocamus. Communis erit omnium noſtrum in Cælo merces, ſi in Eccleſiæ rebus adiuvandis communis fuerit labor. Et veſtra intereſt, nè Chriſtiana Reſpublica iudicio veſtro in Nos eligendo inter tot ſapientià, virtute, atquè experientià præſtantiſſimos Patres fraudatam ſe cõqueratur. Nos certè non facimus animam Noſtram pretioſiorem, quàm Nos, nec refugimus laborem aliquem, qui ad Noſtri miniſterii partes adimplendas cõferri poſſit. Hoc animo, divinà favente clementià, veſtriſquè coadiuvantibus virtutibus, quas Nobis nunquàm defuturas ſperamus, libenter humeros quamvis longè impares tanto oneri ſubiicimus.* Adſcivit Secretarium Status Cardinalem *Decium Azolinum*, cuius operà (ita *Nanius*) Cardinales convenerant in electionẽ Clementis; & in Datarium *Petrum* *Cardinalem Ottobonum*. Qualis eſſet Eccleſiæ ſtatus? deſcribit Fr. Franciſcus Macedo in ſuo *panegyrico ad Clem. IX.* unde pars

Clementis oratio ad Cardinales.

Status Orbis.

2. *Providentia* conſtet in creatione Clementis. *Premebant Romam* (ita Macedo) *anguſtia rei familiaris, irrepſerant miſeria, ærumnæ, dolores. Italia urgebatur metu Turcæ hoſtis internecini Cretam oppugnantis, & obnoxia victoris armis Italia imminentis (die morientis Alexandri VII. Turca Creta obſidione cinxerat) Germania vicinorum hoſtium undiquè circumſtantium, nec poſt initam pacem ſatis fidorum terrore afficiebatur. Gallia cùm foris bellis, tum domi diſſenſionibus ob diverſa doctrinarum ſtudia tumultuabatur. Hiſpania partim factionibus, partim bellis civilibus ardebat. Luſitania & cum timore bellabat, & ſine Paſtoribus marebat. Polonia ſub Rege anxio, & animi ambiguo fluctuabat. Quanto Pontifice opus erat, adhuc mala, quæ univerſam Chriſtianam affligebant Rempublicam, vel expellenda? vel opprimenda? &c.*

Symbol. Clem. IX.

3. *Pellicanus*. A Clementià, & charitate exorſus Clemens Pontificatum, laxavit annonam, ac magni momenti vectigal, quod olim rei frumentariæ impoſitum fuerat remiſit, utquè ſpem faceret liberaliſſimi Principatus, *Pellicanum* monetis ſuis incidi iuſſit, roſtro pectus eviſcerantem cum hac epigraphe, *Alit non ſibi Clemens*. Avis hæc Ægyptia dicitur roſtrorum colaphis occidere parvulos ſuos, ac lugere per triduum. Poſtremo dicunt matrem ſeipſam graviter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi perſuſi reviviſcunt. *Ælianus l.* 15. Hiſce votis Orbem Clemens excitavit univerſum. Verũ cũ ſoleant Principes, ubi imperia auſpicantur, multa, ac præclara de ſe polliceri, quæ refrigerato paulatim ſpiritu, ac curis humanis involuti exequi poſteà negligunt; nè quid ſibi ſimile contingeret, excitatam de ſuo in Rempublicam animo expectationem magnis fidei, atquè exiſtimationis ſuæ vinculis adſtrinxit. Vocatis namq; ad ſe ſenioribus Cardinalibus, quæ aggredi, à quibus abſtinere decreverat pro vindicandà Sedis Apoſtolicæ reverentià, & ve-

teri

ceri inſtaurandâ diſciplinâ, ſignificavit; ut dedecoris ſui teſtes haberet, ſi fidem feſelliſſet. Hinc cum die

4. *Sylverio* Romano Pontifici ſacrà (quæ eſt XX. Iunii) Pontifex renunciatus fuiſſet, eundem in exemplum conſtantiæ, ac magnanimitatis ſibi propoſuit; percuſſo nummo, quē habes n. 2. *Sylverius* namq; exilium, ærumnas à Beliſario Theodoræ Imperatricis iuſſu ſibi inflictas (quia Eutychium hæreſi infectum, & ideò à ſede Conſtantinopolitanà, cuius Patriarcha erat, eiectum, in priſtinam reſtituere dignitatem renuiſſet) æquo animo perpeſſus eſt. Eſt 3. nummiſma, in quo imago Romana, cuius in manu fruges, & fructus cum epigraphe. *Signum Clementia monſtrabit*. Coronatus eſt Clemens die 3. Iulii, quà poſſeſſionem adiit Eccleſiæ S. Io: Lateranenſis., per agnum deſignatæ in V. nummiſmate, cuius epigraphes: *Ipſe Dominus poſſeſſio eius*. Congregationem poſteà inſtituit, cuius cura eſſet ineundæ rationis, quà ditionis Eccleſiaſticæ populi oneribus levarētur, atquè tributis, quæ vires excedebant. Commertium reſtituit inter provincias, iam pridem magno populorum incōmodo interclusum. Ipſe eſt, qui cubiculis (in quibus haberi ſolent Congregationes) perforato pariete feneſtellas induxit, ut à nemine viſus, Patrum diſceptationibus intereſſet, eorum vota fideliùs hauriret, & iuſtiùs. Pręſente namq. Pontifice erubeſcerent amicis præſidio eſſe, non veritati. Congregationem pariter inſtituit, in quà Sacrarum Indulgentiarum, & Reliquiarum materies, & huic ſimiles, iuxtà S. Canones diſcuterentur.

D. Sylverii cōſtantiā aſſumit ſymbolum.

5. *Calavit plura*. Cretico licèt implicitus bello, maximiſquè gentium curis, res tamen non neglexit Vrbanas. Primis namquè diebus Pontificatus liberaliter laxatà Annonà, ſublatoquè vectigali, quod graviſſimum populo erat, eà animi magnitudine conſcribi iuſſit edictum, ut nulla eſſet memoria nominis ſui, ſed Alexandri VII. prudentiæ relinqueretur, qui pecuniam in id magnà parte reliquiſſet. Idem fecit in ſumptuoſiſſimo periſtromate, quo interiores Vaticani Templi parietes in ſolemnioribus veſtiri ſolent, quod ab *Alexandro* incœptum, ipſe ad totius Templi ambitum perduxit. ſtellis, montibuſquè contextum Chiſiæ gentis. Hæc quidem pauca de multis in deceſſorem ſuum grati animi indicia fuere. Excelſæ indolis argumentum eſt reparatio Pontis Ælii, & ſignis præſtantium artificum magnificè exornati, cui nullū vel nominis ſui, vel Roſpiglioſi ſtemmatis monimētum incidi permiſit. Adeò gloriæ fuit contemptor humanæ, ut nè mortuo quidem ſibi ullum erigi ſepulchrum permiſerit, relictà breviſſimà epigraphe à ſe ſcriptà (quæ vix nomen, & dignitatis ſuæ titulum indicabat) ut rudi marmori in pavimento Liberianæ Baſilicæ adſcriberetur. Omnia tamen abundè ſupplevit *Clemens* X. ut publico voto, ac poſteritati conſuleret, inſcripto Clementis IX. nomine ſtatuæ baſi ad exitum Pontis Ælii, quem Clemens IX. non ſolum reparavit, ſed variis ſtatuis, ac ornamentis reddidit nobiliorem ut ex inſcriptione ibidem appoſità per Clementem X.

Annonā curat.

Gloriā fugiens, opera ſua ſignat ſtemmate alieno.

Inſcriptionem ſibi præparat ſepulchralem

Clementi IX. Pont. Opt. Max.

Ælio ponte ad S. Angeli arcem angelorum ſtatuis redemptionis miſteria praeferentibus excultο, & ornato quòd ſinè eius titulo, & inſignibus Opus abſolvi ex animi moderatione mandaverit;

Clemens X. Pont. Max.

Vt beneficentiſſimi Principis memoria extaret; poſuit Anno M. D. C. LXXII.

Concordant nummiſmata XI & XII., in quibus Pons S. Angeli cum epigraphe, *Ælio ponte exornato*.

6. *Terra communis ſepulchro.*, cum in Liberianà Baſilicà corpus ſuum humari mandaſſet *Clemens IX.* Succeſſor eius *Clemens* X. loco magnifico, & eximię artis Mauſolæo cineres decoravit, ut videre eſt *infra; n. 19.*

Mauſolæo donatur à Clem. IX.

7. *Lanam* Lanificium, & cæteras rei veſtiariæ officinas, rem ſæpe laudatam, potiùs quàm tentatam, magno Vrbis compendio, & commodo inſtituere aggreſſus, operà Camilli fratris, quem cum filiis ad ſe invitaverat, ut in conſtituendo Vrbis ſtatu, & ſublevandis Pontificatus anguſtiis, eorum operà uteretur.

Lanificium inſtituit Romæ

Liberianam Baſilicam, ſeu S. Mariæ Maioris in abſide exteriori, ſivè in ſanctuario, columnis, ſtatuis, ac venuſtioribus ornamentis decorare meditabatur Clemens, ut patet ex XIII. nummiſmate, quod Baſilicam præfert Liberianam cum epigraphe, *Diligit Dominus decorem Domus Genitricis ſua*.

8. *Familia* Roſpiglioſa ita parcè, & moderatè habita eſt à *Clemente IX.* ut ſi præſentem eorum fortunam cum eà, in quà erant antè Pontificatum, compares; vix credi poſſit, è domo Roſpiglioſà Pontificem Maximum prodiiſſe. Modum in rebus ſervare ſecundis diſcant poſteri ab uno *Clemente IX.* qui oblatas fratris ſui filiis nobiliſſimarū cū regià dote virginū nuptias cōſtantiſſimè sēper repulit, etiā cum aulę indignatione inclamantis, *Iniquà ſeveritate ſuà nepotibus nō benefacere, ſed malefacere*. Clemētis nāq; votum erat, Romanæ Eccleſiæ mores ad veteris diſciplinæ normam redigere exemplo ſuo. Cœlū vota probaſse Clemētis, oſtendit morte *Thomæ Roſpiglioſi* ex fratre *Camillo* nepotis Pontificis. Nepotis obitū eà Clemens conſtantià ſubiit, ut eàdem die, quà cadaver efferebatur (Anniverſaria erat S. Mariæ ad Nives) lætiſsimum Vrbi ediderit ſpectaculum, eminente ſuprà mortalem ſortem animo Pontificio. Indicto enim Conſiſtorio Cardinales creavit *Ludovicum Manuelem Fernandez Portocarero*, & *Theodoſium de Turre Arvernia* Abbatem Gallum; quem ſolum publicavit, alterius publicatione in aliud tempus dilatà. Thomæ mortem tam graviter tulit Populus Romanus, ut ad leniendum dolorem, ſtatuam illi poſuerit in Capitolio S. C.

Conſanguineos non ditavit.

Reſpuit nuptias Principum. Quàm conſtanter tulerit nepotis mortem.

9. *Pietatem, Religionem, Clementiam* Clementis IX. abundè laudavit Macedo in ſuo panegyr. *Viget Religio, floret Pietas, regnat Clementia. Tu frequens in templis. Ingeniculatus oras, antequàm alii genu flectant. Sic Cœlum precibus pulſas, ceu claves illius non haberes. Tandiù perſeveras orando, ut videaris nullo urgeri negotio. Cum facis, nihil aliud tibi faciendum exiſtimas. Orando, petram te reddis immobilem, Petri ſucceſſor. Alligas te aris, qui ſolvis vincula. Intrà Eccleſiam es in centro: peripheriam habens ubiquè. Omnes tibi curas deponis curator omnium. Officii Divini penſum*

ita

ita reddis ut debitor: inſtas, ut creditor, & ſæpè in die apellas: nec niſi eo perſoluto quieſcis. Operaris divina tanto affectu, ut ardeas, tantà pietate, ut colliqueſcas; divina pati videris, cum agis. Sacrorum publicas functiones ſic obis, ut Pontifex Max. ſic iis interes, ut Monachus minimus: citò & aſſumis maieſtatem, & ponis. Nimirum cum facis, imperas: cum audis, obaudis. Silentium & ſervas, & indicis. Eccleſiæ Paſtor, intra Eccleſiam agis ovieulam præ reverentià nimirum propiùs ſentis Numen: cum tamen illud ubiquè geras. In locis ſacris hominem te tantùm eſſe meminiſti.

10. *Ita aures accomodabat*, &c. *Partes hominis* apud Deum (proſequitur idem Macedo) *Dei apud homines; beneficia diſtribuis: pluis eleemoſinis, iura dicis, leges ſtatuis, abſolvis inſontes, punis ſontes. Quacumq. hora miſer ingemit, illum audis. Nemo te interpellat, qui te apellat. Patent aures, & fores tuæ, uti Cœlum videntibus, ſupplicantibus. Agis in palatio Publicolam. Foras erumpis, & pateſcis. Aures accomodas, ita ut miſeris ad miſericordiam aperias: Litigantibus unam aperias, alteram claudas ad iuſtitiam: nam ſi uni ambas dares, iuſtum negares. Multis inauditis levamen affers: nemini inaudito infers gravamen*, &c. Bis in hebdomadà aditum præbuit cuilibet de populo, ut ad ſatietatem ſuas exponerent querimonias: undè ipſis præſidium, vel ſolatium, Magiſtratibus verò metus, nè ſi delinquerent, ad Pontificem deferentur. In hac onerosà occupatione, adeò patientem ſe præbuit; ut quàdam die cum plures horas audiendis, qui aderant feſſus, & exauſtus recederet, ad vocem præteritum ſe querentis, pedem illicò referens, iterumquè ſellam ingreſſus, ac ſi tunc primum auditum accederet hominem fari benignè invitaverit, & quantum licuit, lætum dimiſſerit. *Oldoinus*.

Quàm patiens audiret clamores pauperum.

11. *Noſocomia* ſæpiſſimè inviſebat, & ægrotis æger plerumquè miniſtrabat. Idem officium pauperibus exhibebat Religionis causà peregrinantibus, quos duodecim numero, in Palatio convivio reficiebat quotidiano: idq. ſingulis diebus, ubi per valetudinem liceret, eà pietate, ac ſtudio humilitatis Chriſtianæ, ut nõnulli hæretici honeſto loco nati, ſimulatà paupertate inter eos duodecim, quò propiùs rem cognoſcerent, diſcubuiſſent, veritate vincti inſperatà (errorem enim à parentibus, ac magiſtris propinatum cum lacte hauſerant, nihil ſuperbius fieri poſſe Pontifice Romano) hæreſim eiurarunt. Dum autem in quotidiano advenarum concurſu ad Vrbem peregrinantium, ſæpe fieret, ut nobiles iuvenes Tranſalpini à ſuſurronibus, ac perditis hominibus corrupti, vitia potiùs, quàm virtutes magno agnoſcerent Sedis Apoſtolicæ detrimento, curavit, ut per viros probatæ fidei excepti, omni humanitatis colerentur officio, futuri apud ſuos Romanæ Curiç teſtes, animoquè in Eccleſiam æquiore Catholicam. Huic negotio præpoſuit *Iacobum Elephantuccium* Ravennatem, quem morum ſuavitas, ac variis muneribus obeundis, exteris quoquè perſpecta virtus commendabat. *Ibidem*. Mandavit etiam, ut bis in ſingulos menſes, tribus in templis, quæ Romæ amplecterentur circuitum, hoc eſt S. Viti apud S. Mariam maiorem; S. Nicolai propè Cæſarinos; & S. Ægidii apud S. Petrum, à viris Religioſis pietate, doctrinà, ac idiomatum peritià claris, pauperes undiquè confluentes, myſteriis, & moribus ad Chriſtianam fidem ſpectantibus imbuerentur, ac largà donarẽtur eleemoſinà, quaterquè in ſingulos Annos, ſcilicet in Paſchate, S.S. Apoſtolorum Petri, & Pauli, B. Virginis Aſſumptæ, & Omnium Sanctorum ritè priùs confeſſi, ad S. Euchariſtiam accederent, diſtributis cuilibet cum Apoſtolicà benedictione ſacris nummiſmatibus. Quæ omnia cum maximo pauperum corporali, & ſpirituali beneficio, in hanc uſquè diem ſummà frequentià religiosè ſervantur.

Noſocomia viſitat.

Pauperes alit in menſa.

12. *Pœnitentes*. Confeſſiones publicè *Clemens* IX. Vaticano excipiebat in templo. Martyrum ſepulchra, aliaquè religioſa loca frequenter, & ſinè ullo adibat apparatu; undè

Publicè audit Confeſſiones pœnitẽtium.

13. *Hæretici* veluti naſcentis Eccleſiæ moribus reformati, magnà veneratione Romam adibant, ut Sacerdotem de Cœlo (aiebant ipſi) venerarentur delapſum. Hinc Comes Berthemienſis dominus regionis inter Amiſem, & Luppiam Hollandiæ amnes, Veſtphaliſquè conterminæ ſatis amplæ, & magnæ expectationis, eiuratà Hæreſi Calvinianà, fidem iuravit Catholicam: totuſquè Daventrienſis Comitatus olim Epiſcopatui ſubditus, Monaſterienſi addictus eſt, ſtudio, ac labore *Chriſtophori Bernardi* Epiſcopi Monaſterienſis, cuius gladio opus erat ad excolendos populos in religione Catholicà. Quandoquè armantur Epiſcopi ſinè iniurià Evangelii, ſi tamen pro Fide, non pro familià. Nobiles etiam Ducatus Moxovienſis in Polonià decretum ediderunt, quo pœna capitis infligebatur in hæreticos ſchiſmaticos, Ethnicoſquè niſi quàm primum aliò migraſſent, plaudente *Clemente* IX. literiſquè Epiſcopos urgente, & Archiepiſcopos illius Regni, ut res perficeretur. In Gallià *Turenius* vir primariæ nobilitatis, & rei militaris ętate noſtrà facilè Princeps, ſed hæreſi à puero innutritus, & impensè favens, in ſinum Romanę ſe recepit Eccleſiæ; ſic capite abſciſſo ſectę Calvinianæ. Ratisbonæ Germanica cum conveniſſent comitia, ac plura non tam Catholici, quàm Hæretici meditarentur adversùs auctoritatem Sedis Apoſtolicę; *Clemens* aſſiduis cohortationibus Catholicos excitando, pręcipuè *Guidobaldum Cardinalem de Thun*, Archiep. Saltzburgenſem, qui comitiis pręſidebat, omnia diſſlavit. Hęreticos Principes ita ſibi clementià ſuà devinxerat Pontifex: ut Clementis virtutibus allici viderentur ad veritatem Evangelicã. Mors tamen prępropera cuncta ſubvertit. Extant adhuc in regiſtro Romano literę Pontificię ad *Iulium Franciſcum* Saxonię, Angrię, & Veſtphalię Ducem, quibus eum ampliſſimè laudat, quià in eà regione fidem propagaret Catholicam. Zelo non minori Belgium ſervavit; cum ſubito Gallorum bello perculſis Hiſpanis perſuadere conabantur Hollandi, ut ſibi eam traderent Geldriæ partem, quæ inter Vahalim, Rhenumquè Hollandiæ contermina Regi adhuc ſubeſt Hiſpano. Cum enim Svecus miles pecunià eſſet conſcribendus, quę deficiebat Hiſpanis; Hollandi verò, quorum res quoquè agebatur, eam mutuò offerrent eà tamen conditione, ut Geldriam haberent in hypothecam, donec pecunia reſtitueretur: plures videbantur plaudere Hiſpaniç magnates, quaſi non aliter Belgium ſervari poſſet; niſi Borromęo interprete (qui Nuntium agebat)

Hæretici converſi.

Turrenius hæreſim abiurat.

Literę Papæ ad Iulium Saxonẽ.

acti-

acriter Clemens reſtitiſset, inclinatoſquè iam animos ad ſaniora traduxiſset conſilia: ac Reginam tantis vexatam diſſidiis domeſtici undè toti Hiſpaniæ imminebat naufragium; externiſquè Luſitanorum, Gallorumquè, qui victricibus armis ubiquè excurrebant liberè graſsante Turca & toti Italiæ ferociter imminente, erexiſset literis ſua manu exaratis ad Reginam, & ad ipſum *Auſtrium* paſtorali refertis conſilio, atquè prudentià, quibus diſcordiam compoſuit. Anteà etiam *Iacobo Camilli* fratris ſui filio tertium iam Annum Apoſtolici Internuntii munere Bruxellis fungente occaſione Ghiſiæ legationis Gallis ſatis noto iniunxerat, ut rediens in Vrbem in Galliam iter flecteret cultu privato, Regem adiens *Ludovicum* (quem fortuna proſpera duriorem ad pacis ſtudia factura videbatur) perquè ſua avitæ pietatis decora precaretur, nè tempore tam neceſſario Chriſtianæ deeſset Reipublicæ: ſed cohibito paulìſper armorum curſu, antequàm largiùs imbueretur Chriſtano ſanguine, æquis conditionibus tranſigi vellet diſceptationes ſuas: omnẽ eius rei curam Clementem pro paſtorali munere libenter ſuſcepturum, & ſi res poſceret, ipſum in Galliam, aut quocumquè terrarum perpetrandi præclari operis ſpes invitaret, affectà quamvis ætate, & attrità valetudine, haud gravatè verſurum. In eandem ſententiam primis diebus Pontificatus ſui, ad utrumquè Regem literas manu ſuà diligentiſſimè ſcripſerat, nullumquè apud eos, quos rei aliquo modo iuvandæ idoneos putabat, paternæ cohortationis officium omiſerat. *Roſpilioſus* patrui impigrè mandata executus flexit animum Regis, iecitquè fundamenta præclaræ illius amicitiæ, quæ inter *Ludovicum*, & *Clementem* interceſſit toto tempore huins Pontificatus. Securus ergo Clemens de egregià Regis in ſe, ac Chriſtianam Rempublicam voluntate, Nuntios extrà ordinem pacis componendæ causà legavit, *Petrum Bargellinum* Thebarum Archiep. ad Ludovicum; *Federicum Borromæum* Patriarcham Alexandrinum ad Reginam Catholicam; *Galeatium Mareſcotum* Archiepiſcopum Corinthi ad Cæſarem; cum paulò antè *Auguſtino Francioto* Archiep. Trapezuntii Nuntio Apoſtolico mandaſſet, ut ex Colonià Agrippinà Aquiſgranum peteret, atquè comitiis de pace futuris, nomine intereſſet Pontificio. Galli namquè, Hiſpaniquè convenerant, ut totius controverſiæ dirimendæ *Clemens* ſequeſter eſſet: licèt enim in Hiſpanos propendere videretur, quod ibi Nuntius Apoſtolicus multa, ac præclara accepiſſet honoris, & benevolentiæ documenta; ea erat Clementia, æquitas, iuſtitia; ut Gallus non dubitaret habere caduceatorem. In medio ergo victoriarum curſu Gallus poſitis armis, Pontifici ità reſcripſit.

Iacobũ nepotẽ legat ad Gallos pro pace.

Se offert ad Reges pergens ad componendam pacem.

Beatiſſime Pater.

Galli Regis vota pacis.

Tabellarium, qui has noſtras literas S. Veſtræ reddet, citatis equis ad Vrbem mittimus, nè gaudium differatur, quod S. V. afferet pacis nuntius. Minimè dubitamus, quin Sanctitas Veſtra idem hac de re iudicium factura ſit, quod nos ipſi facimus, ubi ab Oratore noſtro Duce de Chaulnes omnia ſingillatim cognoverit, quæ heri cum Regis Angliæ, & Hollandicæ Reipublicæ Legatis acta hic ſunt, de quibus eidem Oratori mandavimus, ut Sanctitatem Veſtram diligenter edoceat. Interim verè affirmare poſſumus Sanctitati Veſtræ, quicquid nos opera impendimus, quicquid de noſtro iure remiſimus, ut graviſſimum iſtud opus ad ſtatum, in quo nunc eſt perduceremus reſpexiſſe in primis Sanctitatis Veſtræ voluntatem, quã probè novimus nihil in hac vita flagrantiùs cupere, quàm exitum huius belli. Et ſanè potiſſimum incitamentum, quo adducti ſumus, ut maximà cum noſtrà iacturà (ſi quà in fortunà res noſtræ eſſent, conſideretur) arma uſquè ad exitum ſequentis menſis inhiberemus; in eo fuit, ut Thebarũ Archiepiſcopi extraordinarii Sanctitis Veſtræ Nuntii poſtulatis ſatisfaceremus, cum is quatuor ab hinc diebus ad noſtram ſecretam audientiam acceſſiſſet: eius hac de re ſermo arma nobis de manibus excuſſit, in eo rerum, ac temporum articulo, quo videmur nobis ſine impudentiæ notà poſſe affirmare intra paucos menſes in poteſtatem noſtram conceſſuras fuiſſe præcipuas Belgii urbes fruſtrà obnitentibus, quicumquè adverſarios noſtros tueri voluiſſent. Sed nos dimiſſæ tam præclaræ occaſionis res benè gerendi, nunquàm pœnitebit, reputantes moderationem animi noſtri Pontifieatui Sanctitatis Veſtræ eam gloriam peperiſſe, quæ ſupra omnium Deceſſorum ſuorum memoriam ipſius nomen extollit: Cum Sanctitatis Veſtræ authoritas, ob venerationem, quam nos uni ipſius perſonæ hac in re detulimus, pacem inter omnes Chriſtianos Principes ſanxerit, quod ſanè multis ab hinc ſæculis Chriſtianæ Reipublicæ videri non contigit. Impensè interim Deum rogamus, Beatiſſime Pater, ut S. Veſtram Eccleſiæ ſuæ bono quamplurimos annos ſervet incolumem. Datum apud S. Germanum, Die 16. Aprilis 1668.

Sanctitatis Veſtræ Devotiſſimus Filius, Ludovicus Galliæ, & Navarræ Rex.

Paucos poſt dies, aliis literis filialis obſervantiæ plenis idem Rex *Clementi* ſignificavit, pacis conditiones in comitiis Aquiſgrani per eos dies latas, iam à ſe, & ab Hiſpaniæ Reginà ſcripto comprobatas fuiſſe. Ex hiſce literis ediſcant poſteri, nihil eſſe tam arduum, quod auctoritas Pontificia non impetret, ubi quærit, quæ Dei ſunt.

Pax inter Reges.

In palatinatu Superiori cum decem monaſteria S. Benedicti, aliorumquè Regularium, magnis dotata latifundiis, à *Ferdinando II.* Imperatore occaſione ſeditionis Bohemiæ erepta *Friderico* Comiti Palatino Maximilianus Dux Bavariæ obtinuiſſet ab *Vrbano VIII.* ad Annos 15. ut eorum fructibus pecuniam compenſaret erogatam in bello Bohemico pro incolumitate Imperii Romani; ſed 40. iam Annos in Bavari poteſtate poſita, fruſtrà reclamaſſent *Innocentius* X. & *Alex.* 7. vix operi *Clemens* IX. manum admovit, ut ſui quæquè Ordinis Religioſis, *Franciſcus Maria* Dux Bavariæ reſtituerit. Sic poſt Annos fermè centum, & viginti, quæ ab hæreticis occupata, priſtinæ reſtituta ſunt diſciplinæ.

Monaſteria recuperat è manu Bavari.

Gallos etiam Epiſcopos, qui aliquot iam Annos formulæ ab *Alexandro* 7. editæ ſubſcribere recuſaverant, ſuà flexit auctoritate, & ad Sedis Apoſtolicæ obſequium traduxit. Pari fœlicitate adegit *Harduinum de Pecefixe* Archiepiſcopum Pariſienſem ad reſtituendos, quos inconſulto Rom. Pontifice expunxerat feſtos dies. Omitto diſciplinæ ſtudium ad gentes ab Orbe noſtro ſemotas, & ſi Religionem excipias, immanes adhuc, & barbaras: inter quas *Iacobus Patriarcha Maioris Armeniæ*, Romanum quidem non abhorrens primatum, ſed Armenorum erroribus (quos Florentinum damnavit Concilium) de aquà præ-

Archiep. Pariſiorum flectit ad obedientiã.

Armenos conciliat.

prȩſertim in Miſſȩ ſacrificio non miſcendà, pollu- A
tus, monitus, & graviter increpatus, ritum libenter Romanȩ revocavit Eccleſiȩ. Bellum autem urgeret periculoſius ab

14. *Auguſtino Iprenſi*, ſivè *Cornelio Ianſenio*, cuius ſuſpecta doctrina tempore *Vrbani VIII* prudenter conſtricta nè ſerperet; revireſcens ſub *Innocentio* X. divinitùs repreſſa (ita Fr. Franc. à *S. Auguſtino Macedo, cit. paneg.*) *damnatis quinquè propoſitionibus, quibus eſt ſecuris iniecta iure aſſerto veritatis. Demum*

Corrigit errores Ianſenii.

ab Alexandro VII. optimè cautum, ut in auctoris quoquè ſenſu, hoc eſt Ianſenii condemnarentur; quod ad facti, (ut aiunt) quæſtionem pertinebat, unumquè ſupereſſet comprobandum, quod erat annexum cum iure: Fecit & hoc S.S. Clemens IX. Sed hic haſit aliquantam ſtudium quorundam doctorum hominum, & ſummà dignitate præditorum: non quod parere negarent Chriſti, quem agnoverant, & venerabantur, Vicario: ſed quòd timebant, nè quid adverſariis acres antagoniſtæ Ianſenii ex illà, uti iacebat, profeſſione iurata ampliùs, quàm mens erat Pontificia, ſibi aſſumerent: ac ex eo Catholicæ S. Auguſtini, & Thomæ doctrina detraherent. Nam cum liber ille Ianſenii Auguſtinus dictus eſſet, timebant multi pii, & Docti Auguſtini diſcipuli, ne damnatis Iprenſis Auguſtini, id eſt Ianſenii propoſitionibus, aliquid ſuſpicionis in Auguſtini tutiſſimam, & Eccleſiaſticam doctrinam redundaret. Nec vanum eſſe timorem putabant, ortum ex quibuſdam libris Antagoniſtarum, qui clam, & ſubtiliter auctoritatem Auguſtini tenuabant: eique quamvis multum ſpecie deferrent, id minùs tamen re præſtabant, cum catalogos ſubtexerēt ſententiarum quarundam Auguſtini minus apud doctos, aiebant, receptarum, ac de eo iactarent in rebus de Prædeſtinatione, & gratià per exceſſum fuiſſe loquutum: ac eatenus eſſe probandum quatenus cum Summis Pontificibus, & Eccleſià conſentiret: C
quaſi verò S. S. ille pater ab eorum placitis aliquando aut diſſenſiſſet, aut non conſenſiſſet. Hæc ſcripta anſam timendi dabant amantibus Auguſtinum, ne ſi quid minùs cauté curarent, ad eius perniciem verteretur. Nec mirari id, ò S. S. Clemens debes: nam Amantes omnia etiam tuta timent. Cunctabantur igitur, non reſiſtebant diplomatibus Alexandri, & tuis, quæ divinà pollere auctoritate credebūt; modus quærebatur, quo illa ſibi reddita ad iurandum formula ita conciperetur, ut nullà ratione ad detrahendum Auguſtini, ac Thomæ doctrinæ detorqueri poſſet. Qui ſi initio appareret, ne illi dudum cunctationi terminus impoſitus fuiſſet. Eius inventionem Deus tuo tempori reſervavit, ut tota illa controverſia tolleretur. Is fuit aptiſſimus, & iuſtiſſimus, ut diceretur, Salvà doctrinà S. Auguſtini, & S. Thomȩ *quæ una prorſus eſt, eadem, & unica; non doctrinȩ duæ: & quam-* D
quàm ex Auguſtino hauſerit S. Thomas, ille item hauſit ex Paulo. Itaquè hic eſt fons, à quo ambo rivos deduxerant. Ea formula ita concepta, cum in Gallia quibuſdam viris Ianſenianæ doctrinæ infenſiſſimis minus probaretur, quòd traditam formulam augeret, idquè religioni darent, quod piaculum eſſet Pontificii verbis alia privata adiicere: allata illa eſt ad te, Pater Sanctiſſime qui divino afflatus Spiritu vidiſti omnino idoneam, & ad tuam mentem eſſe: nec eſſe additamentum, ſed expoſitionem eius ſententiæ, quæ animo inerat tuo, atquè adeò uti à temetipſo dictatam probaſti, & omnem dubitationis, & controverſiæ materiem ſuſtuliſti. Vſquè huc Macedo.

15. *Oves* [illegible] *Luſitania*. Bellabant iam inde ab Anno 1640. Hiſpania, & Luſitania geniis, ſtudiis, armis contrariæ. Tenuerat bellum Annos 28. pertinax, & acre, quod involuebat omnia penè gentium arma, & nemo erat Pacificator. Inter Brigantiȩ Ducem, *Io: IV.* Regem Portugalliæ, & *Philippum* Hiſpaniæ Regem lis erat de ſucceſſione legitimà in regnum Luſitanum. Sibi reſtitutum cum contenderent Bragantini, uſurpatum dicerent Hiſpani; Vrbanus VIII. Innocentius X. & Alex. VII. Oratorem Obedientiæ Romam miſſum à Ioanne IV. noluerunt admittere, nè offenderent Hiſpanos. Obiit Ioannes Anno 1660. & ſucceſſorem habuit filium primogenitum *Alphonſum* ſub matris tutelà; quæ ut pacem à Philippo impetraret, offerebat annuatim millionem auri, quatuor millia militum, & octo naves præſidiatas, veluti fidei pignus, quòd Bragantini

Luſitanos Hiſpanis reconciliat.

B Luſitaniam acciperent ab Hiſpanis in *Feudum*. Philippus autem vindictæ cupidus nihil admiſit. *Philippo* mortuo: Alphonſum etiam ob corporis impotentiam, exauctoraverant Luſitani, & in Inſulas Canarias deportaverant. Eàdem die Clerus nullū declaravit coniugium Reginæ; Magnates regni incapacē. Petrus eius frater natu minor thorū ſcandēs & thronum fratris viventis, animū ad pacē convertit, quȩ eà conditione firmata, ut tàm Hiſpani, quàm Luſitani, paribus conditionibus retinerent ea omnia, quæ poſſidebant, antequàm Caſtillia unirentur, & Luſitania, exceptà Ceutà, quam habuerunt Caſtellani. Hæc omnia permittente *Clemente IX*. Rom. Pontif. qui protinùs electionem confirmavit Epiſcoporum, & legationes ſuſcepit, quas Rex Luſitaniæ adornavit illuſtres, magnificas, graves. Ab Anno enim
C 1640. uſquè ad præſentem 1678. nè Hiſpanos aula offenderet Romana neq; legationem admiſerat Luſitanam, nequè Epiſcoporum poſtulationem. Peragravit tam lætus nuntius univerſæ ditionis vaſtitatem, & ad quatuor terrarum plagas inſonuit: in quas nomen penetravit Clementis, & traxit ad ſonū ſtudia remotiſsimorum Africæ, Aſiæ, Americȩ populorum: Occiduȩ illius Europȩ pactis Luſitaniȩ appendicum. F. Franc. *Macedo. Bapt*. Nanias.

16. *In Tuetur*. Iuratà inter Gallos, & Hiſpanos pace; Supplicatione *Clemens* publicè inſtitutà ad gratiarum actionem (ut ex nummiſmatibus, quorum 1. Regem Gallorum, & Hiſpaniarum Reginam mutuò ſe amplectentes exhibet; 2. *Clementem*, Supplicationem agentem III. Cretam undiquè cinctam à Barbaris, & penè deſperatam; & ad implorandum rebus deſperatis *auxilium de Sancto*, D. Petrum
D invocat auxiliarem. Indè ſollicitatis Europæ Regibus, omiſſà mentione fœderis, quod magnæ molis opus eſset; Creta verò preſenti indigeret auxilio, die namquè morientis *Alexandri* Viſirius Cretam obſederant eo tormentorum apparatu, quibus non Vrbem quateret, ſed montes concuteret. Ad famam

Turcȩ Cretam obſident

expeditionis accurrētibus Turcis, quaſi unà in Cretà ageretur de Orbis imperio. Veneti ita Vrbem munierant annonà, milite, auro, ferro, ut nulla pars urbis ſinè cuniculis aditum præcluderet aggreſſoribus, etiam in umbrà mortis. Quadringenta ęnea tormenta maiora contrà caſtra tonabāt hoſtilia. Sex millia militum ultrà habitatores civitatis armorum gnaros, & artis peritos propugnabant Vrbem ſub ma-

gnì

gni nominis Imperatoribus. Annona abundabant,& commeatus, Venetà prævalente claſſe, quæ non bis hoſtilẽ fugavit, vel demerſit. Clemẽs prævіſo civitatis diſcrimine, quaſi mœnia pulſarẽtur Romana, Pontifex renuntiatus quinquaginta aureorum millia, quæ pro Vngaricà expeditione Italiæ Clerus contulerat, donavit Reipublicæ; delectum ſeptingentorum peditum in ditione Pontificià Venetis conceſſum ab Alexandro, haberi iuſſit, totidemquè ipſe addidit. Anno exeunte 500. milites traiecit in Cretam ære ſuo, quorum veteranos 250. ex legione ſelegerat, quam ipſe alebat in Dalmatià; tirones reliqui. Adiecit triremes Pontificias cum Melitenſibus, Duce *Vincentio Roſpiglioſo* nepote ex fratre *Camillo*. Maiora promittebat in Annum futurum. Ex adverſo Turcæ claſſem navigiorum centum cum inſtruxiſſent captivis Polonis, quos factà irruptione Leopolim uſquè devinxeranr, Inſulas populabanrur Ægei Maris, magno Italorum terrore; Immò & Polonorum, qui irruptione præteritâ, ac novi exercitus famà perterriti, ſpem dabant Claſſicum canenti Pontifici, arma ſociandi in hoſtẽ communem Infideles etiam excitabat *Clemens* Perſas, Scythas Armenos, *ut implicatum Europę bellis communem hoſtem valido pro ſe quiſquè adorirentur conatu, nec divinitùs oblatam rei benè gerendæ occaſionem elabi ſinerent; ſi Chriſtiani Principes ſub iugum irent, eamdem ipſis ab immani victore fortunam manere. Si ſaperent, ſi viri eſſent, adeſſe finem Turcarum tyrannidi, ad quam evertendam omnis Europæ, potentiſſimorum, ac fortiſſimorum Regum conſpiratione factà, in armis eſſet. Iaique excuterent iugum ſervitutis, inclinante Barbarorum fortunà, & vicinà periculo; ſi aliquis author exiſteret, Superis ultrò invitantibus.* Fœdus ipſe promovebat *Caſimirus* Rex Poloniæ; ſed Turcà retrocedente, unà cum timore ardor etiam bellicus expiravit. Ità Viſirius conſtanter premebat Vrbem, eà fide quòd terga ſecura tenens ſinè cuſtodibus, ad libitum offenderet non offenſus. Tormentis certare, atquè Pilicrepis, quibus diruta penè iacebat civitas, bellum credebatur amicum, atquè humanum. Aliud erat, quod gerebatur in viſceribus terræ, ſemper in tenebris. Nonaginta paſſus in profundo eviſcerata tellus, non minùs fluctuabat, quàm mare. Milites, Duces igne cadebant non ferro. Ad clangorem certaminis, quo nullum in Orbe maius, ex totà Europà convenerunt ſtrenui viri (inter quos *Baro Guſtavus Vrangelius* Svecus; & Comes *Arcartsius* Gallus, quadraginta ſtipatus militibus, facinoribus clari) Appulerant etiam triremes Pontificiæ, Melitenſes, Hiſpanæ, omnes numero XXV. milite tam inermes, ut nullum facinus attentare auſę, ſulcato ſolùm Cydoniæ freto unà cum decem triremibus, & quinquè Venetorum navibus, unius contentę ſpolio navis onerariæ, die XX. Septemb. redierunt in Italiã, relictis ſolis centum militibus ad Cretæ præſidium, qui ibi ſtativa eſſent habituri uſquè ad primam Novembris. *Maurocenus* exarmatà Claſſe, cum duobus remigum millibus, qui ligoni incumberent, præſidebat obſeſſis. Ea obſidentium rabies, ut in cuniculis fumo lethali defenſores ſuffocarent: nec aliud eſset Alexipharmacum, quàm Iuniper, & Aqua ardens. Decem millia libratum pulveris tormentarii dierim abſumebant propugnatores. Vſquè ad propugnacula cum per cuniculos irrepſiſsent Turcę, relictis à tergo munitionibus exterioribus Chriſtianorum, & interciſis loricis, in ipsà foſsà caſtramentabautur tormentis erectis in muros civitatis. Duces ipſi *Maurocenus*, *Villa*, *Barbarus* ſæpè apetiti lapidibus, cęmentis obruti diſcrimina ſubiere mortalia. Terra deficiebat obſeſſis: uno enim diruto propugnaculo, novum erigebant; & civitas dietim naſcebatur in civitate. Vncia terræ erat tanti certaminis palma. Omnia ſanguine plaſmabantur, atquè cruore. Cœlum ipſum pugnabat pro Turcis, ardore inſolito, atquè ſerenitate. Chriſtiani viginti quatuor aſtyochis, lithobolis, lapidibus grandinantes, atquè pyrobolis; accenſiſquè cuniculis nitrati pulveris cadorum quinquaginta gravidis irrepſerunt in munitiones Turcarum, hoſtemquè propulſarunt ex vallo. Die tandem XIIX. Novembris è Cęlo exuberante imbre, coacti Turcæ retrocedere, obſidionem laxarunt amiſſis viginti millibus militum. Chriſtianorum autem 3200. ultra 400. primipilares, præfectos, centuriones, ſigniferos, ac centennos emeritos, uragos, quos ut ſigniferis inferiores non numeramus, cecidere. Suprà quingentos etiam periere remiges in laboribus, plures in otio Standię ob aerem inſalubrem. Hoc Anno accenderunt obſeſſi cuniculos 369. ſemicuniculos, vel *focatas* 19. Turcæ cuniculos 219. focatas 18. Triginta duabus vicibus irrepſerunt in mœnia, ſemper tamen repulſi. Chriſtiani autem decem, & ſeptem vicibus adverſus caſtra, ultrà duodeviginti pugnas ſubterraneas, in quibus mutuà cęde certatum eſt. Hibernavit tamen Viſirius in caſtris, ut primo vere arctiùs urgeret obſeſsos. Veneti Marchioni *Villæ* (qui ſtrenuè rem geſserat) ſubſtituto Marchione S. *Andrea Mombrunio*, conſcriptis duobus millibus vaſtatorum, cũ octingentis remigibus claſsem munierunt, & urbem. Principibus à Pontifice excitatis Romano, Gallus centum millia nummorum liberalis numeravit, datà Venetis facultate militem conſcribendi ad libitum. Viginti millia ſolvit Dux Lotharingiæ. HiſpaniæRegina non ſolùm claſsẽ ſociare promiſit, ſed utriuſquè Siciliæ Proregibus imperavit, ut validè belli commeatũ ſuppeditarent: iſti tamen ad modicum commeatum, & nitratum pulverem promiſsa coarctarunt. Cæſar miſit ſexcentos pedites uſquè ad confinia Venetorum, poſteà ter mille ſub imperio *Henrici Chimanſechis*, ut titulo ſtatoris ſupremi Veneto ſtipendio arma gereret. M. Dux Hetruriæ cohortem quadringentorum hominum ex Dalmatià miſit in Cretam. Dux Mutinenſis donavit nitrati pulveris libras 50000. Totidem Lucenſes. Archiep. Saltzburgenſis 60000. Ber. Guſtavus Abbas Fuldenſis mille Taleros, ſive Imperiales. Põtifex Romanus non ſolùm agmen Cretæ aluit Romanum, ſed nitrati pulveris donavit libras 100000. argenti ſignati nummos 30000: Cardinalem Barberinum quia nummos 12000. donaſser ad militem conſcribendum, rependit poſseſſione Abbatiæ. Ineunte Ianuario, Chriſtiani Duces appulerunt Cretã, ubi Turcæ reparatis munitionibus, muros quatiebant, & præcipuè propugnaculum Bethlemiticum tormentis ſex ſupraviginti, ac decem aſtyochis diruebant. Pectora autem obiicientibus Venetis, in eruptionibus cecidere *Io: Baro Friſheim* inter Supremos

Auxilia Pontificia.

Nepotẽ mittit in ſubſidium.

Orbem excitat in Turcas.

Novæ artes belli.

Chriſtianorum auxilia Cretenſibus ſubmiſſa.

mos Statores, *Mutius Mattheius* Præfectus militiæ Pontificię, & machinator *Seravalles*. Porrò quià ex Inſulà *Standià* dictà, ſalus videbatur conſurgere obſeſsis, quòd eius in portu Veneta hybernans claſsis inſidias ſtrueret ſrequentes adversùs Turcas, qui undiquè Viſirio accurrebāt in ſuppetias; cogitavit Viſirius noctu intercipere Venetorum triremes, quæ ſub imperio *Laurentii Cornelii* mari liberè dominabantur. Inſtructis ergo duodecim triremibus omni bellico apparatu, diſtributiſq. in eis duobus millibus Ianizerorum, Duce *Calipo* Baſsà, mandavit *Durae* experto piratæ, expugnare triremes *Cornelii*, Standiam irrumpere, & Claſsem incendere Venetorum.

Pugna navalis nocturna.

Inſidias cum rimaſset Generalis *Maurocenus*, armatis viginti triremibus, nocte inter ſeptimam & octavam Martii, Anno 1668. venit ad aquas *Fodele*. Turcæ, qui ibi latebant *Corneliam* adorientes, quamvis noctu, illicò initā pugnà (forsàn ſinè exemplo) quòd milite prævalerent armato, creduliquè cum ſolo *Cornelio* certare, prçliarūt fortiter, cedere erubeſcentes. Cæſo tandem *Durae* piratà, celoce ſe ſubduxit *Calipus* amiſſis quinquè triremibus, quinquè Trierarchis, quingentis Ianizeris, ultrà mille captivos, quos in libertatem vindicavere victores, ac quadringentos Turcas, quos ad triremes damnarunt. Ex noſtris cecidere *Daniel Iuſtinianus*, *Georgius Foſcarenus*, *Io: Franc. Cornelius*, *Aloyſius Calbus* patritii omnes; *Claudius Eques Araſius*, ultrà ducentos milites, qui occubuerunt in pugnà, ſaucioſquè 200. Sic præſervatà *Standià*, Maurocenus duxit in altum, occupatis pluribus Turcarum navigiis, qui tamen ex aperto mari prohiberi haud poterant, nè littora appellerent in ſubſidium, aurà, nocte favente, fovente, ut ſi non omnes, plurimi ſaltem effugerent manus Chriſtianorum. Pagus non erat ſub Imperio Ottomanno, undè milites, pecuniam, cibaria Viſirius non extorqueret. *Mehemeth* Rex Turcarū in dies ferocior caput Viſirii exigebat, vel Cretam. Deſperatis itaquè conſiliis, tumulum humo cōgeſtum à mari impoſuit profunditatis decem pedum, opus quod ab initio cum ut impoſſibile irrideretur a Chriſtianis, poſteà deturbaretur tormentario ſugeſtu, perfectum tandem ad ſpeciem peninſulæ, munimentum fuit; ut inter propugnaculum urbis obſeſſæ, & Mare, ſecuri quieſcerent, & latè dominarentur obſeſſis. Idem cum meditarentur in portum, ut ſubſidia interciperent; Cuniculis autem obſtarent obſeſſi; manuali tormento concidit *Bernardus Nanius* in fronte percuſsus. Eodem fato Comes *Maranus* Gallus, & *Aldrovandus* ſtatores maiores. Accurrit tempeſtivè *Cattarinus Cornelius* ex claſſe unà cum *Marchione S. Andrea Mombrunio*: nam Turcæ in eà parte, (quæ dicitur *Arenaria*) munimen externum aggreſſi, ter eàdem die occupantes, totidemquè repulſi, terram irrigabant ſanguine. Periere ex noſtris viri magni nominis Baro *Adolphus Deghenfelt*, chiliarchæ *Seiarbonerus*, *Petrus Sala*, *Conſtantius Docteri*, Marchio *Federicus Carlotus*, aliiquè plures qui vivunt in libro Vitæ. Globo etiam tormentario dirutà officinà armamentarià ſepultus eſt inter cæmenta *Nicolaus Imola* primipilarius Ultramarinus cum pluribus foſsoribus, & expertis cuniculariis. Ex hac parte, quæ naturà eminentior dominatur in Urbem, occupatis aggeribus Turcæ cum om-

A nibus munitionibus exterioribus, foſsam implere conabantur vepribus, & cæmentis. *Mombrunius* quaſi deſperatus, erectis ſex tormentis in foſsà S. Spiritus, cępit ex latere hoſtem repercutere ſtrage cruentà. Dux iſte veteranus, qui ætatem inſumpſerat in omnibus ferè expeditionibus Europeis, pueriles vocabat obſidiones præteritas: præſentem verò Gigantum. Erectis in mare aggeribus, tentoriis in undà, tormentis in cacumine rupium, cuniculis in visceribus montium, homines veluti mures emergebant in mœnia. Salutē cū deſperarent obſeſſi, *Maurocenū* evocarūt cū claſſe. Mille pedites, ac remiges 1200 acceſſerunt auxiliares. *Cornelius* deſperatà tutelà, opus aggreſſus impoſſibile, mandavit cuniculos fodi ad propugnaculum S. Andreæ in vivo marmore.

Defenſio deſperata.

Naturam quidem vicit ars labore, & induſtrià. Ducentis & quinquaginta paſſibus foſſores terram eviſcerarunt, B donec deficiente aere, deſſicerent artifices reſpirare prohibiti; quibus conſultum aere artificiali follibus immiſſo per manicas coriaceas. In hoc diſcrimine erant obſeſſi; cum menſe Septembri receſſerunt Pontificii, & Melitenſes, relicti à *Roſpiglioſo* centum, & quinquaginta milites, ut agmen implerent Pontificium. Zacynthi offenderunt octo triremes Hiſpanas, quę ſerò cum acceſſiſſent, in Italiam redierunt cum *Roſpiglioſo*. Senatus tamen ut Pontificem rependeret benemeritum; donavit nepoti pollubrum aureum ducatorum 6000. Interim novum receptaculum meditantibus Chriſtianis in propugnaculo S. Andreæ; *Viſirius* die 26. Auguſti, accenſis cuniculis ſubtùs eodem propugnaculo, cunctis viribus ferro, igne duabus horis, mutuà cæde irruptionem tentavit; donec deſperatà victorià, receptui cecinit, amiſ- C ſis duobus millibus militum: Chriſtianorum ducentis. Ad lygonem rediit *Viſirius*, quo per quatuor ſæpimenta tranſverſa pervenit ad muros, occupatà turre *Priolà*, quam dirutam inſtaurarunt, ſexquè tormentis muralibus verberabant obſeſſos. In hanc quatuor tormentarios ſuggeſtus obiecère noſtri: in *Foſsà*, ex *S. Pelagià*, ex *Iudaicà*, & *Tramatà*. Æquali diſcrimine *Arenariam* propugnabant obſeſsi, diruto jam propugnaculo, cæſis *Proſpero Turre* Sabaudæ militiæ Præfecto, ac centurionibus *Marco Zacco*, *Iacobo Venturino*, *Thaddæo Imotà*, aliiſquè. Declinaverant Turcæ ex roſtro huius propugnaculi juxtà Mare versùs navale armamentarium, quo occupato, ſecludebantur auxilia. Pergebant per foſſas tranſverſales incolumes, & ſolis octoginta paſsibus à navali diſtabant, ubi mœnium ruinæ gradus ſubminiſtrabant aſcenſui non difficili. Obſeſsi deficiente milite, ducibus, D cunicularijs morbo, ferro conſumptis, eruptionem meditabantur, ut hoſtem ſubducerent, & impeterent; vel memorabili exemplo ſub gladio caderent hoſtili. Conſilia tamen improbarunt funeſta copiæ validiſsimæ à Senatu immiſſæ, duce *Battaleà*, & *Thaddæo Mauroceno*. Adfuere eodem tempore milites Provinciales ære conſcripti Lotharingo. Fama etiam percrebuerat volones nobiles ex Gallià eſſe in procinctu: undè ſeneſcente in Octobrem jam Cœlo pluvio, tumeſcens Mare, ſtridens Aquilo plures demerſerunt Turcas in Arenarià. Cæteri in hyberna abierunt.

Obſeſſio obſtinata.

Ad propugnaculum tamen S. Andreæ obſtinatè caſtramentari voluerunt in rupibus, & ſaltibus grandinem irridentes, & turbinem; ubi natura feroci-

cien-

cienti mari montes obiecit. Nec deſiſtebant terram effodere frontem ſerpendo ejuſdem propugnaculi (quæ in ruinis jacebat) turrim Scotenſem, ac portã, non tamen impunè; dietim erumpente *Cornelio*. Die quartâ Octobris irruperunt Chriſtiani tanto furore, ut clavatis pluribus tormentis, Turcas coegerint ſtationes deſerere, & foſſas obſidionales, cęſis ſex eorum centurionibus, ac 250. inferioris conditionis, fauciiſquè ſexcentis. Periit ex Venetis *Franciſcus Battalea* Dux Cretenſis. Reparatis tamen ſæpibus, & munitionibus, eò pervenere, ut foſſorum, & cuniculariorum hinc indè voces audirentur, & gemitus. Ipſe Marchio Mombrunius dum ſpecularetur geſta inimicorum, in collo manuali petitus tormento, languebat. Ceciderant *Matthæus Semitecolus* patritius; militum tribuni *Cipolla*, & *Marmi*. In hoc rerum diſcrimine tentatus à Viſirio *Maurocenus*, interprete *Nicaſio Panaglioto* urbem tradere pretio principatus Moldaviæ, & Valachiæ; ſprevit, atquè deriſit.

Gallorum auxilia.

17. *Galli &c.* Fama huius celebris obſidionis excitati nobiles Galli, favente, ac liberaliter foven te Rege, venere numero ſexcenti, natalibus atquè militari experimento clari. Quatuor compoſuere agmina, quorum primum ducebat Comes *S.* Pauli Longavillęus. Secundũ *Thierii oppidi Dux*, frater ducis Bullionii. Tertium Dux *Villamori*. Quartum Dux *Caderonſius*, omnes ſub imperio Comitis de *Fuellade*, Ducis Rohaneſii (qui in Germaniâ glorioſè pugnaverat ad Fluvium Rabſacem, adversùs Turcas) Naves Regias conſcenderunt iſti in Provinciâ, & Cœlo etiam adverſo ac Mari vela facientes Cretam fęliciter appulerunt ubi benedictionibus, & plauſu occurrentibus obſeſsis, in propugnaculum S. Andreę ſtativa tenentes, diſcrimina ſubiere maiora frequentibus irruptionibus, in quibus Marchio Villę Francę nepos Generalis Mombrunii cęſus occubuit.

Meliten ſes.

Acceſſerant interim auxiliares ſexaginta Equites Melitenſes cum tercentis militibus ſubmiſsi à M. Magiſtro, cum centum, & viginti quinque mille libris nitrati pulveris, ac magni ponderis commeatu. Hinc certaminis cupidi ex portâ Arenariâ exierunt in hoſtem, invito Veneto Duce (qui mortem tantorum militum prævidebat glorioſam, ſed inutilem) die 16. Decẽb. numero 3500. ultra cẽtũ ſcelectos milites, qui ſuperetãt ex agmine Sabaudo; reliqui enim mortui iacebant, vel ſaucii. Turcę licèt à transfugâ iam pręmoniti, numero duorum millium excubias agerent, & vallum cuſtodirent caſtrenſe, relictis ſtationibus aufugiſſent, niſi cum tormentis campeſtribus validi reliqui occurriſſent in ſuppetias. Mille tamen Gallico occubuere ferro, inter quos Baſſa *Mehemet Caterzogli*. Ex Chriſtianis triginta quinq; cęſi ſunt, faucii ſeptuaginta ſex, qui ex veneno, quo Barbari ſagittas immiſcent, & arma, ferè omnes periere. Reliqui redeuntes in Galliam, Regem Ludovicum excitarunt ad ſubſidia fortiora. Anno exeunte *Io: Gaſpar Ampringhen*; M. Magiſter militię Theutonicæ immiſit Venetias turmam 188. militum ſelectorum, ut ære ſuo per Annum arma tractarent.

Brunſuicenſes.

Principes fratres Brũſuicenſes *Io: Fridericus Georgius Gulielmus*, & *Erneſtus Auguſtus* nonningentos collegere pedites ære proprio, ultrà Mille octingentos auctoratos ſtipendio Veneto, ſub imperio Comitis *Ioſia Valdechis*. Io: Franciſcum Marcheſinum miſerat Senatus in Hollandiam, ut conductis navibus in Cretã traiiceret ſed in caſſum. Suſpicãtes Batavi, nè in ſuos mercatores Turca ſęviret, milites excitarunt in ſeditionem.

Batavi conſpirant in Venetos.

Ex hoc irritati Principes Brunſuicenſes, revocatas cohortes pedeſtri itinere, Venetias traſmiſerunt frigente hyeme; eoquè ardore, & libidine gloriæ, ut nullus militum aufugerit; Immo numero aucti, ter mille recenſiti ſunt ſub ſignis, validi omnes, & veterani, qui Anno ſequenti accurrerunt obſeſſis. Anno currenti, Veneto ſolùm armata milite Creta aggreſſores propulſavit.

Bellum hoc quàm grave.

Obſtupuit Pontifex Romanus, quandò *Antonius Grimanus* Venetus Orator, claris, & veridicis calculis mõſtravit, à Venetis ultrà annuales expenſas, & ſtipendia debita in Dalmatiâ, & Inſulis arma gerentibus, in ſolam Cretam, Anno ſubmiſſos præſenti argenti ſignati ducatos nonnigentos, & ſeptuaginta quinq; mille. Milites octo mille, & ſeptingentos ultrà auxiliares: Foſſores duo mille: Remiges mille: Libratores unum ſupra ducentos: Artifices ſexaginta: Frumenti, farinæ, & panis nautici modia centum ſeptuaginta millia: Tormenta bellica unum ſuprà quadraginta: centenna omnis generis arma: nitrati pulveris librarum milliones duos, octingentas, & ſeptuaginta novem mille libras: Funiculi igniaril libras ſeptingentas, & triginta mille: plumbi ſeptingentas, & nonaginta mille libras cum commeatu propè infinito lignorum, trabium, ferri, pyrnbolorũ, fundarum, omniſquè generis impedimentorum, quibus oneratæ ſeptuaginta quinque naves præſidiarię, ac ſeptuaginta novem minora navigia dietim Cretam, vel Zacynthum navigabant. Vndè illius urbis tutela hoc ſolo anno conſtiterit pretio ducatorum quatuor Millionum, ac tercentorum & nonnaginta millium ducatorum. Ceciderant ex Chriſtianis hoc Anno quinque mille, tercenti, & quadraginta: Quingenti, & octoginta ſex Officiales: Remigum, & vaſtatorum duo millia, & quadringenta. Turcarum cecidere viginti tria millia, & ducenta, ultra villicos, captivos, calones, & lixas. Centum, & nonaginta cuniculos cum quinquaginta minis minoribus accendere Veneti. Turcæ cuniculos excitarunt unum ſuprà quinquaginta; minas inferiores triginta ſeptem. Impreſſiones decem, & ſeptem. Veneti erupe runt quadraginta ſex vicibus. Viginti fuere adverſariorum occurſus in foſſis tranſverſariis atque cuniculis. His auditis Clemens, pondus admiratus, quo Reſpublica premebatur, decrevit tres Ordines Regularium (qui ab obſervantiâ receſserant Inſtituti) S. *Georgii in Alga*, S. *Hieronymi Feſulani* (quorum Congregatio dicebatur S. Mariæ Gratiarum) & *Ieſuatorum* ſupprimere, eorumquè fundos in Venetâ ditione poſitos ad uſum Cretici belli, Venetis aſsignare eâ conditione, ut ſolis venderentur Eccleſiaſticis. Ex hiſce venditionibus exegère Veneti ſupra millionem ducatorum. Reliqua per Italiam à Pontifice Baſilicæ attributa Liberianæ (quæ dicitur S. Mariæ Maioris) per ſucceſſorem *Clementem X.* in Commendas erecta fuere.

Tres Ordines ſupprimit Regularũ.

Advenit interim menſis Cretenſis Obſidionis vigeſimus An. 1669. Exemplo Ducum Brunſuicenſiũ precibuſquè Romani Pontificis excitatus Elector Bavarus ſubmiſit mille pedites, quorum ducentos aluit ære ſuo. Princeps Fuſtembergius, Archiep. Ar-

Chriſtianorum ſuppetiæ

gentine quadringentos adiecit, quorũ in alimoniam ſolvit ſexcentos nummos menſtruales. Plurimi etiã cum conveniſſent volones (inter quos Comes *Coniſmarch* Svecus, & Comes *Strum*) omnes Senatus munificentiâ muneribus donari,& Officiis, glorioſo ſanguine terram irrigarunt. Epiſcopus Padebornenſis donavit nummos aureos ſex mille. Elector Colonienſis, & Epiſcopus Monaſterienſis donarunt ſinguli centum millia librarum pulveris tormentarii. M. Dux Hetruriæ centum,& quinquaginta peditibus agmen ſuum replevit diminutum. Dux Mantuæ quingentos pedites cum dimidio ſtipendio. Quadraginta mille libras nitrati pulveris dedit Cardinalis *Barberinus*: Pontifex octoginta mille ex ære collectitio Cleri Hiſpani. Subſidium etiam imperavit Clero Veneto: alienationem bonorum Eccleſiæ S. Marci permiſit eà conditione,ut reſtituerentur fructus aliundè. Regem Ludovicum rogavit, nè Hiſpanos inquietaret, cui Rex aſſenſit magnanimus; promiſsione ſcripto prolatâ. Diſsidia inter Ducem Lotharingiæ,& ElectoremPalatinum nè pacem conturbarẽt Imperii,mãdavit Lotharingo arma ponere.

Franciſcus interim Dux Belfortius Archithalaſſus cum ſex millibus bellatorum inſtructam claſſem ſub imperioDucis *Navalliæ* ultrà officiales, volones,tercentos ſtationarios, ducentos ſclopetarios ſcelectos ex Regis cuſtodiâ Cretam duxit. Clemens ad grati animi argumentum Ducem *Bullionium* creavit Cardinalem, Rege rogante: *Belfortio* pretioſum miſit vexillum Redemptoris ſignatum imagine, ſub quo Galli convenirent, veluti vexillo Pontificio. Tanto apparatu minimè recreati obſeſſi,quòd tumido Mari, ſæviente hyeme, reflante vento navigia omnia Zacynthi tenerentur in anchoris; patientes tamen,& fortes plures chiliarchæ obtulerunt *Maurocено* cohortes conſcribere ære ſuo, donec advenirent auxiliares. Nec longè; *Thaddæus* adfuit *Maurocenus* cum triginta tribus roſtratis navibus,in quibus ultrà commeatum quatuor millia militum Germanorum; paulò poſt appullere ſex alia navigia non minora. Abſoluti tunc cuniculi, quos longo jam tempore *Cornelius* fodiebat ſub marmore,accenſiquè vivos fregere lapides, montem elevarunt unà cum tormentis, militibus, & munitionibus, quæ ſuperſtabant, tanto hoſtium terrore, ut per ſemidiem non auſerint repetere foſſas. Hunc cuniculum licèt præmoniti credentes inutilem ſpreverant Turcæ. Suo tamen non pepercit auctori: fumo, qui exhalare tempeſtivè haud poterat, ſuffocatis vaſtatoribus. Alio tumulo cõgeſto in propugnaculum S. Andreæ Turcę octo tormentis portam S. Andreæ diruebant: accenſoquè cuniculo,per ruinas irrepſiſſent in urbem, niſi à Melitenſibus validè fuiſſent repulſi. Alio cuniculo periere duo chiliarchæ *Io: Bapt. Zaccus*, *Ventura Foreſtus*,& duo machinatores *Florius Piſtorens*,& *Moroſus*: peritiſsimi iſti, fortiſſimi illi. Etiam *Spaar*, in capite ſaucius, *Maurocenus*, & *Cornelius* contuſione, *Coniſmarch* graviter percuſſus, *Valdechius* in pede ictu pyroboli poſt breves dies vitam ſolvit. Tanto ſanguine modica gleba, immò parum pulveris vendebatur, vel redimebatur. Nemo inter obſeſſos immunis à vulnere. Cives licèt inopiâ fatigarentur extremâ, milites,Duces moribus, idiomate, natione religione,quandoquè æmulatione diverſi,in hoc conveniebant, ut omnes prænſarent pericula ad urbis tutelam. Melitenſes in ruinis S. Andreæ vigiles; Brunſuicenſes ad turrim Scotenſem pectus erigebant pro mœnibus, eà tamen ſtrage, ut decem dierum ſpatio ſupra mille iacerent ſaucii, vel extincti. Cuniculos ſodientes Turcæ ſub terrâ; contracuniculos Chriſtiani,ęqualiter diruebant muros. Æquatis pinnis, & concamerationibus portæ, ipſa quaſi cõvulſa iacebat porta. Tribus eodem tempore accenſis Chriſtianorum cuniculis: Primus inter turrim Priolam, & Scotenſem nitrati pulveris centum cadis gravidus,concuſſa terrà Turcarum ſtationes ſubvertit, ac milites magno numero ſepelivit, cum quinquè chiliarchis, ultrà ſaucios, qui fuere ſuprà tercentis. Secundus, ſexdecim mille librarum pulveris tormentarii gravidus propè eamdem turrim pluribus cæſis, ſugeſtum diſrupit tormentarium. Tertius novem mille librarum Pyrii pulveris propè munimentum portæ, multis occiſis, in foſſam invertit duo tormẽta maiora. Indè exoneratis tormentis, impulſiſq. pyrobolis,atq. miſſilibus,periit Natolię Baſſa. Periculo non minori iactabatur in propugnaculo S. Spiritus, & Arenario: in quo diſſentientibus Generali *Spar*, & machinatore *Caſtellano*; iſte non ſinè corporis, & civitatis iacturà receſſit, quod ſubrogati locorum ignari, obſeſſorem iuvarent potiùs, quàm obſeſſum. Aſsueti Turcæ periculis, ex cadaveribus videbantur reſurgere mortuorum: vix enim cadebant vigiles; quòd accurrentes alii glebã propugnabãt;& pulvere congeſtitio voragines operiebant. Vnà die, eàdemquè horâ, *Boneta omnia* aggreſſi, cũ unicum expugnaſsent illicò fuere repulſi, eruptione factà à militibus Pontificiis. Extrà propugnaculum S. Spiritus, auctore *Ganducio* militum tribuno, erexerunt Chriſtiani *Bonetum*, vt caſtra percuterent inimicorum, undè vis ingruebat in propugnaculum S. Andreæ; mutuà tamen cæde, ſaucio *Variſano Grimaldo*, cæſoquè *Ganducio*. Eidem propugnaculo ſupremum inſtabat periculum: quòd Turcæ neglectis clibanis, atq; cuniculis, ligone, batillo, vnguibus terram aſportarent, noſtri autem reponerent. In hoc certamine, quod lucta potiùs, quàm bellum, brevi evanuit propugnaculum, modico vallo relicto, in quod per viſcera quaſi ſerpentes (foſſiones iſtæ tranſuerſæ, & tàm anguſtæ ut earum frontem tres ſoli replerent milites) ex imo adrepebant in faſtigium, obſtantibus obſeſſis ligone, batillo, breviquè ſariſsà. Nomina deficiunt armis:& verba periculis. Pilà ſuccubuit *Marchio Franciſcus Villa*, qui vix è navi deſcenderat, ut turmis præeſset Pontificis. Periit *Philippus Piſtolocius* ferox Hetruſcorum Præfectus. Cecidit luctuoſiſſimo ictu *Catharinus Cornelius* die XIII. Maii, dum ſollicitus inter milites conſuleret, & provideret. Diſiectus namq; pyrobulus dum ex uno multiplicat, ſpargitq; armorum grandinem, latus percutiens *Cornelii*, vulnere ſtrauit Imperatorio. Obiit in ſinu militum, patritios excitans adſtantes, *Nè in cunis nati libertatis, & Religionis, mori effugerent prò Religione,& Libertate*, Sic abiit pericula ſpernens, & mortem, Venetiis ex S. C. publico donatus funere, & laude; eiuſquè frater *Hieronymus* aureo torque, cum privilegiis dari ſolitis conſanguineis. Tutelam propugnaculi ſuſcepit Generalis *Maurocenus*, poſteà *Battalea*, qui uſquè

Mors Catharini Cornelii.

ad

ad ſruſtulum ligni, & terræ iugerum ferox reſtitit, & impavidus. Indè in ſecunda ſecedens perfugia, quæ noviter erecta, minùs ſortia, ac ſitu minima facilè patebant incurſibus; donec tertium abſolveretur refugium, quod diù, noctuquè lapides ſerendo, ligna cædendo, à propugnaculo *Panigrà* uſquè ad mare *Mombrunius* novis muniendi formis validiſsimè inſtruxerat, atquè in medio coronatum exporrexerat caſtrum, ſtellis, pileolis, quadratis, caveis, ſagittis, aliatumquè figurarum vallis ſuccinctum. Duabus extendebatur cortinis, quæ in ſperiẽ propugnaculi abſolvebantur. Omnia ſuper lapidem. In eius erectione incubuere remiges *Laurentii Cornelii*, *Aloyſii Magni*, *Georgii Benzoni*, qui operi præſidebant. *Iacobus Contarenus* Dux Cretenſis manu ſaucius, ut reliquum corpus ſervaret, abſcidit brachiũ. In cortinam S. Andreæ irrepſerant Turcæ, ut à tergo perfugium occuparent noviſſimum. Periculo excitari obleſſi, eruptione factà nõ ſolum hoſtem propulſarunt, ſed eius occupavere ſtationem, ubi tumulum erexerunt, & dies aliquot propugnarunt. Eiecti tandem latus propugnaculi S. Andreæ diruère cuniculis, quòd eo quaſi clypeo tegerentur Turcæ, nè à viciniotibus lunulis offenderentur. Conſcendère tandem in faſtigium diruti propugnaculi, in quo ſuggeſtum erexère tormentarium, noſtro autem cõvulſum cuniculo, illicò reſtituerunt. Etiam in turri Scotenſi, foſſis tranſverſis ad mœnia pervenerant; cum quindecim mille libris nitrati pulveris accenſus cuniculus, quaſſavit hoſtilia. Ad latus Generalis *Mauroceni* cecidit *Petrus Quirinus* machinator peritiſſimus pyrobulo abſorptus. *Antonius Canalis* celeuſtes, lethaliter ſauciatus. *Pinus* dum conſtans erumpit, vitam poſuit in arenatià. In auxiliatibus, qui expectabantur, una ſalus Medio iam Iunio, maris architalaſſus relictis quadraginta octo triremibus in portu Cydoniæ, claſſiarios remiges locavit in Arenarià. *Viſirius* ob Gallorum timorem, quos adventare fama erat, pacem non abhorrebat; evocato proptereà *Molino* Veneto Legato; fœdera ſubſcripſiſſet honeſta, ni conquiſitor, Annonæquè præſectus, qui rapinas, & peculatum excuſare neſciebat, quàm eventu proſperæ fortunæ, unà & *Ebraim Baſſa* ferociſſimi ingenii, diſſentientes, ſub pœnà capitis, obſtitiſſent, nè victoriam proderet. Hinc *Viſirius* vehementer agitatus, exanimis pœnè decubuit. Angorem augebat ſeditio Ianizerorum Byzantii, qui in factiones diviſi, ægrotante Sultano, alii fratrem, alii filium Regi poſcebant ſucceſſorem, tumultum ſovente Reginà matre, quæ partes agebat ſecundogeniti adversùs nepotes; ac Populo propter monetam adulterinam, mercatoribus diſtributam. In hoc rerum diſcrimine, ſuadenti *Panagioto*, Regnum dividere *Molinus* non acquievit; quia ſpe Gallici auxilii Veneti meliora ſperarent. Iam Gallos revocaverat legatum ſuum, ut iniuriis ſubtraheret Barbarorum, miſſo *Domino D'Almeras*: ſed delinitus à Turcis legatus, ac dulcedine captus legationis acquievit, donec clariùs perciperet mandata Regis; & miniſter Turcicus in Galliam pergeret. Deſcendebant interim ad littora Gallicæ turmæ, ex itinere tamen fatigatæ, & diminutæ. Hiſpani prætextu præcedentiæ non adfuere, licèt Regina proteſtaretur, mandaſſe Architalaſſo claſſem ducere adversùs Turcas: nec ultrà modicum commeatum, aliud ſubminiſtrarunt. Senatus tamen omnia providebat, & ultrà quatuor triremes ex Dalmatià in Cretam traiectas, geminà navium claſſe omnia abundè ſuppeditabat. Alteram dirigebat *Alex. Picus* Dux Mirandulanus, quem gratià honoris Pontiſex Romanus Præſectum caſtrorum dixerat S. Romanæ Eccleſiæ. Eidem Senatus phalangem commiſerat mille peditum, quos *Comes Fontana* conſcripſerat in ditione Mutinenſi, ære Pontificio. Alteram dirigebat *Antonius Bernardus* Procurator S. Marci, *Cattarino ſubſtitutus Cornelio*. Senatus vota erant, ut *Maurocenus* claſſem conſcenderet; ſed mortuo *Cornelio*, conſumptis Brunſuicenſibus turmis, hoſte intrà mœnia laſciviente; lethale credidit urbem deſerere, & claſsiarios ab opere revocare. Armatis ergo ſolùm decem triremibus, ſex quinqueremibus *Thomam Alandi* Zacyntum præmiſit cum navi, ut auxiliares certiores faceret magni diſcriminis. Miſit poſteà *Thadeum Maurocenum* cum navium præſidiariis, in occurſum Gallorum, ut eos Cretam dirigeret. Iunio ineunte ex Provincià ſolvens Gallica claſſis tredecim triremium, cum duabus biremibus, ſub imperio Comitis *Vivonii*, Zacynthum appulit, comitantibus quatuor Venetis triremibus Roſpiglioſo, & Acariſio cũ ſuis triremibus. Naves Gallicas dirigebat *Belfortius* erecto vexillo S. Romanæ Eccleſiæ, quatuordecim præſidiarias, aliaquè navigia ſupra ſeptuaginta, quæ reflante vento à Mauroceno ſeparatæ Cithetam appulerunt, obuio *Nicolao Leone*, qui alterà hippagonũ alà vehebat ſexcentos equos, quos poſtulaverant Galli. Die XIX. Iunii omnes litus tenuere Srandiæ, indè Cretam inviſerunt undiquè oppreſſam, hoſte ſuprà modum imminente, præſidio autem valdè diminuto; cætera ſuperabundabant conſtantia, virtus, commeatus. Cum ſolo *Mauroceno* Generali communicavere conſilia, an circà Cydoniam caſtrametarentur, ut Viſirium ab obſidione retraherent, vel diverterent? ſed ob imparẽ numerum, (Galli namquè ſolum quinque mille numerabant, præter remiges) conſilium reiecitinane. Duo ſupererant; à Cœli varietate expectare fortunam: vel generosà eruptione in vallum irrumpere inimicorum, occupare tormenta, & propellere caſtris. Primo propendebat *Maurocenus*: Galli ſecundo: qui naturà fervidi, & moram arbitrantes lethalem, cum dietim cogerentur retrocedere obleſſi, decreverunt ſubitò erumpere, inexpectatis triremibus, in quibus erãt validæ cohortes; & *Franciſco Dvodo*, qui non longè cum mille, & quingentis millibus Venetorum navigabat. Libido gloriæ urgeret Gallos, ut ſoli hoſtem vincerent; vel timor, quòd Turcæ fortiùs vallum munirent; vel Fata traherent (Vbi enim deeſt ratio: ſolent homines fortunam accuſare, vel Fata) ignoratur. Die 24. Iunii ſerò deſcenderunt, nocte præcedente diei 25. Iunii in duo agmina diviſo milite, ducibus *Belfortio* & *Navailles* exierunt ex portà arenarià, fremente, & increpante *Marchione Mombrunio* (quem minimè conſulere voluerunt) quòd inexpectatis validis militum auxiliis, qui propè erant in ianuis, loco non recognito, hoſte non viſo, armorum uſu inexperto, rem tentarent inutilem quamvis glorioſam; & fęlicem. Erant fermè ſex millia peditum, equi-

tes

Turcæ pacem petunt.

Gallorũ ſuppetiæ.

Gallorũ eruptio.

tes ſexcenti, cum *Belfortius* ex navibus ſuis evocaſſet mille, & ſexcentos claſſiarios. Arcanum erat, ut dum Galli manus conſererent cum Turcis; *Chimanſechius* egrederetur ad litora, & ſuggeſtus deturbaret tormentarios, à quibus infeſtabatur porta Arenatia. Quinqueremes tormentis verberarent caſtra propè Lazaretum; Naves caſtra Iophiri. At vacua evanuere conſilia. Ventus adverſus nautis locum tenere prohibuit deſtinatum. Generalis etiam *Chimanſechius* pactâ horâ cum vellet erumpere, Galli regrediebantur fugientes. Exiere itaquè in diem inclinante nocte, & antè mœnia procubuere ſtrati, profundo ſilentio, donec ſigno intempeſtivo excitati (nondum enim tenebras aurora fugaverat) ſurrexere feroces, diſciplinâ mirabili, ſed vagantes caliginoſis in umbris, cum ſeipſos non ſecernerent, cœperunt ſe domeſtico concidere gladio. Brevi tamen errore correcto redierunt in hoſtem, ac ſalcata ſupergredientes tentoria, vallum occupavere primum, & ſecundum, in colles ſugientibus Turcis vicinos. Fœliciter cum perveniſſent Galli ad tormentarium ſuggeſtum in clivo erectum, qui cryptarum dicitur, unico ictu oſtendit Cœlum, à Deo pendere victoriam non ab homine; animumquè fortem, & audacem, ſpiritum eſse Dei, qui ſpirat, & reflat ad nutum eius. Fortuitò accenſi nonnulli cadi nitrati pulveris triginta abſumpſere milites: ab abſentibus verò cuniculi crediti pannicum immiſere terrorem, ut nemine perſequente, confuſis ordinibus, ſeipſos ſolà fugà obruerent, atquè conciderent. Non longè cum eſſet *Navailles* loco quidem opportuno, vt communicationem Turcarum intercideret, & turmam fugaſſet auxiliatricem à Viſirio immiſſam, fugà conſpectà ſociorum (qui deſcendentibus ex colle Turcis tenebantur occurrere, rapti communi periculo, fugierunt & ipſi) evaginato gladio implevit ſupra vires partes Imperatoris, rogando, minando, corrigendo, exemplo excitando, ſed in caſſum; rumor namq; obruebat vocem, & timor imperium. Vndè prævalentibus Turcis numero, & manu, *Navailles* coactus receſſit. Generalis *Maxroceenus*, qui ex turri S. Demetrii, infortunium inſpiciebat, reprimi mandavit impetum inimicorum ſclopis, atq; tormentis muralibus; Ipſe etiam cum militibus exiens veteranis excepit fugientes. Erat, qui novam irruptionem ſuadèret, ac novo facinore ruborem diluere: *Navailles* autem peiora timens, receptui cecinit in civitatem. Quingenti in hoc ſunt deſiderati certamine, cæſi omnes; decem ſolummodò ſervitutem ſubiere acerbam. Calamitatem nobilitavit mors ipſius ducis *Belfortii*. Luſtrato milite, deſuit etiam qui tanti Principis caſum referat. Ad ſiniſtram dicebatur declinaſſe versùs Mare, cum ad labrum progreſſus vallis profundæ, locorum ignarus, inter tenebras, reditum aberravit, confuſis ordinibus, ac timore repletis ob fugam ſuorũ. Armiger eius rubore ſuffuſus quòd dominum dereliquiſset, nō audebat interrogare, ubi eſſet? eius tandem caput cum aliis *Viſirio* oblatum, & Sultano tranſmiſſum poſt breve ſpectaculum, ſepulturam habuit in ſterquinio. O ſors miſera invictiſſimi Principis *Frãciſci Vindocinenſis, Ducis Belfortii*, vt neſcias, quâ manu cadat, Dubitatum (ait Bapt. Nanius) *an mors obſcura pœna eſset, vel infortunium*. Regio namq. ſan-

Gallorũ clades

Cædes Belfortii.

A guine clarus *Belfortius*, *bellica virtute illuſtris*, *morum clementià popularis*, *auctor ſeditionis in regno Gallorum deturpaſſet famam nominis*, *niſi mos patriæ tempori*, *ac naturali propenſioni indulgeret rumores civiles*; *ac merito præſentis Chriſtianiſſimæ expeditionis*, *notam deleviſſet præteritorum*. Arcana verba, quæ ſi cædem Principis pœnalem arguunt, caſualem non aſſerunt. Mille & tercentos licèt ex ſuis deſiderarent Turcæ, victoriâ elati, eadem die ſperabant urbem dedititiam. Virtus tamen dedignata ſociari fortunæ; cum die XXIX. Iunii nova claſſis validiſſimas attuliſſet ſuppetias; volebāt Duces iterũ aleam ſubire. Obſtitit rubor, & timor, qui adhuc apparebat in fronte militum. Evocatos ad concionem *Navailles* improperavit ſuaviter, redarguitq; *geſta recenſendo bellica nationis*, *ſacramentum militare*, *virtutem*, *diſciplinam caſtrorum*, *famam nominis*. B *quà moleſtià Rex infelicem audiret eventum: quo rubore*, *& verecundià inviſerent commilitones ſuos, ac caſtra repeterent?* Virilia tunc, & fortia promiſere cohortes. Veruntamen quàm parum ipſis in acie committendum eſſet; falſus docebat rumor ſtudio excitabatur ab aliis nationibus. Cum enim iſtæ conclamarent ad arma, trepidabant illi, quaſi hoſtem paterentur à tergo. Captum ergo, minoribus eruptionibus inflammare Gallos, & cum veteranis permixtos in hoſtem immittere. Factum bis, nec in caſſum. Claſſis nè otioſa marceſceret, die X. Iulii, iuſſa caſtra percutere inimicorum; reflante vento, die tantum XXIV. vela fecerunt naves, triremes, quinqueremes per duas horas horriſono bombo quatiendo, nullo tamen Turcarum damno, qui aggeribus clypeati, maritimos irridebant conatus, irruptioni- C bus incumbentes terreſtribus, quas noſtri decreverant, quando confu ſionem claſsis excitaſſet in caſtris. Centum roſtratæ naves, quinquaginta triremes cum ſtarent in anchoris, urgebant Veneti hoſtem perquirere, intercipere commeatum. Verùm *Navailles* luſtrato exercitu, cum millitum tria millia ſolummodò inveniſſet ſub ſignis, reditum meditando, obtulit ducentos milites qui cum Venetis excubarent; & ſexcentos, qui fatigarent in novi aggeris erectione, ſed ſtipēdio Veneto. Nā & miſſilia, pyrobolos permutarunt ut à Venetis acciperēt panem nauticum. Tantis fatigata anguſtiis languebat Creta. Ad portam Arenariam amiſſis puteis, atquè cuniculis, machinatorum incuriâ; Turcæ diruto an- D gulo propugnaculi, munitioni inhærentes (quam vocant *Falſam Bragam*) ad Navalia properaſſent, niſi frequenti eruptione, & tumulo congeſtitio erecto in foſſæ parte mœnibus adversâ (quam *contrà ſcarpam* appellant) repreſſi fuiſsent. Fuit tumulus iſte verè ſepulchrum virorum illuſtrium: in eo cecidit *Iacobus Quirinus* Cretenſis machinator egregius. Vulnerati plures patritii, *Aloyſius Priolus*, *Federicus Bembus*, *Iacobus Celſus*, *Georgius de Media*, *Antonius Canalis*, *Hieronymus Navagerius* ſclopo transfixus in gutture. Morbo debilitati Germani ex ſex millibus, quatuor mille deſiderabantur. Nec meliùs ſe habebant reliquæ nationes. Super ruinas diruti propugnaculi S. Andreæ Turcæ erexerant octo tormenta. Æquatâ ſolo turri Scotenſi, quã per annum propugnaverant Veneti, coacti confugerunt ad ſecundum perſugium, cui cum imminerent ſuperiora tor-

Gallorũ redditus.

tormenta, poſt varia certamina, & tres ſuccenſos cuniculos ſubtùs ruinis S. Andreæ, & turris Scorenſis, quorum primus viginti mille libris nitrati pulveris gravidus quaſſavit montem, totamquè commovit civitatem, abſorpto ſuggeſtu tormentario. Reliquiæ centenos ſepeliere Turcas, inter quos *Mehemethum* Baſſam Naroliæ, ſaucio etiam *Ebraim Baſſà*, qui ferox omni ſẽper accurrebat periculo. Brevi tamen cũ omnia inſtauraſſent Turcæ; Veneti in tertiũ ſeceſſere perfugium, quod novum foſsà deficiens, & munitionibus externis, erectum in lapide propterea minùs ſolidum tormenta non ſuſtinebat. Ex adverſo Turcæ tecti cortinis S. Pelagiæ, & propugnaculi *Panigrà*, quæ uniebantur in novum aggerem, cum liberè dominarentur munitionibus omnibus, canebãt ſecuri triumphum. Ineunte ergò Auguſto, evocato ex inſulà Standiæ, *Roſpiglioſo* ad cubile Ducis *Navailes* (qui infirmus iacebat) feriò conſuluere Duces. Generalis *Maurocenus* eruptionem ſuadebat; promittẽs exemplo pręire cum tribus millibus militum ſub ſigno Leonis. Annuebat *Roſpiglioſus* oblatis quingentis triariis ſeligendis ex ſuo, & Melitenſi agmine. Diſſentiebat *Gallus* obiiciens turmas ſuas valdè diminutas; fallaces autem promiſſiones Venetas, & Pontificias. Irati Veneti cum in hoſtem exire pararent, nec excuſatio ſupereſſet; apertè reſpondit; eam eſſe calamitatem urbis obſeſſæ, ut faciliùs erigi poſſet compoſitione, & pace, quàm armis. Obſtare videbatur publicè *Roſpiglioſus*, pacta damnans indecora; clàm autem urgebat Maurocenum, convenire cum Turcis. Meditantes autem Veneti, quòd ſi adhuc trimeſtri labore validè hoſtem repellerent, hyeme poſteà ingruente & in Turcas pugnante, potuiſsent meliora ſperare, vel ex Principum fędere, vel ex Turcarum impatientià, Gallus finem fecit, reditu decreto. Hac voce veluti tonitru perculſi obſeſſi, inter timorem, & furorem medii reſpondebant, *quòd ſi in Cretà hybernare recuſaret, ſaltem reditũ differret, uſquè ad Menſem Octobris donec aura flaret ſecunda. Obſeſſæ Vrbi cum terra, & miles deficerent, reliqua abundarent; terram ſupplerent pectora; militem vicina ſuppetia. Quid urbi ſupereſſet obſeſſa, quid civibus bene meritis, quid feroci militia, ſi in extremis libertatis anguſtiis, exire magis feſtinarent amici, quàm hoſtes ingredi?* Preces cum non audiret Gallus, neq. conſilia; milites indignati, pleni furore prorumpentes in ſchomata irritarunt magis, quàm excitarunt. Cauſa tantæ pertinaciæ adhuc ignoratur. In excuſationem cum obiiceret mandata Regis, viſus eſt poſteà fallax, & mendax. Nam Rex indignatus regredientem nec videre ſuſtinuit, immò in campeſtria relegatum punivit quia timidum, & mendacem. Cum offerrent machinatores, erectione novi aggeris tutelam uſq. in hiemem futuram protrahere, ſi ipſe comodaret artifices, negavit. Nuntianti Ducem *Mirandulanum* cum validis auxiliis adveniſse Zacynthum; ac brevi adfuturum *Bernardum*: non credere ſimulavit, vt faciliùs diſcederet. Laxatà tandem anchorà ſacrà, acceſſit *Iacobus Contarenus* Dux Cretenſis unà cum Clero, & populo, fęminis, & pueris comitantibus, veſte omnes induti pullatà, ac vota lachrymis mentes, & palmis in Cęlum erectis. *Contareni exordium fuit brachium oſtentare retiſum, quod conditum ferebat aromate; indè pectora alii expoliantes, vel femora, vulnera monſtrare recepta, adiurantes, omnibus illis exorciſmis, quibus Spiritui inſultamus maligno, nè barbaris, & infidelibus Eccleſias proſtitueret, altaria, ſacra Martirum lypſana, civium cineres, ac commilitonum ſepulchra, qui ex omni natione vitam ibi glorioſè poſuerant, deſerendo profanaret.* Hæc interpolatè peroranti *Contareno* chorus quandoq. reſpondebat infantium ſtridulà voce, ſacerdotum in genua procumbentium, vel fęminarum clamore, & eiulatu. Inexorabilis tamen, quantò magis illi clamabant, tantò magis iſte reditum vrgebat, quem die 16. Auguſti incœptum, die complevit XXI. relictis ad vrbis præſidium ſexcentis militibus, eà conditione, vt navibus oneratis, etiam iſti remitterentur. Erat qui *Roſpiglioſo* ſuaderet, vt auctoritate legationis Pontificiæ Gallos ſiſteret; vel ſolus perſiſteret iuxtà mandata ſummi Pontificis. Vtrumq. negavit; vel quià prudentia imperantis luctare non debet cum contumacibus, & parere nolentibus: vel quòd fugere gauderet exemplo alieno. Inconveniens ergò cum diceret expugnari præſente Legato Pontificio, abiit cum *Navailles* die XXII. Auguſti antè crepuſcula matutina. Eàdem die poſt Veſperas ſpeculatores nuntiarunt tria ſupra triginta advẽtare navigia. Erat iſte Dux *Mirandulanus*, qui opportunè accedebat cum commeatu, milite, pecunià: Adeò enim diminuti erant obſeſſi; ut vigiles à ſtationibus non recederent, ſed in ruinis cubarent. Laſciviebant præ lætitià Turcæ, cum viderunt diſcedere Gallos. Detecto *Mirandulano*, qui recenſitis navigiis videbatur claſſem ducere, evocari in conſilium ferociſsimi Duces decrevere, priuſquàm accederent auxiliares, die ſequenti ferro, igne, vrbem expugnare. Sex mille ruinas aſcenderunt S. Andreæ; quatuor mille ad Arenariam vnà cum ferocioribus, & triariis. Præmonitus *Maurocenus* curavit milites, concione excitatos diſpoſuit, tormẽta locavit, miſſilia diſtribuit. Munimen S. Pelagiæ, in quo ſoli triginta ſupererant milites, cum ampliùs defendi haud poſſet; mandavit; vt ex æneratis ſclopis in tutum ſe reciperent. Melitenſes ſtatarios voluit, vt accurrerent, vbi maiora pericula. Novum aggerem propugnabant *Iacobus Cornelius*, *Grimaldus*, ſtrenuiq; Duces. *Mombrunius* luſtrato milite, & munitionibus medium tenuit armatus caſſide, & *amazonià*, ætate quidem gravis, & manu tremulus, corde autem intrepidus, & aſpectu venerabilis. Arenariam propugnabat *Daniel Maurocenus* cum *Chimanſechio*, & Comite *Rados*. Circa meridiem impetum fecere barbari. *Maurocenus* (qui hoc tempore dictus fuerat Procurator S. Marci) accurrit ad Arenariam, ſed quia ibi vis non ingruebat hoſtilis, rediit ad novum aggerem ſtipatus fortiſſimis ducibus, ferocibusq; patritiis. In S. Pelagiam prima fuit Turcarum irruptio, ubi milites cedere non aſſueti, animi conſtantià excedentes legem imperii, cecidere plures; alii confuſo ordine declinantes cohortem ſubverterunt Brunſuicenſem, quæ ab illo latere novum cuſtodiebat aggerem. Inſequentes Turcæ pervenerunt vſq; ad contignationes ligneas, brevi tamen repulſi virtute *Mezzambachi Brunſuicenſis* ſtatoris Maioris, qui ſolus inter hoſtiles manipulos gladio inſiliens revocavit commilitones fugientes. Subſtitutæ interim aliæ cohortes à fronte, à latere verò Chiliarca *Petrus Gabrielus* lanienam fe-

Navailles regreſsū adornat.

Oratio Contareni ut Gallos ſiſtat.

Gallorum receſſus.

Roſpiglioſi receſſus

fecerunt. Suadebant Turcarum Duces impetum renovari; milites autem cadaveribus perterriri, quæ ſolum operiebant, non auſerunt. Timorem auxit cuniculus quo plures Turcarum manipuli evolarunt in flammas; fugam urgentes obſeſsi, qui munimenta omnia redimerunt. Ruinæ etiam in Arenaria pari ſunt propugnaræ conſtantià; qoamvis Turcæ in eis erexiſſent ſeptem vexilla; prævalente *Aloyſio Minio* cũ Sabaudis, qui factà eruptione etiã tumulos vulgo *Bonetta*, recuperarunt. Rumor certaminis vſq; ad auxiliares pervenit, qui Standiæ ſubſiſtebant ſed abſq; miſericordià, Nam nocte ſubſequenre *Navarles* ſexcentos revocavit milites, quos reliquerat in præſidium. Obſidentium periere milleni. Obſeſſorum rercenti, quorum mors victoriã funeſtavit. *Mirandulanus* cum appuliſſet expoſitis in terram commeatu, pecunià, militibus qui tirones, novitij, laboribus nou aſſueti, incommodo navigationis debiles teſtes ecidii potiùs acceſserant, quàm auxiliares, ipſe nec pede in terrà poſito, cum Pontificijs rediit in Italiam, & cum ipſis fortiſſimum Melitenſium agmen; eorum exemplum ſequentibus Equitibus Theutonicis expleto Anno auctorarionis ſuæ, cæteriſq; auxiliaribus, qui vel apertè rogabant dimitti, vel muſſitantes onera non obibant patientes. Plures etiã clam cum Gallis ſeceſserant, ipſis conniuentibus ad ſupplendum cæſorum numerum. Turcæ operi diu, noctuq; inſiſtentes, ſuggeſtum medirabantur erigere tormentarium in ruinis S. Pelagiæ, vndè obſeſſis dies inſtaret noviſſima. Ad Arenariam, occupatà plateà Propugnaculi inferiori, prætermiſſis, & interciſis exterioribus perfugiis, foſſionibns obliquis, & anguſtis ad Nivalia ſerpebant, & portum. Sic vndiq; terrà milite exarmatà, & expoliatà vrbe, opus erat pectora obiicere aggreſsoribus, qui clypeati ipſius vrbis ruinis offendebant ſinè periculo. In hoc ancipiti rerum ſtatu *Maurocenus* die 27. Auguſti, duces in conſilium adhibuit, *ut quæ eſſent eorum ſententiæ, liberè, ſincerè, prudenter exponerent pro patriæ ſalute, urbem, claſſem, libertatem conſiderantes. Tranſactis modo bellicis facinoribus, ſenili conſilio futura proſpicerent, deformatà iam urbe, Mallet quidem ipſe glorioſo Mauſoleo in illis ſepeliri ruinis, quàm tutela glorioſiſſima ſemper triſtior ſupervivere. Verumtamen pericula ipſi meditantes, non ut milites, ſed ut patres, quid agendum? ſcripto deponerent.* His auditis, conticuere omnes, intenriq; ora tenebant. Erant tunc primi noviſſimi, & noviſſimi primi. Mutuò ſe reſpicientes, ſedebant taciti, & immobiles, pallore ſqualidi, vt marmora diceres, niſi interpollaris ſuſpiriis, atq; ſingultibus vitæ ſigna dediſsent. Iuſſi tandem ſecundũ gradus dignitatis verba facere, fuere qui incendium meditarentur Troianum, ignem excitando furnulis, atq; cuniculis. Sed quomodo extrahere militem, populum, impedimenta, arma, & ventis credere inſanis? Quomodò eodem inſtanti deſerere mœnia, incendio donare, & navem conſcendere? Suadebant alii, vt exarmatà claſse remiges novum excitarent aggerẽ. At quo voto claſſis reliquias abſumere opere muri. Iis ſi milles numero diminutus non valebat ampliùs aggerem propugnare veterem, donec erigeretur novus? Inſuper ſi ad erectionem aggeris evocarentur remiges; quis claſsem regeret, Standiam ſervaret? nonnè eã amiſsà, amittebatur Creta, claſſis, & cum claſse omnium vita, atq; libertas? Explorato ergò rerum ſtatu, convenere omnes, ſatis datum gloriæ, atq; Chriſtianæ Reipublicæ. Poſt annos viginti quinq;, quibus Turcæ apud Cretam caſtra locarunt, tres autem tormentis, omniq; machinarum genere (quas non bellica virtus, ſed barbari excogitarunt immanes) verberarunt; honeſtà deditione patriæ conſulerent libertati. Subſcripſere decreto (quia eſset deſperata ſalus) Generalis *Maurocenus*, Marchio S. Andreæ *Mombrunus*, Generalis *Battalea*, *Iacobus Contarenus* Dux Cretenſis, duo Proviſores *Maurocenus* atq; *Cornelius*, *Aloyſius Minius* Conquiſitor, Marchio *Frontenac*, *Grimaldus*, *Chimanſechius* Statores maiores, Comes *Franciſcus Salvadego* Vrbis Gubernator, Eques *Verneda* Præfectus machinatorum; Ex claſſiariis *Laurentius Cornelius* Proviſor claſſis, *Aloyſius Magnus*, & *Ioſeph Maurocenus* quinquerarchæ, *Georgius Bẽzonius* præfectus ſinus Adriatici; *Angelus Maurocenus*, *Io: Baptiſta Galbus* Annonæ præfecti; & Generalis *Spar*. Antequàm executioni daretur decretum: certiorem fecit *Roſpilioſum*, (qui vento reſlante, adhuc Standiæ degebat vnà cum Gallis) vrbem cogi ad deditionem, ſolummodò milite deficiente. Impetum ſanè ferociſſimum deturbaſse Turcarum, ſed in certamine cæſis obſeſsorum plurimis, impoſſibile ampliùs ſubſiſtere, niſi ipſe, & Galli ſubmitterent tria millia militum. Quibus ſuppetiis promittebat vrbem propugnare, donec hyeme ingruente cogerentur retrocedere Turcæ. Ignoverunt omnes, & miſerati ſunt; nemo ſucurrit. Immò *Roſpilioſus* revocatis quinquaginta militibus, vt album impleret Pontificium; in Venetà navi (cui nomen *Magnus Alexander*) poſtquam Gallos, & Ducem *Mirandulanum* lautiſſimo excepiſſet convivio nocte 29. Auguſti, receſsit. Spe ſublatà ſubſidii, tumidi Turcæ laſciviebant in caſtris, & irridebant. Miſit tunc Maurocenus Thomam Alandum Scotum chiliarcam. & Stephanum Scordilum Cretenſem cum celoce verſus Giophirum, ad inquirendum, an Turcæ pactis iam per *Molinum* expoſitis Venetorum legatum, vellent honeſtè convenire? Turcæ quamvis proſperà fortunà tumidi, ac de victoria ſecuri reſponderunt; mutato rerum ſtatu, ac Lunà erecta in mœnibus vrbis, non recordari verba Molini (Præmonitus iſte à *Mauroceno* imminentis ruinæ pacem quærere, noluerat; quòd in ſuis inſtructionibus iam fuiſſet à Senatu prohibitus) *Maurocenus* autem Generalis credens ſibi facultatem eſſe paciſcendi vigore S. Conſulti quo mandabatur, *Cæterorum Ducum conſilio, in arenà conſilium ſumere, claſſe ſalvà, Sanctorumquè reliquiis*) vexillo pacis expoſito in propugnaculo S. Demetrii; convenere in campeſtribus *Ebraim Antiochiæ Baſſa*, cum tribus aliis Turcarum Ducibus, adſtante *Panagiotto* & Viſirii ſymmyſta: pro Venetis *Alandus*, & *Scordillus* dignitate inferiores, non ingenio. Dum autem iſti ſub tentorio verbis digladiarentur; decem tormentis Turcæ quatientes aggerem, viam latiſſimam ſtraverant, vt per ruinas aſcenderent. Chriſtiani autem accenſis tribus cuniculis, qui ſupererant, Turcarum ſtrage tormenta ſepelierunt in cæmentis. Anhelitus fuit iſte noviſſimus Cretæ morientis; poſt breve namq; ſed durum colloquium, pacem firmarunt Vrbis prodi-

Deditio Cretæ decreta

C

D

ditione cum tormentis in urbis tutelam diſpoſitis. Reliqua ſecum ferrent obſeſſi, unà cum commeatu, & bonis civium. Ad libitum quiſquè liber diſcederet intrà duodecim dies (ſi tamen Cœlum foret ſerenum) cum rebus ſacris, atquè prophanis. Fortalitia Regni SpinamLungam, *Sudam*, *Garabuſas* cum inſulis, & ſcopulis adiacentibus Veneti poſſiderent. Sic Cliſsā, cæteraq; in Dalmatiā, & Boſnā occupata. Hęc probavit *Viſirius* (licèt plures Turcarū Duces ſubſcribere renuiſſent) non ignarus, quanti intereſſet Cretam uſurpare. Die 6. Sept. invicem poſuere arma, datiſquè obſidibus eſt pax reſtituta Anno 25. Belli, Menſe 28. Muralis certaminis. Ex militibus Venetæ Reipublicæ cæſi ſunt 8167. Ex honorariis ſuprà quatuor millia militum. Foſſorum, & Remigum deſiderati ſunt 2706. Turcarum periere 31300. Dum pacta conſcriberent: erant in caſtris validi milites; 24600. Intra muros arma gerebant 3754. Hoc ſolo Anno accenſi ſunt à Chriſtianis furnuli, & cuniculi 328. Minores Furnuli (vulgo *Fogatæ*) 156. Turcæ ligone proficientes furnulos accendère ſolummodo 129. fugatas 20. Hoc triennio Senatus miſit Cretam milliones 4. ac 253000. Ducatorum cuſæ monetæ, ultra tormenta, impedimenta, panem nauticum, veſtimenta, quæ omnia fuere valoris immenſi. Et licèt reflante vento aliquando annona deficeret, Omnia tamen ſuperabundarunt, undè civitas dedita eſt, terra tantummodo, & milite deficiēte. Ex Chriſtianis hoc triēnio periere 29088. Turcarum hoc ſolo triennio Septuaginta millia. Ex villicis, & captivis triginta octo millia. Toto triennio, aggreſsorū furnuli 450 Propugnantium furnuli 1661 Agreſſiones Turcarū à Chriſtianis repulſę quinquaginta. Subterranei cōflictus quadraginta ſeptem. Eruptiones Chriſtianorum quinquaginta. Sic Creta ceſsit totius Chriſtiani Orbis damno, & incuriā. Habitatores exiere omnes, exceptis duobus Græcis Calogeris, tribus Iudæis, & unico armorum præfecto cum decem militibus, qui Chriſtum abiurarunt. Primi ferè omnes iuvenes, inter tormentorum bombos, & ſonitū tympaniſtriarū nati, à *Mauroceno* privilegiis donati prædia, & habitationes habuere in agro Parentino. Duodecim ſupra ducenta reliquit in urbe tormenta in uſuale præſidium: tercenta, & triginta ſeptem aſportavit, duodecim mortaria, & ſeptem aſtyochos. Quatuor millia ægrotantium conſcendere navim; ter mille, ſeptingenti, & quinquaginta quatuor validi milites, cum equis quadringentis recenſiti ſub ſignis. Clerus primus conſcendit, ſervatā maieſtate ſacerdotii cum rebus ſacris. Armis, & commeatui cum anguſtæ eſſent naves ultra quatuordecim triremes, & quinque quinqueremes, panem nauticum *Maurocenus* dono miſit Chriſtianis inter Turcas captivis: 27. Sept. egreſſis Chriſtianis, ingreſſi ſunt Turcæ pacificè, indignati Viſiriū, cum ferale illud inviſere ſepulchrū, quod uno impetu poterat facillimè occupari, non emi. Senatus cognito externorū receſſu, casū prævidebat: Pax, civitates, fortalitia, portus, maris poſſeſſio, in Dalmatia agri, montes, arces Turcis erepti, & pacto ſervati Patres excitabant in laudē. Creta autē cū legeretur amiſſa poſt annos viginti quinq; belli cruēti, in quo gaza abſūpta Reipublicæ, tantaq; virorū millia, ad lachrymas.

18 *Ludovicus Rex Galiorum verè Iuſtus* laudavit publicè conſilia pacis; doluit ſolummodò fortunam adverſam. Ducem *Navailles* facta ſua purgare volentem nec videre ſuſtinuit, ſed in campeſtria relegatū aulā prohibuit, in pęnam civitatis deſertæ. *Nanius*.

Navailles relegatur.

19 *Clemens P R* naturā debilis, triduò poſtquàm accepit Cretam amiſſam in morbum incidit: quo ſæviente, perſuaderi non potuit à rebus publicis pauliſper conquieſcere: ſed de Eccleſiā ſollicitus, vocatis ad ſe Cardinalibus, primò octo ſubſellia vacantia pari numero implevit, excluſo *Vicentio Roſpiglioſo* nepote ſuo, quē Cardinalē deſignaverat. Eo enim tēpore, quo anima inter Deū, & hominē de humano egreditur ergaſtulo, larvis abiectis ſimulationis oſtēdere voluit, quòd nepotis damnabat cōſilia, & in exemplum iuſtitiæ, nepotis iudicio poſteros erudiebat, & ad fortia excitabat. Simili dolore *Nicolaum V. Hadrianū VI. Piū V.* Conſtantinopoli, Rhodo, Cyproq; à Turcis ſubactis occubuiſſe fama fuit. Vndè Divina Providentia magnas Eccleſiæ calamitates in Pontificū animi virtute longè præſtātiū tempora ſervaſſe videatur. Obiit *Clemens* IX. Decemb. 1669. & triſti præter morem luctu implevit Vrbem, & Orbē, brevis Pontificatus celebri famā relictā, propter moderationem in erigendis affinibus, & animi magnificentiam in ſublevandis oppreſsis, omnibuſq. recreandis. Propterea quemadmodùm geſta viventium livor ſpargit, vel adulatio inſinuat: ita defunctorum veritas ipſa chroniſta *Clementis 9.* memoriam ſuperſcribet in vitis Optimorum Pontificum non ſolùm ob ea, quæ fecit; ſed quæ ultrà facere meditabatur. *Nanius l.* 12. Iam enim Rex Galliæ, aliiq; Principes (inſtante *Clemente*) novas copias, novas claſſes validiore, quàm anteà apparatu pollicebātur. Dux Lotharingiæ omnes ditionis ſuæ vires, ſuamquè dexterā offerebat; Marchio *Bellefontius* collectis iam turmis in procinctu erat (præmiſſis quatuor navibus cum pulvere tormentario pecuniā Gallici Cleri cōparato) ut ſolveret; cum rediens *Navailles*, omnia replevit timore, & cōfuſione. *Clementem* laudavit in funere *Auguſtinus favoritus*. Sepultus eſt rudi marmore, in pavimento Liberianæ Baſilicę, epigraphe, quā ipſe ſibi cōſcripſerat. *Clemens* X. ſequens excitavit elogio.

Clementis IX. obitus ex dolore amiſſæ Cretæ.

Cur nepotem non crearet Cardinalem.

Eius moderatio in erigendis affinibus.

Sepulchrum.

Clementis IX. *Æternæ memoriæ Pontificis magni cineres, nè abſquè ullo ſepulchrali honore ſicuti ipſe iuſſerat, humi laterent*, Clemens X. P.M. *Benefactori ſuo, & ob ſpectatum fidei Zelum, ob egregiam erga omnes beneficentiam, & charitatem de re Chriſtianā optimè merito Grati animi monumentum poſuit An. D. MDCLXXI.*

Roſam ſpectatæ ſanctimoniæ virginem, Ordinis Dominicani Limenſem: *Petrum de Alcantarà* Ordinis Minorum S. Franciſci, & *Mariam Magdalenam de Pazzis* Florentinam Ordinis Carmelitarum, eximiā pietate, abſtinentiā, & miraculis claros, Sanctorum albo tranſcripſit, ut ex numiſmate.

Scripſere de eo F. Franciſcus à S. Auguſt. Macedo. Godefredus Henſchenius, Daniel Papebrochius in *tom I. Mēſis Martii, de Actibus Sanctorū*. Helena Cornelia Piſcopia. Io: Paulus Oliva Generalis Ieſuitarū Præpoſitus in concione XX. latinè redditā, qui etiā ex ipſis literis quibus *Dominus Roſpiglioſius* ſcribitur, anagramma ſimul, & omen eruit, eis quæ ſub Malachiæ nomine circūferuntur vaticiniis congruū, ſeq. credidit Patribus poſſe Roſpiglioſum futurum monſtrare Pontificem, ac ſcribere *ſigno ipſi ſidus Olorum*, veluti *Dominus Riſpiglioſus*. De Cardinalibus ab eo creatis dicam de Vitis Cardinalium.


CLEMENTIS IX.
AETERNÆ MEMORIÆ
PONTIFICIS
MAGNI CINERES

CLEMENS DECIMUS
PONTIFEX ROMANVS CCXLI.



TObias oſſa recolligens mortuorum, honoranſquè ſepulcro, *Clementem X.* exhibet R. P. qui cineres *Clementis IX.* humili loco iacentes donavit Mauſolæo, ut pietatem exercere in mortuum,& gratitudinem ſolveret prædeceſſori ſuo.

Naſcitur 13. *Iulii* 1590. *In Papam eligitur Sal. Ann.* 1670. *die* 29. *Aprilis . Obiit Sal. Ann.* 1676. *die* 22. *Iulii An.* 6. *Pontificatus. Menſe* 11. *die* 23. *Vacat ſedes uſquè ad diem* 21. *Septemb.*

E L O G I V M.

Anni Sal. I Cl. 1670. It. EXulta Roma
Ex *Alterio* [1] Clemens filius tuus,
Factus eſt Matris,& patriæ pater.
Natus in purpurà per unam tranſivit ad aliam
Virtutis nunquàm depoſità.
Cardinalem [2] dictum à Clemente IX.
Eo tempore, quo animus eſt penè Propheta
Poſtulavit eum illicò Populus Vicarium Dei.
In procinctu Mortis erat *Clemens IX.* cũ dubius
An *Alterio* nepotẽ præferret? poſthabuit,ſperãs
Hãc electionẽ viaticũ fore ad Vitam Æterni.

A Clemente [3] mortuo,
Cum vocem populi, quæ eſt organum Dei Anni Sal. I C 1670. It
Comitia ſpernerent;
Increpuit Cœlum Igneà linguà,
Immiſſoq. ſydere in verticem Alteriæ Domus,
Oſtẽdit clariùs in *Syderũ* ſuppetias Sydus deſcẽdere.
Septem ſtellis cum Superi ſoleant coronari,
Et una Alterio deeſſet,
Sex Stellis Gentilitiis ſeptimam Cœlũ addidit.
At nè cui affulgère dubitaretur
Lucère cœpit in faſtigio Domus Alteriæ.

Anni Sal. ICI. 1670.11

Indè ad Conclave progreſſa ſtetit; A
Donec Patres rubore ſuffuſi ad ſydera reſpexerunt.
Cum ecce novum Miraculum:
Obſtinato *Alterius* 4. in modeſtiam animo,
Dũ lachrymis ſe excuſat, & acquieſcere negat;
Cœlum planctu expugnari non permiſit.
Pontificatus exordium 5 à Iubilæo:
Ut Religio,& Clemẽtia ſydera forẽt regiminis.
Volens Æternitati ædificare, non tempori
Primum 6 lapidem poſuit in domo Virginis.
Deus in æternum fundavit eam.
Tobias alter pietate ſimili,non ſtructurâ
Cœlo oſtentans ſuperbæ mortis trophæa,
Clementẽ IX. ex tumulo tranſtulit in thalamũ
Nè in terrà iacerent cineres Pontificis Sancti, B
Qui ex cœno in Cœlo ſedebat.
Seniorum,& Saniorum alligatum conſiliis,
Sequi nõ puduit itinera deſcribẽtẽ,nõ pręſcribẽtẽ.
Titan etiam Phoſphorum ſequitur præeuntem.
Cęlum ſolùm cum nulla dividant iurgia,
Sed ubi Homines ibi 8 lites
Diſsidia ſuſtulit per iudicia contrà familiam.

Anni Sal. ICI. 1673.11

Pacatâ Urbe, non 9 Orbe,
Iram effudit in Barbaros
In quos auro Eccleſiæ, armatis 10 Sarmatis,
Chocimum redemit,
Cæſis triginta Turcarum millibus. 1674.14
Contrà Elementa 11 Bellum indè recruduit
Quorum caritas charitate deluſa
Vitia hominum correxit, & Temporum.
Flumina, fulmina, Terræmotum, & Syderum
Clementià,& pietate ſtagnavit in Pauperes.
Aperuit 12 indè Portam Cœli;
Ut in domum Dei cunctis pateret ingreſsus.
Quinque 13 Beatos adſcripſit Sanctis
Quorum gloria plena eſt omnis terra:
Non quià Papa,Regina, Duces
Sed quòd inventi in numero Sanctorum.
Sex Annis luctavit,ſuccubuit tãdẽ oneri, vel honori
Aperto 14 Mari, 1676.17
Quod alii clauſerant tributo.
In Septimo 15 requievit
In Plenitudine Sanctorum.

ADNOTATIONES IN CLEMENTE X. PONT. ROM. CCXLI.

Clementis X. natalia. 1. A*Lterio. Æmilius* filius *Laurentii Alterii* Romani patritii, ac *Victoriæ* ſororis *Flaminii Delphinii* militari gloriâ in Belgio clari, cuius effigiem Populus Romanus in ædibus Capitolinis,ſequenti ornavit elogio.

Flaminio Delphinio
Militaribus, & Imperatoriis Artibus,
Magiſterio equitum, ductu exercituum
Rebus præclarè geſtis domi, foriſquè
Clariſſimo
Poſt funus publico ære, luctuquè celebratum
S. P. Q. R.
Civi Optimo M.D. C. V.

Alteriorum nobilitas. Fuit Gens *Alteria* Romanis tàm clara,ut forum,quod nunc *Ieſus* dicitur ob templum auguſtiſſimum ibi nomini erectum *Ieſus*) *Alteriorum* diceretur, propter antiquas huius gentis ibi ædes erectas. *Ferdinandus Vghellius in Italiâ Sacrâ. Gualdus in hiſtor.* Fratrem habuit Æmilius *Ioannem Baptiſtam* Cardinalem S. R. E. clariſſimum,ut habes in *Vitis Cardinal.* Ipſe Romæ natus Anno 1590. Die XIII. Iulii poſt emenſum fœliciter ſtudiorum curriculum, à privato litterarum pulvere in publicam deſcendit arenam, D acceſſitquè ad Iuris Civilis,atq.Canonici monumẽta operoſiùs libranda ſub auſpiciis *Innocentii* X., eà tempeſtate Sacræ Romanæ Rotæ Auditoris,magno virtutis incremento, & famâ apud ipſum Pontificem. Primus ei ab Vrbanis Tribunalibus in Poloniam gradus; *Io: Baptiſtam Lancellotum* ſequutus Nuncium Apoſtolicum, univerſæ Legationis egit Auditorem. In Italiam reverſus Infulæ admotus Camertium, quam frater eius *Io: Baptiſta* natu maior inter Cardinales cooptatus, reſignaverat,nihil à ſuâ charitate,Religione, prudentiâ deſiderari eſt paſſus, quod ad concrediti gregis curam pertineret. Hinc alterâ auctus præfectura Lauretanæ Domus; poſteà ſemel, atquè iterum univerſi Picæni regimini impoſitus, fauſtum ſydus toti Provinciæ ſemper illuxit. Vix Camerinę Sedi reſtitutum aliò divertere coegit Vtilitas publica. In ſolità Aquarum inundatione laborantibus Ravennatibus, in remedium *Alterius* ab *Vrbano* 8. immiſſus, excitatis aggeribus, C effoſsis canalibus, incolis ſolum reſtituit amęnum, ut ilitate incolatum non minore, quàm admiratione recepti beneficii ex pręterito infortunio. *Vrbano* mortuo, ſucceſſor eius *Innocentius* Neapolim delegavit Nuncium Apoſtolicum, ubi octo Annorum ſpatio inter civiles tumultus, clavum tenens concordiæ,mirà velificandi dexteritate, nullam declinavit in partem, ſed communis interpres conſilia pacis ſemper ſuaſit. Dignus propterea viſus, quem tota Italia ad reſtituendam mutuam concordiam ſequeſtrem imploraret. Erepto namquè rebus mortalibus *Innocentio* X. cum ad inveterata Inſubriæ bella recentes Italorum quoquè Principum motus accederent; *Æmilius* ab univerſo Purpuratorum cœtu creationi Pontificię intento,cunctis ſuffragiis renuntiatur Angelus Pacis. Arcanis monitis (mandante Sacro Collegio) inſtruxit eum *Fabius Chiſius* mox futurus *Alex. VII.* qui quantùm de *Alterii* fideret conſilio,monſtrant literæ ab eo datæ ad *Æmilium*; ſed magis ex Apoſtolici ſolii cortinà planiùs adhuc aperuit de eo indicium,quum ad ſe evocatum, ſacræ Epiſcoporum, & Regularium Congegationi eſſe voluit à ſecretis. Quod quidem munus non tàm Domi,foriſquè labores,quàm apud omnes cuiuſcumquè ordinis homines benevolentiam auxit, & commendationem. Legationes. Officia.

2. *Cardinal.* Hinc Alexandro *Clemens* IX. ſuffectus propiùs ſibi adiunctum Pontificio præfecit cubiculo, donec noviſſimo Purpuratorum delectu, quem habuit eo tempore, quo animus inter Cœlum, & Ter- Cardinalis eligitur.

Terram medius, eſt pœnè propheta excluſis etiam affinibus ſacrum quoquè intulit in Senatum.

3. *Clemente* mortuo geſtientis populi vox, quę eſt organum Dei, *Alteriam* poſtulavit in ſucceſsorem. *Nanum*. Cœlum, ut ſecuriùs aſsequerentur eius vota mortales, poſt menſium ferè quinquè diſſidia, quibus diviſi Patres, Auræ immortalis ſpiramina deprecabantur, eccè pluries inter dies ſydus *Alterii* primũ emicans ſuper lares, mox indè ad Vaticanum, veluti nuntius progrediens futuri, comitiorum moras propemodum increpabat. Nec longè veluti rubore ſuffuſi Patres, unà undiquè repentè iterum atquè iterum Alterium proclamant; ut in oratione Romæ habità, & typis datà ab *Antonio Agraz de Sprigs* nomine Petri de Aragon Hiſpanorum Legato ad prȩſtandam obedientiam R. P. Clem. X. Extimuit tunc

Novum ſydus eius Pōntificatũ prędicit. Recuſat Pontificatum.

4. *Alterius* eligentium plauſus, & inopinis acclamationibus aut exterritus, aut indignatus, oblatum geminȩ clavis miniſterium ità plurièſ, & obſtinato in modeſtiam animo detrectavit, ut precibus, monitis, & totius Senatus increpationibus vix deniquè ſe victum dederit, ceſſeritquè poſtquàm excuſationibus infirmæ valetudinis, & ȩtatis octogenariæ, planctu diſpenſationem impetrare non valuit. At hoc etiam nec ſinè Numine factum. Summus enim rerum conditor, qui eum in hunc apicem extollere decreverat, ut ſucceſsoribus in exemplar præiret, id inſuper mortales eius obluctamine edocere voluit, nè ſacratiora divinæ Providentiæ placita votis (quanto minùs ambitione?) præoccuparent. *Clemens* X dici voluit, ut memoriam gratus renovaret *Clem.* IX. à quo creatus fuerat Cardinalis, impleto vaticinio S. Malachiæ *De Flumine Magno*, Tyberi ſcilicet quia Romæ natus; propterea Senatus, Populuſquè Romanus conceptam non valens continere lætitiam, nummum percuſſit (habes n. 1.) in quo Petrus, & Paulus cum antiquà Veſpaſiani epigraphe *Roma Reſurgens*. Die autem 29. Aprilis cum memoria recurreret B. Petri Martyris, effigiem in numiſmate n. 2. ſculpſit, ſub lemmate, *Colles fluent mel de petrà*. Petro alludens, ac ſeptem collibus Vrbis, à quibus mellem Clementię in Orbem auguratur manaturũ. Devotionem porrò, ut exprimeret, quà ergà Deiparam à teneris Annis eius laudibus concinendis addictus fuerat, nummum tertiũ percuſſit, in quo Deipara ſtellis coronata Lunam calcat (gentilitiæ illę ſunt Domus Alteriæ) cum epigraphe, *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina*. Quartum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quintũ, *Domine tu ſcis, quia amo te*, amorem exhibent, quem Clemens profitetur erga Chriſtum Dominum. Die 11. Maii 1670. coronatus

Pontificatum reſpuit oblatũ.

Papa prædicitur.

Nummi

5. *Pontificatus exordium* deſumpſit piè ab Indictione Iubilæi, quo Orbem excitaret ad Religionis obſervantiam, & Religio Clementiaquè ſydera eſſent futuri regiminis. Erat qui apud Cæſarem publicationem Iubilæi ſuſpendere conaretur, donec creatione Cardinalis ex natione Germanà Cæſari ſatiſfieret per Clementem IX quaſi prætèrito. Aures tamen negavit *Leopoldus* ſemper Catholicus, ſemper Romanus, ſecurus de iuſtitia Pontificis, à quo propterea purpura eſt collata Abbati Fuldenſi *Bernardo* *Guſtavo* fratri Marchionis Badenſis Durlacenſis. Diſciplinam, ut repararet Eccleſiaſticam, canones renovavit antiquos præcipuè de Monialium clauſurà.

Pontificatus exordiũ à Iubilæo.

Diſciplinam reparat Eccleſiaſticam.

Electionis ſuæ cum literis ſuà manu exaratis Reges certiores feciſſet, poſt auditos Oratores Principũ, à ſecretis aſſumpſit Cardinalem *Palutiam Palutiam* Albertonem, quem Legatum dixit Avenionenſem. Hunc (teſte *Vianolo*) *Alterius* priuſquàm Pontifex fieret; quòd agnatos natura negaret, arte ſupplevit, & ad decorem nominis Romani, nè familia periret *Alteria*, quæ olim Rempublicam decoravit Romanã, in nepotem adoptaverat, nomine, & inſignibus collatis Alteriæ Gentis. *Gaſpari* verò *Palutio Albertono* nepoti ex *Angelo* fratre eiuſdem Cardinalis, cui iam nupſerat *Laura Catherina* neptis Pontificis, Generalatum contulit S. R. E. Prȩfecturam triremium, & Caſtellanatum arcis S. Angeli.

Familiã ſuam ar rogatione reſtaurat.

Celebratæ etiam nuptiæ inter *Ludovicam* proneptẽ Pontificis, & *Dominicum Vrſinum* Gravinæ Ducem fratrem Vincentii Cardinalis S. R. E. Archiep. Beneventani, qui ex ſolo Religionis amore, Principatu reſignato fratri ſuo, Inſtitutum profeſſus S. Dominici Gentilis ſui, Regularibus, ut fuit norma vivendi, nunc Clerum Sæcularem Archiepiſcopus exēpli lege reformat, & ſacrȩ doctrinæ pabulo, quà mirè fulget, gregem inſtruit Dominicum. Nec non *Tarquiniam Alteriam* proneptem Pontificis, & Ægidium ducem Anticolenſem ex gente *Columnià*, quę dicitur de *Carbognano*. His omnibus Agnatis datus eſt locus in ſolio Pontificio.

In ſenatum Purpuratorum cooptavit *Federicum Boromæum*, *Camillum de Maximis*, & *Gaſparem Carpineum* viros de Republicà Chriſtianà officiis, vel legationibus meritos eà famà iuſtitiæ, & plauſu, ut neminem Electorũ auſus fuerit Paſquillus cenſurà notare. Plures adfuerunt Oratores Obedientiæ Inter quos Petrus de Aragonà ProRex Neapolis nomine regiȩ Catholicȩ pompà nobili. Veneta Reſpublica quatuor Senatores ætate, ac purpurà procuratorià graves in Oratores deſignavit more vetuſto, Agnatos Pontificis inter patritios aſſumpſit.

6. *Primum lapidem* Pontificatus poſuit in Templo *B. Mariæ Maioris*, cuius Sanctuarium ſeù ſummam partem exteriùs ornare cȩperat *Clemens IX*. Opus inchoatum quidem, ſed morte prȩveniente non conſumatum à Clem. IX. eleganti arte, in honore Deiparæ Virginis perfecit Clem. X. Anno 1672. Nummiſma habes, in quo Templum ſub epigraphe, *Deus fundavit eam*. Tumulo etiam cum Clem. IX. corpus ſuum recondi mandaſſet humillimo, ut dedimus ſuprà *pag.* 628. n. 6. & p. 652. n. 19.

Perficit templũ S. Mariæ Maioris.

7. *Nè in terrà iacerent cineres Pontificis Sancti*, erecto nobili Mauſolæo, Clementem IX. Clemens X. reſurgere voluit, cuius ſciagraphiam habes ſuprà *pag.* 663.

Sepulchro donat ClemIX

8. *Ibi lites*. Plura inter Oratores Principum, ſedente Clem. X. inſurrexere diſſidia, quæ tamen evanuere compoſita vigilantià Pontificis. Primum fuit occaſione præcedentiæ inter Sabaudum Comitem de Lucernà, & Hetruſcum Marchionem *Riccardum*: iſte ut pari gradu ſederet; ille ut præcederet. Armati cum incederent per Vrbem non ſinè civilis concordiæ diſcrimine, ſequeſtre Pontifice

po-

poſuere arma, non odia.

Gaſparis Alterii cum Commẽdatore Bichio.

Secundum diſſidium inter *Gaſparem Alterium* Præfectum Generalem caſtrorum Eccleſiæ Romanæ, & Comendatorem Bichium Oratorem Hetruſcum occaſione præcedentiæ, quæ tandem eſt adiudicata Legato. Huc forsàn nummiſma ſpectat XXII. in quo Iuſtitia cum epigraphe *Arte meà bis iuſtus*, quia ius ſuum cuiquè non ſolùm reddiderit, ſed etiam contrà nepotes. Anno 1673. Romam venit Miſſus à Duce Moſchovię prò ineundo fędere cum Chriſtianis adversùs Turcas, qui Sarmatas bello vexabant. Verùm cum Moſchus tumidus, & ſpecioſis plenus nominibus, titulo *Cæſaris* ſalutari exigeret Dominum ſuum, pręter munera, & lautitia (quę generosè Pontifex ſubminiſtravit) vacuus rediit etiam reſponſo. Sicut enim Orbis geminam non patitur Lunam, ità nec geminum Imperatorem.

Legatus Moſchi.

9. *Pacata.* Pacis avidus Sabaudos, & Ianuenſes de finibus regundis bello implicitos gravi Italię periculo, ſi tutelę ſpetie Nationes Vltramontanę in Italiam deſcenderent, reconciliavit. Epiſcopum Monaſterienſem, & Archiep. Electorem Colonienſem Gallo fęderatos contrà Batavos, ad quietem retrahere conatus, ſed fruſtrà, cędes, incendia prædixit, quę Chriſtianę imminebant Reipublicę, męſtus quòd pericula pręvideret, non provideret; Indè enim Cęſar Hiſpano iunctus bellum Gallis indixit, inter quos poſteà pax nunquàm plenè convaluit. Ianuenſes etiam in furorem concitatos ob notarium, quem tribunali S. Inquiſitionis delegerant, ad iuris cancellos revocavit; ut ſuà ſorte contenti iura S. Petri non uſurparent: undè in Notarium prævaluit, quem Pontifex deſignaverat. Anno 1670. Comes de Prado Luſitanus Orator pacè compoſità inter Caſtellanos, & Luſitanos Romam venit: à die namque Kal. Decemb. An. 1640. quà eiectis Caſtellanis *Io: IV.* Rex Luſitanię eſt proclamatus Aulà Romanà nè Hiſpanos offenderet, Luſitanis abſtinebat.

Orator Luſitanus.

Diſſidia in Poloniâ.

10. *Sarmatis.* In Poloniâ Archiep. Gneſnenſis Primas Regni cum *Subieſchio*, aliiſquè Palatinis à Rege diſcors *Michaele* cum patriam exponeret Turcarum libidini; omnem lapidem movit, ut ad concordiam revocaret, quà tandem reſtitutà caſtra moverunt in Turcas Rege duce, ſerò tamen poſt occupatam à Turcis, Ann. 1672. Podoliam, & expugnatam *Camenicam*, urbem permunitam, caput ſuperioris Podolię cum arce validà inter rupes ſità, à Turcis, & Tartaris ſępè in Vngarià irrito tentatà conatu. Conſpirabant cum Turcis rebelles Vngarię, qui tamen Cęſaris fęlici gladio repreſſi poſuere arma, non ferociam. Anno tandem 1674. auro Sarmatæ excitati Clementis, R. P. qui ultrà ſuppetias validè ſubmiſſas, decimam etiam Clero impoſuit Italię, indicto Bello, Cocimum, aliaquè expugnavere oppida cęſis, deletiſquè XXX. Turcarum millibus. Victoriam opimam funeſtavit obitus Regis *Michaelis* Leopoli mortui III. Idus Novemb. ipſo momento, quo moriens de Barbaris triumphavit. Victoriæ monimentum ſunt nummi 7. & 8, quorum alter ſigna exhibet Turcarum Romam relata, B. Apoſtolorum tumulo offerenda cum epigraphe, *Turcarum ſigna à Polonis relata*; alter Pontificem patrocinium invocantem B. B. Apoſtolorum; *Intercedite pro nobis*.

Suppetiæ Pontificis in Turcas.

Turcæ cæſi.

Anno ſequenti (Sal. 1675.) nummiſma percuſſit, (ſub *n. 9.*) in quo ſex Stellę Orbem illuminant, & gentilitiæ ſunt *Alteriæ* Domus ſub lemmate, *Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, quià omne decus, omnemquè virtutem à cœleſti lumine, ſicut Stellæ à Sole mutuantur, ut donis ſuis Orbem reficiant. Sic *Clemens* gratiæ plenitudinem à Spiritu Sancto accepiſſe ſe, ut dignè Orbem regeret Chriſtianum profitebatur. Devictis Barbaris

11. *Contra Elementa bellum recrudnit*, quę Motu Terrę, Aquarum inundatione Iram Dei portendebant in homines. Exuberantes Germaniæ fluvii, vaſtatà ſegete inundavere agros. Diſcriminis Italia non immunis, Motu Terræ contremuit, & ferè contabuit plurium civitatum excidio. Ariminum Templorum ruinà, ædium ſolutione, ſtrage civium iacuit penè in ſeipſo ſepultum. Omnia tamen brevi, & ad meliorem formam reſtituta auro, liberalitate Pontificis. Ætate quamvis gravis omnibus accurrebat clemens, prævidebat prudens, providebat iuſtus. Neminem irreconciliatum paſſus; cum Ordini militari S. Lazari adiicere bona Hoſpitalium tentaret Rex Galliæ Ludov. XIV, quæ tanquàm Eccleſiaſtica iuriſdictioni exempta ſæculari, inſcio Pontifice non alienari poſſunt nec permutari contrà teſtantium voluntatem; Congregationem deſignavit Clemens, quæ inquireret iuſtitiam cauſæ, in quà cum ipſe ſupremus, & naturalis ſit iudex, alieno quaſi ſubiectus vellet eſſe decreto.

Motu terræ plures Urbes concuſſæ.

Congregationẽ deſignat pro Gallo.

Eodem tempore, Pontifice diſpenſante, initæ ſunt nuptiæ inter Brigantii Ducem, & Eleonoram ſororem Ducis Mutinenſis, ex quà natus Iacob Rex Hodiernus Britanniæ, qui ritu expiatus Catholico Religionem Romanam Britanniæ reſtituir, Britanniam Deo.

Diſpenſat inter Ducem Brigantii, & Eleonoram Mutinenſem.

Huc ſpectat nummiſma, in quo mulier ſenem lactans, Charitas ſcilicet, quà Vrbi penurià laboranti effuſis viſceribus, ore ſubvenit, & auro, ſub lemmate, *Vivificat, & beat.* In altero *Abundantia* eſt ſpetie puellæ ſpicis redimitæ, & cornucopiæ geſtantis cum epigraphe, *Vt abundantiùs habeant*.

12. *Aperuit indè portam Cæli*, magnum ſcilicet *Iubilæum*, quod incidit in Annum 1675. ad cuius ſolemnitatem inchoandam Clemens Portam Sanctam aperuit die 24. Decembris, 1674. & ad eius memoriam poſteris recolendam nummiſmata cudi permiſit XII. *Cunctis patet ingreſſus.* XIII. *Fluent ad eum omnes gentes.* XIV. *Laudent in portis opera eius.* XV. *Benedixit filiis.* XVI. *Domus Dei, & porta Cæli.* XVII. *Aperi eis theſaurum tuum.* XVIII. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum.*

13. *Quinque Beatos adſcripſit Sanctis*, ſcilicet S. Pium B. Pontificem M. S. Caietanum Fundatorem Theatinorum, B. Franciſcum de Borgià Generalem Societatis Ieſu, B. Ludovicum Bertrandum ex ordine Dominicanorum, & B. Margaretam Reginam Scotiæ. Quorum in ſolemnitate nummi XIX. & XX. ex omni metallo diſtributi fuere. In hoc epigraphes legitur, *Solem nova ſydera norunt*: in illo, *Plena eſt omnis terra gloria eorum.*

14. *Aperto Mari, quod alii clauſerant*, tributo. De Tri-


S.PETRVS.M.
1670
DEVS FVNDAVIT EAM
A.MDCLXXII
INTERCE DITE PRO NOBIS
MDCXXIV
MDCLXXV
MDCLXXV
1675
SPIRITV ORIS EIVS OMNIS VIRTVS EORVM

Tributis per Clementem X. ſublatis teſtis eſt nūmus Alo, in quo portus *Civitatis Veteris* ſub epigraphe, *Cunctis patet ingreſſus*. Tributo ſcilicet navibus antiquitùs impoſito, & per Clementem remiſſo, liberior Nationibus cunctis patuit ingreſſus.

15. *In Septimo requievit* Anno ætatis octuageſimo ſexto, regiminis ſeptimo, ſæculi 1676. die 22. Iulii, laudatus in funere ab Abbate Malagonello. Plures de eo ſcripſere, inter quos *F. à S. Augustino Maredo*, *Godefridus Henſchenius*, *& Daniel Papebrochius* ſacrarunt ei Acta Sanctorum ſub menſe Aprili tom. 1.

Triduò corpus Clementis cum more ſolito populo patuiſſet expoſitum, ſepultum eſt in Eccleſiâ S. Petri in ſacello S. S. Euchariſtiæ, quàm piè, & devotè ſuſceperat, pro Viatico.

Romani Pontifices hoc Quarto Tomo contenti.

220	HAdrianus VI.	Pag. 1	228	Gregorius XIII.	329	236 Gregorios XV.	523
2 1	Clemens VII.	33	229	Sixtus V.	367	237 Urbanus VIII.	537
222	Paulus III.	111	230	Urbanus VII	410	238 Innocentius X.	571
223	Julius III.	161	231	Gregorius XIV.	425	239 Alexander VII.	591
124	Marcellus II.	187	232	Innocentius IX.	437	240 Clemens IX.	621
225	Paulus IV.	201	833	Clemens VIII.	445	241 Clemens X.	655
226	Pius IV.	243	434	Leo XI.	483		
227	Pius V.	287	235	Paulus V.	493		

239	ALexander VII.	Pag. 195	220	Hadrianus VI.	1	235 Paulus V.	493
221	Clemens VII.	33	232	Innocentios IX.	437	226 Pius IV.	243
233	Clemens VIII.	445	238	Innocentius X.	571	227 Pius V.	287
240	Clemens IX.	621	223	Julius III.	161	229 Sixtus V.	367
241	Clemens X.	655	234	Leo XI.	483	230 Urbanus VII.	410
228	Gregorius XIII.	329	224	Marcellus II.	187	237 Urbanus VIII.	537
231	Gregorius XIV.	425	222	Paulus III.	111		
236	Gregorius XV.	523	225	Paulus IV.	201		

Inventario delli Libri Stampati da Gio: Parè Libraro all'Inſegna della Fortuna, nella Merzaria di Venetia ſino l'Anno 1689.

Monarchia Occidentalis diviſa in octo volumina.
AQuila inter Lilia)
Saxonica)
Bavarica, ſeu Sancta)
Franca)
Sveva) Io: Palatii fol. Real cum
Vaga) figuris ære, &c.
Auſtriaca I.)
Auſtriaca II.)
Romana Volgare)
Armonia Contemplativa cum fig. Rame aditio 2.
Almanaco di Rutilio Benincaſa
Alfragani Elementa Aſtronomica
Araldo Veneto, ò Armeriſta
Arriani de expeditione Alexandri Magni cum notis Varior.
Alſtenij de vera nobilitate
Angeli contra Aſtrologos
Aſtrologia convinta di falſo dal Montanari
Aphtonij Sophiſtæ.
BIzzare Accademiche del Loredano
Boile Opere Varie.
CAnocchiale Ariſtotelico
Commentaria Io: Palatij ſupar Inſtitut.
Circulus Aureus
Chimica Vanus
Collegium Salmaticenſe fol. vol. XIII.
DAnte Compendiato con Fig. ſub prælo
Dominio del Mare Adriatico
Dionyſij Halicarnaſſei.
EPiſtole Evangelij di Remigio In 4. figur. Rame
FArmocopea del Quercetano
Fularij de Subſtitutionibus
Filopono nove Navigatio.
GIeruſalemme liberata del Taſſo in 4. Rame
Geſta Pontificum Romanorum à S. Petro, uſq; ad Innocentiū XI. Incluſivè cum Figuris ære Latinè Vol. 5. fol. Real. Auctore Ioan. Palatio.
Galeria de Ritratti del Paſqualigo
Grandezze, e Rifleſſi della Santiſſima Trinità, e di Maria Vergine del Priuli
Gynecæum Chimicum.
HErmani Hugonis pia deſidaria cum figuris, &c.
Hiſtoriæ Romanæ Sariptores fol.
IOcus Politicus.
Index Librorum expurgandorum
Iuvenalis cum Pharnabio.
KIrcherij opera Varia cum figuris fol.
Kirchenij Antonious Pius.
LOrinus in Pſalmos fol.
MArtialis cum Pharnabio
Mondo Simbolico fo figur. Rama.
Memoriale della Lingua del Pergameno fo.
NVovo Teſoro degli Arcani Farmacologici, Galenici, Chimici, ò Spargirici di F Felice Paſſera Capucino fo. vol. 3. ſub prælo
Nuovo Teſtamento di N. S.
OVidio Iſtorico Politico, Morale con Figura
Officij B. V. 32 grande lettera groſſa
—— 23. Piccolo
—— 24. Settimana Santa.
PIetra Paragone del Boccalino figurata rame con nuova aggionta.
Plinij Panegirici Veterum
Platina Vite de Pontefici.
Preſagio alla caduta de Turchi dell'Arnù
Porcorum Pugna
Petrarca de Remedijs utriuſquè Fortunæ
Poetæ Minores Græci, & Latini:
REdecheri Foos Bilfeldian:
Rolfincij opera Varia
Rudimenta Linguæ Grecæ.
SErmones Quadrageſimales Leonardi da Vtino ſub Pręlo fo.
Seneca Chriſtianus
Savioli Lucubrationes Medicæ
Solis Monarchia
Squadra Mobile dal Fabris fig. Rame.
TOmaſo à Kēpis dell'Imitatione di Chriſto cō 120. Fig. Rame
Teatro del Mondo dell'Ortelio.
Terentij opera cum Pharnabio.
VIta di S. Pietro del Palazzi figurato In 4. Rame
Vocabulario della Cruſca fol.
Vergine Parigina.